This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 061 861 555

HARVARD LAW LIBRARY

Received JUN 9 1908

Atl. 4

9

LUDOVICI CENCI

TRACTATUS

DE PROCURATORIBUS

Editor de juribus quae ei per Leges contingunt frui intendit.

Typis *delle Murate*.

TRACTATUS
DE PROCURATORIBUS

AUCTORE

LUDOVICO CENCIO JC. PERUSINO

OPUS POSTHUMUM

A PETRO HYERONIMO CENCIO

PERUSINAE MACERATENSIS LUCENSIS ROTAE AUDITORE

ADAUCTUM ET ILLUSTRATUM

NICOLAO NERVINIO

EQUITI STEPHANIANO ET JOSEPHIANO

A CONSILIIS MAGN. ETR. DUC.

FLORENTINAE REGIAE CURIAE MODERATORI

DICATUM

EDITIO PRIMA FLORENTINA

AB ALOYSIO BICCI J. U. D.

EMENDATA ATQUE DISPOSITA.

FLORENTIÆ

SUMPTIBUS LAURENTII MELCHIORRI EDITORIS

MDCCCLVII.

S
ITA
9.91.

NICOLAO NERVINIO

EQUITI STEPHANIANO, ET JOSEPHIANO

A CONSILIIS MAGNI ETRURIAE DUCIS

XIX. VIR. LITIBUS ALTERA PROVOCATIONE JUDICANDIS

ET CRIMINIBUS COERCENDIS

PRAESIDI.

Excellentissime Domine

Cum subiit in mentem Ludovici Cencii *tractatum posthumum* De Procuratoribus *vulgare per typos, nomine egregio famae percelebris decorare illum proposui, ut sub auspiciis nobilissimi viri increscceret merito, convalesceret aestimatione.*

Perusinus ille Jurisconsultus, quem omnes celebrant auctorem aurei tractatus De Censibus, *ut Procuratorum consuleret commodis opus hoc eximie conscripsit; Petrus Hyeronimus Cencius Ludovici pronepos illustravit et auxit, et Legum, Doctorum, Interpretum, Statuta, Consilia, Adnotationes subtexuit quae ad praxim potissimum pertinerent, ne quid auctoritate deficeret, quid remaneret incertum, quid Curiae usibus foret minime accomodatum. Studiosus Jurista materiam disposuit, ut aurea Cencii doctrina planiori ratione concinnata Procuratorum necessitatibus proponeretur; sed revera carebat nomine integerrimi Magistratus cujus sub praesidio in lucem prodiret.*

Tu, munifice, excellentissime Florentinae Regiae Curiae Moderator et Praeses, qui virtutum splendore Magni Ducis nostri et omnium spectatissimorum virorum studia et benevolentiam comparasti, cujus ingenium, doctrinam, exquisitam ac reconditam juris utriusque cognitionem omnes admirantur coaevi, et illustrabunt futuri; Tu, pro singulari humanitate qua polles, passus es editionem hanc amplissimo nomine Tuo decorari, et ita pondus hujus operis mirifice auxisti.

Accipe ergo, nunc quaeso, quod Tuum est, quodque Tibi commendo; et si qua utilitas erit Curiae in opere Tibi commisso Tua laus erit, et decus meritis partum Tuis.

Observantissimus

LAURENTIUS MELCHIORRI EDITOR.

JUN 9 1908

AD JURISCONSULTOS

PRAELOQUIUM

Agere aliena, alterius nomine causas pertractare, jura tueri, actiones servare, personas defendere, res publicas et privatas administrare, in judicium procuratorio nomine venire, nemo non est qui non sentiat quanti referat ad hominum utilitatem, et quam sit necessum ad famam, res et libertatem defendendam illorum qui nolunt vel negligunt per se ipsos agere vel conveniri.

Civile jus universum, Ecclesiastici canones multa sanciti sunt circa mandatum, nonnullasque habent constitutiones quae Procuratores respiciunt, nec leges ubique desunt quae gestorem negotiorum dirigant in rebus pertractandis aliorum; Interpretes, Juristae, Legum periti, Doctores, Canonistae, Scriptores longe lateque disseruere de Procuratoribus, de Mandato, de Negotiorum gestione, et huc et illuc multiplices extant illustrationes, praescripta, decisiones, decreta quae materiam pertractant, dirigunt, moderantur.

Attamen in tot rerum copia nullus adest tractatus qui necessitatibus obviam sit, et ipsemet *Fabius Golinius* quamvis a *Carolo Antonio De-Luca* illustratus, satis minime est opportunitati forensium.

Occurrit isti defectui LUDOVICUS DE CENCIIS, Perusinus ille Jurisconsultus quem Lancellottus illustrat, quem Alexius, Crispoltus, Belfortus, Oldoinus, Hyacinthus, Vinciolus laudibus extollunt, cujus vitam Antonius Pacinius, et Bartholomeus Cencius fusissime conscripsere; ille, inquam, Ludovicus qui in celebratissimo aureo tractatu DE CENSIBUS tanto se famae decoravit nitore, ut omnes non solum in Romana Curia Judices et Doctores, quoque sed universi ubicumque locorum juristae ejus potissimum auctoritate fulciantur in controversiis dirimendis, et ipsiusmet utantur voce si ea in re de qua scripsit, veniat illis disserendum.

Iste perillustris Ludovicus, cujus nomini vix ullum sufficeret elogium, tractatum DE PROCURATORIBUS scripsit, quem nunc primum evulgamus, quemque comitati vestrae volumus commendatum. Quanto in pretio sit habendum hoc opus facile valet hauriri ex titulo, ex Auctoris nomine, ex necessitate praemonstratoris in qua versantur Juristae. Ad nihilum valet praxis, quando ex theoricae auctoritate minime confirmetur. Vidit Auctor noster quanti essent in Fôro quae *Procuratores* et *Mandatum* respiciunt, et Mandati Procuratorumque materiam ex professo tractando, difficultatibus omnibus obviam se fecit; hinc a verborum significatione sumens exordium, procuratorum usum ex necessitate probavit inventum, ab humilitate vindicavit, ejusque originem ab amicitia traxit. De speciebus mandati habuit verbum. Quis possit esse Procurator, a quo veniat constituendus nunciavit. Non tacuit de Syndico: De ad lites Procuratore disseruit: Dixit de Procuratore ad negotia, et de his quae particulariter ad hujusmodi officium pertinere videntur. Communia ad lites et ad negotia procuratori inseruit nonnulla. De ratihabitione, de revocatione Mandati multa fecit verba. Ait de expiratione officii Procuratoris. De falso procuratore, deque poenis ejus firmavit aliqua, multaque alia explanavit quae in *Golinii* tractatu minime reperiuntur. Ordine miro, et claritate summa totum hunc predifficilem enucleavit omnino tractatum, et Canones, Leges, Statuta, Constitutiones adduxit, nec non Scribentes omnes Canonicos, Civilistas prae manibus habuit, ut eorum opiniones, illustrationes, consilia congrue citarentur: neque decisionum oblitus est Curiae Romanae, Sacraeque Romanae Rotae, ut opus quod congererat, forensium necessitatibus, Curialibus studiosis, omnibusque

procuram gerentibus, fieret promptuarium doctrinae, praescriptum scientiae.

Ecce nunc ergo ille Tractatus, qui a Mandantibus, Mandatariis, a Procuratoribus omnibus diurna nocturnaque manu versandus elucescit in Fôro, et in quo multa reperient juristae, Judices, Causidici, Jurisconsulti ad contentiones sedandas, ad bene de rebus utendum alienis, ad claritatem facilitatemque inveniendam rebus in arduis.

Ne mirum fortasse videatur quod opus hujusmodi prodeat nunc tantum, operae pretium duximus aliquid de causa dicendum. Fato cessit Ludovicus tertiodecimo Kalendas Sextiles anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi, et opus quod conscripserat in haereditatem transiit antiquae nobilisque familiae suae. Petrus Hyeronimus Cencius Ludovici pronepos, qui fuit Perusinae, Maceratensis, Lucensisque Rotae ornamentum et decus, excellentiam tanti tractatus supereminentem intuitus illum adauxit et illustravit ut typis aliquando in juristarum publicaretur utilitatem. Ab optimo jurisconsulto jam jam erat evulgandus, quando mors vitam abscidit, et post ferme centum brumas huic tempori fuit reservatus, ut in lucem prodiret.

Igitur si omnia *Ludovici Cencii* opera insignia, perbenigne fuerunt excepta, sperare utique possumus idem ipsum huic quoque obventurum, eoque magis utpote ab eximio adnotatore illustratum, et a studiosissimo Viro, revisum, enucleatum summario, et ad publicationem directum.

Vobis tandem optimis Jurisconsultis queis hunc tractatum offerimus, de ejus utilitate, deque merito reservamus fidenter sententiam.

LUDOVICI CENCI

TRACTATUS

DE PROCURATORIBUS

CAPUT I.

DE MANDATO ET PROCURATORE, ET DE HORUM VERBORUM SIGNIFICATIONE.

SUMMARIUM

1. *Procuratorum usus apud homines est necessarius.*
2. *Quare adinventus.*
3. *Explicare possumus per Procuratorem ea omnia, quae per nos ipsos possumus.*
4. *Gesta per Procuratorem tenent ac si essent a domino gesta, absque alia ratificatione.*
5. *Praesumuntur gesta de scientia et commissione principalis.*
6. *Procurator si male agat, sibi dominus imputare debet.*
7. *Prohiberi non debet quod homines in negociis amicorum opera subleventur.*
8. *Procuratorum usus originem trahit ex amicitia: fuit Legum auctoritate comprobatus.*
9. *Auctoris mens et consilium.*
10. *In aequivocis versari vitandum est.*
11. *Procurator et mandatum plures habent significationes et sunt verba aequivoca.*
12. *Mandatum accipitur pro delegatione jurisditionis.*
13. *Item pro decreto et constitutione Principis.*
14. *Sumitur etiam pro praecepto.*
15. *Plerumque et magis proprie accipitur pro commissione alicujus negocii in judicio vel extra.*

16. *Procurator in sua generali significatione comprehendit omnem administratorem rerum et negociorum alterius.*
17. *Et ista vox plures habet significationes.*
18. *Ratione administrationis actor constitutus ab aliqua universitate aut civitate solet appellari Procurator.*
19. *Ita etiam a privato aliquo constitutus.*
20. *Actor constituitur solum ad causas motas, Procurator autem etiam ad movendas.*
21. *Procuratoris nomen convenit etiam Institori.*
22. *Differentia inter Institorem et Procuratorem.*
23. *Procuratoris nomen improprie potest accipi pro Curatore.*
24. *Procurator quid proprie significet.*
25. *Significatio propria verbi, Mandatum, repetitur.*
26. *Mandatum fit quinque modis.*
27. *Procurator proprie dicitur qui aliena negocia mandato alterius in judicio vel extra administrat.*

1. Procuratorum usus inter homines est non solum utilis, sed etiam valde necessarius, ut qui rei, famae, saluti suae praesto esse ipsimet vel nolunt, vel nequeunt, per alios saltem possint agere et conveniri, ut ait *J. C. in L.* 1 *ff de Procurat., Tiberius Decianus cons.* 121 *num.* 25 *lib.* 3, *Marcus Antonius Peregrinus cons.* 8 *n.* 37 *lib.* 3.

2. Nam cum aliqui propriis commodis et rationibus vacantes, alii vero aliis de causis impediti vel nollent vel minime valerent sua negocia pertractare, mos obtinuit ut aliorum patrocinio et intercessione uterentur, et quae per alios explicarent, per semetipsos agere viderentur, *arg. Tex. in l.* 3 § *si Procurator ff quod quisq. jur. et L. pater ff de manumiss. vindict., dicit Angelus Aretinus cons.* 61 *n.* 18, *Gratus cons.* 5 *n.* 10 *lib.* 1. « Qui est prohibitus comparere per se, potest in civilibus comparere per « Procuratorem legitime constitutum, *Thomat. Decis.* 13 *n.* 20 *par.* 1.

3. Explicare autem possumus per Procuratorem ea omnia quae per nos ipsos explicare possumus, *d. l.* 1 § *fin. ff de Procur., L. licet. C. eod. tit. cap. potest quis de regul. jur. lib.* 6, *Angel. in l.* 3 *n.* 5 *ff rem rat. haber., Socinus senior cons.* 48 *n.* 9 *vers. sed hoc non obstante. lib.* 1, *Stephanus Gratian. Discept. forens. cap.* 644 *n.* 5.

« Procurator repraesentat personam sui principalis, *Saminiat. controv.* « 27 *n.* 75 *lib.* 1.

4. Et gesta per Procuratorem perinde tenent, ac si essent gesta ab ipsomet domino absque aliqua ratificatione, *Franciscus Bursattius cons.* 110 *n.* 1 *lib.* 1, *Ruinus cons.* 123 *n.* 13 *lib.* 5.

« Actus gestus a Procuratore habente mandatum a principale perinde « est, ac si gestus fuisset ab eodem principali, *Saminiat. Controv.* 32 *n.* « 14, *et Controv.* 33 *pariter n.* 14 *lib.* 1.

« Procuratoris factum habentis sufficiens mandatum, reputatur factum « principalis, *Saminiat. Controv.* 159 *n.* 30 *lib.* 2.

« Gesta per Procuratorem habentur pro gestis ab ipso mandante, « *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. de Credit. et Debit. lib.* 8 *Dec.* 23 « *n.* 5 *tom.* 3.

« Mandans aliquid facere, dicitur ipse facere, *Rot. Decis.* 556 *n.* 4 « *part.* 1, *Dec.* 15 *sub num.* 2, *Decis.* 557 *sub num.* 3 *part.* 3, *et Dec.* « 633 *n.* 1 *part.* 4, *tom. I Recent.* Actus enim tribuitur mandanti, non « mandatario, *Decis.* 584 *n.* 19 *part.* 5 *tom.* 2, *et Decis.* 257 *n.* 20 « *part.* 9 *tom.* 1 *Recent.*, et sic mandans Argentario ut alteri solvat, « ipse videtur solvere, *Decis.* 392 *n.* 13 *part.* 18 *tom.* 1 *Recent.*

« Advertendum est mandantem non facere, sed dare facultatem faciendi, « *Rot. Dec.* 178 *sub num.* 6 *part.* 10 *Recent.*

« Attamen committi mandans aliquod delictum, ex solo mandato et « oblatione pecuniae cum mandatarii acceptatione, dicitur consummasse deli- « ctum, *Rot. Decis.* 603 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Ubi tamen delictum non sit secutum, non incurrit poenam mortis, « sed solum excommunicationis, depositionis a dignitate, et publicationis « bonorum, *Rot. ibid. n.* 6.

« Potest etiam mandans revocare mandatum, quod non tribuit perfe- « ctionem actui, nisi quando per Procuratorem fuerit executioni deman- « datum, *Rot. Dec.* 178 *n.* 6 *part.* 10 *Recent.*

« Mandatariorum factum proprie et vere est factum Mandantis, *Rot.* « *Dec.* 386 *n.* 49 *part.* 4 *tom.* 2, *et Decis.* 285 *n.* 6 *part.* 6 *Recent.*

« Mandatarius pariter non punitur poena ordinaria nisi delictum « consummatum fuerit, vel posuerit actum delicto proximum, *Rot. Dec.* « 603 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

5. Praesumuntur enim gesta de scientia et commissione principalis, *Burs. cons.* 74 *n.* 73 *lib.* 1, *Rot. Dec.* 633 *part.* 4 *Recent.*

« Dubium non est, Dominum ex sui administratoris vel procuratoris « facto teneri. Verum ad hoc plura requiruntur, et 1.° ut Procurator « specialiter atque expresse contrahat in illam causam cui fuit praepositus « a domino, alias iste non obligatur, nec sufficit si contrahat in genere, uti « Mandatarius. 2.° Ut tempore quo Procurator contrahit, vel emendo vel « pecunias accipiendo, dominus in ea sit causa, ut rebus vel pecuniis in- « digeat. 3.° Ut non tantum dominus indigeat contractus tempore, ut fuit « praemissum, sed ulterius, ut venditor vel mutuans sciat illius indigentiam « et necessitatem emendi, vel mutuo accipiendi pecunias; neque hujusmodi

LUDOVICI CENCI

TRACTATUS

DE PROCURATORIBUS

CAPUT I.

DE MANDATO ET PROCURATORE, ET DE HORUM VERBORUM SIGNIFICATIONE.

SUMMARIUM

1. *Procuratorum usus apud homines est necessarius.*
2. *Quare adinventus.*
3. *Explicare possumus per Procuratorem ea omnia, quae per nos ipsos possumus.*
4. *Gesta per Procuratorem tenent ac si essent a domino gesta, absque alia ratificatione.*
5. *Praesumuntur gesta de scientia et commissione principalis.*
6. *Procurator si male agat, sibi dominus imputare debet.*
7. *Prohiberi non debet quod homines in negociis amicorum opera subleventur.*
8. *Procuratorum usus originem trahit ex amicitia: fuit Legum auctoritate comprobatus.*
9. *Auctoris mens et consilium.*
10. *In aequivocis versari vitandum est.*
11. *Procurator et mandatum plures habent significationes et sunt verba aequivoca.*
12. *Mandatum accipitur pro delegatione jurisditionis.*
13. *Item pro decreto et constitutione Principis.*
14. *Sumitur etiam pro praecepto.*
15. *Plerumque et magis proprie accipitur pro commissione alicujus negocii in judicio vel extra.*

16. *Procurator in sua generali significatione comprehendit omnem administratorem rerum et negociorum alterius.*
17. *Et ista vox plures habet significationes.*
18. *Ratione administrationis actor constitutus ab aliqua universitate aut civitate solet appellari Procurator.*
19. *Ita etiam a privato aliquo constitutus.*
20. *Actor constituitur solum ad causas motas, Procurator autem etiam ad movendas.*
21. *Procuratoris nomen convenit etiam Institori.*
22. *Differentia inter Institorem et Procuratorem.*
23. *Procuratoris nomen improprie potest accipi pro Curatore.*
24. *Procurator quid proprie significet.*
25. *Significatio propria verbi, Mandatum, repetitur.*
26. *Mandatum fit quinque modis.*
27. *Procurator proprie dicitur qui aliena negocia mandato alterius in judicio vel extra administrat.*

1. Procuratorum usus inter homines est non solum utilis, sed etiam valde necessarius, ut qui rei, famae, saluti suae praesto esse ipsimet vel nolunt, vel nequeunt, per alios saltem possint agere et conveniri, ut ait *J. C. in L.* 1 *ff de Procurat., Tiberius Decianus cons.* 121 *num.* 25 *lib.* 3, *Marcus Antonius Peregrinus cons.* 8 *n.* 37 *lib.* 3.

2. Nam cum aliqui propriis commodis et rationibus vacantes, alii vero aliis de causis impediti vel nollent vel minime valerent sua negocia pertractare, mos obtinuit ut aliorum patrocinio et intercessione uterentur, et quae per alios explicarent, per semetipsos agere viderentur, *arg. Tex. in l.* 3 § *si Procurator ff quod quisq. jur. et L. pater ff de manumiss. vindict., dicit Angelus Aretinus cons.* 61 *n.* 18, *Gratus cons.* 5 *n.* 10 *lib.* 1. « Qui est prohibitus comparere per se, potest in civilibus comparere per « Procuratorem legitime constitutum, *Thomat. Decis.* 13 *n.* 20 *par.* 1.

3. Explicare autem possumus per Procuratorem ea omnia quae per nos ipsos explicare possumus, *d. l.* 1 § *fin. ff de Procur., L. licet. C. eod. tit. cap. potest quis de regul. jur. lib.* 6, *Angel. in l.* 3 *n.* 5 *ff rem rat. haber., Socinus senior cons.* 48 *n.* 9 *vers. sed hoc non obstante. lib.* 1, *Stephanus Gratian. Discept. forens. cap.* 644 *n.* 5.

« Procurator repraesentat personam sui principalis, *Saminiat. controv.* « 27 *n.* 75 *lib.* 1.

4. Et gesta per Procuratorem perinde tenent, ac si essent gesta ab ipsomet domino absque aliqua ratificatione, *Franciscus Bursattius cons.* 110 *n.* 1 *lib.* 1, *Ruinus cons.* 123 *n.* 13 *lib.* 5.

« Actus gestus a Procuratore habente mandatum a principale perinde « est, ac si gestus fuisset ab eodem principali, *Saminiat. Controv.* 32 *n.* « 14, *et Controv.* 33 *pariter n.* 14 *lib.* 1.

« Procuratoris factum habentis sufficiens mandatum, reputatur factum « principalis, *Saminiat. Controv.* 159 *n.* 30 *lib.* 2.

« Gesta per Procuratorem habentur pro gestis ab ipso mandante, « *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. de Credit. et Debit. lib.* 8 *Dec.* 23 « *n.* 5 *tom.* 3.

« Mandans aliquid facere, dicitur ipse facere, *Rot. Decis.* 556 *n.* 4 « *part.* 1, *Dec.* 15 *sub num.* 2, *Decis.* 557 *sub num.* 3 *part.* 3, *et Dec.* « 633 *n.* 1 *part.* 4, *tom. I Recent.* Actus enim tribuitur mandanti, non « mandatario, *Decis.* 584 *n.* 19 *part.* 5 *tom.* 2, *et Decis.* 257 *n.* 20 « *part.* 9 *tom.* 1 *Recent.*, et sic mandans Argentario ut alteri solvat, « ipse videtur solvere, *Decis.* 392 *n.* 13 *part.* 18 *tom.* 1 *Recent.*

« Advertendum est mandantem non facere, sed dare facultatem faciendi, « *Rot. Dec.* 178 *sub num.* 6 *part.* 10 *Recent.*

« Attamen committi mandans aliquod delictum, ex solo mandato et « oblatione pecuniae cum mandatarii acceptatione, dicitur consummasse deli- « ctum, *Rot. Decis.* 603 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Ubi tamen delictum non sit secutum, non incurrit poenam mortis, « sed solum excommunicationis, depositionis a dignitate, et publicationis « bonorum, *Rot. ibid. n.* 6.

« Potest etiam mandans revocare mandatum, quod non tribuit perfe- « ctionem actui, nisi quando per Procuratorem fuerit executioni deman- « datum, *Rot. Dec.* 178 *n.* 6 *part.* 10 *Recent.*

« Mandatariorum factum proprie et vere est factum Mandantis, *Rot.* « *Dec.* 386 *n.* 49 *part.* 4 *tom.* 2, *et Decis.* 285 *n.* 6 *part.* 6 *Recent.*

« Mandatarius pariter non punitur poena ordinaria nisi delictum « consummatum fuerit, vel posuerit actum delicto proximum, *Rot. Dec.* « 603 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

5. Praesumuntur enim gesta de scientia et commissione principalis, *Burs. cons.* 74 *n.* 73 *lib.* 1, *Rot. Dec.* 633 *part.* 4 *Recent.*

« Dubium non est, Dominum ex sui administratoris vel procuratoris « facto teneri. Verum ad hoc plura requiruntur, et 1.° ut Procurator « specialiter atque expresse contrahat in illam causam cui fuit praepositus « a domino, alias iste non obligatur, nec sufficit si contrahat in genere, uti « Mandatarius. 2.° Ut tempore quo Procurator contrahit, vel emendo vel « pecunias accipiendo, dominus in ea sit causa, ut rebus vel pecuniis in- « digeat. 3.° Ut non tantum dominus indigeat contractus tempore, ut fuit « praemissum, sed ulterius, ut venditor vel mutuans sciat illius indigentiam « et necessitatem emendi, vel mutuo accipiendi pecunias; neque hujusmodi

« scientia potest probari per juramentum, cum agatur de probatione expresse « a lege requisita, quae aliter, quam per juramentum est adimplenda. « 4.° Demum, ut mutuans vel venditor non mutuet aut vendat majorem « summam seu quantitatem quam sit necessaria, *Actolin. resolut.* 27 *a n.* 17 « *ad* 26.

6. Ac proinde si Procurator male agit, dominus sibi imputare debet, qui negligentem amicum elegit, *L. cum mandato* § *fin. ff de minor., Rim. Sen. cons.* 33 *n.* 7 *lib.* 1.

7. Et quia absurdum atque a naturali ratione prorsus alienum judicatum fuit impedire et prohibere ne in suis negociis et necessitatibus possent homines amicorum officio et opera sublevari ac subveniri, *Portius Imol. cons.* 3 *n.* 1 *et* 2, *Mascardus de probat. vol.* 2 *concl.* 1004 *n.* 1.

8. Iste Procuratorum usus ex officio et amicitia originem trahens, ut dicit *JC. in Leg.* 1 § *fin. ff mand. et in leg. idemque* § *si quis ea ff eo tit.*, fuit Legum auctoritate sub certis regulis comprobatus, *d. l.* 1 *ff de Procurat., l.* 1 *ff mand., cap. potest quis. de reg. jur. in* 6.

9. Cum itaque Procuratorum et Mandati materia sit valde utilis, et inter homines contractus iste sit admodum frequens, constitui materiam hanc per modum tractatus, Deo Optimo Maximo bene favente, perstringere, et ad certa capita redigere.

10. Ne autem in aequivocis versemur, quod tamquam turpe vitandum esse admonet, *Baldus in L. nec quidquam* § *ubi decretum in princ. ff de offi. procons.*

11. Cum istae voces, Procurator et Mandatum, plures habeant significationes et sint aequivocae, opere praetium esse duxi, aliqua breviter praefari et praemittere circa illarum significationes, ut cognoscamus quae sit propria et stricta istorum vocabulorum significatio et acceptio, juxta quam de Procuratore et Mandato pertractare mihi proposui.

12. Mandatum itaque, ut hinc exordium sumam, aliquando accipitur pro delegatione et commissione jurisditionis, ut in *L. observare* § *fin. ff de officio Procons. et Legat., et in L. pen. ff de offic. ejus cui mand. est jurisd.*

13. Interdum usurpatur pro Decreto et constitutione Principis, *L.* 3 § *et in mandatis ff de offic. Praesid., et in Rubr. et nigr. cod. de mandat. Principis, Mantica tit.* 1 *n.* 8.

14. Sumitur etiam aliquando pro praecepto, *Clem.* 1 *et ibi Card. Zabarella in* 8 *notab. de Judic., Leg.* 1 § *sed si mandaverit, et ibi Gloss., et Paulus de Castro n.* 2 *et* 6 *ff quod juss., et in pluribus locis Sacrae paginae ut per Mantic. d. tit.* 1 *n.* 3 *et seqq.*

15. Plerumque etiam et magis proprie usurpatur pro commissione alicujus negocii in judicio, vel extra explicandi, ut *in leg.* 1 *et tot. tit. ff cod. et Institut. de mandato et extr. eod. tit., Mantic. d. tit.* 1 *n.* 9.

« Mandatarii dicuntur negociorum commissarii, sicuti committentes « dicuntur mandantes, *Rot. Dec.* 92 *n.* 6 *part.* 16 *Recent.*

16. Procuratoris etiam vox, sub sua generali significatione, comprehendit omnem administratorem rerum et negociorum alterius, unde aliquando dicitur Procurator ille qui aliena negocia absque mandato et commissione domini gerit, *L. Plautius ff de Procur., L. si ego ff de negoc. gest., ut notat ibi Gloss.* 1.

17. Et vox ista varie accipitur, ut colligitur *ex Can. Salvator* § *in nomine* 1 *quaest.* 3, *et dicit Gloss. in extravagan. Jo.* 22 *in Rubr. ne sede vacante aliquid innov. cap.* 1 § *et ut quibuslibet in verb. Vicariatus nomen in fin., et in cap. petitio in verb. Actores, et in verb. intentio ad fin., et ibi Imol. n.* 1 *et* 3 *extr. de Procurat., Bart. in L. neque tutores sub n.* 1 *C. eo tit.*

18. Cujus administrationis ratione Actor constitutus ab aliqua universitate aut civitate, *jux. Test. in L. nec Civitatis ff de Proc., in L.* 1 § *quibus, et in L. item eorum fere per tot., et signanter in* § *sed interdum ff quod cujusque univers. nomin.*

19. Vel a privato aliquo, uti in § *fin. instit. de Curator.* solet appellari Procurator, ut advertit *Dominicus Picus ad statut. urbis, Glos.* 7 *n.* 157.

20. Ista tamen acceptio est impropria, et non convenit Procuratori proprie dicto, quia actor constituitur dumtaxat ad causas motas, *Specul. in Tit. de iis qui alien. nom. n.* 3 *in fin.* Procurator autem non solum ad praesentes et motas, sed etiam ad futuras et movendas constitui potest, *L. item*, et *ad Litem ff de Procur.* et nos infra late dicemus, dum nobis sermo erit de Procuratore ad lites *Cap. XXXIII.*

« Actor ad lites deputari non potest nisi ad certas lites motas, non « autem ad incertas et movendas, *Rot. Decis.* 314 *n.* 3 *part.* 3 *Recent.*

21. Istud etiam nomen Procuratoris convenit Institori, vel quia ad instar Procuratoris alicui negociationi praeponitur, *L.* 3., *L. institor est ff de Institor. act., Bart. in L. si Institorem ff si cert. pet.*, vel quia in aliquibus Procuratori assimilatur, *L. sed et ipsum, L. in eum in princ. ff de Instit. action., Rot. Genuen. Decis.* 14 *num.* 62 *et seqq.*

22. Differt autem Institor a Procuratore, quia Institor praeponitur certe administrationi quaestuariae et universali, ille vero qui ad unum actum praeponitur, non dicitur Institor sed Procurator, *Bartol. in L. si Institorem, ff si cert. pet., Innoc. in cap. quod quibusdam n.* 3 *extr. de Fidejuss., Rot. Genuen.* quae multos allegat, *d. Decis.* 14 *n.* 2, *Milanensis Decis.* 20 *n.* 7 *lib.* 2, *et optime Sigon. de antiq. Jur. Rom. lib.* 2 *cap.* 10 *in ultimis verbis.*

23. Hoc nomen Procuratoris etiam potest accipi pro Curatore ut per *Marcabr. cons.* 268 *n.* 25, sed improprie, quia Curator est administrator necessarius, Procurator autem voluntarius, ut videbimus infra *Cap. XXIV.*

24. Quare juxta propriam et strictam significationem vox ista, Procurator, significat personam, cui sit facta commissio ad hoc ut negocia alterius, vel in judicio vel extra gerat, ut dicit *Gloss. in L. pen. in verb. Procurator. ff de public. Judic., et in cap. Procurator in verb. ad appellandum de elect. lib.* 6.

25. Sicuti vox, Mandatum, proprie significat dictam commissionem prout in dicta significatione illam usurpavit *JC. in d. L.* 1 *ff de Procur.*, et inde elicere debemus dictarum vocum propriam significationem, maxime cum J. C. ita dictas voces acceperit definiendo dictos terminos, *Bart. in L. omnes populi n.* 59 *ff de Just. et Jur., Ripa in L.* 1 *n.* 90 *ff si cert. pet.*

26. Cum autem Mandatum fiat quinque modis ut explicat *Paulus JC. in L.* 2 *ff Mand. et repetit Imperat. Instit. eod. tit. in princ.*, in quibus locis haec exemplis explicantur.

27. Quocumque modo contrahatur, verum est dicere, quod Procurator proprie dicitur qui aliena negocia mandato alterius in judicio vel extra administrat, *L.* 1 *ff de Procurat. ubi Ulpianus JC.* procuratoris definitionem tradidit. Et juxta hanc significationem in toto hoc tractatu, voces istas, Mandatum et Procurator accipiemus.

« Procurator dicitur qui ex mandato alterius, et pro ejus negocio se « gerit, *Saminiat. Controv.* 180 *n.* 8 *lib.* 2.

« Quamvis Procuratoris vocabulum in ejus lata et generica significatione « conveniat omnibus illis qui alterius Mandatarii sint, atque cum mandato « expresso vel praesumpto aliena negocia gerant vel administrent, atque le- « galiter illi distinguantur inter Procuratores ad negocia extrajudicialia, seu « oeconomica et Procuratores ad judicia; attamen, pro communi usu loquen- « di Curiae, istud vocabulum Procuratorum usurpatur pro iis qui sint cau- « sarum patroni earumque defensores, principaliter in iis quae sunt facti, « quamvis nullum habeant procurae mandatum, neque acta judicialia tam- « quam tales gerant, cum pro frequentiori praxi, istas partes veri Procura- « toris, qui gerat cum mandato procurae acta judicialia explicent solicitatores « vel illi negociorum curam habentes, qui Agentes appellantur, *Card. De « Luc. in relat. Rom. Cur. Dis.* 46 *n.* 8.

CAPUT II.

MANDATI, DE QUO AGITUR, SPECIES QUOT SINT, ET QUO ORDINE SIT DE SINGULIS AGENDUM.

SUMMARIUM

1. *Materiae continuatio.*
2. *Procurator quando dicatur habere mandatum a Lege,*
3. *Et quando ab homine.*
4. *A quibus constituatur.*
5. *Si constituatur ab Universitate, quando Sindicus, aut Actor dicatur.*
6. *Sindicus et Actor in jure promiscue usurpantur.*
7. *A particularibus personis ad quid constituatur Procurator.*
8. *Hujusmodi Procurator constituitur vel cum generali, vel cum speciali Mandato.*
9. *Generalis administratio concedi potest Procuratori, non solum ad lites constituto, sed etiam ad negocia extra judicium pertractanda.*
10. *Potest etiam utrique concedi facultas limitata ad certam causam, vel ad certum negocium.*
11. *Tertia species mandati, scilicet singularis seu individui.*
12. *Quomodo ista mandata inter se differant.*
13. *Haec differentia inter mandatum speciale et individuum reiicitur a DD.*
14. *Utrumque mandatum in hoc tractatu promiscue usurpatur.*
15. *Mandatum generale et speciale in quo conveniant inter se.*
16. *Mandatum quod fit a particularibus personis, aut est expressum, aut tacitum, aut praesumptum.*
17. *Ordo in dictis singulis mandati speciebus pertractandis, et ubi agatur de Procuratore ad lites.*
18. *Ubi de Procuratore ad negocia.*
19. *Ubi de Procuratore tam ad lites quam ad negocia.*
20. *Ubi de modis quibus Procuratoris officium finitur.*

1. Vidimus in superiori capite quid sit Mandatum de quo acturi sumus, et quare inventum; sequitur ut quot sint illius species aperiamus, et quo ordine de singulis sit agendum declaremus.

2. Procurator autem juxta terminos nostros vel a lege, vel ab homine mandatum habet. Siquidem a lege is mandatum habere dicitur cui a jure, absque facto hominis, potestas ac facultas datur aliquem defendendi tam in judicio quam extra, et illius negocia gerendi et bona administrandi; de quo dicemus mox cap. sequenti, ubi, quibus personis tale mandatum sit a lege tributum, videbimus.

3. Ab homine autem Procurator constituitur, cui similis potestas ab homine datur et conceditur.

4. Iste autem vel ab aliqua universitate, corpore, aut Collegio, vel a peculiaribus personis constituitur.

5. Si ab Universitate cum generali mandato et generali administratione constituatur, sed ad causas et negocia futura dumtaxat, dicitur Sindicus; sin vero constituatur cum administratione generali non solum ad causas et negocia futura, sed etiam ad praesentia, vel ad unam tantum causam, vel ad unum negocium dumtaxat, dicitur Actor, *Glos. in L.* 1 § *quibus autem ff quod cujusque univers. nom., et in L. fin.* § *defensores ff de muner. et honor*, et fuit dictum in praecedenti capite.

6. Verum quia istae voces, ut plurimum in jure et a scribentibus confunduntur, et promiscuae usurpantur; nos sub nomine Sindici utramque accipiemus, de illius creatione, facultate et officio cap. VI cum quinque sequentibus late agentes.

7. A particularibus autem personis constituitur, vel ad lites et causas, vel ad negocia extra judicium pertractanda et peragenda, ut colligitur ex *Text. in cap.* 1 § 1 *et seq. juncta Gloss. de Procur. lib.* 6.

8. Iste autem constituitur vel cum generali mandato et generali omnium causarum et negociorum administratione, vel speciali cum administratione unius causae et unius negocii dumtaxat, *L.* 1 *in princ. ff de Procurat., L. si Procurator C. eo Tit., L. si vero non remunerandi* § *contrario ff mand., L. vero Procuratori ff de solut.*

9. Generalis autem administratio concedi potest non solum in judicialibus Procuratori constituto ad lites et causas, dando illi generalem et amplam in omnibus causis potestatem et facultatem juribus allegatis, sed etiam Procuratori constituto ad negocia extra judicium explicanda, *L.* 1 *in princ. et ibi Gloss. ff de Procurat.*

10. Potest etiam utrique concedi facultas restricta et limitata ad aliquam certam causam vel aliquod certum negocium, *Sebast. Vantius in Tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu Mand. n.* 100: unde videtur probari illa distinctio quod mandatum est vel generale vel speciale.

11. Et quamvis aliqui tertiam addant speciem, scilicet mandatum singulare seu individuum, ut apud *Bald. cons.* 110 *col.* 2 *ante med. vers. praeterea iste Procurat. lib.* 1, *Natt. cons.* 633 *n.* 17 *lib.* 4, *Joseph Ludovici*

in suis communibus conclusion. in tit. de mandat. conclus. 32 *in princ. refert Flavius Amendola in addit. ad Vincent. de Franchis dec.* 17 *num.* 17.

12. Ita ut ista mandata differant inter se ea proportione qua species differt a genere, et individuum differt a specie, ut declarat ad aliud propositum *Bart. in L.* 1 *n.* 7 *ff de vulgar. et pupill. in materia vulgaris substitutionis*, dum docet quae sit substitutio vulgaris expressa verbis specialibus, et quae expressa verbis singularibus, et refert *Sfortia Oddus in tract. de compend. substitut. part.* 2 *quaest.* 3 *vers. expressam specie fol. mihi* 9, et in propriis terminis mandati applicat, *Jo. Petrucc. de Montesperello consul.* 283 *n.* 4 *in fin., et n. seq.*

13. Quia tamen DD. nostri passim hanc differentiam inter mandatum speciale ac individuum non admittunt, ut dicit *Burs. cons.* 285 *n.* 25 *lib.* 3, et in eodem casu aliqui dicunt requiri mandatum speciale, aliqui vero affirmant requiri mandatum individuum et singulare, et unum pro altero promiscue usurpant, ut videbimus infra *cap. LXVIII de mandato speciali et seq.*

14. Ideo nos quoque in toto hoc tractatu promiscue de utroque agemus, et sub termino mandati specialis individuum etiam comprehendemus hanc DD. differentiam tamquam verbalem reiicientes. Illi enim qui mandatum individuum et singulare dicunt differre a speciali, nullam aliam specificam differentiam considerant quam quod in singulari et in individuo majorem specialitatis demonstrationem et expressionem requirunt quam in speciali, ut dicto *cap. LXVIII* declaravimus; unde regula vulgaris locum habet quod plus et minus non facit quid differre specie, *L. fin. ff de fund. instrum.*

15. Mandatum itaque est generale vel speciale, quae inter se in hoc conveniunt, quod generale ita operatur circa ea quae in illo sunt comprehensa, sicut operatur speciale quoad ea quae specialiter sunt in procuratorio expressa, *Alexander. cons.* 133 *n.* 3 *lib.* 6, *Corneus cons.* 111 *n.* 6 *vers. et regula est lib.* 3, *Seraphinus de privil. juram. privil.* 111 *n.* 1, *Ancharanus cons.* 3 *n.* 3.

16. Rursus mandatum quod fit a particularibus personis aut est expressum, aut tacitum, aut praesumptum; de singulis supradictis mandati speciebus est aliquo ordine pertractandum: unde, primo, explicabimus quomodo constituatur, *cap. XVIII*; deinde, quis possit Procuratorem constituere, *cap. XX*; mox qui possint Procuratores constitui, *cap. XXII*; et successive, an quis cogi possit ut constituat Procuratorem, *cap. XXIII*; et, ultimo loco, an quis cogi possit ut officium Procuratoris suscipiat et exerceat, *cap. XXIV.*

17. Quibus explicitis, sermo nobis erit de Procuratore ad Lites, *cap. XXXIII*; et capitibus sequentibus explicabimus ea quae ad Procuratorem ad litem, tam generalem, quam specialem, tam expresse constitutum, quam tacite et praesumptive, spectare videbuntur.

18. Deinde aggrediemur materiam Procuratoris ad negocia, et a *cap. LXV* cum pluribus aliis sequentibus explicabimus ea quae ad hujusmodi Procuratorem particulariter pertinere videbuntur.

19. Postea vero inseremus nonnulla quae tam Procuratori ad lites, quam Procuratori ad negocia sunt communia.

20. Postremo videbimus quomodo Procuratorum officium expiret et finiatur; prosequendo in quolibet capite congruos et necessarios articulos prout res et ordo tractatus exigere videbitur.

CAPUT III.

DE PROCURATORE CONSTITUTO A LEGE.

SUMMARIUM

1. *Procurator constitutus a Lege quis dicatur.*
2. *Pater dicitur Procurator filii a lege constitutus tam in Judicio,*
3. *Dummodo non agat nomine proprio,*
4. *Quam in extrajudicialibus.*
5. *Potest recipere canonem ab Emphyteuta filii, etiam post incursam caducitatem, et illam remittere.*
6. *Potest explicare etiam ea quae requirunt mandatum speciale.*
7. *Potest super bonis filii transigere.*
8. *Ad transigendum requiritur mandatum speciale.*
9. *Debet tamen sequi filii ratificatio.*
10. *Transactio patris super re filii valet, si ille ob transactionem aliquid retineat, secus si det.*
11. *Pater admittitur in causa Matrimoniali filii, ad quod requiritur mandatum speciale.*
12. *Conclusio firmata circa potestatem patris quoad ad administrationem bonorum filii procedit in iis dumtaxat bonis in quibus pater habet usumfructum.*
13. *Pater potest jurare de calumnia in causis filii.*
14. *Maritus in rebus et causis suae uxoris quomodocumque dotem respicientibus dicitur habere mandatum ab ipsa Lege.*
15. *Idem procedit respectu bonorum paraphernalium quorum custodia fuit marito consignata,*
16. *Secus autem respectu aliarum causarum et bonorum ad uxorem extra causam dotis pertinentium.*
17. *In quibus maritus admittitur vel cum cautione de rato, vel tamquam conjuncta persona.*
18. *Principalis conclusio, quoad maritus sit legitimus administrator*

bonorum uxoris, procedit tum in marito putativo, tum etiam in sponso per verba de praesenti.

19. *Maritus in causis suae uxoris non potest procuratorem constituere, sicuti neque conjuncta persona.*

20. *Si maritus compareat tamquam procurator uxoris absque mandato, processus redditur nullus.*

21. *Si agerit cum mandato et tamquam procurator, non poterit postea comparere tamquam maritus et legitimus administrator uxoris.*

22. *Fidejussor dicitur habere mandatum a Lege.*

23. *Censetur illi datum ab eo pro quo fidejubet mandatum ad solvendum.*

24. *Illud habet, sive fidejubeat rogatus, sive sponte, pro aliquo tamen praesente,*

25. *Secus autem si fidejubeat pro absente.*

26. *Mandatum est de contractibus qui consensu contrahuntur.*

27. *Fidejussio non contrahitur nisi mediante stipulatione, et ita regulariter non potest contrahi nisi inter praesentes.*

28. *Si quis pro absente fidejubeat, inter eos non potest oriri actio mandati, sed actio negociorum gestorum.*

29. *Iste proprie non dicitur fidejussor, sed sponsor.*

30. *Tutor et Curator habent mandatum a Lege.*

31. *Debet constare illos in Tutorem et Curatorem rite et recte fuisse creatos.*

32. *Quod mandatum intelligitur factum cum libera et plena administratione, limitatum ad faciendum tamen ea dumtaxat, quae sunt utilia Minoribus.*

33. *Canonicus pro sua Ecclesia agere potest sine mandato expresso, vigore mandati quod illi a lege tribuitur,*

34. *Sicuti Commendatarii circa administrationem bonorum suae Commendae,*

35. *Sic pariter consortes ejusdem litis, altero consorte absente.*

36. *Debent tamen cavere de rato, si agunt, si vero defendant, de solvendo judicatum.*

37. *Conjuncta quoque persona habet mandatum a lege in causis sui conjuncti.*

38. *Si quis vigore hujus mandati aliquid de proprio erogavit, potest repetere contraria actione mandati.*

1. Procurator constitutus a lege is dicitur cui ex legis dispositione, nullo hominis facto concurrente, data est facultas et potestas alienas causas

et aliena negocia tam in judicio quam extra tractandi atque administrandi, quod infrascriptis exemplis clarissime demonstrabitur.

2. Pater itaque dicitur Procurator filii a lege constitutus, cum absque facto filii potestatem facultatemque habeat illum tuendi ac defendendi non solum in judicio tam agendo, quam excipiendo, *L.* 1 § *Parentes, et ibi Arius Pinellus part.* 2 *n.* 63 *C. de bon. mater., L. cum oportet etc.* § *non autem, in illis verbis, plenissimam potestatem. C. de bon. quae liber., Alexander Raudensis cons.* 21 *n.* 198 *et seq. lib.* 1, *Ascanius Clementinus de patr. potest. part.* 6 *effect.* 12 *n.* 1, *et infra latissime.* « Filius habet « mandatum a lege acquirendi pro suo patre, *Rot. Dec.* 445 *n.* 2 *part.* 3 « *Recent.*, et dicitur quodam modo dominus bonorum patris, etiam eodem « patre vivente, *Rot. decis.* 241 *n.* 26 *part.* 17 *Recent.*

3. Dumodo non agat nomine proprio, sed tamquam legitimus administrator filii, exprimendo hanc qualitatem in libello, si agat, vel in exceptionibus si excipiat, ut volunt multi relati a *Pinello d. n.* 63.

4. Quam in extrajudicialibus, per generalitatem dictarum legum *cum oportet, et L.* 1 *C. de bon. mater.*, unde potest locare bona adventitia filii, *Pinell. d. L.* 1 *par.* 3 *n.* 63, ubi et infra late disputat an possit locare ad longum tempus, ita ut filius post mortem patris teneatur servare dictam locationem.

5. Potest etiam recipere canonem ab emphiteuta filii, etiam post incursam caducitatem, et illam remittere in praejudicium illius, *Socinus Senior cons.* 66 *n.* 19 *ad fin. vers. secundo respondeo lib.* 3, *Joannes Vincentius Hondedeus cons.* 55 *n.* 87 *circa princ. vers. vel nisi lib.* 1, *Corbulus de jur. Emphit. in caus. privat. ob non solut. canon. limit.* 21 *n.* 17, *Marcus Antonius de Amatis decis. March.* 70 *n.* 20.

6. Denique, ut breviter dicam, tanta est potestas patris circa bona filii quem habet in potestate, ut possit explicare etiam ea, quae requirunt mandatum speciale, *Bald. in L. Patri n.* 1, *et ibi Alex. n.* . . . . *ff de minor., Bart. in L.* 1 *n.* 3 *C. etiam per Procur. caus. in integr. restit., Augustinus Beroius quaest.* 132 *n.* 7, *Franciscus Bursatius cons.* 21 *n.* 4 *lib.* 1, *Portius Imolensis cons.* 151 *n.* 17, *Tiraq. de Retract. Lignag.* § 1, *Gloss.* 10 *n.* 101, *Amat. decis. March.* 70 *n.* 18.

« Pater, legitimus administrator filii, potest pro eo petere restitutionem « in integrum absque speciali mandato, *Ridolphin. in Prax. part.* 1 *cap.* « 13 *n.* 431.

7. Unde potest super bonis filii transigere, *Glos. in L. de re filior. ff de transact.*, *Jason in L. nulli in ultimis verbis, ff de transact.*, *Anton. Trigon. singul.* 93 *n.* 4, *Bover. in singular. in verb. decretum n.* 13, *Clement. d. effect.* 12 *n.* 6.

8. Licet ad transigendum requiratur speciale mandatum, ut late dicemus infra cap. LXXXII *de mandato ad transigendum.*

9. Debet tamen sequi filii ratificatio, alias transactio illi non praejudicat, *Gloss. fin. in cap. accedens extr. de Procur. refert Amatus d. Decis.* 70 *n.* 19.

10. Item tunc valet transactio patris super re filii, si ille ob transactionem aliquid retineat, secus si det, *Bald. per illum Text. in L.* 1 *n.* 2 *C. de bon. mater., sequitur Trigonius d. sing.* 93 *n.* 4, *Jas. in d. L. nulli n.* 2.

11. Similiter pater admittitur in causa matrimoniali filii, *d. cap. accedens. de Procur. per quem text. Rom. singul.* 619 *tu audisti*, *L. exigendi in fin.*, *Port. Imol. cons.* 51 *n.* 17, ad quod requiri mandatum speciale dicemus infra *cap. LXXXVIII de mandato ad contrahendum matrimonium.*

12. Conclusio autem firmata supra, circa potestatem patris quoad administrationem bonorum filii, intelligenda est, ut procedat in iis dumtaxat bonis, in quibus pater habet usumfructum, cum solum in iis sit legitimus administrator filii et illius bonorum, ut non obscure sentit *Bald. d. L.* 1 *n.* 1 *circa princ. vers. item nota quod pater.*, *C. de bon. mater.*, ponderando illa verba ratione ususfructus, et declarant expresse, *Clemen. d. effect.* 12 *n.* 11, *Amat. d. decis.* 70 *n.* 21, *Gratian. decis. March.* 49 *n.* 40 *et seqq. et in addit. n.* 8.

13. Poterit similiter pater jurare de calumnia in causis filii, quamvis ad hoc sit necessarium mandatum speciale, *Bart. in L. qui bona fide § si alieno n.* 8 *vers. idem in patre ff. de damn. infect.*

« Pater et alii habentes mandatum a Lege, licet ante litem contestatam « non possint, ut supra, Procuratorem constituere; attamen secus est post « litis contestationem, *Ridolphin. in Prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 50.

« Respectu tamen bonorum in quibus pater habet usumfructum, potest « ipsi etiam ante litem contestatam Procuratorem constituere, attamen cum « consensu filii, quando est major infante., *Ridolphin. ibid. d. n.* 50.

14. Maritus quoque in rebus et causis suae uxoris, quomodocumque dotem respicientibus, dicitur habere mandatum ab ipsa lege, *L. doce ancillam C. de rei vindicat.*, *Decian. cons.* 79 *n.* 4 *lib.* 4, *Mynsinger. singular. observat. Centur.* 3 *observat.* 53 *n.* 1, *Rot. Decis.* 135 *n.* 5 *part.* 1 *Recent.*

15. Quod procedit etiam respectu bonorum paraphernalium, quorum custodia fuit marito consignata, *Alex. cons.* 42 *n.* 14 *in fin.*, *et n.* 15 *lib.* 1, ubi docet quae bona dicantur Paraphernalia, subdens quod mulier tradendo marito bona sua extradotalia, videtur in eis illum constituere Procuratorem, *per text. in L. fin. C. de pact. dotalib.*, *idem Alex. cons.* 90 *n.* 5 *lib.* 2, *Mynsing. d. observat.* 53 *n.* 3, *Decianus d. cons.* 79 *n.* 4, *Jo. Petrus Surdus*, qui multos allegat, *cons.* 290 *n.* 5 *lib.* 2.

« Quomodo vero probetur Mandatum praesumptum in viro ob admi- « nistrationem bonorum extradotalium suae uxoris, cum ex communi usu

« mulieres hanc administrationem viris committere soleant, seu illam pati « per viros de facto assumptam, hinc proinde quemadmodum habemus, quod « in filio de facili atque ex levibus conjecturis deducitur mandatum prae- « sumptum patris, idemque in alio conjuncto vel extraneo, cujus opera « principalis uti solet, ex deductis per *Dunozett. Dec.* 786 cum aliis allegatis, « ita de facili atque ex levibus adminiculis et conjecturis dicta praesumptio « in marito admittenda videtur, *Card. De Luc. de Dote disc.* 168 *n.* 8.

16. Secus autem respectu aliarum causarum, et bonorum ad uxorem extra causam dotis pertinentium, nam in illis maritus non dicitur habere mandatum a Lege, *Alex. d. cons.* 90 *n.* 5 *vers. nec etiam*, *Honded. cons.* 66 *n.* 87 *lib.* 1, *Decian. d. n.* 4, *Mynsinger. d. observat.* 53 *n.* 4, *Surd. d. cons.* 290 *n.* 6.

17. In quibus tamen admittitur, vel cum cautione de rato, *L. Maritus C. de procur.*, *Gloss. in L. fin. in verbo nulla. C. de pact. convent.*, *Decianus d. cons.* 79 *n.* 4 *lib.* 4, *Surd. d. cons.* 290 *n.* 6, vel tamquam conjuncta persona, ut dicemus *cap. seq.* Et ita judicio meo debet intelligi *Decianus cons.* 54 *n.* 50 *lib.* 4 dum dicit simpliciter et indistincte, quod Maritus est legitimus administrator bonorum suae uxoris, non quidem tamquam procurator illius, sed tamquam conjuncta persona, vel quod in casu dicti consilii, bona uxoris essent data in dotem marito, vel quod saltem esset marito concessa illorum administratio.

18. Hanc autem principalem conclusionem quod Maritus sit legitimus administrator bonorum uxoris ampliat multipliciter *Chassan. ad consuetudines Burgund. rubr.* 4 § 5 *n.* 12, sed duobus potissimum modis: primo scilicet, ut illa procedat non solum in vero et legitimo marito, sed etiam in putativo; secundo, ut habeat locum etiam in sponso per verba de praesenti, licet inter ipsum et sponsam per carnalem copulam consummatio matrimonii minime sit secuta; quas et alias ampliationes late comprobat ibi *Chassan. n.* 36 *et seqq.*

19. An autem maritus vigore dictae administrationis sibi a lege concessae possit constituere procuratorem in causis suae uxoris disputat ad partes *Chassan. d.* § 5 *n.* 4, *et in fin. usque ad n.* 12, et concludit pro negativa, per simile de conjuncta persona, quae licet possit pro conjuncto comparere, non potest tamen pro eo Procuratorem constituere, ut dicemus mox in *cap. sequenti.*

20. Si autem maritus compareat tamquam uxoris Procurator absque mandato, processus redditur nullus, licet valide possit agere sine mandato tamquam maritus et legitimus administrator illius, *Rom. cons.* 446 *n.* 6 *vers. quam ob rem*, quem sequuntur multi, quos referunt ibi Addentes in litera F., quibus addi potest *Mynsing. d. observat.* 53 *n.* 6.

21. Si autem egerit cum mandato, et tamquam procurator uxoris,

non poterit postea comparere tamquam Maritus et legitimus administrator uxoris, *d. L. maritus in fin.* et ibi *Jas. n.* 8 *C. de Procurat.*, quem sequitur *Honded. cons.* 66. *n.* 86 *lib.* 1, *Mynsing. d. observat.* 53 *n.* 2, et conferunt ea quae dicentur in proximo sequenti *cap. in* 2 *limit. in fin.*

« Maritus potest esse procurator uxoris suae, *Ridolphin. in prax. par.* « 1 *cap.* 5 *n.* 111.

« Maritus potest esse procurator uxoris suae minoris, quando sententia « fertur in favorem mulieris, secus quando fertur contra eam; nam tunc « non potest ejus esse procurator nisi ab ea constitueretur procurator cum « auctoritate Curatoris; quo casu satis mulieri provisum est, etiam si age- « retur de non modico illius praejudicio, quia habet etiam obligata bona « Curatoris, contra quem in omnem casum poterit se libere revalere; « secus de jure communi, quando maritus ipse daretur illi Curator, *Ridol-* « *phin. ibid. d. cap.* 5 *n.* 116 *et seq.*

22. Fidejussor similiter a lege mandatum habere dicitur, *Text. est in L. qui fide ff mand., et in L. si fidejussor C. eo tit.*

23. Censetur enim illi datum ab eo pro quo fidejubet mandatum ad solvendum, eo ipso quod fidejussit, *L. indebitam ff de cond. indeb., L. inter caussas § praeterea ff mand., Socin. Jun. cons.* 27 *n.* 15 *lib.* 2, *Honded. cons.* 17 *n.* 34 *lib.* 2.

« Fidejussor dicitur habere mandatum a principali debitore, nedum ad « fidejubendum, sed etiam ad solvendum, *Rot. Decis.* 63 *n.* 4 *part.* 13 *Recent.*

« Quamvis vero non desint qui opinentur, quod fidejussor simplex non « censeatur habere a principali mandatum ad solvendum, *Rot. dec.* 386 *n.* 22 « *part.* 4 *tom.* 2 *Recent.*; sed solum, quatenus solverit, censeatur habere a « Lege actionem mandati ad repetendum, *Rot. ibid. n.* 23, praemissa tamen « opinio, scilicet quod fidejussor non habeat mandatum ad solvendum, plures « patitur difficultates, *Rot. ibid. n.* 26, et contraria opinio censetur magis « communiter recepta, nempe ut fidejussor dicatur habere tacitum mandatum « consecutivum de solvendo, *Rot. ibid. n.* 27, quia si fidejussor habet man- « dati actionem contrariam postquam solvit, *Rot. ibid. n.* 28 *et seqq.*, *et* « *dec.* 222 *n.* 9 *et seqq. part.* 6 *Recent.*, videtur etiam ab initio habere « mandatum ad solvendum, *Rot. d. decis.* 386 *n.* 28 *et seqq. part.* 4 *tom.* 2 « *Recent.*

« Hinc DD. auctoritates quae in contrarium solent adduci, fatentur « adesse in fidejussione istud mandatum consecutivum, sed in tantum ne- « gant, in quantum simplex fidejussor non possit precise cogi ad solvendum, « nec uti dicto mandato, nisi postquam solverit, *Rot. d. Decis.* 386 *n.* 29 « *part.* 4 *tom.* 2 *Recent.*

« Ulterius praedictae auctoritates sunt intelligendae ad effectum, ut si « fidejussor non solvat, non teneatur ad interesse passum per reum, ut

« puta, quia creditor pignora distraxerit, licet alias qui suscepit mandatum, « teneatur ad interesse mandantis, si mandatum non impleat, *Rot. ibid.* « *n.* 30 *et seqq.*

« Ex quibus non sequitur, quod si simplex fidejussor debito tempore « solverit non intelligatur solvisse de mandato debitoris principalis, *Rot.* « *ibid. n.* 32.

24. Et quod tale mandatum ex legis dispositione manat, inde judicio meo colligi potest quia illud habet, sive fidejubeat rogatus, sive sponte, pro aliquo tamen praesente, *L. si remunerandi* § *si passus ff mand.*, *Claudius Bertazolius de clausulis instrum. claus.* 43, *Gloss.* 1 *n.* 2, cum aliis apud *Pirrum Maurum de fidejussor. part.* 2 *sect.* 4 *cap.* 1 *n.* 1.

25. Secus autem si fidejubeat pro absente, quia tunc inter eos contractus mandati oriri non potest, *L. ex mandato ff mand.*, *Bertaz. d. Gloss.* 1 *n.* 2 *in fin.*

26. Cujus restrictionis duplex potest assignari ratio: prima quod mandatum sit de contractibus, qui consensu contrahuntur, *L.* 1 *in princ. ff mand. instit. eod. tit. in princ.*, inter absentes autem consensus iste dari nequit, idest simultaneus sensus, merito nec mandatum.

27. Altera est ratio, quia fidejussio non contrahitur nisi mediante stipulatione, *L. Blanditus C. de fidejuss.*, et proinde sicut stipulatio regulariter non potest contrahi nisi inter praesentes et loquentes, *L.* 1. *in princ. ff de verb. oblig.*, ita nec fidejussio; remota autem fidejussione frustra quaeritur an sit ortum mandatum cum ex nihilo nihil fiat, et non entium nullae sint qualitates, *L. ejus qui in provincia ff si cert. pet.*

28. Unde sequitur conclusio, quod si quis pro absente fidejubeat, inter eos actio mandati oriri non potest, sed actio negociorum gestorum, *d. L. ex mandato vers. fidejussori ff mand.*, *Bertoz. d. Gloss.* 1. *n.* 2 *in fin.*

29. Cum iste nec proprie fidejussor, sed sponsor appelletur, *L. qui patitur ff mand.*, *Bertaz. d. tract. claus.* 39, *Gloss.* 1 *n.* 5, *Pir. Maur. de fidejussor. part.* 1 *sect.* 1 *cap.* 5, qui plures in id congerit.

« Creditor dicitur Procurator sui debitoris, ideoque praesertim exci« piendo, ac pignoris tuendi causa, deducere potest jura et credita ante« riora ejus debitori competentia ad repellendum creditores posteriores, « *Card. De Luc. de credit. et debit. disc.* 40 *n.* 2.

30. Tutor quoque et Curator habent mandatum a Lege in rebus et causis suorum pupillorum et adultorum respective, *L.* 1 § *per Procuratorem ff de acquirenda posses.*, *Hieronim. Gabriellius cons.* 36 *n.* 13 *in fin. lib.* 1, *Rot. Decis.* 93 *n.* 7 *par.* 2 *divers.*

« Tutor, Curator et similes qui habent administrationem a Lege pos« sunt petere restitutionem in integrum absque speciali mandato, *Ridol*« *phin. in Prax. part.* 1 *cap.* 13 *n.* 430.

31. Dummodo constet illos fuisse rite et recte in Tutorem et Curatorem respective creatos et constitutos, *Gabr. d. cons.* 36 *n.* 30 *et seqq.*, *et signanter n.* 33 *et* 35.

32. Quod quidem Mandatum intelligitur factum cum libera et plena administratione, *Bart. in L. inter bonorum* 49 *n.* 1 *ff de admin. et peric. Tutor.*, restrictum tamen et limitatum ad faciendum ea dumtaxat quae sunt utilia minoribus, ita ut illis praejudicare non possint, ut resolvit *Rot. d. decis.* 93 *n.* 7 *part.* 2 *divers.*, atque hinc Judices interponendo decretum in constitutione Tutorum et Curatorum utuntur illa clausula « *utilia facito et inutilia praetermittito.* »

« Tutor et Curator licet ante litem contestatam non possint constituere « Procuratorem seu actorem, nisi cum decreto Judicis, nihilominus quando « tutor vel curator est dominus litis seu instantiae, effectus per litis conte- « stationem, potest ad instar Procuratoris ad lites substituere Procuratorem, « *Ridolphin. in Prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 49.

33. Canonicus similiter pro sua Ecclesia agere potest sine mandato expresso, vigore mandati quod illi est a lege concessum, *cap. edoceri extr. de Rescript.*, *Rot. coram Sarmiento dec.* 24 *lib.* 2.

« Canonicus potest agere nomine suae Ecclesiae etiam sine mandato, « suadente Ecclesiae utilitate, *Rot. dec.* 305 *n.* 9 *part.* 11 *Recent.*

34. Commendatarii quoque habent legitimum mandatum circa administrationem bonorum suae Commendae, *Cap. nemo*, *cap.* 15 *cui de elect. in* 6, *Romanus cons.* 350 *n.* 1 *in fin.*, *Decian. consul.* 73 *n.* 41 *lib.* 2.

35. Consortes denique ejusdem litis, ut coeteros omittam, si qui sunt, possunt sine mandato causam communem post litis contestationem agere, vel defendere altero consorte absente *L.* 2 *C. de consort. ejusd. lit.*

36. Dummodo, si agunt, caveant de rato, si vero defendant, de solvendo judicatum, *d. L.* 2 *Aret. in* § *praeterea etc. n.* 60 *instit. de except.*

« Ubi a litis consortibus fuit constitutus Procurator, agere non potest « litis consors, nisi quando Procurator constitutus negligit agere, vel recu- « sat, *Rot. decis.* 410 *n.* 1 *part.* 3 *Recent.*

37. Conjuncta quoque persona dicitur habere mandatum a lege in causis sui conjuncti, *L. sed et hae personae ff de Procur.*, sed quoniam articulus iste eget aliqua discussione, ideo non ab re existimavi illum proprio capite explicare et ad proximum caput illum rejeci.

« Quamvis in jure plures dentur personae favorabiles, pro quibus qui- « libet in Judicio esse potest, puta, quilibet Monachus pro monasterio vel « Religione, quilibet Canonicus pro capitulo, et quilibet civis pro civitate, « ac magis generaliter quilibet de populo pro Pupillo vel pro Furioso, « seu pro Ecclesia vel pia causa cum similibus; quasi quod istae actiones « dicantur populares; attamen id recte procedit ad effectum occurrendi

« damnis ac praejudiciis quae hujusmodi personis privilegiatis alias resulta-
« rent, ita eorum negocium utile gerendo, vel ut eorum damno occur-
« ratur, et ne alias sibi obiici valeat de regula, quod non habens interesse
« non est audiendus, atque a limine judicii repelli potest; sive ne altera
« pars dicere valeat de nullitate actorum ab eo gestorum ante oppositio-
« nem; secus autem ubi ista expresse se opponat in ulteriori prosecutione
« judicii, ex praefatae oppositionis juxto motivo, ut scilicet tuta reddatur
« in casu victoriae, de validitate processus et sententiae, ejusque executione,
« et ne alias inane remaneat judicium, quod cum incommodis et sumptibus
« ab eo substentandum est, quoniam tunc recte obiicere potest de legitima-
« tione personae comparentis pro hujusmodi personis privilegiatis, objiciendo,
« ex. gr. Tutori Pupilli an legitime a Judice competente, servatis servandis
« deputatus fuerit, et an omnia solemnia adimpleverit; idemque in com-
« parente pro Capitulo, vel Monasterio, vel pro civitate, cum similibus; an
« scilicet legitime deputatus fuerit capitulariter, sive cum solemnitatibus
« quae pro universitatis qualitate de jure vel de stylo requiruntur, et ne
« alias altera pars cogatur elusorium ac inane judicium sustinere, ita de
« plano impugnabile ab eo, sub cujus nomine illud gestum sit, *Card. De*
« *Luc. de Judiciis disc.* 12 *n.* 6.

« Quando alter ex fratribus gerit negocia domus, ex hac sola circum-
« stantia dicitur habere mandatum a Lege, *Palma Nepos decis.* 169 *n.* 9 *lib.* 2.

38. Si quis autem vigore hujus mandati aliquid de proprio erogavit, repetere potest contraria actione mandati, ut dicemus infra *cap. C*, dum de contraria Mandati actione agemus.

CAPUT IV.

DE CONJUNCTA PERSONA ET QUAE SIT.

SUMMARIUM

1. *Conjunctus conjunctum amare praesumitur.*
2. *Conjunctio sanguinis multa operatur.*
3. *Inter conjunctos causa unius censetur alterius.*
4. *Injuria facta uni consanguineo censetur facta toti agnationi.*
5. *Et facta uni consanguineo censetur facta alteri.*
6. *Agnati et affines repelluntur a testificando pro agnato et affine in causis quae concernunt dedecus et infamiam affinium et agnationis et familiae.*
7. *Si dum gerit conjuncta persona tutelam Pupilli conjuncti postuletur suspecta, non est illi deneganda administratio pendente judicio super dicta suspicione.*

8. *Quando id procedat.*
9. *Conjunctus potest sine mandato pro conjuncto absente in judicio comparere.*
10. *Conjuncti in proposito sunt omnes ascendentes et descendentes in infinitum.*
11. *Quoad transversales plures DD. sententiae referuntur.*
12. *Sequuntur sententiae DD.*
13. *Hoc est repositum in Judicis arbitrio.*
14. *Non attenditur ad hunc effectum proximitas gradus, sed personae affectio.*
15. *Maritus non est affinis uxori, sed causa affinitatis tantum.*
16. *Admittitur tamquam conjuncta persona pro sua uxore etiam in bonis extradotalibus.*
17. *Nullus est amor qui superet uxorium.*
18. *Maritus pro sua uxore contrahere non potest, nec illi praejudicare.*
19. *Libertus admittitur tamquam conjunctus pro suo Patrono propter praesumptam affectionem erga illum ob libertatis donum.*
20. *Ob eamdem rationem affectionis sunt qui sentiunt, admittendum esse amicum pro amico, quamvis communis opinio contrarie sentiat.*
21. *Quod affirmativa valeat in amico valde dilecto, et arctissima amicitia conjuncto; negativa vero et communis in amico simplici et ordinario.*

1. Cum inter homines cognatio quaedam ingenita sit, *L.* 1 § *Jus naturale et L. seq. ff de Justit. et Jur., L. si servus ff de serv. asportand.*, si sanguinis conjunctio accedat, illa naturalis affectio crescat necesse est, atque hinc conjunctus conjunctum amare praesumitur juxta illud *Sallustii in Jugurt. Quis amicior quam frater fratri?*

2. Conjunctio enim sanguinis multa operatur, et plura refert specialia consanguineitate conjunctorum *Sandaeus Felinus in cap. non ulli n.* 57 *et seqq. extr. de rescript., Osuschus dec. Pedemon.* 80 *n.* 9.

3. Et inter conjunctos causa unius censetur alterius, *Andreas Tiraquellus de poenis temperan. caus.* 51 *n.* 75 *et seqq.*

4. Unde injuria facta uni consanguineo toti agnationi facta censetur, *Marcus Antonius Blancus in tract. de Indiciis n.* 173.

5. Atque injuria facta uni consanguineo alteri facta censetur, *L. lex Cornelia in princ., et ibi Bartolus sub num.* 1 *ff de Injuriis, cum aliis apud Alexand. cons.* 24 *col.* 6 *n.* 19 *lib.* 2, *Decius cons.* 163 *n.* 5, *et cons.* 668 *n.* 17, *Cravetta cons.* 119 *n.* 1.

6. Et hinc videmus agnatos et affines repelli a testificando pro agnato et affine in causis quae concernunt dedecus et infamiam affinium, et agnationis et familiae, *Petrus Paulus Parisius cons.* 15 *n.* 28 *lib.* 2, *Philippus Decius cons.* 310 *n.* 3, *Cravet. cons.* 41 *n.* 3 *lib.* 1.

« In causa civili sui fratris, alter frater tamquam suspectus non pro-
« bat, *Rot. decis.* 21 *n.* 6 *part.* 18 *tom.* 1, *et decis.* 22 *n.* 6 *part.* 11
« *Recent.*

« Frater namque dicitur pars corporis alterius fratris, *Decis.* 179 *n.* 6
« *part.* 14. Immo dicitur quasi alter et unus, ac idem sanguis, in quo
« eadem militat ratio charitatis, quae in filiis, *Decis.* 388 *n.* 17 *part.* 5
« *tom.* 1. Quare contumelia illata uni fratri censetur communis et alteri,
« *Decis.* 179 *n.* 7 *et seqq. part.* 14 *Recent.*

« Quamvis autem frater in causa alterius fratris non probet, secus
« tamen est, si frater deponat super fratris aetate, quia tunc est atten-
« dendus, *Decis.* 313 *n.* 7 *part.* 7 *Recent.*

« Consanguineus contra suum consanguineum magis probat, *Rot. decis.*
« 384 *n.* 5 *part.* 16 *Recent.*

« Affinitatis exceptio tollitur in teste, qui utrique parti est affinis,
« *Rot. decis.* 317 *n.* 5 *part.* 12 *Recent.*

7. Et e converso lex adeo confidit de conjuncta persona, ut si dum gerit tutelam alicujus Pupilli sibi sanguine conjuncti postuletur suspecta, minime sit illi deneganda administratio pendente judicio super dicta suspicione, *Bartol. in L. si tutor n.* 7 *ff de suspect. tutor.*, *et in L. quod si forte* § 1 *n.* 1 *ff de solut.*

8. Quod tamen intelligendum est si talis suspicio oriatur ex dolo sive ex alia causa, ob quam dictus tutor infamatus esset remansurus, alias si ageretur dumtaxat ob culpam, ita ut non esset remansurus notatus infamia, non esset illi dandus adjunctus, sed ab administratione omnino esset removendus, parcitur enim famae illius ut distinguit *Bartol. post. Cynum in dicta L. si tutor* § 1 ad quem locum se remittit in *dicta L. quod si forte* § 1 *n.* 5 *in fin. et sequitur Hieronymus Gratus cons.* 44 *n.* 13 *et Borgninus Cavalcanus de Tutor. n.* 19.

9. Et proinde nil mirum si antiquis Legum latoribus placuit ut conjunctus posset sine mandato pro conjuncto absente in judicio comparere, *L. sed et hae personae in princ. ff de Procurat.*, *L. exigendi et ibi DD. cod. eo tit. cap. non ulli, et ibi Abbas Panormitanus n.* 9 *dec. n.* 13, *Rip. n.* 6 *extr. de constit.*, *Alexand. in L. saepe n.* 38 *ff de re judic.*, *Ludovicus Romanus sing.* 619 *n.* 1, *Aldarigus Zasius cons.* 21 *n.* 5 *lib.* 1, *Bursat. cons.* 21 *n.* 1 *lib.* 1.

« Consanguineus admittitur in judicio civili pro consanguineo etiam
« sine mandato, *Rot. decis.* 208 *n.* 9 *part.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

10. Conjuncti autem in proposito quod sint omnes ascendentes et descendentes in infinitum nemo dubitat, *dicta L. sed et hae personae, et ibi Gloss., Bartholomaeus a Chassaneo ad consuetudines Burgund. rubr.* 4 § 5 *n.* 19.

11. Quo vero ad transversales sunt opiniones variae; aliqui enim volunt conjunctos dici usque ad quartum gradum inclusive, *Alex. cons.* 4 *n.* 3 *vers. et sic secundum lib.* 2, *Felinus in cap. Cum. M. Ferrariensis n.* 11 *extr. de constit., Burs. d. cons.* 21 *n.* 2, *Hieronymus Magonius decis. Lucen.* 6 *n.* 14.

12. Aliqui autem senserunt quod conjunctus intelligatur usque ad septimum gradum, et alii aliter senserunt ut apud *Angel. Aret. in* § *praeterea etc. n.* 67 *instit. de except.*

13. Plerique tamen sunt in sententia quod hoc sit repositum in judicis arbitrio, *Gloss. fin. in princ. in L. cum alienam, et ibi Jas. n.* 12 *Cod. de Legat., Burs. d. cons.* 21 *n.* 2, *Bertazol. cons. civil.* 58 *n.* 39 *vers. non obesset lib.* 1, *Paris. cons.* 49 *n.* 12 *lib.* 2, *Jacobus Menochius de arbitrariis judicum quaestionib. cas.* 246 *n.* 6 *et* 7.

14. Non enim attenditur ad hunc effectum proximitas gradus, sed personae affectio, *Abb. in cap. nonnulli* § *sunt et alii n.... et ibi Felin. n.* 57 *extr. de rescrip.*

15. Et hinc Maritus (licet non sit affinis uxori, sed tantum causa affinitatis, *Gloss. in d. Leg. sed et hae personae in verb. et Liberti ff de procurat.*)

16. Admittitur tamquam conjuncta persona pro sua uxore, *L. maritus cod. de procurat., Gloss. in d. Leg. sed et hae personae,* etiam in bonis extradotalibus, *Riminaldus Junior cons.* 670 *n.* 28 *libr.* 6, *Thomas Doccius cons.* 33 *n.* 15, *Decian. cons.* 79 *n.* 4 *lib.* 4.

17. Nullus enim est amor qui superet uxorium, teste *Tiraquell. ad L. si unquam in praefact. n.* 12, *et in verb. libertis n.* 108 *cod. de revocat. donat., Oldradus cons.* 95 *sub num.* 9 *et seqq., Marianus Socinius Junior cons.* 76 *n.* 134 *lib.* 1, *Chassan. d.* § 5 *n.* 16 *et seq.*

18. Coeterum licet maritus possit pro uxore tamquam conjuncta persona in judicio comparere, non tamen potest pro ea contrahere, nec illi praejudicare, *Socin. Jun. cons.* 105 *sub n.* 11 *vers. vel et tertio lib.* 1, *Joannes Cephalus con.* 571 *n.* 25 *lib.* 4, quos refert et sequitur *Hipolitus Riminaldus cons.* 670 *n.* 28 *lib.* 6.

« Praedium a viro ex pecuniis dotalibus emptum non efficitur dotale, « quando uxoris mandatum et consensus non intervenit, nisi in subsidium, « quoties nempe maritus non solvendo existat, *Actolin. resolut.* 49 *n.* 2 *et* 7.

« Maritus namque non potest uxori actionem quaerere absque mandato, « idem *Actolin. d. resol.* 49 *n.* 3.

19. Similiter libertus quamvis nulla sit affinitate conjunctus suo patrono, attamen propter affectionem, quam praesumitur habere erga illum ob summum beneficium, quod ab illo accepit, ex eo quod ipsum donavit libertate, quae est res inextimabilis, *L. Libertas ff de reg. jur.*, admittitur tamquam conjunctus pro suo patrono, *d. Leg. sed et hae personae in princ.*

20. Et ob eamdem rationem affectionis non desunt qui censerint admittendum esse amicum pro amico, ut apud *Angel. Aret. in d. § praeterea n.* 69 *instit. de except.*, et tenent alii relati a *Felin. in cap. coram n.* 3 *vers. de amico vero extr. de offic. delegat., et Ruinus cons.* 100 *n.* 1 *lib.* 4. Communis tamen opinio est in contrariam, ut post multos testatur *Felin. d. n.* 3 *vers. tamen communis.*

21. Salvari tamen posset affirmativa opinio in amico valde dilecto, et non levi amicitia, sed arctissima conjuncto; negativa vero et communis procedat in amico simplici et ordinario, ut distinguit *Jas. in d. leg. exigendi n.* 4 *et seqq., et n.* 15 *cod. de procurat.*, et late comprobat, *Barth. a Chassan. ad consuetud. Burg. rub.* 4 § 5 *n.* 22 *usque ad n.* 36 *exclusive.*

« Sic etiam habemus quod stipulari quis potest amico suo absenti « quia amicus verus potest amico suo etiam ignoranti acquirere, *Adnot.* « *ad decis.* 262 *n.* 37 *et* 38 *part.* 8 *Recent.*

« Ita pariter habemus, quod prorsus inverisimile est, amicum stri- « ctissima lege amicitiae vinculatum offendere, *Rot. decis.* 162 *n.* 14 *part.* « 15 *Recent.*

« Demum similiter habemus, quod amicus habens consuetudinem con- « tinuam cum altero amico, praesumitur informatus de gestis illius, *Rot.* « *decis.* 711 *sub n.* 2 *part.* 2 *Recent.*

« Nota vero quod pro eo quod attinet ad amicitiam, de ea plures sen- « tentiae gravissimorum virorum referuntur, et circa eamdem plura diffuso « calamo de more congeruntur, *A. Rubeo in d. adnot. ad decis.* 262 *a n.* 31 « *usque ad n.* 118 *part.* 8 *Recent.*

CAPUT V.

CONJUNCTUS QUID POSSIT PRO CONJUNCTO ABSQUE ILLIUS MANDATO.

SUMMARIUM

1. *Conjunctus pro conjuncto potest in judicio comparere, quamvis non habeat ab illo mandatum, nec sit ejus procurator.*
2. *In his personis non exigitur an habeant mandatum, vel voluntatem eorum pro quibus interveniunt, sed ne voluntas contraria probetur.*

3. *Quod procedit non solum defendendo conjunctum, sed etiam agendo.*
4. *Conjunctus potest a sententia contra conjunctum lata appellare.*
5. *Debet appellatio ratificari ab eo, contra quem lata erat sententia, si ob dictam appellationem possit ei aliquod resultare praejudicium.*
6. *Non potest conjunctus conjuncto praejudicare nisi praecedat mandatum vel sequatur ratificatio.*
7. *Ista appellatio juxta Baldum potest ratificari etiam post decem dies a die interpositionis illius.*
8. *Aliqui volunt quod debeat ratificari intra decem dies datos ad appellandum.*
9. *Quod isti decem dies non incipient currere a die latae sententiae vel a die interpositae appellationis, sed a die quo conjunctus rescivit fuisse interpositam appellationem.*
10. *Plures sunt casus in quibus conjunctus non potest esse in judicio pro conjuncto.*
11. *Non admittitur pro conjuncto praesente.*
12. *Conjunctus si compareat pro conjuncto tamquam illius procurator, si non habeat mandatum non potest postea comparere uti conjuncta persona.*
13. *Maritus si compareat in judicio in causa suae uxoris, tamquam illius procurator, si non habeat mandatum processus non substinetur, tamquam factus a marito, uti conjuncta persona.*
14. *Quod potuit noluit, quod voluit implere nequivit.*
15. *Maxime si comparendo se restrinxit ad facultatem sibi procuratoria nomine competentem.*
16. *Is qui habet mandatum a conjuncto ad aliquid certum peragendum, non potest pro eodem comparere tamquam conjuncta persona in aliis negociis.*
17. *Conjunctus non potest pro conjuncto procuratorem constituere antequam ipse per litis contestationem sit effectus dominus litis.*
18. *Nemo potest pro alio procuratorem constituere antequam per litis contestationem sit effectus illius dominus sine speciali mandato.*
19. *Contraria sententia Alexandri.*
20. *Declaratio Riminaldi Junioris hujus sententiae Alexandri.*
21. *Reprobatur.*
22. *Foemina conjuncta non admittitur in judicio etiam si sit mater,*
23. *Nisi causa cognita in causis parentum.*
24. *Alienam suscipere defensionem virile est officium, et extra sexum muliebrem.*

25. *Conjunctus non admittitur pro conjuncto habente procuratorem.*
26. *Etiam quod tale mandatum non sit legitimum.*
27. *Et multo minus pro eo qui habet procuratorem cum mandato speciale ad illum actum.*
28. *Praeterquam in causa matrimoniali pro illius defensione, vel quando procurator esset negligens.*
29. *Non admittitur pro pupillo vel adulto conjunctis qui habent tutorem vel curatorem quibus defendi possint.*
30. *Licet admittatur pro pupillo non habente tutorem, vel alium legitimum defensorem, ne remaneat indefensus.*
31. *Quod indistincte possit pro conjuncto minore in judicio comparere.*
32. *Si conjunctus pro quo vult comparere expresse contradicat, non admittitur etiam si offerat cautionem.*
33. *Conjunctus conjunctione spirituali non potest comparere pro conjuncto simili conjunctione. Conjunctus non potest intervenire pro conjuncto in casibus, in quibus ex forma mandati requiritur mandatum.*
34. *Non potest comparere, nec se intromittere pro conjuncto in iis in quibus exigitur mandatum speciale.*
35. *Non est admittendus ad nunciandum novum opus pro conjuncto.*
36. *Nec admittitur ad respondendum positionibus pro conjuncto.*
37. *Neque in iis, quae possunt facere incidere in delictum.*
38. *Nec potest deferre juramentum litis decisivum.*
39. *Non potest jurare pro conjuncto, potest tamen jurare de calumnia, dummodo juret in animam propriam.*
40. *Non admittitur ad exigendum et accipiendum solutiones pro conjuncto.*
41. *Etiam cum cautione de rato. Potest tamen petere ut solvatur conjuncto pro quo agit.*
42. *Pater admitteretur etiam in causis requirentibus speciale mandatum si in illis haberet particulare interesse.*
43. *Potest comparere in causa criminali nata contra filium, ad deducendum illius innocentiam et pro ejus defensione.*
44. *Conjunctus pro conjuncto non potest explicare ea quae in animo consistunt.*
45. *Neque admittitur in causis spiritualibus; admitteretur tamen pro defensione.*
46. *Non potest esse in Judicio in Beneficialibus.*
47. *Non potest compromittere.*
48. *Neque pro conjuncto stipulari.*

49. *Conjunctus in casibus in quibus admittitur pro conjuncto, non admittitur simpliciter et indistincte.*

50. *Debet exprimere quod compareat tamquam conjunctus.*

51. *Si compareant duo tamquam conjuncti, debet admitti ille qui est magis conjunctus, excluso remotiore.*

52. *Contra quod debeat admitti ille qui est magis idoneus.*

53. *Pluribus conjunctis concurrentibus ad tutelam admitti debet magis idoneus, non habita ratione proximitatis.*

54. *Conjunctus si compareat pro conjuncto contra alium conjunctum quod sit admittendus dumtaxat quando ille contra quem comparet est sibi conjunctus remotiori gradu.*

55. *Hoc non procederet in actibus qui fierent ad interrumpendam praescriptionem.*

56. *Multa conceduntur contra regulas Juris, ne res tempore pereant, et ne dilatio actionem perimat.*

57. *Curator datus bonis viventis absentis non potest intentare actiones tempore non perituras, sed tantum eas quae tempore essent perituraе.*

58. *Conjunctus debet cavere conjunctum pro quo comparet ratum habiturum.*

59. *Procedit etiam quando appellat a sententia lata contra conjunctum.*

60. *Conjunctus quando tamquam conjunctus administrat bona conjuncti absentis, non remanent hypothecata ejus bona per dictam administrationem.*

1. Firmavimus in praecedenti capitulo quod conjunctus pro conjuncto potest in judicio comparere, quamvis non habeat ab illo mandatum neque sit ejus procurator; quae conclusio confirmatur per *Text. in l.* 3 § *sed et si forte ff judicat. solut.*, *Baldus in cap. ex parte Decani n.* 10 *extr. de rescr.*, *Rim. Jun. cons.* 670 *n.* 29 *lib.* 6, *Amat. decis. March.* 3 *n.* 1, qui alios allegant.

2. In his enim personis non exigitur an habeant mandatum vel voluntatem eorum pro quibus interveniunt, sed ne voluntas contraria probetur, ut dicit J. C. in *Leg. Pomponius* § *fin. ff de procur.*

3. Quod procedit non solum defendendo conjunctum sed etiam agendo, *L. sed et hae in princ.*, *et ibi Gloss. in verb. et liberti ff de procur.*, *Gloss. in L. non solum in princ. in verb. debet, paulo post princ. ff eo tit.*

4. Potest etiam conjunctus conjunctum non solum in judicio defendere, sed etiam a sententia contra illum lata appellare, *Guid. Pap. decis.* 203 *n.* 1, *Amat. d. decis.* 3 *n.* 1 *in fin.*

5. Debet tamen dicta appellatio ratificari ab eo contra quem lata erat sententia, si ob dictam appellationem possit ei aliquod resultare praejudicium, fortasse quia per statutum sit prohibita appellatio sub certa poena vel alias esset appellatio prohibita, ut dicemus infra cap. XLVI *de mandato ad appellandum.*

6. Non enim potest conjunctus conjuncto praejudicare nisi praecedat mandatum vel sequatur ratificatio, *L.* 3 § 1 *vers. sed et si forte, et ibi Bart. n.* 2 *ff judicat. sol., Magon. decis. Lucens.* 16 *n.* 20.

7. Appellatio autem ista secundum *Bald. in sua Margarit. in verb. conjuncta persona*, potest ratificari etiam post decem dies a die interpositionis illius, refert *Magon. decis. Lucens.* 49 *n.* 29.

8. Sed quia aliqui volunt illam esse ratificandam intra decem dies datos ad appellandum, *Magon. d. decis. Lucens.* 6 *n.* 23, *Amat. d. decis. March.* 3 *n.* 4 *et seqq.* qui *n.* 8 reliquit cogitandum propter Baldi auctoritatem:

9. Idcirco ego arbitrarer quod possit dici, quod decem dies ad ratificandum dictam appellationem non incipiant currere a die latae sententiae, vel a die interpositae appellationis, sed a die quo conjunctus qui contra se sententiam reportavit, rescivit fuisse interpositam appellationem, *Oldr. cons.* 130 *n.* 12, *Guillelmus Durantus, seu Speculator in tit. de appellat.* § 1 *n.* 7, quorum auctoritate ob eorum rationem, ita firmat, *Magon. d. decis. Lucens.* 6 *n.* 24, *et decis.* 49 *n.* 27.

10. Sunt autem plures casus in quibus conjunctus non potest esse in judicio pro conjuncto, et in quibus suprafirmata conclusio limitatur, et quidem

11. Primo, ut non admittatur pro conjuncto praesente; tunc enim superfluum est conjuncti operam intervenire, namque brevius ab ipso principali negocium confici possit; ut loquens de negocio facto a fratre pro fratre praesente, consuluit *Portius Imolens. cons.* 151 *n.* 20 *et* 21, *ut per Tex. in L. mutus* § *is qui curatorem, et ibi Ang. n.* 1 *et Castr. n.... ff de procur., Chasan. ad consuetud. Burgund. rubr.* 4 § 5 *n.* 47 *vers. quibus adde.*

12. Secundo limitatur, quod si conjunctus compareat pro conjuncto tamquam illius procurator, si non habeat mandatum non potest postea comparere uti conjuncta persona, *Bald. in cap. nonnulli n.* 6 *vers. nota quod si quis impetret extr. de rescript.* et ejus auctoritate, *Mayn. Jason in L. exigendi n.* 9 *vers. sexto fallit. C. de procur., Rot. coram Crescent. decis.* 121 *quae est septima de procur. n.* 4.

« Hic autem poterit animadverti, quod conjunctus duplex potest ha-
« bere mandatum, alterum nimirum tacitum a lege, et alterum expressum
« ab homine: qua sumpta occasione poterit notari, quod possunt plura
« mandata concurrere in eadem persona, nempe unum expressum et aliud

« tacitum, *Rot. decis.* 364 *n.* 14 *part.* 9 *tom.* 2 *Recent.* Datur enim mul-
« tiplicatio mandatorum, *Decis.* 472 *n.* 17 *part.* 9 *tom.* 2 *Recent.* Et unius
« mandati existentia non facit cessare praesumptionem alterius, *Rot. ibid.*
« *n.* 18. Pluralitas autem praesumitur ex diversitate, tam respectu cau-
« sarum, quam personarum, *Rot. ibid. n.* 20.

13. Atque hinc si maritus compareat in judicio in causa suae uxoris, tamquam illius procurator, si non habeat mandatum, processus non substinetur, tamquam factus a marito uti conjuncta persona, *Rom. per integrum cons.* 446 *maxime n.* 6 *vers. quam ob rem partem negativam;* quam opinionem sequuntur multi generaliter allegantes hoc Cons. Roman., quos congerunt ibi Adden. in litera F., quibus adde *Chassan. d.* § 5 *n.* 47 *in princ.*, *Hond. cons.* 55 *n.* 81 *lib.* 1, *Stephanum Gratianum decis. March.* 49 *n.* 38, *et discept. forens. cap.* 699 *n.* 29 *et* 30.

14. Obstat enim illi regula, *L. multum interest C. si quis alteri vel sibi*, nam quod potuit noluit, quod voluit implere nequivit, *L. an inutilis ff de acceptil. cap. cum super de offic. deleg.* benefaciunt dicta a *Sebastiano Vantio de nullitat. in tit. de nullit. ex defect. jurisd. n.* 170, *Cephalus cons.* 475 *n.* 8 *et seqq. lib.* 5.

15. Maxime si comparendo se restrinxit ad facultatem sibi procuratorio nomine competentem: nam eligendo dictam viam videtur alteri renunciasse, *L. non codicillum C. de testam.*, *Petrus Philippus Corneus cons.* 202 *n.* 5 *in fin. lib.* 4, *Crav. cons.* 171 *n.* 17 *lib.* 1, *et cons.* 420 *n.* 7 *lib.* 3, *Rot. decis.* 366 *n.* 28 *et seq. part.* 1 *divers.*

16. Tertio limitatur, ut is qui habet mandatum a conjuncto ad aliquid certum peragendum, non possit pro eodem comparere tamquam conjuncta persona in aliis negociis, *L. maritus in fin. C. de procur.* Nam conjunctus favendo mandatum ad certum negocium, censetur in aliis prohibuisse, ne ille tamquam conjunctus possit se intromittere, *Petrus Antonius Anguissola*, qui late hoc comprobat *cons.* 42 *n.* 1 *vers. secundo*, *et infra lib.* 2.

17. Quarto limitatur, ut conjunctus non possit pro conjuncto Procuratorem constituere antequam ipse per litis contestationem litis dominus sit effectus, *Rom. cons.* 241 *n.* 10, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defectu inhabil.*, *seu mandat. n.* 129, *Franciscus Marci decis.* 242 *n.* 2 *part.* 1, *Rimin. Jun. cons.* 720 *n.* 2 *lib.* 6, *Burs. cons.* 21 *n.* 2 *vers. non tamen lib.* 1 *et cons.* 233 *n.* 10 *lib.* 3, *Jacobus Marchellus patrocin.* 42 *n.* 1, *Surd. decis.* 215 *n.* 8, *Petrus Caballus cons. decisiv.* 10 *n.* 2 *lib.* 1, *Rot. coram Coccin. decis.* 62 *n.* 1, ubi alios allegat.

« Conjunctus ante litem contestatam non potest pro conjuncto procu-
« ratorem constituere, *Ridolphin. in Prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 50.

18. Et in hoc conjunctus non est magis privilegiatus, quam sit quilibet alius procurator, cum nemo possit pro alio procuratorem constituere, an-

tequam per litis contestationem sit effectus illius dominus sine speciali mandato *cap.* 1 *de procur. lib.* 6, etiam cum promissione de rato, *Burs. d. cons.* 21 *n.* 2, et nos dicemus infra *cap. XXXVIII.*

19. Unde non est fidendum de *Alexandro Tartagni Imolensi* qui *in L. quod quis n.* 4 *C. de procur.* dixit, quod conjunctus potest constituere procuratorem pro conjuncto etiam ante litis contestationem.

20. Et licet *Rim. Jun. cons.* 720 *n.* 3 *et* 4 *lib.* 6 nitatur declarare hoc dictum Alexandri, ut procedat postquam iste conjunctus faciendo aliquem actum respicientem merita causae in iis casibus in quibus lis non contestatur, est effectus dominus litis; attamen haec declaratio *Rim.* praeterquam quod est contra id, quod dicit *Rom. d. cons.* 241 *n.* 10 *vers. et si dicatur*, ubi firmat, quod conjunctus non potest pro conjuncto facere procuratorem in iis causis in quibus lis non contestatur per Text. quem dicit esse singularem juxta verum intellectum, *Bald. in L. minor C. de praed. minor. juncta*, *L. neque tutores in fin. C. de procur.*, et sequitur *Surd. d. decis.* 215 *n.* 8 *in fin.* alios allegans.

21. Eo etiam casu diceretur procuratorem post litis contestationem, cum in iis casibus talis actus operetur litis contestationem, *Jo. Baptista Asinius*, qui multos allegat in sua *Prax. Judic.* § 17 *cap.* 4 *n.* 4, et sequitur *Rot. coram Mantic. decis.* 204 *n.* 2.

22. Quinto limitatur, ut non procedat in foemina conjuncta, quae non admittitur in judicio, *L. neque foemina ff de judic.*, *L.* 2 *in fin. ff ad Vellejan.*, etiamsi sit mater, *L. alienam C. de procur.*, *Natt. cons.* 143 *n.* 6 *lib.* 1, *Joseph Ludovic. decis. Perusin.* 49 *n.* 3.

23. Nisi causa cognita in causis parentum, *L.* 3 *ff de liberal. caus.*, *L. foeminis ff de procur.*, videlicet, ut dicit ibi J. C. si forte parentes morbus aut aetas impediat, nec quemquam habeant qui agat, et ita istae *LL.* 3 et *foeminis* conciliantur cum *d. l.* 2 *in fin.*, dum negat posse foeminam esse in judicio etiam pro patre, hoc enim fallit ex causis de quibus in dd. legib. ut advertit *Gloss. in d. L.* 2 § *fin. ff ad Vellejan.*

24. Alienam enim suscipere defensionem virile est officium, et extra sexum muliebrem, teste Imper. in *L. alienam*, et ibi *Alex. et Jas. Cod. eod. tit. de procur.*, *Natt. d. cons.* 143 *n.* 6 *lib.* 1, qui concludit contra matrem comparentem pro filio; absurdum enim, et a muliebri honestate alienum, quod foeminae proprii pudoris nullam rationem habentes sese in judiciis immisceant in caetu virorum, *L.* . . . . *ff de postuland.*

25. Sexto limitatur ut conjunctus non admittatur pro conjuncto habente procuratorem, *Aret. in* § *praeterea, et L.* 2 *n.* 68 *in princ. instit. de except.*, *Jacobus Puteus decis.* 224 *n.* 2 *lib.* 3, *Franciscus Vivius decis.* 31 *n.* 2, *Rot. decis.* 200 *n.* 2 *lib.* 2 *part.* 3 *divers.*, *et coram Gregorio XV decis.* 531 *n.* 2 *et decis.* 548 *n.* 1.

26. Etiam quod tale mandatum non sit legitimum, *Bart. in L. maritus in 2 lectur. C. de procur.*, sequitur illum *Petr. Anton. Anguiss. cons.* 42 *n.* 2 *lib.* 2.

« Mandatum expressum licet minus sufficiens, si fuerit productum « facit cessare tacitum, *Rot. decis.* 211 *n.* 5 *part.* 2 *Recent.*

27. Et multo minus pro eo qui habet procuratorem cum mandato speciali ad illum actum, *Aret. d. n.* 68 *vers. quarto.*

28. Praeterquam in causa matrimoniali pro illius defensione, *Rot. d. decis.* 200 *n.* 8 *lib.* 2 *part.* 3 *divers.*, vel quando procurator esset negligens, *Alex. in L. exigendi n.* 5 *in fin. C. de procur.*, *Put. d. decis.* 21 *lib.* 2, *Rot. coram Ludovis. decis.* 548 *n.* 2, *Addent. ad eumdem decis.* 531.

29. Simili modo conjunctus non admittitur pro pupillo vel adulto conjunctis qui habent tutorem vel curatorem quibus defendi possint, *L. Senatus consulto et ibi Baldus n.* 1 *C. qui accus. non poss.*, *Felin. in cap. coram n.* 4 *vers. fallit primo extr. de offic. judic. deleg.*, *Jason in L. exigendi n.* 9 *in* 2 *fallent C. de procur.*, *Burs. con.* 21 *n.* 5 *lib.* 1, *Franc. Viv. decis.* 31 *n.* 1 *lib.* 1.

30. Licet admittatur pro pupillo non habente tutorem vel alium legitimum defensorem, ne remaneat indefensus, *Viv. d. decis.* 31 *n.* 5, qui multos allegans de communi testatur, *Baldus in d. L. exigendi n.* 12, et ibi *Alex. n.* 8; qui pariter de communi testatur, *C. de procur.*, *Gloss. in leg. tutores qui post in verbo inferre ff de administr. tut.*, qui moventur per text., quem dicunt in terminis in *L. patri in princ. ff de minor.*

31. Non desunt tamen qui simpliciter et indistincte dicant, quod conjunctus possit pro conjuncto minore in judicio comparere, et signanter *Angel. Aret. d.* § *praeterea n.* 68 *vers. octavo*, *Surd. cons.* 190 *n.* 4 *lib.* 2, qui alios allegant ea ducti ratione, quia ipsius minoris interest ut jura sua per plures tueantur.

32. Septimo limitatur si conjunctus pro quo conjunctus vult comparere expresse contradicat, quia non admittitur etiam si offerat cautionem: est tex. expressus in *L. Pomponius* § *fin. ff de procur. et in L.* 2 § *fin. ff sol. matrim.*, *Gloss.* tamen in *d. L. Pomponius* sublimitat in aliquibus casibus qui apud eam poterunt videri.

33. Octavo limitatur in conjuncto conjunctione spirituali, qui non potest comparere pro conjuncto simili conjunctione, *DD. in cap. cum M. Ferrariensis, et ibi Gloss. extr. de constit.*, *Felin. in cap. coram n.* 3 *extr. de offic. deleg.* — Nono limitatur, ut conjunctus non possit intervenire pro conjuncto in casibus, in quibus ex forma mandati requiritur mandatum, *Bald. in L. fin. n.* 17 *C. de aedilitia action.*, quem, alioque allegans *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 45 *lib.* 2, hoc late confirmat.

34. Decimo et ultimo, conjunctus non potest comparere, neque se

intromittere pro conjuncto in iis, in quibus exigitur mandatum speciale *L. Patri in princ., cum L. praeced. et ibi DD. ff de minor., L. illud § talis ff eod., Gloss. in L. exigendi et ibi Jas. n.* 9 *in* 4 *limit. Cod. de procurat., Rom. cons.* 241 *n.* 13 *et sing.* 227 *n.* 2, *Rip. in cap. cum M. Ferrariensis n.... de constit.*, ubi testatur de communi, *Felin. in cap. coram n.* 5 *de offic. deleg.*, *Augustinus Berojus quaest.* 132 *n.* 2, *Soc. Sen. cons.* 120 *n.* 5 *lib.* 1, *Aret. in dicto cap. praeterea n.* 68 *vers. septimo*, *Burs. cons.* 21 *n.* 2 *vers. et in his*, *Port. Imol. cons.* 151 *n.* 16 *et* 21 *vers. nec obstant*, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 46 *n.* 1 *et* 12 *lib.* 2, *Magon. decis. Lucens.* 6 *n.* 13, *Surd. cons.* 190 *n.* 1 *lib.* 2, *cons.* 359 *n.* 6 *lib.* 3, *et decis.* 215 *n.* 1, *Put. decis.* 224 *n.* 2 *lib.* 3, *Rot. decis.* 6 *de procurat. in nov.*

« Conjunctus absque speciali mandato restitutionem in integrum pe-
« tere non potest pro ejus conjuncto, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.*
« 13 *n.* 331.

35. Ac proinde conjunctum non esse admittendum ad nunciandum novum opus pro conjuncto fuit resolutum in Senato Mantuano, *Surd. d. decis.* 215 *n.* 3.

36. Nec etiam admittitur ad respondendum positionibus pro conjuncto, *Joseph. Ludovic. decis. Lucens.* 41 *sub n.* 4.

37. Neque in iis quae possunt facere incidere in delictum, *Rot. cor. Verall. decis.* 344 *n.* 2 *lib.* 2; non potest enim facere actus conjuncto praejudiciales, nisi sequatur illius ratificatio, *Cephal. cons.* 571 *n.* 22 *et segq. lib.* 4, *Bald. in L.* 1 *per illum text. n.* 1 *cod. quib. res judic. non nocet*, *Rimnald. Jun. cons.* 670 *n.* 28 *in fin., et n.* 29 *lib.* 6.

38. Nec potest deferre juramentum litis decisivum, *Leg. nec filius Cod. de rebus credit.*, *Surd. d. decis.* 190 *n.* 3.

39. Nec potest jurare pro conjuncto, *Surd. decis.* 159 *n.* 4; posset tamen jurare de calumnia dummodo juret in animam propriam, *Bart. in L. qui bona fide § si alieno n.* 8 *vers. eadem ratione ff de damn. infect.*

40. Prout nec admittitur ad exigendum et recipiendum solutiones pro conjuncto, *Leg. non solum ff solut. matrim.*, ubi pater non potest exigere creditum filiae, *Alexand. cons.* 4 *n.* 3 *vers. tamen quia lib.* 2, qui de communi, *Jo. Franc. Purpuratus cons.* 183 *n.* 3 *lib.* 1, *Tiraquell. de retr. lign.* § 1, *Gloss.* 13 *n.* 34 *et* 35.

41. Etiam cum cautione de rato, *L.* 2 *ff ut legat. nom. cav.*, *L. non solum, ubi Alexand. n.* 2 *ff solut. matrim.*, *Asinius de execut. instrum.* § 7 *cap.* 180 *n.* 4; potest tamen petere ut solvatur conjuncto pro quo agit, ut post *Bartol.*, *Bald. Salyc. et alios*, dicit *Aret. d.* § *praeterea n.* 68 *vers. sexto*, *Vivius decis.* 349 *n.* 5.

« Conjunctus non potest recipere solutionem pro conjuncto, quamvis
« etiam offerat cautionem de rato, *Thomat. decis.* 2 *n.* 24 *et* 25 *part.* 1.

« Sola conjunctio paterna vel materna absque qualitate administratoris « legitimi non validat solutionem sive receptionem, *idem Thomat. ibid. n.* 26.

42. Pater autem admitteretur in causis etiam requirentibus speciale mandatum si in illis haberet particulare interesse, quia tunc non compareret tamquam conjunctus, sed pro suo interesse, *L. Patri, et ibi Bartol. in summ. et in* 3 *notab., et Bald. n.... ff de minor., Anguiss. d. cons.* 46 *n.* 21 *lib.* 2, *Put. decis.* 224 *in ultimis verbis lib.* 3, *Tiraquell. d.* § 1, *Gloss.* 10 *n.* 101, *Thomas Doccius cons.* 33 *n.* 16.

43. Unde potest comparere in causa criminali mota contra filium ad deducendam illius innocentiam, et pro ejus defensione, ut multos allegans dicit *Parisius cons.* 152 *n.* 27 *lib.* 4.

44. Similiter non potest conjunctus pro conjuncto explicare ea quae in animo consistunt, *Anguiss. d. cons.* 46 *n.* 9 *ad fin., Surd. d. decis.* 215 *n.* 3 *vers. contra*, et proinde nec adire haereditatem, nec fideicommissum universale acceptare, *Anguiss. d. cons.* 46 *n.* 4 *et seqq.*

« Licet corporalis possessio quae est facti possit recipi per amicum, « vel consanguineum, attamen revera non dicitur acquisita absenti, nisi « sequatur illius ratificatio, quasi sit ejus naturae possessio, ut non possit « quaeri nisi animo et consensu illius cui est acquirenda, *Thomat. decis.* « 228 *n.* 37 *part.* 2.

« Et tunc ratificatio fieri debet re integra, estque inefficax si fiat post « jus alteri quaesitum, nec retrotrahi potest cum res non sit amplius in « eodem statu, idem *Thomat. ibid. n.* 38.

« Ita ut si iste qui coepit possessionem nomine alterius, sit spoliatus, « antequam sequatur ratificatio, ista nihil operetur, si subsequatur, idem « *Thomat. ibid. n.* 39.

45. Neque etiam admittitur in causis spiritualibus, *Abb. et Felin. in cap. coram extr. de offic. deleg., Rom. sing.* 619 *et ibi addent. Aret. in d.* § *praeterea n.* 68 *vers.* 5, *Rot. decis.* 6 *ubi addent. n.* 2 *et* 3 *in* 2.ª *addict. de procurat. in nov.*, admitteretur tamen in dictis causis pro defensione, *Philippus Francus in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 5 *de procurat. lib.* 6.

« Conjunctus pro conjuncto admittitur etiam in spiritualibus ut late « defendit, *Felin. in cap. coram sub n.* 7 *de offic. et potest. judic. delegat.*, « et post ipsum tradit, *Thomat. decis.* 283 *n.* 26 *part.* 2.

46. Non potest esse in judicio in beneficialibus, *Vivius decis.* 249 *n.* 5, *Camillus Borellus in summa decis. cap.* 22 *n.* 55.

47. Nec etiam potest compromittere, *Thomas Doccius cons.* 33 *n.* 15 *vers. secundo principaliter, et infra.*

48. Ultimo, ut coetera omittam, conjunctus non potest pro conjuncto stipulari, *Anguiss. d. cons.* 46 *n.* 11 *lib.* 2, *Sebastianus Medices dec. March.* 58 *n.* 8.

49. Coeterum etiam in casibus in quibus conjunctus admittitur pro conjuncto, hoc tamen non procedit simpliciter, et indistincte sed cum infrascriptis animadversionibus.

50. Primo, ut exprimat quod comparet tamquam conjunctus, *Bart. in L. sancimus n.* 10 *cod. de Sacros. Eccles.*, *Jas. in L. exigendi n.* 10 *in* 14 *limitat. cod. de procurat.*, *Anguiss. cons.* 44 *n.* 20 *lib.* 2, *Gratian. decis. March.* 49 *n.* 33 *vers. quia respondetur*, atque probet se esse conjunctum, *Petr. Caball. cons. civil.* 10 *n.* 9 *et* 10 *lib.* 1.

51. Secundo, ut si compareant duo tamquam conjuncti, debeat admitti ille qui est magis conjunctus excluso remotiore, *DD. in d. L. exigendi cod. de procurat.*, *Felin. in cap. coram n.* 4 *vers. quarto fallit extr. de offic. delegat.*, *Viv. dec.* 31 *n.* 12.

52. Ego tamen non admitterem hoc dictum simpliciter, nam cum istud privilegium sit inductum favore conjuncti absentis, ne jura illius remaneant indefensa ille debet admitti qui est magis idoneus ad tuenda et pertractanda negocia absentis, sicuti ad tutelam, quamvis regulariter is debeat admitti qui est proximior pupillo, *Leg. si plures ff de legitim. tutel.* § *fin. instit. de capit. diminut.*

53. Pluribus tamen concurrentibus eligi debet magis idoneus non habita ratione proximitatis, exclusis etiam proximioribus, *Arg. tex. in L. Divus ff de tutor. et curat. dat. ab his.*

54. Tertio, ut si conjunctus compareat pro conjuncto contra alium conjunctum non sit indistincte admittendus, sed dumtaxat quando ille contra quem comparet est sibi conjunctus remotiori gradu, nam si sit proximior aut in aequali gradu cum eo pro quo comparet non est admittendus, *Petr. et Cynus in L. exigendi cod. de procurat.*, *Angel. Aret. in d.* § *praeterea n.* 68 *vers. nono*, *Paulus De Castro in L. sed et hae personae n.* 6 *ff de procurat.*, *Joan. Petruc. de Montesperello cons.* 169 *n.* 10, *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 49 *n.* 2 *et* 3, *Thomas Doccius cons.* 33 *n.* 15.

55. Hoc tamen non procederet in actibus qui fierent ad interrumpendam praescriptionem.

56. Multa enim conceduntur contra regulas juris ne res tempore pereant, et ne dilatio actionem perimat, ut dicit *J. C. in L.* 1 § *excipiuntur ff de feriis.*

57. Hinc curator datus bonis viventis absentis non potest intentare actiones tempore non perituras, sed tantum eas quae tempore essent perituraе, *Angel. cons.* 103 *in fin.*, *et cons.* 193 *sub n.* 2 *et infra*, *Alex. cons.* 4 *n.* 4 *lib.* 2, quos refert *Menochius de arbitr. judic. quaestion. cas.* 150 *n.* 30.

58. Quarto, ut caveat conjunctum pro quo comparet ratum habiturum, alias non audieretur, *d. Leg. sed et hae personae* § *defendere ff de procurat.*

« Conjunctus pro conjuncto in judicio sine rati cautione non admit-
« titur, *Actolin. resolut.* 76 *n.* 5.

59. Quod procedit etiam quando appellat a sententia lata contra conjunctum, *Andreas Gaylius pract. observat. lib.* 2 *observat.* 133 *n.* 1 *et* 2, *sequitur Julius Caesar Rugginellus comment. ad Caesar. constit. prov. Mediolan. in tit. de appellat.* § 2 *cap.* 1 *n.* 38 *vers. quoniam autem, et Scaccia eod. tract. quaest.* 5 *n.* 66. De hac tamen satisdatione dicemus late infra *cap. LXIV de satisdatione praestanda a procuratore ad lites.*

60. Quando autem conjunctus tamquam conjunctus administrat bona conjuncti absentis non remanent hypotecata ejus bona per dictam administrationem, *L. si negocium, et ibi Gloss. et Angel. in summ. cod. de privil. credit. per quem textum juncta Gloss., Ruin. cons.* 94 *n.* 2 *lib.* 5.

« Mandatum procurae factum alteri ex fratribus non excludit com-
« munionem universalem, quoties enim non adest inter ipsos fratres instru-
« mentum hujusmodi universalis communionis mandatum censetur neces-
« sario factum pro commercio communis substantiae, et pro cautela debito-
« rum, ad effectum scilicet ut isti legitime solvant, et possit frater libere
« administrare et contrahere cum tertiis, qui in singulis actibus non te-
« nentur investigare, num inter praedictos fratres adsit universalis societas,
« *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luca de donat. lib.* 7 *decis.* 30 *n.* 14
« *tom.* 3.

CAPUT VI.

DE PROCURATORE SEU SINDICO UNIVERSITATIS.

SUMMARIUM

1. *Procurator qui constituitur ab universitate, corpore, vel collegio in jure appellatur aliquando actor.*
2. *Aliquando appellatur sindicus.*
3. *Sindicus secundum Glossam dicitur quasi singulorum de universitate causas dicens.*
4. *Impugnatio Baldi in versiculo* quibus autem etc.
5. *Alia est causa universitatis, alia singularum universitatis personarum.*
6. *Homines universitatis sunt diversi ab ipsa universitate.*
7. *Responsio ejusdem Baldi ad objectum.*
8. *Universitas potest reduci ad unum tantum.*
9. *Rejectio responsionis Baldi.*

10. *Quod Glossa in ethymologia « singulos de universitate » non intellexerit discretive sed collective.*
11. *Interesse universitatis videtur respicere interesse singulorum.*
12. *Sindicus seu actor constituitur dumtaxat ad lites et ad judicialia.*
13. *Communis observantia in contrarium.*
14. *Sindicus seu actor abusive et improprie usurpatur et applicatur quibusdam officialibus villarum et castrorum qui sub gravibus poenis tenentur denunciare Curiae maleficia quae intra limites suae villae, vel castri committuntur.*
15. *Hujusmodi officiales vocantur sindici.*
16. *Tenentur denunciare etiam illa maleficia quae de jure non sunt punibilia.*
17. *Spectat ad judicem cognoscere an illud delictum sit punibile vel non, et non est sub cognitione sindici.*
18. *Tenentur etiam denunciare ea maleficia quae non sunt notoria.*
19. *Quod licet non sit de jure, ita tamen servatur de consuetudine, et signanter in Curia Criminali civitatis Perusiae.*
20. *In statu Ecclesiastico sindicus tenetur in denunciationibus specificare locum, diem et horam commissi delicti, et alias circumstantias.*
21. *De jure communi requiritur quod istae denunciationes fiant scriptis.*
22. *Habentur pro libello, et super illis proceditur tamquam super libello.*
23. *Sindici tenentur denunciare specifice singulos delinquentes, ita ut si unum omittant, puniantur aeque ac si nullum denunciassent.*
24. *Intelligitur de iis personis quas sindicus poterat accusare, secus autem de iis quas ipse accusare non poterat.*
25. *Cessat ista necessitas denunciandi in delictis levibus et parvis.*
26. *Vel si ab alio in denunciatione fuerit praeventus.*
27. *Vel si dubitetur an delictum sit commissum in loco jurisditionis judicis in cujus Curia esset denunciandum.*
28. *Sindicus et actor universitatum inter se differre videntur.*
29. *Unum nomen saepe ponitur pro alio.*
30. *In hoc tractatu sub nomine sindici quilibet Universitatis defensor comprehendetur.*

Vidimus de procuratore constituto a lege, sequitur ut videamus de eo qui habet mandatum ab homine; et quoniam illud habetur vel ab aliqua

universitate, vel a personis particularibus, de illo in primis agere proposui qui constituitur ab Universitate, Corpore vel Collegio.

1. Iste autem in jure appellatur actor, ut in *L. nec civitates ff de procur.*, in *L.* 1 § *quibus autem*, et in *L. item eorum* § *quod si actor et infra ff quod cujusq. univers. nom.*, *L. fin.* § *defensores ff de muner. et honor. explicat. notab.*, *Ruinus cons.* 116 *n.* 19 *lib.* 4.

2. Aliquando autem appellatur sindicus, *d. L.* 1 § *quibus autem*, *et d. L. item eorum* § *sed hodie cap.* 1, *et ibi Gloss. et DD. extr. de sindic.*, *Bero. cons.* 19 *n.* 40 *lib.* 1., *Jacobus Mandelbus Albensis cons.* 393 *n.* 4 *in fin. lib.* 2.

3. Sindicus autem ex mente *Glossa in d.* § *quibus autem in verb. sindicum*, dicitur quasi singulorum de universitate causas dicens, sequitur *Specul. in tit. de his qui alien. nomin. n.* 3.

4. Hanc tamen ethymologiam impugnat *Bald. in d. vers. quibus autem*, ea ratione quia sindicus non agit nomine singulorum de universitate, sed dumtaxat nomine ipsius universitatis, cum non sit procurator singularum personarum de universitate, sed habeat dumtaxat mandatum ab universitate, *L.* 2 *ff quod cujusq. univers. nom.*, *Rebuff. in L. Herennius* 122 *col.* 2 *in med. vers. procurator ff de verb. signif.*, *Rolandus a Valle cons.* 53 *n.* 30 *lib.* 4, *Honded. cons.* 86 *n.* 44 *lib.* 1.

5. Alia autem est causa universitatis, alia singularum personarum universitatis, *L. in tantum* § *universitatis ff de rer. divis.*, *L. sed et si hac* § *qui manumittitur ff de in jus vocand.*, *Marcus Antonius Natta cons.* 150 *n.* 2 *lib.* 1.

6. Atque universitatis homines sunt diversi ab ipsa universitate, *d. L. in tantum* § *universitatis*, *facit tex. in L. cum qui in princ. ff de usucap.* § *universitatis instit. de rer. divis.*, *Alex. cons.* 114 *n.* 12 *lib.* 4, *Corn. cons.* 190 *n.* 4 *vers. quia aliud est lib.* 1, *Jas. cons.* 140 *n.* 2 *in fin. et n.* 3 *in fin. lib.* 4, *Bertazol. cons. criminal.* 183 *n.* 6 *lib.* 1, *Sufd. cons.* 447 *n.* 20 *lib.* 3.

7. Et licet huic obiectioni respondeat idem *Baldus in d.* § *quibus autem*, quod illud verbum singulorum quo usa fuit Gloss. debeat exponi multorum, quia sindicus ab uno constitui non potest, nisi gerat vices totius universitatis, vel collegii.

8. Nam ad unum tantum potest redigi universitas, *L. sicut* § *fin. ff quod cujusq. univers. nomin.*

9. Mihi tamen haec Baldi responsio undequaque non placet, quia et videtur violare ethymologiam Gloss. et non tollit judicio meo obiectum, nam eadem ratione defectus potestatis, qua sindicus universitatis non potest dicere causas singularum personarum universitatis, eadem prohibetur dicere causas multorum, quorum causae sunt aliae a causis universitatis.

10. Quamobrem salvando Glossam, posset forte dici, quod ipsa in dicta sua ethymologia non intellexerit singulos de universitate discretive, uti singulos pro eorum particulari interesse, sed collective, non cum singuli collective universitatem constituant, sindicus agendo causas universitatis, videtur agere causas singulorum;

11. Interesse enim universitatis, singulorum interesse respicere videtur.

12. Retenta autem dicta ethymologia, quamvis ex illa videatur inferendum, quod sindicus seu actor constituatur dumtaxat ad lites et ad judicialia, ut voluit *Specul. in tit. de his qui alieno nom. n.* 3; et sequuntur multi, quos congerunt, *Addent. ibi in verb. defensores*,

13. Communis tamen observantia contrarium obtinuit, cum quotidie universitates constituant sindicos et actores non solum ad lites et judicialia, sed etiam ad extrajudicialia, et ad celebrandos quoslibet contractus pro universitate et ad negocia illius extra judicium peragenda, ut subdunt *Addent. ad Specul. in d. verbo defensores*, et clare apparebit infra cap. XII, dum de potestate sindici agemus.

14. Licet autem dicta vox sindicus seu actor proprie significet defensorem universitatum, abusive tamen et improprie usurpatur et applicatur quibusdam officialibus villarum et castrorum, in quibus deputantur, qui sub gravibus poenis tenentur denunciare Curiae maleficia quae intra limites suae villae sive castri committuntur, ut per *Julium Clarum in sua practica criminali § fin. quaest. 7 vers. scias autem.*

« Sindici sunt publici delatores specialiter ad hoc ut denuncient cri-
« mina deputati, et ita ex necessitate officii ad id sunt adstricti, *Romaguer.*
« *ad statutum Eugubinum lib. 4 rub. 3 n.* 8.

15. Qui officiales vocantur sindici *in Constitut. March. lib. 4 cap.* 6 prout etiam in statutis patriae meae, *lib.* 3 *cap.* 2, et in Banimentis generalibus promulgatis de mandato summorum Pontificum, et renovatis jussu SS. D. N. Urbani VIII *sub n.* 62.

« Minor non potest creari sindicus, et ideo excusatur a poena ob non
« denunciatum delictum, *Conciol. et Romaguer. ibid. n.* 6 *et* 12.

« Posset tamen etiam minor eligi in sindicum, quando majorum adesset
« inopia, vel minor esset peritus, ac prudentia suppleret aetatem, *idem*
« *Romaguer. ibid. n.* 13.

16. Et isti officiales tenentur denunciare etiam illa maleficia quae de jure non sunt punibilia, ut *dicit. Bart. in L. fin. § divus quoque n.* 4 *ff de public. et vectig., in L. si quis in grav. § si maritus n.* 2 *vers. dices tu ff de Senat. Cons. Syllenian. et repetit in L.* 1 § *accusationem n.* 5 *ff ad Turpillin.*

17. Ea ratione quia ad judicem spectat cognoscere an illud delictum sit punibile vel non, et non est sub cognitione sindici, quod *Bart.* ibi dicit

esse bene notandum, sequitur *Benvenutus Stracca de mercatura part.* 1 *sub n.* 8 *vers. denique communi sententiae refert Magon. decis. Lucen.* 66 *n.* 10, qui licet nihil alleget ad hoc probandum, multos tamen congerit *Clarus d. quaest.* 7 *vers. sed quaero.*

18. Qui *Clarus* ibi in vers. *scias etiam* ampliat, ut teneatur denunciare ea maleficia quae non sunt notoria, quod licet non sit de jure, *Bart. in L. divus* 62 *n.* 12 *ff de custod. reor.*, et dicit ibi *Clar.*, et firmat *Calcan.* post multos quos affert, *cons.* 66 *n.* 8,

19. Ita tamen servatur de consuetudine, ut testatur ibi *Clar.* et ita ego servari pluries vidi in hac curia criminali civitatis Perusinae.

« Sindici non possunt puniri, si omittant referre ad curiam delicta de « nocte commissa, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 4 *rubr.* 3 *n.* 1.

« Secus tamen esset si Fiscus probaret de notorietate delicti, vel de « sindici verisimili scientia, quia tunc ille potest puniri, *Conciol. ibid. n.* 2.

« Similiter puniri nequit quando delictum est adeo occultum, ut illud « denunciari non valeat, cum non teneantur denunciare nisi delicta notoria, « quamvis non desint DD. asserentes id non servari in practica, idem « *Conciol. ibid. n.* 3 *et* 4.

« Neque tenentur denunciare delicta per eosdem commissa, *Romaguer. « ad statut. Eugub. n.* 9.

20. In statu autem ecclesiastico sindicus iste tenetur in denunciationibus specificare locum, diem, et horam commissi delicti, et alias circumstantias, in *constit. March. d. lib.* 4 *cap.* 5, *Gratian. decis. March.* 109 *n.* 1.

« Sindici si aliquo accepto denunciare omiserint, aut de crimine tran- « segerint, repetundarum crimen absque dubio committerent et graviter « essent puniendi, graviterque peccarent, *Romaguer. ad statut. Eugubin. « lib.* 4 *rubr.* 3 *n.* 10.

« Ex praesumpta autem calumnia non tenentur reficere expensas; bene « tamen si fuerint in evidenti calumnia, vel ad instantiam alicujus, aut « aggravarent qualitatem delicti, *Idem Romaguer. ibid. n.* 11.

« Sindicus et chyrurgus aggravantes vel minuentes qualitates delicti in « eorum relatione, tenentur poena falsi, *Conciol. ibid. lib.* 4 *rub.* 4 *n.* 4.

21. Et de jure communi requiritur, quod istae denunciationes fiant scriptis, *Bald. in L. fin. n.* 9 *C. de negoc. gest.*

22. Habentur enim pro libello, et super illis proceditur tamquam super libello, ut dicit ibi *Baldus.*

23. Tenentur etiam isti sindici denunciare specifice singulos delinquentes, si plures simul deliquerunt, ita ut si unum omittant puniantur aeque ac si nullum denunciassent, *Rim. Jun. cons.* 551 *n.* 39 *lib.* 5 *post Bald.*, *Salic.*, *Paul. de Castro*, *et alios in L. minoribus in fin. C. de his quibus ut indign.*

24. Quod tamen declarat esse intelligendum de iis personis, quas sindicus poterat accusare, secus autem de iis quas ipse accusare non poterat, ut declarat *Bart. in d. L. divus* 62 *n.* 14 *ff de custod. et exhib. reor.*

25. Ista autem necessitas denunciandi cessat in delictis levibus et parvis, *Bald. in L. si praedium n.* 3 *vers. et ideo C. de edicit. action.*, sequitur *Rim. Sen. cons.* 359 *n.* 25 *lib.* 2, *Gerardus Mazellus cons.* 42 *n.* 9, *Asin. in sua prax. judic.* § 26 *cap.* 1 *n.* 9.

26. Vel si ab alio in denunciatione fuerit praeventus, *Bart. in d. L. divus n.* 12, *Bertaz. cons. crimin.* 385 *n.* 3 *lib.* 2, *Surd. cons.* 272 *n.* 13 *lib.* 2, *Gratian. d. decis. March.* 109 *n.* 3, 4 *et* 5.

« Quare si sindicus fuerit praeventus ab offenso principali, qui ad « Curiam detulerit maleficium in ejus personam commissum, ipse non tenetur « ob omissam denunciationem: idemque procedit quando judex inquirendo « praevenit, *Conciol. ad statut. Eugub. lib.* 4 *rubr.* 3 *n.* 7.

27. Vel si dubitetur an delictum sit commissum in loco jurisdictionis judicis in cujus Curia esset denunciandum, *Gratian. d. decis. March.* 109 *n.* 2. Et de istis sindicis villarum non erit sermo noster.

« Hinc sindici non tenentur denunciare delicta commissa extra territo- « rium, neque delicta commissa tempore sui praedecessoris, *Conciol. ibid. n.* 5.

28. Tractaturus autem de sindico seu actore universitatum, licet isti inter se differre videantur, ut dicit *Innoc. in cap. petitio. n.* 3 *extr. de procur.*, quia sindicus dicitur ille qui deputatur dumtaxat ad universitatem causarum, actor autem qui deputatur non solum ad universitatem, sed etiam ad unam tantum causam, *Glos. in leg.* 1 § *quibus autem ff quod cujusq. univers. nomin.*, *et in leg. fin.* § *defensores ff de munner. et honor:*

29. Attamen quia unum nomen saepe ponitur pro alio, ut advertit *Innoc. in d. n.* 3, et colligitur *ex tex. in d.* § *defensores*,

30. Nos quoque in hoc nostro tractatu sub nomine sindici quemlibet universitatis defensorem comprehendemus, maxime cum in utriusque constitutione eaedem solemnitates servari debeant, ut in sequentibus capitibus videbimus.

CAPUT VII.

DE SINDICI UNIVERSITATIS ELECTIONE.

SUMMARIUM

1. *Antiquitus jus eligendi et creandi sindicum universitatum residebat penes decuriones.*
2. *In locum decurionum fuerunt subrogati consiliarii.*

3. *Eisque facultas et jus creandi sindicum translatum est.*
4. *Consiliarii non possunt eorum arbitrio sindicos creare, sed debent servare statutum, si adsit, vel consuetudinem, non autem jus commune.*
5. *Cessante statuto particulari vel consuetudine, servandum est jus commune, quod multas exigit solemnitates.*
6. *Primo requiritur ut omnes et singuli de consilio et qui solent convenire, convocentur per sonum campanae, vel per nuncium, aut aliter prout consuetum est.*
7. *Si convocentur per nuncium, debet constare de commissione illi data de citando singulos.*
8. *Si fuerint citati sono tubae, debet constare quod praeconi id fuerit demandatum.*
9. *Secundo requiritur quod citentur singuli qui intervenire solent, etiam ii qui moram trahunt in suburbiis, et parum distant a loco ubi fieri debet congregatio.*
10. *Si distent a dicto loco non sunt citandi,*
11. *Declaratio.*
12. *Si nuncius omiserit vocare aliquos non infringitur electio sindici nisi illi qui non fuerunt vocati, vel etiam unus ex eis reclamaret.*
13. *Explicatur quare tunc electio sit nulla.*
14. *Tertio requiritur, ut omnes congregentur in eodem loco et eodem tempore.*
15. *Quando hoc procedat.*

1. Circa electionem et creationem sindici praeseiendum est quod antiquitus jus eligendi et creandi sindicum universitatum residebat poenes decuriones, *L. nulli, et ibi scribentes notant ff quod cujusq. univers. nomin.*

2. Cum autem in locum decurionum fuerint suffecti et subrogati consiliarii, *Gloss. in rubr. et in L. 2 cod. de Decurion. lib.* 10, *Gloss. et DD. in d. L. nulli*, *Corneus cons.* 177 *n.* 7 *lib.* 2.

« Consilium generale reprehesentat totam civitatem vel universitatem, « *Rot. decis.* 413 *n.* 10 *part.* 5 *tom.* 1 *et decis.* 62 *n.* 3 *part.* 14 *Recent.*

« Et consilium particulare repschesentat totum populum in omnibus « actis etiam arduis, si consilium generale non adest, *Rot. decis.* 164 *n.* 3 « *part.* 17 *Recent.*

« Ex quo autem facultas creandi sindicos in consiliarios fuit translata, « ut per *Ludov. Cencium* hic firmatur, hinc patet quod soli jurati, con-

« sules vel priores alicujus universitatis illius sindicum creare minime va-
« lent, atque illorum tantum mandatum ipsi non tribuit potestatem quod
« cum eo nomine universitatis agatur, ut firmat *Peguera decis.* 152 *n.* 1
« *et seqq.* ubi plures rationes adducit.

« Est tamen advertendum posse contingere quod sindicus recte pro
« universitate agere valeat, licet non sit creatus a consiliariis, puta si pro-
« curator qui nomine universitatis agit constitutus esset ex lege, idest ex
« consuetudine, prout accidit quando consuetudo est ut agat antiquior vel
« quod agant jurati vel consules, et id quod per eos actum est censetur
« nomine totius universitatis actum, quo casu consuetudo uti vim legis
« obtinens est dubio procul servanda, *Peguera d. decis.* 152 *n.* 4.

3. Facultas et jus illud creandi sindicum ad ipsos consiliarios non autem ad priores et antianos civitatum et locorum translatum est, ut bene deducit, *Alexand. cons.* 40 *n.* 1 *lib.* 4, *Bartol. in L.* 1 *n.* 10 *et in L. procuratores cod. de decurion. lib.* 10, *Alex. Trentacinque cons.* 62 *n.* 2 *vers. et istae duae partes lib.* 1.

4. Isti autem consiliarii non possunt eorum arbitrio et ex ipsorum mera et simplici voluntate sindicos eligere et creare, sed si in civitate et loco in quo sindicus eligendus est vigeat particulare statutum dans formam dictae electioni, vel si non adest statutum extat consuetudo, illud vel illa servanda est, non autem jus commune, *Leg. item eorum in princ., et ibi Gloss. ff quod cujusq. universit. nom., Baldus in L. nulli in* 1.° *notabilium ff eod. tit., Rol. cons.* 90 *n.* 18 *et* 52 *lib.* 1, *Franciscus Marci decis.* 78 *n.* 2 *et decis.* 782 *n.* 3 *part.* 1, *Burs. cons.* 294 *n.* 24 *lib.* 3.

5. Cessante autem statuto particulari vel consuetudine servandum est jus commune secundum quod multae solemnitates copulative adhibendae sunt.

6. Primo itaque requiritur ut omnes et singuli de consilio et qui solent convenire convocentur per sonum campanae, vel per nuncium, vel aliter prout consuetum est in loco, *L.* 2, *et ibi Gloss. cod. de decurion. lib.* 10, *Bald. in d. L. nulli in* 2.° *notabil., et ibi alii, Burs. cons.* 159 *n.* 5 *et* 12 *lib.* 2, *Rol. d. cons.* 90 *n.* 3, 17 *et* 18 *lib.* 1, *Corn. cons.* 177 *n.* 8 *lib.* 2, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defectu inabilit. seu mandat. n.* 150 *vers. si constituens, Nicolaus Festatius de aestimo et collectis part.* 2 *cap.* 2 *n.* 23, *Alex. Trentacinque d. cons.* 62 *n.* 1 *lib.* 1, *et variar. resolut. lib.* 1 *in tit. quod cujusq. universit. nomin. resolut.* 1 *n.* 9.

7. Si autem sit solitum ut consiliarii convocentur per nuncium debet constare de commissione illi data de citando singulos, *Rol. d. cons.* 90 *n.* 22, *Bursatt. d. cons.* 159 *n.* 12, *Trentacinq. d. resol.* 1 *n.* 9 *post princ.*

8. Prout etiam si fuerint citati sono tubae, debet constare quod praeconi id fuerit demandatum, *Bartol. in L. observare n.* 5 *cod. de decurion. lib.* 10, *Antonius Capycius decis.* 4 *n.* 3, *Angel. Aret. in* § *fin. n.* 16

instit. de curat. quem sequitur *Purpur. cons.* 184 *n.* 3 *ad fin. vers. et pro hoc facit lib.* 1.

9. Secundo requiritur quod citentur singuli qui intervenire solent, etiam si qui moram trahunt in suburbiis, et parum distant a loco, ubi fieri debet congregatio, *Fridericus De Senis cons.* 288 *n.* 2, *Roman. cons.* 454 *n.* 6 *cum seqq.*

10. Secus autem si distent a dicto loco, illi enim non sunt citandi, *Frideric. De Senis d. n.* 2, *Festas. d. cap.* 2 *num.* 37, ubi plures allegat et testatur de communi, quibus addi potest *Castrens. in d. L. nulli n.* 8 *vers. sed si aliqui ff quod cujusq. universit. nom., Cappa. d. decis.* 4 *n.* 3, *Trentacinq. d. resol.* 1 *n.* 2.

11. Qui vero ... *declaratur haec opinio*, refert aliquot casus in quibus sunt vocandi etiam absentes inter quos unus est, si agendum sit de re ardua et ponderosa in cujus explicatione juxta aliquos a quorum tamen opinione ipse recedit in *vers. ... haec ratio*, affirmans contra illos, communiter a scribentibus teneri cum limitatione tamen, ut non procedat quoad ea quae tenderent in praejudicium absentium, sive abeant ex causa necessaria tam justa quam injusta, sive abeant ex propria voluntate, ut ipse latius prosequitur.

12. Si autem non fuerint vocati singuli, sed nuncius omiserit vocare aliquos, non propterea infringitur electio sindici, nisi quando illi qui non fuerunt vocati reclamarent: illis enim, vel etiam uno ex illis dumtaxat reclamante et instante ut electio sindici declaretur nulla ob eorum vel ipsius contemptum, quamvis alii huic instantiae se opponerent, actus et electio sindici redditur nulla, quia in similibus plus nocet contemptus unius quam contumacia multorum, *Cap. quod sicut extr. de elect.*, *Frideric. De Senis d. cons.* 288 *n.* 2 *et cons.* 214 *ad fin.*, *Calderin. cons.* 11 *in fin. sub. tit. de jurepatron.*, *Abb. Panorm. in cap.* 1 *in fin. extr. de sindic.*, *Purpur. cons.* 184 *n.* 2, *Rot. cor. Crescent. decis.* 6 *de procur. n.* 2, *Trentacinq. d. resol.* 1 *n.* 9 *in fin.*

13. Si enim isti fuissent vocati, venissent, et forte fuissent in contraria sententia et potuissent trahere alios in suam sententiam, *L. si in tres ff de arbitr.*, *L. et suum haeredem* § *fin. ff de pact.*, *Bart. in L. observare n.* 4 *cod. de decur. lib.* 10, cum aliis apud *Bursat. d. cons.* 159 *n.* 6 *lib.* 2.

14. Tertio requiritur ut omnes congregentur in eodem loco et eodem tempore, alias electio et creatio sindici facta per plures diverso tempore vel in diversis locis congregatos non valet, *Bald. in L. per fundum in vers. sed pone ff de servitut. rustic. praed.*, *Celsus Hugo cons.* 106 *n.* 4 *et* 14 *vers. quandoquidem.*

« Ut sustineatur mandatum ab universitate factum requiritur ut in-
« terveniant duae partes ex tribus, praecedente campanae sono, congre-

« gatae, *Rot. decis.* 692 *n.* 6 *part.* 2 *Recent.*, quod etiam adnotatur *cap.* 8 « *ad n.* 1.

« Atque hic est etiam notandum quod mandatum factum a Monacis « capitulariter non congregatis non reputatur de jure sufficiens, *Rot. dec.* « 227 *n.* 9 *part.* 15 *Recent.*

« Dicitur autem capitulariter factum si in eo legantur nomina singu- « lorum de capitulo ad sonum campanae vocatorum, *Rot. decis.* 709 *n.* 1 « *part.* 4 *tom.* 3 *Recent.*

15. Hoc tamen procedit quando negocium ad quod peragendum creatur sindicus pertinet ad plures tamquam ad universos, secus autem si pertineat ad plures tamquam singulos; quia tunc possunt consentire diversis temporibus et in diversis locis, ut animadvertit *Castrens. in d. L. nulli n.* 7 *ff quod cujusq. universit. nom.*

« Sindicus ab universitate electus non potest officium recusare, *Conciol.* « *ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rub.* 25 *n.* 1.

« Iste tamen, licet coactus, non ideo excusatur a praestatione fidejus- « sionis ad favorem universitatis, ita ut si cautionem non praestiterit te- « neantur electores ad omnia damna, quae ex mala illius administratione « provenirent, *Conciol. ibid. n.* 2.

« Ubi vero ab universitate plures sindici reperiuntur constituti, cen- « sentur in solidum electi, licet in instrumento id non fuerit expressum, « *Romaguer. post Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rub.* 25 *n.* 19.

CAPUT VIII.

IN ELECTIONE SINDICI AN OMNES CONSILIARII INTERVENIRE DEBEANT.

SUMMARIUM

1. *In creatione sindici satis est quod accedant duae partes ex tribus consiliariorum.*
2. *Istae duae partes debent intervenire personaliter, et non per interpositam personam, nisi collegialiter daretur facultas comparendi per substitutum.*
3. *Non sufficit quod interveniat minor pars cum cautione de rato pro absentibus.*
4. *Pars minor quae promisit de rato pro absentibus potest conveniri pro habenda ratificatione.*
5. *Quomodo id procedat.*

6. *Item quomodo id procedat.*
7. *Sufficit interventus duarum partium de tribus consiliariorum, etiam quando in consilio ageretur de creando sindico ad alienandum bona universitatis.*
8. *Sufficit quod major pars praesentium in unum conveniat.*
9. *Universitas quando fuit convocata auctoritate superioris ad aliquem certum actum explicandum non est necesse ut conveniant duae partes ex tribus vocatorum.*
10. *Quando ageretur de explicando actu qui ex forma statuti vel alias esset explicandus ab hominibus concorditer, tunc non sufficerent duae partes ex tribus, sed omnes deberent concurrere.*
11. *Nisi actus ob imminentem necessitatem a minori parte expediri necesse sit.*
12. *Quod in electione sindici intervenerint duae partes ex tribus creditur notario id asseveranter et explicite attestanti.*
13. *Multo magis si notarius enumeratis pluribus consiliariis in instrumento sindicatus dicat « qui in tali loco congregati constituerunt sindicum et procuratorem ».*
14. *Licet probaretur eo tempore non fuisse ibi praesentes duas partes ex tribus.*
15. *Sindicus quando creatur ad defendendum jura universitatis, substinetur mandatum etiam factum ab uno tantum de universitate.*
16. *Universitas utitur jure minoris.*
17. *Gesta cum procuratore minoris minus legitimo, valent ad illius defensionem.*
18. *Gesta cum sindico universitatis non legitime creato, pro illius defensione valere et substineri debent.*
19. *Consiliarii quando accesserunt vocati, sed nolunt reddere votum, si non contradicant, habentur perinde ac si votum affirmativum reddidissent.*
20. *Nisi fuerint congregati ad aliquid peragendum quod requirat consensum expressum.*
21. *Vel nisi illis fuerit data dilatio ad respondendum deliberate, vel taceant ob timorem etiam reverentialem.*
22. *Quando pars consiliariorum recedit ante completum negocium an possint ii qui remanent expediri, atque actum explicare.*
23. *Primus distinguitur casus.*
24. *Secundus distinguitur casus.*
25. *Tertius casus distinguitur.*

Prosequendo materiam requisitorum in electione sindici, discutiendum est an in creatione sindici universitatis; quemadmodum sunt vocandi omnes et singuli consiliarii, ita etiam sit necesse ut omnes et singuli conveniant in eumdem locum et eodem tempore; quod pro quarto requisito considerant interpretes.

1. In qua dubitatione licet aliqui sint in sententia, quod cum consiliarii convocentur ex propria eorum voluntate, non autem ob imminentem necessitatem, nec ob utilitatem universitatis debeant omnes intervenire, *Burs.*, qui multos allegat, *cons.* 159 *n.* 8 *et seqq. lib.* 1, contraria tamen opinio obtinuit, ut non sit necesse ut omnes conveniant, sed satis sit quod accedant duae partes ex tribus ipsorum consiliariorum penes quos residet facultas creandi sindicum, *L. nulli* § *plane ff quod cujusq. universit. nomin.*, *L. nominationum cod. de decurion. lib.* 10, *cap. cum omnes et ibi scribentes extr. de constit.*, *Rol. cons.* 53 *n.* 31 *lib.* 4, *Burs. d. cons.* 159 *n.* 10, *Festas. de aestim. et collect. part.* 2 *cap.* 2 *n.* 19, *Corn. cons.* 177 *n.* 8 *lib.* 2, *Caephalus cons.* 176 *n.* 46 *lib.* 2, *Alexand. Trentacinq. cons.* 62 *n.* 2 *lib.* 1, *Rot. decis.* 692 *n.* 6 *part.* 2 *Recent.*

« Ut sustineatur mandatum ab universitate factum requiritur ut in-
« terveniant duae partes ex tribus, praecedente campanae sono, congregatae,
« *Rot. decis.* 692 *n.* 6 *part.* 2 *Recent.*, quod etiam adnotatur *cap. VII*
« *ad num.* 14.

« Factum vero a deputatis universitatis, ut afficiat universitatem ne-
« cessarium est quod sit deputatis specialiter ab universitate demandatum,
« *Rot. decis.* 83 *n.* 17 *et* 18 *part.* 10 *Recent.*

2. Istae duae partes debent intervenire personaliter et non per interpositam personam, nisi collegialiter daretur facultas et commissio formalis comparendi per substitutum, *Felin. in cap. cum omnes n.* 49 *extr. de constitut.*

3. Neque sufficit quod interveniat minor pars cum cautione de rato pro absentibus;

4. Quia licet dicta pars minor quae promisit de rato pro absentibus possit conveniri pro habenda ratificatione, attamen illa etiam sequuta, mandatum et sindicatus non convalesceret, *Bald. in addit. ad Specul. in tit. de sindic. vers. minor pars*, *Decian. cons.* 65 *n.* 37 *lib.* 5, *Bursat. d. cons.* 159 *n.* 18, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullitat. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 150 *vers. et est notandum.*

5. Nec obstat ratio supra in contrarium allegata, quoniam illa procedit quando non praecessit vocatio per modum solitum et consuetum, secus autem si praecessit hujusmodi vocatio, tunc enim sufficit quod conveniat major pars, et ita respondet *Caephal. cons.* 176 *n.* 43 *lib.* 2, et sentit idem

Burs. d. cons. 159 *ad fin.* in illis verbis, *dum ergo nec omnes vocati sint*, et non obscure *Capyc. decis.* 4 *n.* 3.

6. Vel potest responderi ex mente *Felini in cap. cum omnes n.* 28, *in primo: fallent extr. de constitut.*, quod etiam gesta per majorem partem, in actu mere voluntario, valeant et teneant, nisi a minori parte ostendatur de irrationabilitate gestorum, vel nisi minor pars appellaverit, *per tex. in cap.* 1 *extr. de his quae fiunt a majori parte capit.*, et sequitur *Capyc. d. decis.* 4 *n.* 7 *et* 8, et proinde in casu proposito erit necessarius concursus omnium, si ii qui non intervenerunt appellaverint et docuerint de irrationabilitate gestorum.

7. Stat igitur conclusio in hoc quarto requisito, quod in creatione sindici sufficiat interventus duarum partium de tribus consiliariorum, quae ampliatur, ut procedat etiam quando in consilio ageretur de creando sindico ad alienandum bona universitatis, *L. nulli ff quod cujusq. universit. nom.*, *Rol. cons.* 90 *n.* 19 *lib.* 1 qui multos alios citat.

8. Sufficit tamen quod major pars praesentium in unum conveniat, *Gloss. in d. L. nulli, et ibi scribentes, Gloss. et Abb. in cap. cum inter, et in cap. cum nobis extr. de elect., Franc. Marci decis.* 785 *n.* 5 *par.* 1, *Natta cons.* 168 *n.* 7 *lib.* 1, qui testatur de communi, *Festasius d. par.* 2 *cap.* 2 *n.* 21, qui multos cumulat idem tenentes, et videtur fuisse de mente *Castrens. d. L. nulli n.* 8.

9. Haec autem conclusio, ut supra firmata, recipit nonnullas restrictiones et limitationes quarum una est, ut quando universitas fuit convocata auctoritate superioris ad aliquem certum actum explicandum, non sit necesse ut conveniant duae partes ex tribus vocatorum, sed actus ille potest explicari per eos dumtaxat qui venerunt et sunt praesentes, quamvis non constituant duas partes de tribus vocatorum, *Natta cons.* 1 *n.* 4 *et cons.* 168 *n.* 7 *lib.* 1, *Cravet. cons.* 886 *n.* 9 *lib.* 5, et multorum auctoritate firmat, *Trentacinq. variar. resolut. lib.* 1 *in tit. quod cujusq. universit. nom. resolut.* 1 *n.* 3 *vers. et cum haec opinio, et infra*, qui hanc limitationem explicat *n.* 7 *vers. secundus.*

« Si sit convocatum consilium mediante solito signo, et expectatis ab-
« sentibus in loco congruo, ad horam solitam dicitur esse legitimum, *Rot.*
« *decis.* 164 *n.* 7 *par.* 17 *Recent.*

« Quia praesentium consiliariorum est potestas, ubi alii voluntarie ab-
« sunt, *Rot. d. decis.* 164 *n.* 8 *par.* 17 *Recent.*

10. Secundo loco limitatur ut non procedat, quando ageretur de explicando actu, qui ex forma statuti vel alias esset explicandus ab hominibus concorditer, quia tunc non sufficerent duae partes ex tribus, sed omnes deberent concurrere, alias non posset dici quod actus ille esset explicatus ab hominibus universitatis concorditer, *cap. in causis extr. de elect.*, indu-

cendo illud, ut per *Alex. cons.* 124 *n.* 2 *lib.* 2, et per *Rom. cons.* 512 *n.* 11 *ad fin. vers. est etiam notandum*, qui eamdem opinionem firmant etiam auctoritate *Gloss. in cap. cupientes* § *ad haec in verbo concorditer de elect. in* 6, quam etiam allegat amplectens sententiam eamdem, *Jas. in L. de fideicommisso n.* 5 *vers. tamen veritas est, et n.* 6 *cod. de transact.* et benefacit *Rot. cor. Seraph. decis.* 708 *n.* 1, sequitur *Festas. d. cap.* 2 *n.* 32.

11. Ubi sublimitat, nisi actus ob imminentem necessitatem a minori parte expediri necesse sit, quo casu firmitatem, ac robur habiturus esset ex *Crav. cons.* 195 *n.* 10.

12. Quod autem in electione sindici intervenerint duae partes ex tribus creditur notario id asseveranter et explicite attestanti, secus si id simpliciter enunciet referendo se ad aliorum assertionem, *Socin. Sen. cons.* 95 *n.* 5 *lib.* 3 *et cons.* 52 *n.* 4 *lib.* 4 quem sequitur *Roland. cons.* 90 *n.* 37 *et seq. lib.* 1.

13. Multoque magis si notarius enumeratis pluribus consiliariis instrumento sindicatus dicat: qui in tali loco congregati constituerunt sindicum et procuratorem, *Rot.*, loquens de procuratore constituto a capitulo canonicorum, *cor. Achille De Grassis decis.* 291 *quae est* 2 *in tit. de his quae fiunt a majori parte capit.*

14. Et licet probaretur eo tempore non fuisse ibi praesentes duas partes ex tribus, stante tamen dicta descriptione nominum, credendum esse quod fuerint vocati omnes sed non venisse, dixit *Rot. d. decis.* 291 *n.* 3; etiam quod non fuerit dictum, quod sindicus fuerit creatus a canonicis capitulariter congregatis, *Rot. ibid. n.* 2.

15. Hoc autem requisitum non esse necessarium quando creatur sindicus ad defendendum jura universitatis, sed eo casu substineri mandatum etiam factum ab uno tantum de universitate, dixit *Specul. in tit. de sindic. n.* 1 *vers. tamen ad defendendum*, qui licet loquatur de sindico creato ad defendendum res ecclesiae, *Rot.* tamen *cor. Crescent. decis.* 117 *quae est* 6 *de procurat. n.* 4, trahit ad sindicum universitatis laicorum ad defendendum bona dictae universitatis.

16. Et eadem *Rot. ibi n.* 5 comprobat hoc ipsum ea ratione, quia universitas utitur jure minoris, *L. respublica cod. ex quibus caus. major*, *Rim. Sen. cons.* 430 *n.* 17 *lib.* 3, *Rot. cor. Seraph. decis.* 1028. *n.* 4.

« Universitas utitur jure minoris et pupilli, *Actolin. resol.* 11 *n.* 10.

« Quapropter sicuti minoris obligatio, absque solemnitatibus facta non « sustinetur, etiam ubi una tantum fuisset omissa, eique adversus male « alienata competit remedium reintegrandae; ita idem pariter remedium « competit universitati, quae se minus solemniter obligavit, *Actolin. d. re-* « *solut.* 11 *n.* 11 *et seqq.*

« Civitates atque universitates jure minorum gaudent, *Romaguer. post* « *Conciol. ad statut. Eugubi lib.* 1 *rub.* 25. *n.* 16.

« Haud tamen est necesse ipsis providere de legitimo defensore pro « causis contra eas introductis, neque in judicio est dandus curator, prout « dari debet minoribus, *Romaguer. ibid. n.* 17.

17. Et propterea sicut gesta cum procuratore minoris, minus legitimo, valent ad illius defensionem, *L. non eo minus cod. de procurat.*,

18. Eodem modo gesta cum sindico universitatis, non legitime creato pro illius defensione, valere et substineri debent.

19. Ceterum non incongrua circa hoc requisitum oritur dubitatio; quid si more solito fuerint vocati omnes consiliarii, sed illorum pars, vel nolit reddere votum, vel recedat ante perfectum negocium, an sindicus creari possit per votantes, et votum reddentes, vel per remanentes, licet non sint duae partes ex tribus: et quoad primam partem dubii, quando accesserunt vocati sed nolunt reddere votum, si non contradicant, habentur perinde ac si votum affirmativum reddidissent, ut multorum auctoritate firmat *Felin. in cap.* 2 *n.* 2 *extr. de major. et obed.*

20. Nisi fuerint congregati et vocati ad aliquid peragendum, quod requirat consensum expressum, ut in alienatione rei ecclesiae, tunc enim non sufficeret taciturnitas, et subjungit ibi *Felin. d. n.* 2 *ad fin. et in cap. cum omnes extr. de constit. n.* 18.

21. Quae similiter non sufficeret, si illis fuerit data dilatio ad perpendendum deliberate, vel taceant ob timorem etiam reverentialem, ut per *Felin. d. n.* 18.

22. Quo vero ad secundam partem dubii, quando pars consiliariorum recedit ante completum negocium, *Alex. Trentacinque variar. resolut. lib.* 1 *in tit. quod cujusq. universit. nom. resolut.* 1, constituit tres casus distinctos et separatos.

23. Primus est quando non obstante recessu aliquorum, remanet tamen major pars consiliariorum, licet non constituant duas partes ex tribus; et eo casu concludit actum per remanentes posse expediri, ex quo cum omnes venissent, standum est judicio majoris partis eorum qui remanserunt, quatenus velint negocium expedire, ut per *Trentacinq. ibi n.* 6.

24. Secundus casus est, quando recedit minor pars, sed remanent duae partes ex tribus, in quo similiter concludit, *n.* 4, quod remanentes possint actum explicare, auctoritate *Abb.* et aliorum ab ipso allegatorum, quia perinde est ac si tertia pars vocata tamen non venisset.

25. Tertius casus est, quando pars remanens non constituit duas partes, nec majorem partem vocatorum, et, *ibid. n.* 5, concludit post multos quos citat, quod pars illa remanens non possit actum explicare.

CAPUT IX.

IN INSTRUMENTO SINDICATUS AN SIT NECESSARIUM EXPRIMERE NOMINA SINGULORUM CONSILIARIORUM.

SUMMARIUM

1. *In instrumento sindicatus non sufficit si dicatur simpliciter quod intervenit major pars, nisi exprimatur quod interveneruntdue partes ex tribus universitatis.*
2. *In eodem instrumento debent describi nomina singulorum de universitate qui in creatione sindici interveneruntalias creatio est invalida.*
3. *Contraria opinio, quod hujusmodi expressio nominum non sit necessaria.*
4. *Quando creandus est sindicus ad peragendum aliquid arduum et ponderosum, puta ad vendendum bona universitatis, est necessaria descriptio nominum singulorum qui fuerunt praesentes electioni sindici.*
5. *Tunc etiam nomina contradicentium debent describi.*
6. *Necessitas ista cessaret ubi vota solent reddi secreto.*
7. *Debent exprimi bona quae alienari debent cum illorum qualitatibus et demonstrationibus.*
8. *Universitatum triplex differentia.*
9. *Sindicus si sit creandus ab universitate maxima et ampla quae constituitur ab universo populo universaliter congregato, non est necesse ut singulorum nomina describantur in instrumento.*
10. *Secus si ageretur de obligando non solum universitatem, sed etiam singulas illius personas.*
11. *Si universitas a qua sindicus creatur sit parva, vel sit consilium, in quo ex forma statuti, vel ex consuetudine solet intervenire certus numerus consiliariorum, necesse est ut singulorum nomina describantur.*
12. *In instrumento quod conficitur super electione sindici facta a capitulo canonicorum, debent exprimi nomina singulorum canonicorum, vel dicere quod omnes canonici constituerunt sindicum.*
13. *In mandato facto a canonicis non requiritur expressio nominum singulorum canonicorum qui interfuerunt.*

14. *Quomodo intelligatur.*
15. *Item quomodo intelligatur.*
16. *Item quomodo intelligatur.*
17. *Consuetudo in constitutione sindici servari debet.*
18. *Quando mandatum substineatur factum etiam ab uno solo canonico.*

1. Quoniam ex multorum DD. sententia, in instrumento sindicatus requiritur non solum quod in eo exprimatur, quod in dicto consilio congregato pro creando sindico, intervenerunt duae partes ex tribus hominum ad dictum effectum vocatorum, ut dictum fuit capite praecedenti, addendo insuper illa verba, qui reprehesentant totam universitatem, *Burs. cons.* 159 *n.* 14 *lib.* 2, ita ut non sufficiat, si in dicto instrumento diceretur simpliciter, quod intervenit major pars, nisi exprimatur quod intervenerunt duae partes ex tribus universitatis, *Bart. in L.* 1 *n.* 5 *vers. et minor ff de alb. scriben.*, *Crav. cons.* 692 *n.* 19 *lib.* 4, *Purpur. cons.* 184 *n.* 2 *et infra lib.* 1, *Corn. cons.* 148 *n.* 2 *vers. idcirco lib.* 1, *Decian. cons.* 65 *n.* 34 *in fin. et n.* 35 *lib.* 5, *Bart. in L. fin. n.* 4 *cod. de praed. minor. lib.* 10.

2. Sed requiritur etiam quod in eodem instrumento exprimantur et describantur nomina singulorum de universitate qui in creatione sindici intervenerunt, alias creatio sit nulla et invalida, *DD. in cap.* 1 *extr. de sindic.*, *Cravet. d. cons.* 692 *n.* 18 *lib.* 4, *Decian. d. cons.* 65 *n.* 36, qui de communi, *Rol. cons.* 53 *n.* 31 *lib.* 4, *Corn. d. cons.* 148 *n.* 2, *Alex. Trentacinq. cons.* 62 *n.* 3 *lib* 2, *vide decis.* 447 *par.* 5 *Recent. tom.* 2.

3. Aliqui autem sunt in opinione quod hujusmodi expressio et descriptio nominum non sit necessaria, ut dicit *Alex. cons.* 1 *n.* 3 *lib.* 4, et colligitur *ex Bald. in L. civitas col.* 2 *vers. ecce quod civitas vel villa ff si certum petat.*, *Mynsinger. singular. observat. centur.* 3 *observ.* 18 *in princ.*, ideo pro resolutione hujus articuli operae pretium esse duxi, ut constituamus duos casus.

4. Primus est quando creandus est sindicus ad peragendum aliquid arduum et ponderosum, puta ad vendendum bona universitatis, et hoc casu est necessaria ista expressio et descriptio nominum singulorum, qui fuerunt praesentes electioni sindici, *Bart. in L.* 1 *n.* 5 *circa princ. ff de alb. scrib.*, *Alex. d. cons.* 1 *n.* 3 *lib.* 4, *Capyc. decis.* 4 *n.* 4, *Bald. in d. L. civitas col.* 2 *vers. alii dicunt quod in fin.*, *Rol. cons.* 90 *n.* 21 *et* 55 *lib.* 1, *Joannes Crottus cons.* 20 *n.* 11 *vers. secundae lib.* 1, *Crav. cons.* 546 *n.* 1 *et cons.* 652 *n.* 3 *vers. tertio lib.* 4, *Alex. Trentacinq. d. cons.* 62 *n.* 3 *vers. praecipue lib.* 1 *et variar. resolut. lib.* 1 *in tit. quod cujusq. universit. nomin. resolut.* 1 *n.* 10 *vers. haec conclusio.*

5. Immo tunc non solum sunt describenda nomina singulorum consiliariorum qui intervenerunt in electione sindici, sed etiam nomina contradicentium, cum alias non posset apparere an convenientes constituant majorem partem, ut considerat *Celsus Hugo cons.* 106 *n.* 14.

6. Haec tamen necessitas specificandi nomina eorum qui contradixerunt cessaret, ubi vota solent reddi secreto per fabas albas et nigras, tunc enim ex dinumeratione fabarum albarum et nigrarum potest clarissime apparere numerus consentientium et dissentientium, et proinde cognosci in quam partem major pars consiliariorum inclinaverit.

7. Hoc etiam casu non solum sunt in instrumento describenda nomina votantium, sed sunt exprimenda bona quae alienari debent cum eorum qualitatibus et demonstrationibus; nec sufficeret quod in instrumento sindicatus daretur simpliciter et indefinite sindico facultas vendendi, *Bald. in rubr. de contr. empt. in* 3 *quaest.* 3, *Dec. cons.* 14 *n.* 8, *Rol. d. cons.* 90 *n.* 28 *lib.* 1, *Crav. d. cons.* 652 *n.* 3 *vers. quarto.*

8. Secundus casus principalis est, quando agitur de creando sindico ad lites vel alia negocia non adeo ardua, et tunc licet plerique ex DD. simpliciter et indistincte dicant non esse necessariam hanc nominum singulorum votantium expressionem, videtur tamen animadvertendum quod universitates sunt in triplici differentia, nam aliqua est maxima seu larga, aliqua est minus larga, aliqua vero est minima, ut considerat *Bart. in L.* 1 *in fin. ff de alb. scriben., Bald. in d. L. civitas ad finem lecturae vers. alii dicunt ff si cert. pet.*, et clare explicat *Burs. cons.* 159 *n.* 1 *et* 2 *lib.* 2 *et Cels. Hug. cons.* 106 *n.* 13.

9. Si sindicus sit creandus ab universitate maxima et ampla, quae constituitur ab universo populo universaliter congregato, tunc non est necesse ut singulorum nomina describantur in instrumento, sed sufficit quod in illo scribatur, quod fuerunt praesentes omnes, vel tot qui constituunt duas partes consiliariorum.

10. Secus si ageretur de obligando non solum universitatem, verum etiam singulas personas illius, quia tunc necessariam esse specificam descriptionem nominum dicit *Bald. d. vers. alii dicunt.*

11. Si autem sumus in universitate parva vel in consilio, in quo ex forma statuti vel ex consuetudine solet intervenire certus numerus consiliariorum, eo casu necesse est ut singulorum nomina describantur, et ita distinguit *Bart. in d. L.* 1 *n.* 5 *vers. quandoque tractatur ff de alb. scriben., Bald. in d. vers. alii dicunt, et in addit. ad Specul. in tit. de sindic. vers. si instrumentum sindicatus, Calcaneus cons.* 76 *n.* 18 *et* 19.

12. Et hinc in instrumento quod conficitur super electione sindici facta a capitulo canonicorum, debent exprimi et describi nomina singulorum canonicorum, vel dicere quod omnes canonici constituerunt sindicum,

quia capitulum conflatur ex certo canonicorum numero, et non sufficeret si diceretur, quod canonici constituerunt talem in eorum sindicum, nam illa vox pluralis, *canonici*, posset verificari in duobus tantum, unde non insurgeret probatio necessaria quod in dicta electione sindici interfuerit major pars canonicorum vel integrum capitulum, *Alex. cons.* 108 *n.* 14 *lib.* 2, *Crav. cons.* 33 *n.* 3 *lib.* 1, *Corn. cons.* 177 *n.* 8 *lib.* 2, *Mynsing. singular. observat. centur.* 3 *observat.* 18 *n.* 2 *et seq.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 337 *n.* 2, *Capyc. decis.* 4 *n.* 5, qui alios allegant.

« Quando agitur de constitutione procuratoris facienda a capitulo, fieri « debet convocatio de toto capitulo, cum superioris auctoritate, in loco « solito et capitulari ubi tot canonici debent intervenire qui faciant ma- « jorem partem capituli, *Thomat. decis.* 263 *n.* 23 *part.* 2;

« Alioquin mandatum non valet, nisi sint specificata nomina omnium « canonicorum constituentium, vel adsit in eo capituli signum, cum aliis « ut supra, *Thomat. d. decis.* 263 *n.* 24 *part.* 2.

13. Et licet in mandato facto a canonicis, quod non requiratur expressio nominum singulorum canonicorum qui interfuerunt videatur resolutum in *Rot. decis.* 1324 *lib.* 3 *part.* 3 *divers.* ubi fuit habitum pro sufficienti et legitimo mandato absque dicta nominum specificatione;

14. Ego tamen existimo, vel quod in instrumento fuerit dictum, quod capitulum constituebat procuratorem, exprimendo hoc nomen collectivum, ut videtur colligi ex eadem decisione in primis verbis: *Mandatum capituli ad lites:* quo casu non erat necessaria expressio nominum singulorum canonicorum, *Oldr. cons.* 100 *n.* 2, *Mynsing. d. observat.* 18 *n.* 1.

15. Vel quod in instrumento fuerit dictum quod omnes canonici constituerunt procuratorem, ut colligitur ex verbis ejusdem decisionis, *ibi*, et statur generalibus verbis, quod satis esse dicit, *Mynsing. d. observ.* 18 *n.* 3.

16. Vel forte posset dici, quod in casu dictae decisionis in constituendo sindico fuerit servata consuetudo dicti capituli.

17. Quam consuetudinem in sindici constitutione esse servandam, notat *Bald. in L. civitas col.* 3 *d. vers. alii dicunt ff si cert. petat.*, et nos dicemus infra.

18. Vel in casu dictae decisionis fuit constitutus procurator a canonicis ad defendendum in judicio jura capituli, quo casu substinetur mandatum factum etiam ab uno solo canonico, ut dictum fuit supra auctoritate *Rotae con. Crescen. decis.* 117 *n.* 4.

CAPUT X.

AD CONVOCANDUM CONSILIUM PRO CREANDO SINDICO AN REQUIRATUR SUPERIORIS AUCTORITAS.

SUMMARIUM.

1. *Pro validitate electionis sindici requiritur ut consilium convocetur auctoritate superioris loci.*
2. *Universitas convocanda quando non recognoscit superiorem, non est necessaria auctoritas potestatis loci seu magistratus, sed sufficit consilium dicti loci.*
3. *Consilium constituitur ex certo numero hominum qui totam universitatem et universum populum reprehesentit.*
4. *Quando debet congregari universitas loci recognoscentis superiorem non potest valide congregari nisi de auctoritate magistratus et potestatis loci.*
5. *Creatio sindici spectat ad consiliarios.*
6. *Facultas convocandi consilium est penes priorem consiliariorum, si adest, seu penes seniorem ceteros consiliariorum.*
7. *Antiquior dicitur non respectu aetatis, sed respectu receptionis in collegium.*
8. *Si agendum sit ab universitate congregianda de iis rebus, quae concernunt justitiam et actus judiciarios requiritur auctoritas magistratus et potestatis loci.*
9. *Universitas non habens consilium neque potestatem, sed ad convocanda pro constituendo consilio ad hoc, ut consiliarii congregentur et sindicum creent.*
10. *Populus si recusaret convocari, potest cogi ut creetur sindicus.*
11. *Praesidis aut potestatis loci auctoritas quando requiritur ad creandum sindicum, sufficit quod illa accedat ex intervallo.*

1. Inter alia quae pro validitate electionis et creationis sindici universitatis requiruntur, volunt aliqui esse necessarium ut consilium convocetur auctoritate superioris et potestatis loci, *Bald. in L. neque n. 4 cod. de procurat., Corn. cons.* 189 *n.* 5 *vers. quod autem lib.* 3, *Rol. cons.* 93 *sub n.* 3 *lib.* 1, *Burs. cons.* 159 *n.* 3 *lib.* 2, *Alex. Trentacinq. variar. resolut. lib.* 1 *in tit. quod cujusq. univers. nom. resol.* 1. *n.* 1: Verum quoniam circa hoc requisitum scribentes satis confuse locuti sunt

pro illius declaratione ex illorum dictis aliquot casus considerandos esse existimavi.

2. Primus sit, quando universitas loci non recognoscentis superiorem est convocanda, et hoc casu non est necessaria auctoritas potestatis loci et magistratus, quoniam potestas non est superior sed inferior, cum habeat jurisditionem ab ipso populo loci, sed sufficit consilium dicti loci, *Castrens. in L. nulli n.* 6 *vers. hrebisen dic ff quod cujusq. universit. nomin.*

3. Consilium autem conflatur et constituitur ex certo numero hominum qui totam universitatem et universum populum reprehesentat, *Castren. d. n.* 6 *in princ.*, *Crav.*, qui multos allegat, *cons.* 195 *n.* 8 *lib.* 2.

4. Secundus casus est, quando debet congregari universitas loci recognoscentis superiorem, et eo casu non potest valide congregari nisi de auctoritate magistratus et potestatis loci, quem locus ille recognoscit in superiorem, cum reprehesentet dominationem et supremum dominium, *Paul. De Castr. d. n.* 6 *vers. aut recognoscebat*, *Rimin. Jun. cons.* 81 *n.* 26 *lib.* 1, *Gratian. decis. March.* 93 *n.* 15 *vers. ultra quod.*

5. Verum licet convocatio consilii non possit fieri absque auctoritate potestatis loci, creatio tamen sindici spectat ad consiliarios, *Bart. in L. procuratores n.* 5 *Cod. de decurion. lib.* 10, *Castr. d. L. nulli n.* 6, *Alex. cons.* 40 *n.* 1 *lib.* 7.

6. Facultas autem et potestas convocandi consilium est penes priorem consiliariorum, si adest, sin minus poenes seniorem dictorum consiliariorum, ut *post Innocent. in cap.* 1 *n.* 1 *de minor. et obed.*, dicit *Bart. in L.* 1 *per illum text. ff. de alb. scriben.*, et repetit *in L. observare n.* 3 *eod. de decurion. lib.* 10, sequitur *Felin. in cap. cum omnes n.* 58 *extr. de constitut.*,

7. Ubi in versiculo « *et non intelligitur* » declarat quod antiquior dicitur non respectu aetatis sed respectu receptionis in collegium, per *Gloss. in cap.* 1 *in verb. antiquioribus de consuetud. lib.* 6.

8. Quod tamen intelligit *Paul. De Castro in* dicta *L. nulli n.* 6 *vers. sed contra praefata*, ut procedat quando est congreganda universitas ad pertractanda ea quae spectant ad administrationem bonorum universitatis et reipublicae, secus autem si agendum sit de iis rebus quae concernunt justitiam et actus judiciarios, quia tunc requiritur auctoritas magistratus et potestatis loci, ad quem spectant ea quae respiciunt jurisditionalia, *Innocent. in cap.* 1 *col.* 2 *extr. de procurat.*, *Bart. in L. actor n.* 8 *in fin. ff rem rat. haber.*, *Mandellus Albensis cons.* 186 *n.* 5 *lib.* 1, *Natta cons.* 142 *n.* 17 *lib.* 1.

9. Tertius casus quando est convocanda universitas in loco ubi non adest consilium neque potestas, et eo casu est convocanda tota universitas pro constituendo consilio, ad hoc ut consiliarii congregentur pro eligendo

et creando sindico, ut admonet *Bart. in d. L. observare n. 10 cod. de decurion. lib. 10.*

10. Et si populus recusaret convocari, quod cogi possit ut creetur sindicus dicit *Castr. in lib. 1 § quibus n. 2 ff quod cujusq. universit. nom.*, et dicetur infra capite sequenti in fine.

11. In casibus autem in quibus ad creandum sindicum requiritur auctoritas praesidis aut potestatis loci, sufficit quod illa accedat ex intervallo, et non est opus ut interveniat in ipso actu constitutionis sindici, *Bald. in L. si quis mihi bona § jussum vers. idem indusitur ff de acquir. haered.*, quem refert et sequitur *Soc. sen. cons. 15 n. 46 lib. 1 per text. in L. si quis cod. de decurion. lib. 10, et in L. 2 cod. de jur. fisc. eod. lib. 10, et in cap. cum exir. de jure patron.*

CAPUT XI.

PRO VALIDA SINDICI ELECTIONE AN SIT NECESSARIUM DECRETUM POTESTATIS LOCI.

SUMMARIUM

1. *Accursius sibi contrarius.*
2. *Salvatur a Paulo De Castro.*
3. *Convocatio consiliariorum quando fit ab antianis et prioribus loci in quo creandus est sindicus, requiritur decretum.*
4. *Populus fungitur vice pupilli.*
5. *Sindicus est tamquam actor.*
6. *Sindicus in jure saepius appellatur sub nomine actoris.*
7. *Si convocetur consilium in loco non recognoscente superiorem ad effectum constituendi sindicum, non requiritur decretum; contra vero in loco recognoscente superiorem.*
8. *Quando exigitur tale decretum sufficit licentia superioris loci de convocando universitatem pro eligendo sindico.*
9. *In licentia debet exprimi quid sit tractandum in adunantia.*
10. *Si ageretur de alienandis bonis universitatis esset necessarium decretum et non sufficeret licentia.*
11. *In mandato faciendo a capitulo canonicorum requiritur auctoritas sui praelati.*
12. *Etiam si agatur de bonis simpliciter et immediate spectantibus ad ipsum capitulum, quando agitur de negocio magno et gravi.*

13. *Civitas vel universitas si recuset convocare consilium ad effectum creandi sindicum cogi potest.*

14. *Qui vult agere contra universitatem sibi imputet, si non petat quod constituatur sindicus qui universitatem defendat.*

1. Convocato legitime consilio pro eligendo et creando sindico universitatis, dubitatur an pro illius validitate sit necessarium decretum superioris et potestatis loci, in qua dubitatione variae sunt opiniones et Accursius ipse fuit sibi contrarius; Nam *in L. nulli in verb. dedit ff quod cujusq. universit nom.*, censuit requiri; et non desunt qui hanc opinionem sequantur ut apud *Bart. in L. actor sub n.* 8 *in princ. ff rem rat. haber.*, et idem *Accursius in d. L. actor* tenuit partem negativam, quae similiter habet suos sequaces, ut apud *Bart. d. n.* 8.

2. *Paulus De Castro* vero in dicta *L. actor n.* 6 *vers. an autem requiratur*, salvando Accursium a dicta contrarietate ita distinguit:

3. Quod si fiat convocatio consiliariorum ab antianis et prioribus loci in quo creandus est sindicus, verior sit opinio affirmativa quod requiratur decretum, sicuti est necessarium quando tutor constituit actorem; vide *Virginium De Boccatiis ad consul. Aegidianum Gloss.* 6 *n.* 21 *vers. et Paul. De Castr. fol.* 103 *a tergo.*

4. Populus enim fungitur vice pupilli, *L.* 1 *et ibi Gloss. in verb. et praetor ff quod cujusq. univers. nom.*

5. Sindicus enim est tamquam actor.

6. Atque hinc in jure saepius appellatur sub nomine actoris, ut diximus supra *cap. VI*, et proinde in illius constitutione est necessarium decretum, *Gratian. decis. March.* 93 *n.* 15.

7. Si vero convocetur consilium in loco non recognoscente superiorem ad effectum constituendi sindicum, eo casu decretum non requiri, cum consilium sit loco superioris, et ejus vice fungatur quoad potestatem dicti loci, cum ab ipso consilio eligatur: secus autem in loco recognoscente superiorem, tunc enim non posse vocari et eligi sindicum absque decreto superioris dominantis deducit *Paul. de Castr. in d. L. nulli n.* 6, et similiter loquitur *Gratian. d. decis.* 93 *n.* 15 ut colligitur ex *vers. ultra quod.*

8. In casibus autem in quibus tale decretum exigitur sufficit licentia superioris loci de convocando universitatem pro eligendo sindico, ista enim licentia est loco decreti, *Rol. cons.* 90 *n.* 4 *lib.* 1, quia licet decretum requiratur ad effectum ut coadunatio et congregatio legitime convocari possit, non est tamen necessarium pro robore et efficacia gestorum et resolutorum in congregatione, late *Natta* pro communi *cons.* 142 *n.* 17

lib. 1, quem ita intelligit *Burs. cons.* 159 *n.* 4 *in fin. lib.* 1, *Mandel. Alb. cons.* 186 *n.* 1, et ante eos *Bart. in d. L. actor n.* 10 *ff rem rat. haber. argum.*, *L. solent ff de tutel.*

9. Quod tamen verum est dummodo in licentia exprimatur quid sit tractandum in dicta adunantia et congregatione, *Corn. cons.* 148 *n.* 4 *vers. et licet*, *Bart. lib.* 1, *Rol. d. cons.* 90 *n.* 50 *lib.* 1, *Burs. d. cons.* 159 *n.* 4.

10. Verum si ageretur de alienandis bonis universitatis esse necessarium decretum et non sufficere licentiam de congregando consilium dixit *Bart. in d. L. actor n.* 8 *post med. vers. non obstat*, *Corn. d. cons.* 148 *n.* 3 *vers. ideo in mandato lib.* 1.

11. In mandato autem faciendo a capitulo canonicorum requiritur auctoritas sui praelati, *Gloss. in can. quia episcopus* 5 *quaest.* 3, *et in cap. edoceri extr. de rescript.*, *et in cap. cum causam extr. de judic.*

12. Quod procedit etiam in concernentibus bona simpliciter et immediate spectantia ad mensam capitularem et ipsum capitulum, et poenitus divisa a bonis mensae episcopalis et ad episcopatum spectantibus, quando agitur de negocio magno et gravi, *Abb. in d. cap. edoceri in* 3 *et* 4 *quaest. extr. de rescript.*, *et in cap. cum causam in ult. notabil. extr. de judic.*, refert *Robertus Maranta cons.* 21 *n.* 2 *et* 3.

13. Coeterum si civitas vel universitas recuset convocare consilium ad effectum creandi sindicum, quod posset cogi dixit *Bald. in L. civitates in* 2 *lectur. ff quod cujusq. univers. nom. per text. in L.* 3 § *ut* .... *ff de fideicomm. libert. et alia jura*, et non obscure sensit *Bart. in L.* 1 *n.* 4 *cod. de jur. reipub. lib.* 11,

14. Ubi dicit, quod qui vult agere contra universitatem, sibi imputet si non petat quod constituatur sindicus qui universitatem defendat, et fuit dictum *Cap. praecedenti ad fin. n.* 10 *vers. et si populus*, *et Paul. De Castr. in L.* 1 § *quibus n.* 2 *ff quod cujusq. univers. nom.*

CAPUT XII.

DE SINDICI POTESTATE.

SUMMARIUM

1. *Sindicus habet generalem administrationem bonorum et causarum universitatis a qua constituitur.*
2. *Sindicus aequiparatur tutori.*
3. *Si creentur plures sindici censetur illis data potestas in solidum.*
4. *Plures procuratores particularium personarum non censentur constituti in solidum nisi hoc expresse dicatur in instrumento mandati.*

5. *Limitatur conclusio supra firmata n. 3.*
6. *Sindicus habet mandatum cum libera administratione, quamvis in instrumento sindicatus hoc non sit expressum.*
7. *Mandatum cum libera administratione aequipollet mandato speciali.*
8. *Sindici cum censeantur habere mandatum cum libera administratione possunt explicare ea quae requirunt mandatum speciale.*
9. *Secus procedit in sindico alicujus capituli vel collegii, qui propterea non censetur habere facultatem transigendi.*
10. *Sindici universitatum possunt compromittere causas eorum universitatis.*
11. *Possunt transigere super re dubia.*
12. *Sindicus circa judicialia habet plenam administrationem, tam active quam passive.*
13. *Etiam in causis criminalibus.*
14. *Universitas quae non habet caput nec personam, non potest in persona damnari.*
15. *In causis universitatum debet citari sindicus.*
16. *Citationes et intimationes factae sindico afficiunt universitatem.*
17. *Intimatio facta agentibus relevat.*
18. *Sindicus potest comparere nomine suae universitatis tam coram judice ecclesiastico, quam seculari pro consequendo legato facto pro construenda vel ornanda Ecclesia.*
19. *Potest jurare de calumnia absque speciali mandato.*
20. *Sindicus universitatis potest petere restitutionem in integrum pro sua universitate, secus vero sindicus capituli vel collegii.*
21. *Ratio disparitatis redditur.*
22. *Sindicus ut possit petere restitutionem in integrum, debet esse creatus ad universitatem causarum.*
23. *Sindicus ratione praejudicii quod universitas posset sentire, non potest respondere positionibus adversarii.*
24. *Non potest obiicere crimina contra officiales, nisi in instrumento sindicatus data illi fuerit hujusmodi facultas, cum expressione personae, contra quam crimina sunt obiicienda, ac etiam criminis quod obiici debet.*
25. *Neque potest subtrahere suam universitatem a subjectione unius domini, et illam subiicere jurisditioni alterius.*
26. *Nec facere ea ex quibus universitas posset in poenam incidere.*
27. *Nec potest se intromittere in reservatis principi.*
28. *Principi reservata numquam per generalem concessionem censentur concessa.*

29. *Neque potest se perperam ingerere circa solutionem aeris alieni communitatis.*
30. *Sindicus non potest solvendo bonam fidem agnoscere sine judicis mandato.*
31. *Quod procedit in magnis, non vero in modicis summis.*
32. *Si solvat rerum debitum etiam de mandato judicis, cavere debet ut reportet quietantiam per publicum instrumentum.*
33. *Sindicus vigore sui mandati generalis non potest praejudicare universitati alienando illius bona.*
34. *Contraria opinio* Gloss. in L. procuratorem in verb. specialiter, C. de procurat.
35. *Sindicus non potest debitum liquidum gratis remittere.*
36. *Neque liberare debitorem per acceptilationem.*
37. *Nec remittere exceptionem peremptoriam.*
38. *Non potest praestare vel petere homagium, vel investituram, nec subire vel referre juramentum fidelitatis,*
39. *Nec etiam concedere alicui licentiam aedificandi in loco et solo universitatis.*
40. *Judicium cum eo inchoari non potest.*
41. *In principio causae, si citatus comparent, valet citatio et processus cum eo fabricatus.*
42. *Sindicus pariter capituli vel collegii non potest suo capitulo vel collegio praejudicium inferre.*
43. *Idem dicendum de sindico alicujus monasterii et conventus.*
44. *Sindicus habens speciale mandatum ad levandum puerum de sacro fonte an evadat compater baptizati, aut cum quo baptizatus contrahat spiritualem cognationem.*

Explicitis iis quae requiruntur ad effectum ut sindicus et actor universitatis valide et legitime dici possit creatus et constitutus, sequitur ut de illius auctoritate et potestate aliqua in praesenti et sequentibus capitibus in medium afferamus.

1. Sindicus itaque ab aliqua universitate legitime constitutus, habet generalem administrationem bonorum et causarum illius.

2. Aequiparatur enim tutori, *L. jusjurandum et ad personas* § *defensor.*, et ibi *Bart. n.* 6 *et Paul. De Cast. n.... ff. de jurejur.*, *Alex. cons.* 22 *n.* 9 *lib.* 1, *Natt. con.* 45 *n.* 5 *lib.* 1, *Dec. cons.* 297 *n.* 1 *et* 2, *Crav. cons.* 278 *ante n.* 1, *Menoch. cons.* 31 *n.* 39 *lib.* 1.

3. Et si creentur plures sindici censetur illis data potestas in solidum, cum enim illorum officium sit auctoritate publicum, licet utilitate privatum,

Decius d. cons. 297 *n.* 1 *in princ.*, omnibus in solidum competit ad exemplum et similitudinem plurium tutorum et curatorum, quibus facultas in solidum tributa censetur, *Gloss. in L.* 1 § *si plures*, et ibi, *Bart. sub n.* 1 *vers. ut igitur liqueat, in secundo casu ff de exercit. action.*, et hanc conclusionem in pluribus sindicis universitatis firmant, *Natta d. cons.* 45 *n.* 8 *lib.* 1, *Decius d. cons.* 297 *n.* 1 *et* 2, ubi *n.* 1 *in fin.* videtur sentire quod officium dicti sindici sit tam auctoritate, quam utilitate publicum.

« Si plures sindici reperiuntur ab universitate constituti, censentur in « solidum electi, licet id in instrumento non exprimatur, *Romaguer. post* « *Concial. ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rubr.* 25 *n.* 19.

4. Et licet *Sylvan. cons.* 35 *sub n.* 53 *post princ. vers. non obstat etiam*, teneat plures sindicos non habere potestatem et administrationem in solidum, per *text. in L. pluribus, et ibi Bart.* et alii *ff de procur.*, illi tamen non loquuntur in pluribus sindicis alicujus universitatis, sed in pluribus procuratoribus particularium personarum, qui non censentur constituti in solidum, nisi hoc expresse dicatur in instrumento mandati, *d. L. pluribus, et cap. si duo* § *sane de procur. lib.* 6. In pluribus autem sindicis universitatum, quod censeantur constituti in solidum, ultra allegatos, voluit post *Bald.* quem allegat, *Alex. in addit. ad Bart. in L.* 1 § 1 *in verb. sindicus in princ. ff quod cujusq. univers. nomin.*, quos allegat *Sylvanus* pro hac opinione *d. cons.* 35 *n.* 38, nec illis respondet nisi per regulam generalem loquentem in pluribus procuratoribus constitutis a personis particularibus.

5. Conclusio autem supra firmata *n.* 3 limitatur, nisi ex verbis instrumenti eorum sindicatus possit apparere, quod illis non fuerit data facultas in solidum, sed omnibus conjunctim, ut in casu super quo consuluit *Sylvan. d. cons.* 35, ut clare colligitur ex dictis ibi *n.* 41 *vers. his praesuppositis*, et infra, qui tamen non negat, quin regulariter, si plures sindici constituantur ab aliqua universitate habeant facultatem et administrationem in solidum.

6. Quamobrem cum sindicus aequiparetur tutori, ut dictum est, sequitur quod habeat mandatum cum libera administratione, etiam si in instrumento sindicatus hoc non sit expressum, *L. praeses*, et ibi communiter scribentes, et signanter *Bart. n.* 4, *Bald. n.* 1 *et* 7, *Castr. et Alex. n.* 2, *Jason. n.* 7 *et* 12 *C. de transact.*, *Alex. cons.* 22 *n.* 9 *lib.* 1, *Dec. cons.* 297 *n.* 2 *vers. et stante*, *Natt. d. cons.* 45 *n.* 4, *Crav. d. cons.* 278 *ante n.* 1 *vers. et primo in continenti lib.* 2, *Castr. in L. rescriptum* § *plerumque n.* 7, *et ibi Jas. n.* 6 *ff de pact.*, *Mandell. Alb. cons.* 393 *n.* 3 *lib.* 2, *Antonius Monachus decis. Bonon.* 18 *n.* 22, *Sylvan. d. cons.* 35 *n.* 32, *Gratian. decis. March.* 93 *n.* 11, *Jas. in L. si bonae fidei col.* 2 *n.* 5.

7. Et proinde cum habere mandatum cum libera administratione aequipolleat mandato speciali et hujusmodi mandata sint paria, *L. procurator cui totorum ff de procur.*, *Bald. in L. illud* § 1 *n.* 4 *ff de minor.*, et late reassumit *Rim. Jun.* plures allegans, *cons.* 546 *n.* 12 *et* 13 *lib.* 5, admonentes esse semper spectanda verba procuratoris, an in illo concedatur libera administratio, nam eo casu procurator potest explicare ea quae requirunt mandatum speciale, ut latius dicemus infra *cap. CX*, dum agemus de procuratore cum libera.

8. Cum itaque sindici universitatum censeantur habere mandatum cum libera administratione, poterunt explicare ea quae requirunt mandatum speciale, *Bart.*, et alii supra allegati in *d. L. praeses, cod. de transact.*, *Alex. in L. procuratorem n.* 2 *cod. de procur.*, *Natta d. cons.* 45 *n.* 4 *et cons.* 51 *in fin. lib.* 1, *Crav. cons.* 238 *n.* 2 *in fin. et cons.* 886 *n.* 10 *lib.* 5, *Alex. d. cons.* 22 *n.* 9 *lib.* 1, *Mandell. Alb. d. cons.* 393 *n.* 3, et ibi addent *in litera B. Antonius Goftus cons.* 4 *n.* 6 *lib.* 1, *Gratian. decis. March.* 93 *n.* 11, *Alex. Trentacinq. cons.* 62 *n.* 7 *lib.* 1, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 3 *tit.* 10 *n.* 60.

« Merito sindici habere censentur mandatum cum libera, speciali aequi-
« pollens; nam certum est, quod ut universitas per procuratorem valide
« obligetur requiritur speciale mandatum, *Actolin. resolut.* 11 *n.* 6.

« Cum autem vigore dicti mandati, sindicus possit etiam ea explicare
« quae requirunt speciale mandatum, dubium non est quin bona quoque
« universitatis vendere valeat; dummodo tamen juret, se credere venditionem
« vel alienationem, quam facere intendit, fore et esse universitati utilem seu
« necessariam, et judex, causa cognita super hujusmodi contractu, decretum
« interponat, *idem Actolin. d. resolut.* 11 *n.* 9.

« Sindicus pro universitate agit etiam in causis requirentibus speciale
« mandatum, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rubr.* 25 *n.* 4.

9. Quod tamen non conceditur sindico alicujus capituli vel collegii, qui propterea non censentur habere facultatem transigendi, *Prosper. Pasethus cons.* 111 *n.* 49, *Jason cons.* 118 *sub n.* 3 *col.* 6 *in princ. vers. unde in primis lib.* 1, *Gratian. d. decis. March.* 93 *n.* 12.

10. Quare cum sindici universitatum habeant facultatem explicandi etiam ea quae speciale exigunt mandatum, poterunt compromittere causas eorum universitatis, *Crav. cons.* 598 *n.* 1 *lib.* 4.

11. Ac etiam transigere super re dubia, *Alex. in L. rescriptum* § *plerumque n.* 12 *ff de pact.*, *Glos. in L. mandato in verb. exercendis ff de procur.*, *et in L. transactionis in verb. derogavit C. de transact.*, *L. praeses*, et ibi *Bart. n.* 4, et late *Jas. n.* 11 *cod. eod. tit.*, *Crav. d. cons.* 598 *n.* 5 *lib.* 4, *et cons.* 886 *n.* 10 *lib.* 5, *Natt. d. cons.* 45 *n.* 6 *et seqq. lib.* 1, *Corn. cons.* 57 *n.* 18 *lib.* 3, *Mandell. d. cons.* 393 *n.* 3 *lib.* 2.

12. Circa judicialia, etiam sindicus universitatis habet plenam administrationem tam active quam passive, *L. item eorum* § *sed hodie ff quod cujusq. univers. nomin.*, *Crav. cons.* 238 *n.* 4 *lib.* 2, *Anton. Monach. decis. Bonon.* 18 *n.* 20.

13. Etiam in causis criminalibus, *Castren. in L.* 1, § *quibus n.* 2 *ff quod cujusq. univers. nomin.*, *Andr. Gail. in tract. de pac. public. lib.* 1 *cap.* 9 *n.* 3, ubi multos allegat *Mattheus de Afflictis in constitut. Regni Neapolit. lib.* 2 *rubr.* 2 *cap. generalia jura n.* 1 *et* 2 *et n.* 4 *et seq.*, per eam rationem,

14. Quia universitas quae caput non habet nec personam, *Gail. d. cap.* 9 *n.* 11 *et seq.* non potest in persona damnari, *Specul. in tit. de procur.* § 1 *n.* 11. Qua autem forma sit condemnanda docet, *Gail. d. cap.* 9 *n.* 10.

15. Ac proinde in causis universitatum debet citari sindicus, *Garsias. Mastrillus decis.* 164 *n.* 1 *et* 2 *lib.* 2.

« Regulariter tamen prima citatio non potest dirigi nec exequi in « personam sindici universitatum, sed ipsae sunt citandae collegialiter in con- « silio congregatae, seu earumdem jurati, consules et decuriones, in quibus « est exequenda dicta prima citatio, *Conciol. et Romaguer. ad stat. Eugubin.* « *lib.* 1 *rubr.* 25 *n.* 7 *et* 11.

16. Et citationes et intimationes factae sindico afficiunt universitatem, *Anton. Monach. decis. Bonon.* 39 *n.* 19, tum ob difficultatem intimandi singulis de universitate simul congregatis, *Jas. in L. non solum* § *morte n.* 33 *ff de nov. oper. nunc.*, tum quia sindicus est in numero agentium, *Monach. d. decis.* 39 *n.* 21.

17. Atque intimatio facta agentibus relevat, *Franciscus Becius cons.* 45 *n.* 43 *in fin. lib.* 1, *Menoch. cons.* 246 *n.* 28, *vers. respondetur primo lib.* 3, *Monach. d. decis.* 39 *n.* 20.

18. Potest etiam sindicus comparere nomine suae universitatis in judicio, tam coram judice ecclesiastico quam seculari et laico, pro consequendo legato facto pro construenda vel ornanda ecclesia; hoc enim pertinet ad publicam utilitatem, *Bart. in L. civitatibus* 125 *n.* 1 *et* 5 *ff de leg.* 1, et est tex. *quem Bart.* ibi allegat *in* § *si quis aedificationem auth. de ecclesiast. titul.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 758 *n.* 13.

19. Prout etiam potest jurare de calumnia absque speciali mandato, *Abb. in cap.* 1 *n.* 15, *in cap. cum causam n.* 1, *in cap. fin. n.* 10 *extr. de juram. calumn., et in cap. fin. n.* 2 *in fin. eod. tit. lib.* 6.

« Quod possit etiam jurare de calumnia, tradit *idem Conciol. ibid. n.* 5. « Potest etiam sindicus jurare in litem, *Conciol. ad statut. Eugub. lib.* 2 « *rubr.* 11 *n.* 3.

« Similiter juramentum suppletorium sindico potest deferri, *Conciol. ibid. rubr.* 13 *n.* 22.

20. Poterit similiter sindicus universitatis petere restitutionem in integrum pro sua universitate, licet hoc negetur sindicis alicujus capituli vel collegii, *Bald. in L. illud* § 1 *n.* 4 *ff de minor.*, *Jason. in L. praeses n.* 7 *in fin.*, *et infra C. de transact.*, *Crav. cons.* 238 *n.* 2 *in fin.*, *et cons.* 278 *ante n.* 1 *vers. et primo*, *Rimin. Jun. cons.* 546 *n.* 11 *lib.* 5.

21. Reddentes eam rationem diversitatis, quia in creatione sindici universitatis requiritur decretum, quod non est necessarium in creatione sindici alicujus collegii vel capituli; quae tamen diversitatis ratio non videtur concludere, quia non semper in creatione sindici universitatis requiritur decretum, ut demonstratum fuit capite praecedenti.

22. Dum autem fuit dictum sindicum universitatis posse pro ea petere restitutionem in integrum, est intelligendum de sindico creato ad universitatem causarum, ut declarat *Bald. in rubr. extr. de restit. in integrum*; quem refert et sequitur, *Simon de Praetis cons.* 74 *n.* 32 *lib.* 1.

23. Conclusio autem, ut supra pluribus comprobata, quod sindicus universitatis possit explicare ea quae requirunt mandatum speciale, non est perpetua, nam multi dantur casus in quibus sindicus non potest explicare ea quae exigunt mandatum speciale, et maxime circa ea ex quibus universitas laedi et damnificari posset: ac proinde ratione praejudicii quod universitas posset sentire sindicus non potest respondere positionibus adversarii, *Menoch. cons.* 80 *n.* 64 *lib.* 1, *Mandell. Alben. cons.* 162 *n.* 17 *lib.* 2, de quo tamen videantur dicta per nos infra *cap. LIII*, *procurator an praejudicet domino confitendo.*

« Contrarium, quod scilicet positionibus quoque respondere valeat, vo-
« luit idem *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rubr.* 25 *n.* 6, allegans
« *Post. de manut. observat.* 83 *n.* 30.

24. Nec etiam potest obiicere crimina contra officiales, nisi in instrumento sindicatus data illi fuerit hujusmodi facultas, cum expressione personae contra quam crimina sunt obiicienda, ac etiam crimen quod obiici debet, *Lucas de Penna in L. tam collatores* § *ut autem C. de re milit. lib.* 12, sequitur *Matt. de Afflict. in constit. regn. lib.* 2 *rubr.* 2 *cap. generalia jura n.* 4, *vers. sed quando universitas*, refert *Alex. Trentac. cons.* 62 *n.* 4 *lib.* 1.

25. Neque etiam potest subtrahere suam universitatem a subjectione unius domini, et illam subiicere jurisdictioni alterius, *Bald. cons.* 400 *n.* 3 *lib.* 4, *Ruin. cons.* 1 *n.* 9 *lib.* 4, quem sequitur *Marcabrunus de Anguillis cons.* 55 *n.* 43 *et seqq.*

26. Nec similiter facere ea ex quibus universitas posset in poenam incidere, *Alex. Trentac. d. cons.* 62 *n.* 7 post *Jason.* quem allegat.

27. Prout nec etiam potest se intromittere in reservatis principi, *cap. quod translationem extr. de offic. legat.* cum aliis apud *Rim. Jun. cons.* 5 *n.* 190 *lib.* 1, faciunt dicta per *Grammaticum cons. crimin.* 6 *n.* 9.

28. Dum concludit, quod in generali concessione non includuntur reservata principi, quae numquam per generalem concessionem censentur concessa.

29. Nec pariter potest se perperam ingerere circa solutionem aeris alieni communitatis, antequam enim solvat debet diligenter inquirere an universitas ad illius solutionem vere et realiter teneatur, et ex qua causa, et tunc non ex abrupto, sed de mandato judicis solvere, *Bart. in L. quoties in 3 notabil. ff ad municip.*

30. Non enim potest sindicus solvendo bonam fidem agnoscere sine judicis mandato, *arg. tex. in L. si is cui § Flavius ff de solut.* et confirmat *Franciscus Munnoz de Excobar de ratiociniis administratorum et computationibus cap. 23 n. 29 et seqq.*

31. Ubi hoc intelligit procedere in magnis summis, secus vero respectu modicae summae, quam dicit esse usque ad quantitatem duorum scutorum auctoritate *Gloss. in L. hactenus in verb. pertinet ff de usufruct.*, vel potius judex arbitrabitur, ut dicit ibi *Gloss.*

32. Quatenus vero solvat debitum verum et efficax, etiam de mandato judicis, cavere debet ut reportet quietantiam per publicum et authenticum instrumentum, ut evitet difficultatem probandi se realiter et cum effectu solvisse, de qua re late idem *Excobar d. cap. 23 n. 30 et infra.*

33. Similiter non potest sindicus vigore sui mandati generalis praejudicare suae universitati alienando illius bona, *Bart. in L. prohibere § plane n. 1 ff quod vi aut clam, Alex. cons. 1 n. 3 lib. 4, et in L. si procurator n. 3 cod. de procurat., Brunus cons. 95 n. 2, Decianus cons. 65 n. 28 lib. 5.*

34. Et hinc non videtur fidendum de *Gloss. in L. procuratorem in verb. speciatiter cod. de procurat.*, quae contrarium tenere videtur, quam ibi sequitur *Alex. n. 2.*

« Venditio rei stabilis facta ab universitate, vel ejus nomine absque so-
« lemnitatibus excedendoque fines mandati est nulla, *Actolin. resolut. 110 n. 2.*

« Atque hic est advertendum, quod procurator ad alienanda bona uni-
« versitatis constitui debet cum illis eisdem solemnitatibus, quae in ipsa
« alienatione requiruntur, idem *Actolin. ibid. n. 23.*

« In venditione autem ab universitate facienda, atque ut illa substinea-
« tur, requiruntur solemnitates de quibus in *L. fin. cod. de reb. civit. ven-*
« *dend. lib. 11*, nimirum superioris licentia atque judicis decretum super
« dicta venditione, causa cognita, interpositum; juramentum hominum ejus-
« dem communitatis, quod talis venditio sit utilis, seu necessaria ipsi com-
« munitati, et tandem probatio, quod pretium ipsius venditionis fuerit uti-
« liter impensum pro eadem communitate, idem *Actolin. d. resolut. 110*
« *n. 4.*

« Praedictum vero judicis decretum requirit scripturam, idem *Acto-*
« *lin. ibid. n.* 14.

« Sciendum insuper, quod cum praefatae solemnitates sint de forma in
« contractibus universitatis nomine celebratis, debent idcirco intervenire in
« actu ipsius contractus, illique esse contemporaneae, nec sufficit si ante
« vel post adhibeantur, idem *Actolin. ibid. n.* 17 *et* 18.

« Nec potest universitas renunciare formae traditae in ipsius bonorum
« alienatione, idem *Actolin. d. resolut.* 110 *n.* 55.

35. Et consequenter non potest debitum liquidum gratis remittere, *Alex. cons.* 22 *n.* 7 *et infra lib.* 1, *Jas. in L. praetor n.* 12 *vers. quarto nota cod. de transact.*

36. Neque liberare debitorem per acceptilationem, *Jas. in d. L. praeses. n.* 14.

37. Nec remittere exceptionem peremptoriam, *Jas. d. n.* 12 *vers. habens generale mandatum;* isti enim actus sapiunt donationem et alienationem, ut dicemus infra.

38. Et eadem ratione non potest praestare vel petere homagium vel investituram, nec subire, vel referre juramentum fidelitatis, *Burs. cons.* 225 *n.* 69 *lib.* 2, qui allegat alios.

39. Nec etiam potest concedere alicui licentiam aedificandi in loco et solo universitatis, *L. prohibere* § *plane ff quod vi aut clam, per quem text. Pet. Ant. Anguiss. cons.* 4 *n.* 5 *lib.* 4.

40. Cum quo etiam sindico non potest inchoari judicium, *Ant. Monac. decis. Bononien.* 39 *n.* 5, et ante illum *Bart. in L.* 1 *n.* 2 *et* 3 *in fin. cod. de jur. reipubl. lib. XI.*

« Huic numero est referenda conclusio quae est sub *n.* 15, quod sci-
« licet prima citatio in sindici personam exequi non valeat, quia nimirum
« judicium cum sindico inchoari non valet, ut tradit *Ludov. Cenc. sub*
« *hoc eod. n.* 40.

41. Verum in principio causae, citatus si compareat, valet citatio, et processus cum eo fabricatus, ut dicit *Bart. d. n.* 2 *et Monac. d. decis. n.* 25. De hoc tamen articulo latius dicemus infra *cap. XXXVII an cum procuratore generali ad lites possit inchoari judicium.*

42. Quae autem dicta sunt de sindico universitatis procedunt multo magis in sindico alicujus capituli vel collegii quod non possit suo capitulo vel collegio praejudicare, puta recipiendo canones seu pensiones pro rebus emphytheuticis devolutis, *Glos. in cap. potuit in verb. expelli circa medium extr. de locat.*, quam communiter esse receptam testatur, *Riminald. Jun. cons.* 165 *n.* 54 *lib.* 2, *Alex. cons.* 105 *n.* 14 *in fin. lib.* 3.

43. Nec non etiam in sindico alicujus monasterii et conventus, qui non potest suae ecclesiae praejudicare, puta confitendo, quando ex tali confes-

sione posset sequi bonorum alienatio, *Glossa et DD. in L. certum § sed an et ipsos ff de confess.*, *Card. Alban. cons.* 7 *n.* 12 *vers. praeterea*, qui alios congerit.

44. Quibus placet addere unum casum in quo sindicus etiam habens speciale mandatum nihil agit, super quo consulit *Fridericus De Senis cons.* 15, et est si constituatur ab universitate sindicus cum speciali mandato ad levandum puerum de sacro fonte; dubitabatur enim quis evaderet compater dicti baptizati, et cum quo baptizatus ille contraheret spiritualem cognationem, an scilicet cum universitate, an vero cum particularibus personis quae nomine universitatis tale mandatum fecerunt, an demum cum sindico qui illum de sacro fonte levavit et ad baptismum tenuit, et post longam discussionem resolvit ibi *Fridericus* per optimas rationes, quod cum nullo spiritualis cognatio contrahatur.

CAPUT XIII.

SINDICUS QUANDO PRAEJUDICET SUAE UNIVERSITATI DELINQUENDO.

SUMMARIUM

1. *Sindicus delinquens si excedat fines sui mandati, universitati non praejudicat.*
2. *Contra, si mandati fines non excedat.*
3. *Gesta a sindico, ab ipsa universitate gesta creduntur.*
4. *Quod procedit si adsit scientia ipsius universitatis.*
5. *Negligentia universitatis quae culpam sindici non purgavit contra ipsam inducit praesumptionem.*
6. *Universitas ob propriam negligentiam, si sindicus non sit solvendo, tenetur de proprio et in integrum non restituitur.*
7. *Sindicus si condamnetur, non proprio nomine sed uti sindicus est condemnandus.*
8. *Maxime si condemnatio sequatur finito sindicatus officio.*
9. *Tutor est administrator necessarius, sindicus autem universitatis est voluntarius.*
10. *Ubi non adsit scientia universitatis, ipsa ex delicto sindici non tenetur.*

1. Prosequendo materiam propositam de facultate et potestate sindici alicujus universitatis, potest in dubium revocari an ille delinquendo possit

suae universitati praejudicium afferre, in qua dubitatione si praesupponamus sindicum excedere fines sui mandati et sindicatus, absque dubio concludendum est negative per ea quae late dicemus infra *cap. XCVII procurator tenetur servare fines mandati.*

2. Sed termini hujus dubitationis sunt cum praesupposito, quod sindicus delinquendo in officio non excedat fines sui mandati et hoc casu partem affirmativam, quod obliget suam universitatem, dicunt *Jas. in L. age cum Geminiano n.* 8 *et* 9 *cod. de transact., Aegidius Bossius in sua practic. crimin. in tit de furt. n* 55 *et seq.*, ad quem locum se remittit in *tit. de damn. dato n.* 7, *Burs. cons.* 294 *n.* 24 *lib.* 3, *Petr. Paul. Parisius cons.* 78 *n.* 33 *et seqq. lib.* 1.

3. Nam gesta a sindico ab ipsa universitate gesta creduntur, *L. municipes ff ad municip. et de incol., L. municipibus ff de condit. et demonstrat., Gloss. in L.* 2 *in verb. acquiratur ff de acquir. possess., Natta cons.* 341 *n.* 5 *lib.* 2, *Laurentius Sylvanus cons.* 35 *n.* 34, *Burs. cons.* 294 *n.* 24.

4. Quod tamen intelligendum est data scientia ipsius universitatis qua, scientia probata, si actus gestus a sindico habuit tractum successivum et permanentem diceretur ab ipsamet universitate gestus, si illa non egit contra sindicum vel illum ab officio non removit, *Felin. in cap. dilectus* § 2 *n.* 12 *in* 2.ª *et* 3.ª *limit. extr. de simon., Osascus decis.* 138 *n.* 10, *Alex. cons.* 95 *n.* 12 *lib.* 2.

5. Nam ex universitatis negligentia quae culpam sindici tollere vel purgare non procuravit insurgit praesumptio quod actus ille de ejus voluntate et consensu fuerit gestus, *Jas. cons.* 139 *sub n.* 1 *vers. sed his non obstantibus* in illis verbis *istud est verum lib.* 4 post *Abb.* quem allegat.

6. Vel saltem sequitur quod universitas teneatur ob propriam negligentiam quia non prohibuit sindico ne delinqueret, ita ut non debeat restitui in integrum casu quo sindicus non sit solvendo, *Alex. d. cons.* 95 *n.* 12 *vers. et per hoc etiam dico lib.* 2.

7. Et si inde sequi debeat condemnatio sindici, ipse non debet proprio nomine, sed uti sindicus condemnari, *Purpur. cons.* 189 *n.* 2 *lib.* 1.

8. Maxime si condemnatio debeat fieri finito officio sindicatus, *L. post mortem* § *tutor ff quando ex fact. tutor., Angel. in L. procurator qui pro evitione n.* 2 *ff de procurat.*, et ibi hoc sensit *Bart. in* 2.ª *opposit.*

9. Licet enim ipse distinguat inter administratorem necessarium, qualis est tutor, et voluntarium, qualis est sindicus universitatis, attamen cum ultimo loco referat opinionem *Jacobi De Arena* dictam distinctionem non approbantis, et illum non reprobet nec reprehendat, cum illo videtur transire, et distinctionem praefatam improbat etiam ibi, *Angel. d. n.* 2.

10. Coeterum, si cesset scientia universitatis ipsa non tenetur ex de-

licto sindici, cum ad hoc illi mandatum datum non praesumatur, *L. si pater ff de his quae in fraudem credit.*, *Oldrad. cons.* 66 *n.* 1 *vers. sed contrario.*

CAPUT XIV.

SINDICUS AN OBLIGET UNIVERSITATEM CONTRAHENDO, ET SIGNANTER EX MUTUO.

SUMMARIUM

1. *Sindicus legitime electus contrahendo obligat universitatem.*
2. *Quamvis in mandato non sit ei data expressa facultas obligandi bona universitatis.*
3. *Habens mandatum ad administranda bona, habet etiam mandatum ad illa obligandi.*
4. *Consuetudo generalis talem facultatem sindico tribuere solet.*
5. *Universitas neque ex capite laesionis contractum sindici rescindere valet.*
6. *Habet tamen actionem contra sindicum.*
7. *Sindicus si liberam non habeat administrationem, universitatem non obligat.*
8. *Sindicus habens mandatum simplex ad accipiendum pecunias mutuo obligat universitatem, licet non appareat pecunias acceptas fuisse versas in utilitatem ipsius universitatis.*
9. *Sufficit quod universitas post acceptas mutua pecunias dictum mutuum habeat ratum.*
10. *Si in instrumento sindicatus fuit expressum quod pecuniae mutuo accipiendae deberent erogari in certam et expressam causam, debet sindicus tempore contractus asserere, se in dictam causam pecunias mutuo accipere.*
11. *Sindicus eo casu ad quid teneatur.*
12. *Sindicus non habens speciale mandatum ad pecunias mutuo accipiendas, illas accipiens vigore generalis mandati, quando obliget universitatem.*

1. Vidimus in praecedenti capite quando universitas remaneat obligata ex delicto sindici, sequitur ut videamus an sindicus obliget illam contrahendo; et quod sindicus legitime electus obliget universitatem contrahendo probat *text. in L. si is qui bona in princ.*, *et ibi Rip. n.* [illegible] *ff de*

4. *Alia est obligatio personarum singularium universitatis, alia ipsius universitatis.*

5. *Universitas si constituat sindicum ad promittendum quod ipsa non offendet aliam universitatem, neque homines illius sub certa poena, quid si particularis persona unius offendat aliquem de alia universitate?*

6. *Procurator generalis alicujus ordinis religiosorum, non est procurator singulorum monasteriorum dicti ordinis.*

7. *Excipitur procurator societatis Jesus.*

8. *Sindicus quando in procuratorio habet facultatem obligandi aliquam particularem personam, proprio ejus nomine expresso, illam non obligat nisi ipsa obligationi consentiat.*

9. *Idem dicendum quando universitas recognoscens superiorem, sindico facultatem praebet in procuratorio obligandi particulares personas indistincte, et nullis expressis nominibus.*

10. *Quod meum est non est universitatis.*

11. *Meum sine facto meo a me avelli non potest.*

12. *Ubi viget consuetudo, quod ob debita universitatis possint gravari singulares personae illius, universitas potest etiam obligare singulas personas.*

13. *Res privatorum propter publicam utilitatem ab universitate possunt obligari.*

14. *Publicae tamen utilitatis necessitas esse debet extrema.*

15. *Sindicus si tractet negotium quod secundario ad singulos tamquam singulos spectet, particulares personas universitatis obligare potest.*

16. *Mandatum quod non solum publice ab universitate, sed etiam a singularibus hominibus illius, propriis eorum nominibus, et tamquam a particularibus personis fuit factum, singulas personas sindicus obligare valet expressas in procuratorio.*

17. *Verba tamen talis mandati debent referri ad singulos de universitate.*

18. *Mandatum non dicitur factum a singulis de universitate, si in procuratorio dictum sit, quod constituant sindicum et procuratorem, universitas et homines.*

19. *Haec dictio homines potest etiam verificari in duabus.*

20. *Sindicus si fuerit constitutus ab omnibus de universitate ad prosequendum conjunctim vel divisim a tali contra constituentes et universitatem notam dicitur procurator particularium, et pro singulis in judicio comparere potest.*

21. *Sindicus creatus ab universitate non recognoscente superiorem, potest singulos de universitate obligare.*
22. *Contractus factus ab eo qui habet potestatem legis condendae, habet vim legis.*
23. *Non quidquid principi placet legis habet vigorem.*
24. *Debet constare de voluntate principis, quod velit aliquid habere vim legis generalis.*
25. *Princeps contrahendo obligatur quemadmodum quilibet privatus.*
26. *Princeps non potest suo contractui contravenire etiam de plenitudine potestatis.*
27. *Contractus sunt juris gentium.*
28. *Deus imperatori subjecit leges et non contractus.*
29. *Princeps legi quam fecit, uti princeps non subiicitur.*
30. *Non quilibet contractus factus a principe habet vim legis.*
31. *Contractus universitatis tantum procedentis statuendo universaliter legis habet vigorem.*
32. *Civitas et universitas non potest sine causa res suas alicui anteferre.*
33. *Semper spectandum est qua mente quid dicatur vel fiat.*
34. *Universitatis contractus in quo datur sindico facultas obligandi personas singulares, ut habeat vim legis statutum praecedere debet, per quod hujusmodi facultas sindico tribuatur.*
35. *Sindicus contrahendo, tunc obligaret etiam singulares personas universitatis.*
36. *Universitas tamen teneretur conservare indemnes particulares personas obligatas.*
37. *Declaratur quomodo procedat ut contractus factus ab eo qui condendae legis potestatem habet, vim habeat legis.*

Vidimus quando ex contractu sindici obligetur ipsa universitas, sequitur ut videamus an obligentur personae singulares ejusdem universitatis.

1. In qua dubitatione sic simpliciter et indefinite proposita, scribentes communiter negativam partem sunt amplexi, cum iste sindicus non habeat mandatum ab illis sed ab universitate, *L.* 2 *ff quod cujusq. universit. nom.*, *Bald. in L.* 1 § *quod si nemo vers. juxta hoc quaeritur ff eo tit. et in L. civitas col.* 2 *vers. quaerit, Gloss. an iste ff si cert. pet. et cons.* 47 *n.* 1 *lib.* 3, *Corn. cons.* 177 *n.* 6 *lib.* 2, *Dec. cons.* 61 *n.* 3, *Sebastianus Vantius in tractatu de nullit. processuum et sententiarum in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 154, *Rol. cons.* 53 *n.* 28 *lib.* 4, *And. Gajl. de arrest. imper. cap.* 9 *n.* 9 *et seqq., Onded. cons.* 86 *n.* 13 *lib.* 1.

2. Et proinde caret potestate et facultate obligandi singulares personas de universitate, *Rebuff. in L. Herennius* 122 *col.* 2 *ad med. vers. procurator ff de verb. significat.*, *Rol. d. cons.* 53 *n.* 30, *Onded. d. cons.* 86 *n.* 14. Nam homines universitatis sunt diversi ab ipsa universitate, *L. in tantum § universitatis ff de rer. divis.*, *Menoch. cons.* 80 *n.* 67 *lib.* 1, *Rot. cor. Mantic. decis.* 328 *n.* 2 cum aliis adductis supra.

« Hinc est quod communitati in universum singulorum scientia nocere « non potest, *Actolin. resolut.* 28 *n.* 30.

« Scientia aliquorum de universitate non dicitur scientia ipsius uni- « versitatis, cum ad hoc, ut dicatur talis, requiratur quod omnes sciant « collegialiter congregati, alioquin singuli dicerentur scivisse, non au- « tem universitas; sicuti ab universitate aliquid factum dici non valet, « nisi more solito communitas in consilio congregetur, *Actolin. resolut.* 110 « *n.* 12.

3. Et alia est causa universitatis, alia singularium personarum de universitate, *L. sed et si hac § qui manumittitur ff de in jus voc.*, *Natt. cons.* 150 *n.* 2 *lib.* 1.

« Sindicus universitatis non dicitur procurator singulorum, neque pro « illis uti singulis quidquam facere valet, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 1 « *rubr.* 25 *n.* 3.

« Ita etiam agens contra canonicos, non agit contra personas particu- « lares uti singulas, sed contra capitulum uti collegium, quod numquam « moritur, *Rot. decis.* 3 *n.* 64 *cum seqq. part.* 7 *Recent.*

« Neque enim possunt canonici conveniri uti particulares, quando uti « universi contraxerunt, *Rot. decis.* 672 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

4. Et alia est obligatio personarum singularium universitatis, alia ipsius universitatis, *Bald. d. cons.* 47 *n.* 5 *lib.* 3.

5. Unde si universitas constituat sindicum ad promittendum quod ipsa non offendet aliam universitatem, neque illius homines sub certa poena, si aliqua particularis persona suae universitatis offendat aliquem de alia universitate, non dicetur commissa poena, quia universitas, et pro ea sindicus, non promisit pro particularibus personis, *Dec. d. cons.* 61 *n.* 3, *Franciscus Herculanus de caution. de non offendendo cap.* 41 *n.* 13, *et cap.* 50 *n.* 33 *et* 34, *Bertazol. cons. crimin.* 183 *n.* 5 *et seq. lib.* 1.

6. Prout similiter procurator generalis alicujus ordinis religiosorum non est procurator singulorum monasteriorum et conventuum dicti ordinis, *Felin. in cap. cum te n.* 14 *vers. per istam differentiam*, *extr. de rescript.*, *Thomas Fastolus dubitat.* 23.

« Nota quod hic possunt referri quae adnotabimus *cap. XXXIV ad a n.* 27 *ex Card. de Luc.*

7. Excepto tamen procuratore societatis Jesus, qui ex speciali dispositione est procurator singulorum collegiorum dictae societatis, *Rot. decis.* 201 *n.* 2 *part.* 2 *Recent.*

8. Sed difficultas versatur quando huic sindico fuit ab universitate data facultas et potestas obligandi non solum res et bona ipsius universitatis, sed etiam bona et personas singularium personarum ejusdem universitatis, an sindicus sub hoc mandato possit obligare singulares personas ejusdem universitatis, pro cujus resolutione aliquot casus sunt considerandi.

Primus est quando universitas in procuratorio dedit facultatem sindico obligandi unam vel alteram personam particularem, illas propriis nominibus exprimendo; in quo vera est conclusio negativa, nisi illae personae particulares obligationi consentiant, est bona, *Gloss. in L.* 2 *in Gloss. magn. circa med. vers. item et ad hoc ut universitas cod. quae sit long. consuetud.*, et multorum auctoritate confirmat *Alex. Trentacinq. variar. resolut. lib.* 1 *in tit. quod cujusq. univers. nomin. resolut.* 2 *n.* 1.

9. Secundus casus est, quando in procuratorio datur facultas obligandi etiam personas singulares universitatis non expressis aliquorum nominibus, sed indefinite et indistincte, et sumus in universitate recognoscente superiorem, in quo est similiter constituenda conclusio negativa per rationes supra in principio hujus capitis allegatas.

10. Universitas enim ista non videtur habere jus aliquod super bonis et personis particularibus universitatis, etenim quod meum est, non est universitatis, *Bald. in L. etiam n.* 14 *in fin. C. de execution. rei judic.*

11. Ac propterea sine facto meo a me avelli non potest, *L. non debet alteri ff de reg. jur.*, *cap. non debet eod. tit. lib.* 6.

12. Ista autem conclusio debet limitari; primo nisi in loco vigeat consuetudo, quod ob debita universitatis singulares illius personae gravari possint; nam talis consuetudo daret jurisditionem universitati ut personas etiam singulorum ejusdem universitatis obligare posset ut firmat *Bald. in d. L. etiam n.* 14.

13. Limitatur secundo, ubi subest causa publicae utilitatis; nam propter publicam utilitatem potest civitas et universitas disponere etiam de rebus privatorum, *Bart. in proemio ff in* § *omnem n.* 5, cum aliis multis congestis ab *Alex. Trentacinq. d. resolut.* 2 *n.* 2 *vers. secundus est in aliis rebus.*

14. Hanc tamen limitationem declarat *Andreas Gajl. d. cap.* 9 *n.* 11, dummodo urgeat extrema necessitas publicae utilitatis, alias extra publicam et extremam necessitatem particularibus personis parcendum est, et ab hujusmodi gravaminibus et obligationibus tamquam odiosis et iniquis abstinendum esse existimant.

15. Limitatur tertio, si negocium ad quod explicandum fuit constitu-

tus sindicus cum dicta facultate, spectet quidem principaliter ad universitatem et ad homines illius tamquam ad universos, sed secundario ad singulos tamquam singulos; vigore enim dicti sui mandati poterit etiam obligare particulares et singulares personas et eorum bona, *Bald. in L.* 2 *n.* 6 *cod. quae sit long. consuetud.*, *Alex. cons.* 44 *n.* 5 *lib.* 3, *Gratian. discept. forens. cap.* 196 *n.* 30.

16. Tertius casus est si mandatum fuerit factum non solum ab universitate publice et legitime congregata, sed etiam a singularibus hominibus et personis illius, propriis eorum nominibus, et tamquam a particularibus personis, quo casu cum sindicus sit procurator etiam particularium personarum, poterit per suum contractum obligare etiam personas in procuratorio expresse nominatas, *Bald. in L. civitas col.* 2 *vers. quaerit*, *Glos. an iste ff si cert. pet. et d. cons.* 47 *n.* 3 *vers. item fallit lib.* 3, *Carolus Ruinus cons.* 129 *n.* 12 *lib.* 4, facit *Felin. in cap. cum te col.* 15 *n.* 40 *vers. ex his infertur ad jura extr. de rescript.*, et juxta praedicta censeo esse intelligendum *Bald.* supra allegatum in illis verbis « *tamen eorum qui convenerunt* ».

17. Ad hunc tamen effectum opus est ut verba mandati referantur ad singulos de universitate, et quod hoc exprimatur, ut animadvertit *Rol. cons.* 53 *n.* 24 *lib.* 4.

18. Et propterea videtur cavendum a *Jacobo Beretta*, qui *cons.* 131 *n.* 8 voluit intelligi factum mandatum a singulis de universitate in casu suo, quia in procuratorio dictum fuerat quod constituebant sindicum et procuratorem universitas et homines, sentiens quod sub illo verbo collectivo « *homines* » intelligantur comprehensi singuli de universitate, auctoritate *Ruin. d. cons.* 129 *n.* 12.

19. Sed advertendum est quod *Ruin.* ibi ponderando verba mandati super quo ipse consuluit, deduxit ex pluribus ejus partibus fuisse factum mandatum a singulis de universitate, et non stetit in solo illo verbo *homines*, nam illud potest verificari tantum in duobus, ut fuit dictum supra *cap. IX n.* 12, et proinde non insurgit sufficiens probatio quod singuli de universitate interfuerint in creatione sindici, ita ut ille possit singulos obligare, *Alex. cons.* 108 *n.* 24 *lib.* 2, cum aliis ab eo allegatis. Cum enim praesupponatur mandatum fuisse factum per illud verbum « *homines* » comprehendens et significans corpora singularia, debuissent exprimi nomina singulorum, quia alias illa ditio indefinite prolata potuisset verificari in duobus, ut dictum est, nisi esset facta mentio hominum cum aliquo signo universali, puta de omnibus hominibus, quo casu mandatum censeretur factum ab omnibus; sed non propterea illius vigore possent singuli obligari, nisi singulorum nomina in procuratorio essent expressa, sed illa universalis oratio operaretur ut mandatum valeat tamquam factum ab

universitate legitime congregata, ut considerat *Bald. in L. civitas in fine lectur. vers. alii dicunt ff si cert. pet.*, et videtur fuisse etiam de mente *Oldrad. cons.* 100 *signant. n.* 4.

20. Quartus casus considerari potest, si sindicus fuerit constitutus ab omnibus de universitate, ad prosequendum conjunctim vel divisim a tali contra constituentes et universitatem motam, illo enim casu hunc esse constitutum procuratorem etiam particularium personarum universitatis voluit *Rot. cor. Achill. decis.* 63 *quaest.* 3 *de procurat.*, et ideo pro singulis uti singulis poterit in judicio intervenire.

21. Quintus casus addendus est quando tale mandatum fuit factum ab universitate non recognoscente superiorem, et consequenter habente facultatem legis condendae, et hoc casu, ex contractu sindici habentis facultatem obligandi singulos de universitate, illos remanere obligatos concludit *Bart. in L.* 4 § *actor n.* 9 *ff de re judic.*, sequitur *Alex. cons.* 44 *n.* 5 *lib.* 1, et alii relati a *Gratian. discept. for. cap.* 196 *n.* 26.

22. Ea potissimum ratione, quia contractus factus ab eo qui habet potestatem legis condendae habet vim legis, *L. Caesar ff de publ. et vectigal.*, *L. pen.*, et ibi *Bart. ff de donation. inter vir. et uxor.*

« Universitas non potest singulares personas nec propria bona obli-
« gare, nisi sit de illis quae habent facultatem legis condendae, *Actolin.*
« *resol.* 11 *n.* 7.

23. Coeterum advertendum est, quod sicut non quidquid principi placet, legis habet vigorem, *L.* 2 *cod. de legib.*,

24. Sed tantum quando apparet de illius mente et voluntate, quod velit aliquid habere vim legis generalis, § *sed et quod principi*, § *plane instit. de jur. natur. gent. et civil.*, *L.* 1 *ff de constit. princip.*, et utrobique notant DD.

25. Et quod quilibet contractus a principe factus non habeat vim legis, inde maxime deducitur, quia princeps contrahendo obligatur quemadmodum quilibet privatus, *d. L. pen. cod. de donat. inter vir. et uxor.*, *cap.* 1 *de probat.*, et ibi *Dec. n.* ..... *et idem Dec. cons.* 292 *n.* 8, *Jas. late cons.* 1 *n.* 1 *lib.* 1.

26. Ita ut non possit suo contractui contravenire, etiam de plenitudine potestatis, *Dec. cons.* 528 *n.* 6 *et cons.* 600 *n.* 3.

27. Quia contractus sunt juris gentium.

28. Et Deus imperatori subiecit leges et non contractus, *Jas. cons.* 223 *col.* 6 *vers. nec obstat secundum eam*, *et vers.* 5 *ad praedict. lib.* 2 ubi multos congerit.

29. Legi autem quam fecit uti princeps non subiicitur, *L. princeps ff de legib.*, *L. digna vox cod. eod. tit.*

30. Unde non quilibet contractus a principe factus habet vim legis.

31. Eadem consideratio habenda est circa dispositiones factas ab universitate non recognoscente superiorem, ut non quilibet contractus factus ab illa habeat legis vigorem, sed dumtaxat quando procedit statuendo universaliter, et consequenter quando universitas per viam contractus dat facultatem sindico ut possit obligare singulares personas illius, cum non disponat per constitutionem generalem, cui singulares personae subiiciantur, sed per viam simplicis contractus sindicus ille contrahendo non potest obligare singulares personas de universitate.

32. Cum civitas et universitas non possit res suas sine causa alicui auferre, *Bart. in L. toties § si cui ff de pollicitat.*, *Inn. in cap. quia plerique n.* 5 *vers. sed de hoc extr. de immun. eccles.*, *Dec. cons.* 528 *n.* 6 *vers. et quia non potest civitas*, cum aliis allegatis supra in fine secundi casus. Sed tantum quando talis universitas habet voluntatem et intentionem legis condendae,

33. Semper enim spectandum est qua mente quid dicatur vel fiat, ut notat *Bald. in L.* 1 *sub n.* 2 *cod. ne filii pro patr.*, *et in L. pen. in prim. lectur. ff ad exibend.* Qua intentione cessante quod ex contractu sindici ab universitate constituti obligentur singulares personae, durum esset et ab aequitate naturali alienum, *Andr. Gajll. de arrest. imper. lib.* 1 *cap.* 9 *n.* 8.

34. Ad effectum itaque ut contractus universitatis in quo datur sindico facultas obligandi personas singulares illius habeat vim legis, opus esset ut statutum praecederet per quod sindico daretur talis facultas, quo statuto praecedente dicta facultas data sindico in contractu sindicatus haberet vim legis, secundum *Bald. in d. L.* 1 *circa fin. cod. ne filii pro patr.*, *Paul. De Castro in L. civitas n..... ff si cert. pet.*, *et in L.* 4 § 1 *n..... ff de re judic.*, *Alex. cons.* 44 *n.* 5 *vers. quinimo fortius lib.* 1.

35. Et tunc sindicus contrahendo obligaret etiam singulares personas universitatis, *Bald. cons.* 47 *n.* 3 *lib.* 3, *et in L. etiam n.* 14 *cod. de execut. rei judic.*

36. Quo tamen casu universitas teneretur conservare indemnes dictas particulares personas, *Gratian. discept. forens. cap.* 196 *n.* 31 *et seqq.*, ubi asserit quomodo fieri debeat dicta conservatio indemnitatis.

37. Neque obstat quod contractus illius qui habet potestatem condendi legem habeat vim legis, *L. Caesar ff de public.*, quia hoc est verum quantum ad hoc ut pacta et capitula quae fiunt in tali contractu debeant servari a singulis personis de universitate; puta si universitas vendat gabellas cum certis pactis et capitulis; nam nemo de populo poterit venire contra dicta capitula, immo quilibet tenetur illa observare; non autem quantum

ad obligandum singulas personas pro contentis et promissis in dicto contractu, et ita declarat *Alex. d. cons.* 44 *n.* 5 *ad fin. vers. illud autem quod dicitur lib.* 1.

CAPUT XVI.

EX CONTRACTU SINDICI AN PERSONAE PARTICULARES OBLIGENTUR IN SOLIDUM, ET AN OBLIGENTUR PERSONAE QUAE TEMPORE FACTI MANDATI NON ERANT NATAE, VEL NON ERANT DE CORPORE UNIVERSITATIS.

SUMMARIUM

1. *Sindicus contrahendo obligat bona singulorum in solidum, ita ut pro toto et integro debito capi possint.*
2. *Sindicus ex contractu non obligat personas singulares in solidum, sed quemlibet pro sua virili portione.*
3. *Secus vero, si sindicus contrahendo obligaverit singulos in solidum expresse vel per equipollentia verba.*
4. *Contractus sindici universitatis non obligat illos qui tempore facti mandati, vel non erant nati, vel non erant de corpore universitatis.*
5. *Contraria sententia quod illos obliget.*
6. *Distinctio Baldi, quod non obliget illos tamquam particulares personas, sed tamquam de corpore universitatis.*

Fuit in praecedenti capite explicatum an, et quando sindicus universitatis possit contrahendo obligare singulares personas ejusdem universitatis, circa quem articulum duae adhuc supersunt difficultates discutiendae.

Prima est, an in casibus in quibus sindicus vigore sui mandati habet facultatem obligandi singulares personas, remaneat quilibet obligatus pro sua rata et portione, an vero quilibet obligetur in solidum.

Secunda, an ex sindici contractu obligentur illi qui tempore facti mandati non erant nati, vel non erant de corpore dictae universitatis.

1. Circa primam difficultatem duo sunt considerandi casus: primus est quoad obligationem bonorum, et hoc casu bona singulorum in solidum obligantur, et capi possunt pro toto et integro debito, ut concludit *Bald. in L.* 1 § *quod si vero vers. sed juxta hoc quaero ff quod cujusq. univers. nomin.*, *et Bart. in L.* 4 § *actor. n.* 11 *ff de re judicat.*, qui moventur *per tex. in L. aliena* § 1 *ff de pignor. act.*

2. Secundus casus est respectu obligationis personalis, in quo est concludendum, personas singulares non remanere obligatas in solidum ex contractu sindici, sed quemlibet pro sua virili portione, *Bald. in d. vers. sed juxta hoc quaero*, *Bart. in d.* § *actor. n.* 10 *per tex. in L. reos* § *in tabulis ff de duobus reis.*

3. Praeter quam quod si sindicus contrahendo obligaverit illas in solidum expresse, vel per equipollentia verba, ut in locis mox allegatis dicunt *Bart. et Bald.*, et ita etiam in effectu concludit idem *Bald. in L. etiam n.* 4 *cod. de execut. rei judic.*

4. Circa secundam difficultatem, reperio DD. fuisse inter se discordes: nam *Castrensis cons.* 70 *n.* 6 *lib.* 1 tenet opinionem negativam, quod ex contractu sindici universitatis non obligentur illi qui tempore facti mandati, vel non erant nati, vel non erant de corpore universitatis, cum qua opinione transivit etiam *Corneus cons.* 167 *n.* 7 *lib.* 3, *et Fernand. Vasq. controvers. illustr. lib.* 2 *cap.* 82 *n.* 9.

5. Contrariam tamen sententiam affirmativam acerrime comprobant, *Natt. cons.* 589 *n.* 15 *vers. nam adversus praefata*, et infra *lib.* 3, *et Burs. cons.* 160 *n.* 17 *et seq. lib.* 2, qui alios allegant, et respondent rationibus *Paul. De Castr. et Vasquez.*

6. Et propterea in hac controversia mihi minime displicet distinctio quam facit *Bald. cons.* 47 *n.* 4 *lib.* 3, et reassumit *Cardinal. Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 3 *tit.* 10 *n.* 26.

Ut particulares personae de quibus agitur, non obligentur tamquam singulares personae, sed tantum tamquam personae quae sunt de corpore dictae universitatis, quae semper est eadem et semper dicitur durare, etiam omnibus qui interfuerunt in confectione mandati mortuis, et conservatur mediante persona eorum, qui successivis temporibus efficiuntur de corpore dictae universitatis, *L. proponebatur in fin. ff de judic.*, *Frideric. de Sen. cons.* 15 *sub n.* 1 *vers. item si diceremus*, in illis verbis « *quia idem populus*, *Natt. d. vers. nam adversus praefata*, *Burs. d. cons.* 160 *n.* 17.

CAPUT XVII.

SINDICUS QUALITER IN OFFICIO SE GERERE DEBEAT, ET QUANTO TEMPORE DURET ILLIUS OFFICIUM.

SUMMARIUM

1. *Quilibet procurator tenetur diligenter et ex fide suum officium gerere.*

2. *Tutor si negligenter circa administrationem bonorum sui pupilli se gerat, debet a tutela removeri.*
3. *Sindicus ob suam negligentiam est removendus a sindicatu.*
4. *Sindicus negligenter se gerens in officio, tamquam agens contra formam mandati tenetur ad interesse partis laesae.*
5. *Sindicus quamvis diligens nullum de jure salarium petere valet.*
6. *Tutori pro tutelae administratione salarium non debetur.*
7. *Sumptus bona fide facti, sunt sindico ab universitate reficiendi.*
8. *Si sindicus tractaverit negocium grave et difficile, est ei salarium ex aequitate constituendum.*
9. *Si sindicus fuerit electus ad certum tempus, illo elapso, ejus officium expirat.*
10. *Non potest refirmari, nisi omnes consiliarii conveniant in ejus persona.*
11. *Uno contradicente refirmatio impeditur.*
12. *Sindico electo ad aliquod negocium peragendum, illo expedito, officium finitur.*
13. *Sindico indeterminate creato, officium adimit mors, aut revocatio.*
14. *In revocatione sindici requiruntur eaedem solemnitates quae in illius creatione exposcuntur.*
15. *Nisi revocatio fieret ab eo qui solus haberet eamdem potestatem, quam habet consilium et tota universitas.*
16. *Aut ratio publicae utilitatis hujusmodi revocationem suaderet.*
17. *Sindicus, finito officio et non redditis instrumentis, debet inchoata perficere, ne universitas remaneat indefensa.*
18. *Redditis instrumentis, licet non ab universitate, potest tamen ab adversario cogi ut inchoata perficiat.*

Pro complemento eorum quae de sindico universitatis veniebant discutienda, duae remanent difficultates: prima scilicet qualiter in officio se debeat gerere: altera, quanto tempore duret illius officium; utraque in hoc capite venit breviter resolvenda.

1. Quoad primam difficultatem non videtur multum laborandum; est enim regula generalis, quod quilibet procurator tenetur diligenter et ex fide officium suum gerere, *L. diligenter ff mand.* cum aliis cumulate dicendis infra *cap. XCVII de mandati finibus custodiendis*, et in *cap. XCIX de actione mandati.*

2. Quod multo magis dicendum est de sindico civitatis et universitatis, cum illius officium sit saltem auctoritate publicum, ut dictum est supra *cap. XII*, et tutori aequiparetur ut deduximus ibi circa principium ac propterea sicuti tutor, si negligenter circa administrationem bonorum sui

pupilli se gerat, debet a tutela removeri, *L. fin. ff ubi pupill. educari debet. L. fin. cod. de administr. tut., Rom. cons.* 80 *n.... et cons.* 428 *in* 2 *dub. n....*, *Corn. cons.* 183 *n.... lib.* 2.

3. Ita etiam sindicus universitatis ob suam negligentiam debet a sindicatu removeri, ut concludit *Cravatt. cons.* 123 *n.* 3 *lib.* 1 multis similibus id comprobans.

4. Immo si sindicus negligenter in officio se gerat, perinde est ac si praeter vel contra formam sui mandati gerat, et proinde tenetur ad interesse partis lesae, *Bald. in L.* 1 *cod. credit. evict. pign. non debet*, *Bart. in L. si uno § ubicumque in princ. n....*, *et ibi Alex. in apostill. in verb..... ff locat.*, idem *Alex. cons.* 136 *col.* 3 *n.... et cons.* 132 *n.... lib.* 6, quos et alios congerit *Sylvanus cons.* 35 *n.* 41 *lib.* 1, et nos dicemus infra *d. cap. XCIX de act. mandat.*

5. Propter hujusmodi autem gestionem, licet diligenter et ex fide sindicus negocia suae universitatis peragat et administret, illum non posse de jure aliquod salarium praetendere firmat *Guid. Pap. quaest.* 68 *per tot.;*

6. Exemplo tutoris, cui pro tutelae administratione salarium non debetur, *Corn. cons.* 62 *n.... lib.* 4, *Jas. in L. litem n.* 2 *cod. de procur.*

7. Coeterum si sindicus circa administrationem publicorum negociorum aliquos sumptus et expensas bona fide fecerit, sunt illi ab universitate reficiendae, ut dicit *Guid. Pap. d. quaest.* 68 *n.* 2 *et* 4.

8. Immo si negocium a sindico pertractatum fuit grave et difficile esse illi saltem ex aequitate salarium constituendum, dixit *Menoch. cons.* 228 *n.* 10 *lib.* 2.

« Sindicus si mittatur ad aliquem locum pro servitio universitatis ul-
« tra expensas debet etiam habere salarium, *Conciol. ad statut. Eugubin.*
« *lib.* 1 *rub.* 25 *n.* 8.

9. Quo vero ad secundam difficultatem pro illius resolutione dico, esse in primis inspiciendum instrumentum sindicatus, an in illo appareat eum fuisse electum ad aliquod certum et determinatum tempus, puta ad annum, nam eo elapso expirat ejus officium.

« Habetur apud *Marcellum de Maur. alleg.* 10, quod si pro quolibet
« parlamento statutis temporibus habendo, eligi debeat sindicus cum alter-
« nativa, seu cum ordine turnario inter plures civitates vel provincias, sive
« inter ejusdem civitatis plateas vel contradas, tunc si differatur parlamen-
« tum ad aliquod tempus ultra consuetum durat idem sindicus, neque
« exinde praejudicatum dicitur alternative, *Card. De Luca de regularib.*
« *disc.* 6 *n.* 17.

10. Et non poterit refirmari ad alium annum, nisi omnes consiliarii conveniant in ejus persona, *Joan. Vincent. De Anna alleg.* 15, *Francisc. Vivius decis.* 129 *n.* 2 *part.* 2.

11. Ibique asserit quod uno tantum contradicente impeditur refirmatio.

12. Si autem non fuerit expressus terminus, sed fuit electus ad aliquod negocium peragendum, illo expedito cessat officium sindicatus.

13. Si autem fuit simpliciter et indeterminate creatus illius officium durabit, vel dum vixerit, *Angel. L. mandatum cod. mandat.*, vel donec fuerit revocatus ab eodem consilio a quo fuit electus, ut dicemus infra *cap. CXIV.*

14. Sed difficultas est, an possit revocari ab uno tantum ex consiliariis, vel saltem a minori parte, in qua difficultate communis est resolutio, quod in revocatione requirantur eaedem solemnitates quae requiruntur in creatione, *Bart. in L. actor n. 9 ff rem rat. haber.*, *Crav. cons.* 195 *n.* 8 *cum duobus sequentibus*, *Festas. in tract. de aestim. et collect. part.* 2 *quaest.* 2 *n.* 27, *Rot. cor. Seraphin. decis.* 1247 *n.* 2.

15. Nisi revocatio fieret ab eo qui solus habet eamdem potestatem quam habet totum consilium et tota universitas, ut declarat *Bart. in d. L. actor n.* 9 *in fin.*

16. Vel nisi ratio publicae utilitatis suaderet ut revocatio fieret, nam eo casu posset fieri etiam a minori numero consiliariorum, *Crav. d. cons.* 195 *n.* 10 post *Bald.* et alios quos allegat *Festas. d. quaest.* 2 *n.* 27.

17. Finito autem officio, sed non redditis etiam instrumentis tenetur sindicus inchoata perficere, ne universitas remaneat indefensa, ad instar tutoris cui assimilatur, qui et finita tutela debet inchoata ad finem perducere, *L. unic. cod. ut caus. post pubert.*, *Franc. Marc. decis.* 39 *n.* 3 *part.* 2 *et decis.* 515 *n.* 2 *part.* 2.

18. Redditis autem instrumentis licet non possit cogi ab universitate ut inchoata perficiat, potest tamen cogi ab adversario, *Bart. in L. ita autem § fin. n.* 1 *ff de administr. tut.*, *et in L. creditor § fin. n.* 1 *ff de appell. et relation.*, sequitur *Bald. in L. si actor n.* 2 *in fin. cod. de appell.*, et non videtur dissentire *Surd. cons.* 57 *n.* 17 *lib.* 1.

CAPUT XVIII.

DE PROCURATORIS CONSTITUTIONE.

SUMMARIUM

1. *Procurator particularium personarum constituitur per omne verbum quod exprimat voluntatem illius qui vult procuratorem constituere.*

2. *Regitus debet fieri a persona libera et non a servo.*
3. *Verbum* « volo » *debet referri ad personam illius qui est constituendus procurator.*
4. *Neque est proferendum in modo optativo.*
5. *Exemplum subiicitur in contractu emptionis et venditionis.*
6. *Verba ut inducant mandatum debent esse relata ad eum cui mandatur, circa id quod mandatur.*
7. *Verba conditionalia non inducunt mandatum.*
8. *Conditio nihil ponit in esse.*
9. *Si quis interrogaverit aliquem an velit facere tale quid pro eo, non censetur ei dedisse mandatum ad illud peragendum.*
10. *Verba hortativa non inducunt mandatum.*
11. *Neque verba commendativa.*
12. *Ut quis intelligatur constitutus procurator, non est necesse ut taliter nuncupetur a constituente, nec quod expresse illi detur mandatum sub nomine procuratoris.*
13. *Is cui conceditur administratio rei vel negocii, censetur constitutus procurator etiam ad faciendum omnia quae sunt utilia domino circa rem et negocium concessum.*
14. *Inquilinus, fructuarius, et similes si petant cautionem de damno infecto hoc faciunt tamquam domini procuratores.*
15. *Si operariis nuncietur novum opus ipsi possunt petere exprimi causam ob quam ab opere debeant desistere; habent enim mandatum pro tuitione domini absentis.*
16. *Procurator quis non intelligitur constitutus, si aliquis simpliciter pro illo de rato promittat.*
17. *Procurator constitui potest tam praesens quam absens.*
18. *Inter praesentes constituitur non solum verbis sed etiam aliis modis.*
19. *Absens constituitur procurator per nuncium vel per epistolam.*
20. *Mandatum est de contractibus qui consensu contrahuntur.*
21. *Consensus inter mandantem et mandatarium simultaneus esse debet.*
22. *Si absens nuncium vel litteras accipiat absque contraditione, inducitur unio consensuum mittentis ac recipientis.*
23. *Reprehenditur practica constituendi omnes procuratores et causidicos absentes tamquam praesentes ad confitendum debitum nomine constituentis, et ad recipiendum praeceptum de solvendo et terminum ad solvendum, absque eo quod hujusmodi constitutio alicui notificetur.*
24. *Defenditur a Gallesio.*

25. *Certum de jure dicitur id quod certificari potest per relationem ad aliquid certum.*
26. *Reiicitur opinio Gallesii.*
27. *Salvatur haec eadem opinio.*
28. *Procuratori constituto non est necesse ut transmittatur instrumentum mandati in publicam formam.*
29. *Officium procurator exercere potest absque exhibitione mandati.*
30. *Si adversarius opponat illum non esse admittendum nisi docto de mandato, ea casu instrumentum mandati exhibere tenetur.*

Explicavimus hucusque quae venerunt in mentem circa procuratores universitatum; sequitur ut agamus de procuratore particularium personarum, et in primis videamus quomodo constituatur.

1. Constituitur itaque procurator, de quo acturi sumus, per omne verbum expressivum voluntatis procuratorem constituere volentis, puta per verbum, rogo, volo, et similia, *L.* 1 *ff mandati*, *Joan. De Platea instit. eo tit. n.* 2, *Angel. cons.* 58 *n.* 2 *vers. Monaldus autem*, *Joan. Franc. a Ponte cons.* 91 *n.* 21, *Petrus Rebuff. in tract. de mandat. n.* 748.

2. Quoad verbum « *rogo* » hoc est observandum ut rogitus fiat a persona libera, secus si a servo, *L. si servi et ibi Gloss. ff de negoc. gest.*

3. Quo vero ad verbum « *volo* » hoc procedit si illud referatur ad personam quae constitui debet procurator, ex. gr. si quis dicat Titio, volo te gerere negocia mea: secus autem si proferatur impersonaliter, volo geri negocia mea, non exprimendo personam quae gerere debeat, *Petr. Ant. Anguissola cons.* 9 *n.* 1 *lib.* 1.

4. Vel si sit prolatum in modo optativo, puta si quis alteri dixerit, vellem quod gereres negocia mea.

5. Nam quemadmodum si quis alicui dixerit vellem tibi vendere equum meum pro centum, licet ille respondeat, et ego vellem emere, non induci contractum emptionis et venditionis dicit *Gloss. in L. in vendentis ad fin. cod. de contrah. empt.*, quia oratio concipitur per verbum praeteriti imperfecti, quod rem imperfectam significat, quam sequitur ibi *Bald. n.* 15 addens aliam rationem, quia illud verbum, vellem, potius enunciat quam disponat: ita dicendum est in mandato.

6. Ad effectum autem ut ex verbis inducatur mandatum requiritur quod illa sint dispositive relata ad eum cui mandatur, circa id quod mandatur, *L.* 1 *ff mandat.*, *instit. eo tit. in princ.* per quae jura *Riminald. Senior. cons.* 55 *n.* 6 *lib.* 1.

7. Qui *Riminald.* ibidem *n.* 7 infert quod verba conditionalia non inducunt mandatum, *Bart. in L. si pupilli* § *videamus n.* 8 *ff de negoc. gest.*, quia quod est in conditione non est in dispositione.

8. Conditio enim nihil ponit in esse, *L. si quis sub conditione ff si quis omiss. caus. testam.*

« Principalis non obligatur ex facto procuratoris, quando mandatum « fuit datum sub conditione, ut aliquid agatur cum alterius consilio, et « illud non fuit requisitum, *Palma Nepos decis.* 257 *n.* 2 *lib.* 3.

« Licet vero disputent DD. an satis sit consilium solummodo requirere, « vel etiam sequi debeat, quando tamen a principio datur facultas alicui, « quam non habebat, ut aliquid gerat cum consilio alterius, tunc consi- « lium nedum requiri sed expectari et sequi debet; istud namque consi- « lium accipitur pro consensu, et sic actus sine eo factus omnino est nul- « lus, *Palma Nepos ibid. n.* 3 *et* 4.

« Quod autem mandatum factum sub conditione valeat, tradit *Ludovic.* « *Cencius in suo tract. de procurat. cap.* 120 *n.* 17.

9. Prout etiam si quis interrogaverit aliquem an velit facere tale quid pro eo, non censetur ei dedisse mandatum ad illud peragendum cum verba illa non sint dispositive prolata sed explorativa voluntatis ejus ad quem directa fuerunt, et proinde non inducunt consensum simultaneum nec dispositionem ipsius interrogantis, prout requiritur ad inducendum mandatum, *Riminald. Sen. d. cons.* 55 *n.* 5 *et* 8, ut supra dictum fuit.

10. Eadem ratione verba hortativa mandatum non inducunt, *L. ob haec verba*, et ibi *Gloss. ff de his qui not. infam.*, *Gloss. in d. L.* 1 *ff mand.*, *Jo. de Plat. instit. eod. tit. n.* 2, *Rimin. Jun. cons.* 685 *n.* 56 *lib.* 6, *Burs. cons.* 20 *n.* 5 *lib.* 1, *Petr. Ant. Anguiss. d. cons.* 9 *n.* 4 *lib.* 1.

11. Quemadmodum nec verba commendatitia sunt apta ad inducendum mandatum, *L. si vero non remunerandi* § *cum quidam ff mandat.*, *Gloss. in d. L. ob haec verba, et in d. L.* 1 *ff mand.*, *Anguiss. d. cons.* 9 *n.* 4 *lib.* 1.

12. Adnotandum etiam est, quod ad effectum ut quis dicatur constitutus procurator, non est necesse ut constituens illum appellet procuratorem, nec quod expresse illi det mandatum sub nomine procuratoris; namque censetur quis constitutus procurator, si ab aliquo fiat curator suorum bonorum ad agendum et defendendum, *Marcabrunus de Anguillis cons.* 97 *n.* 8 *et seqq.*, qui alios citat.

13. Similiter is cui conceditur administratio alicujus rei vel negocii censetur constitutus procurator, non solum circa administrationem dictae rei vel negocii, *Angelus a Gambilionibus*, *alias Aretinus*, *cons.* 66 *n.* 1 *in fin. et n.* 2, *Nicolaus Boerius decis.* 124 *n.* 2, sed etiam ad faciendum omnia quae sunt utilia, atque ad utilitatem tendunt domini circa rem et negocium concessum in administrationem.

14. Atque hinc *Bart. in L. filius ad fin. vers. praeterea ff de damn. infect.* dicebat, quod inquilinus, fructuarius, et similes, si petant cautionem de damno infecto, hoc faciunt tamquam procuratores domini et procuratorio nomine illius, quem sequitur ibi *Castrens. n....*, *Alex. in L. in provinciali § fin. n.... ff de nov. oper. nunc.*

15. Similiter si operariis nuncietur novum opus, ipsi possunt petere exprimi causam ob quam ab opere coepto debeant desistere: sunt enim ibi pro domino, et tractatur de tuenda possessione domini absentis, pro cujus tuitione concessum censetur illis mandatum, *L.* 1 § *si per vim, vel alio modo.*

16. Non tamen censeretur quis constitutus procurator ex eo quod aliquis simpliciter pro illo de rato promitteret, *Bald. in addit. ad Specul. post. tit. de procur. in vers. clausula*, refert et sequitur *Oddus cons.* 20 *n.* 10 *in fin. lib.* 1.

17. Procurator autem constitui potest non solum praesens, sed etiam absens, *L.* 1 et ibi *Bald. in princ. ff de procur., cap. licet is*, et ibi *Gloss. eod. tit. lib.* 6, *Jo. Franc. Purpuratus cons.* 600 *n.* 14 *lib.* 2.

18. Inter praesentes quidem non solum verbis, ut supra fuit dictum, sed etiam aliis modis, quos videre licet infra *cap. XXXI mandatum ad lites quando praesumatur*, et *cap. XXXII mandatum ad negocia quando praesumatur.*

19. Absens autem constituitur procurator per nuncium, vel epistolam, *L.* 1 § *constituitur ff de procur., L.* 1 *in princ. ff mand., Paris. cons.* 47 *n.* 14, *cons.* 91 *n.* 1 *lib.* 1, *Franciscus a Ponte cons.* 91 *n.* 20, *Rot. Genuen. decis.* 119 *n.* 1, *Marcus Antonius de Amatis decis. March.* 80 *n.* 16, *Franc. Viv. decis.* 465 *n.* 100 *lib.* 3, *Rot. coram Verall. decis.* 185 *n.* 2 *lib.* 2. Eo enim ipso quod procurator recipit literas significantes qualiter scribens constituit illum suum procuratorem, si non contradicat sed illas acceptet, dicitur creari procurator; non quia per illas literas efficiatur procurator, sed quia per illas significatur ei voluntas dispositiva scribentis, quod illum facit suum procuratorem, ex qua copulata cum voluntate recipientis dictas literas absque contradictione, resultat simultaneus eorum consensus ex quo inducitur mandatum. Unde non sufficit quod quis faciat aliquem absentem suum procuratorem, sed necesse est ut hoc illi notificetur per nuncium vel epistolam, *Bart. cons.* 73 *quaeritur utrum n.* 2 *lib.* 1, *Aretinus cons.* 68 *n.* 4 *vers. et ideo, Franc. Becius cons.* 65 *n.* 4 *vers. et propterea, Bart. lib.* 1, *Felin. in cap. sciscitatus n.* 42 *extr. de rescr., Hipolytus Marsilius in L. si quis ne quaestio. n.* 64 *et seqq. ff de quaest., Rebuff. ad L. subsignatum* 39 § *attestati col.* 2 *circa princ. vers. de constituto ff de verb. sign., Purpur. cons.* 600 *n.* 16 *lib.* 2, *Vant. in tract. de nullitat. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 115.

« Mandatum probatur ex literis *d'Avviso*, *Saminiat. controv.* 27 *n.* 37 « *lib.* 1.

« Mandatum dari et probari potest per epistolam et literas missivas, « *idem Saminiat. ibid. n.* 38. Nota quod istae conclusiones referuntur « etiam infra *cap. XXV ad n.* 5.

« Mandatum dari posse per epistolam est indubitatum de jure, *Sami-* « *niat. controv.* 159 *n.* 32 *lib.* 2.

« Mandatum potest fieri non solum et probari per instrumentum, ve- « rum etiam per nuncium, chirographum, aut literas missivas, etiam si « mandatum esset ad praestandum consensum in beneficialibus, *Rot. decis.* « 132 *n.* 8 *par.* 9 *tom.* 1, *decis.* 198 *n.* 9 *par.* 2, *decis.* 110 *n.* 5 *et seqq.* « *part.* 19 *tom.* 1 *Recent.*

20. Nam cum mandatum sit de contractibus qui consensu contrahuntur, *Instit. de mand. in princ.*,

« Mandati defectus arguit defectum consensus, *Palma Nepos decis.* 90 « *n.* 11 *lib.* 1:

21. Iste consensus debet inter mandantem et mandatarium esse simultaneus, et non potest conjungi absque dicta notificatione, ut dicunt praefati DD., et pro communi firmat *Capyc. decis.* 180 *n.* 8 *per tot.*

22. Quando enim absens ad quem nuncius vel literae diriguntur illas recipit et non contradicit, inducitur copulatio consensuum mittentis et recipientis, ut post *Bald. in L.* 2 *in princ. ff de pact.*, et alia jura dicit *Paris. d. cons.* 91 *n.* 2 *lib.* 1, et proinde dictus consensus dicitur simultaneus, ut dicemus infra capite proximo, sine qua notificatione dicta copulatio consensuum non sequeretur.

« Acceptatio mandati evincitur ab illius executione, *Saminiat. con-* « *trov.* 27 *n.* 39 *lib.* 1.

23. Et hinc *Hippolyt. Marsil. in L. si quis ne quaestio n.* 59 *ff de quaest.*, quem sequitur *Becius d. cons.* 65 *n.* 4 *ad fin.*, reprehendit practicam constituendi omnes procuratores et causidicos absentes tamquam praesentes, ad confitendum debitum nomine ipsius constituentis, et ad recipiendum praeceptum de solvendo, et suscipiendum terminum ad solvendum, absque eo quod hujusmodi constitutio alicui notificetur per nuncium vel epistolam. Nam, ut ipse *Marsilius* dicit, non potest resultare simultaneus consensus inter constituentem et procuratorem, et consequenter nec mandatum validum et efficax.

24. Et licet *Antonius Maria Gallesius* in suo tractatu *de obligatione camerali par.* 5 *quaest.* 4, et secundum ordinem *Pauli Zacchiae quaest.* 21 *n.* 3 *et seqq.* reassumendo hoc dictum *Marsilii* asserat hujusmodi procuratorum constitutionem posse sustineri, si constituantur procuratores omnes causidici qui nunc sunt in tali loco, puta Perusiae, quia per illa verba « *qui nunc sunt* », certificari potest persona procuratoris constituti,

25. Cum de jure certum dicatur id, quod certificari potest per relationem ad aliquid certum, *L. certum ff si cert. pet.* cum aliis ibi per *Gallesium* allegatis,

26. Ego tamen non existimo quod per hanc considerationem poenitus tollatur et enervetur ratio *Marsilii*. Nam quamvis per illa verba, *qui nunc sunt*, possit certificari persona procuratoris, non tamen ob dictam certificationem potest resultare ille simultaneus consensus requisitus.

27. Posset forte salvari opinio *Gallesii*, si alicui ex existentibus in loco a constituente expresso notificetur talis constitutio, quo casu induceretur mandatum inter constituentem et eum cui illud foret notificatum, per supradicta.

28. Licet autem sit necessaria dicta notificatio et significatio constitutionis, non tamen est necesse ut procuratori constituto transmittatur instrumentum mandati in publicam et authenticam formam, ut dicit *Bart. d. cons.* 73 *n.* 2 *lib.* 1, et sequitur *Alex. cons.* 146 *n.* 34 *lib.* 5.

29. Nam potest absque exhibitione instrumenti procuratoris officium exercere, maxime si illius constitutio fuit per nuncium vel literas notificata adversario, cum promissione de rato pro ipso procuratore, ut opus est, *L. si procuratorem ff. de procurat.*

30. Quod si adversarius nolit cum illo litigare et opponat illum non esse admittendum nisi docto de mandato, eo casu tenetur instrumentum mandati exhibere, *Bald. in L.* 1 *in* 2 *lectur. n.* 3 *vers. ego concedo ff. de procurat.*, quem sequitur *Alex. d. n.* 34.

Quo autem modo debent fieri hujusmodi notificatio procuratori per nuncium vel epistolam explicabimus in proximo capite.

CAPUT XIX.

MANDATUM ABSENTI FACTUM QUOMODO SIT ILLI NOTIFICANDUM.

SUMMARIUM

1. *Nuncius procuratori ejus constitutionem significans, debet esse ad hoc specialiter destinatus.*
2. *Literae procuratori missae debent esse scriptae ab eo qui procuratorem constituit.*
3. *Hoc citata parte constare debet.*
4. *Cautius est si illae sint munitae proprio scribentis sigillo, et illud sit recognitum.*

5. *Debet constare dictas literas fuisse transmissas ad eum qui dicitur constitutus procurator, et ab illo receptas.*
6. *Constitutio procuratoris refertur ad tempus quo literae recipiuntur a mandatario.*
7. *Pactum inducitur ex consensu resultante ex literis missis atque receptis.*
8. *Debet constare literas fuisse procuratori praesentatas.*
9. *Praesentatio literarum debet fieri vivente eo qui illas exaravit et transmisit.*
10. *Mortuus consentire non potest.*
11. *Causa cessante, effectus cessare debet.*

1. Conclusum fuit in praecedenti capite quod mandatum absenti factum debet illi notificari per nuncium vel per epistolam, sequitur ut videamus quomodo dicta notificatio fieri debeat. Et quoad illam quae fit per nuncium hoc est breviter adnotandum, quod debeat fieri per nuncium ad id specialiter destinatum, etenim si extraneus aliquis absque mandato et commissione domini constituentis, illi hanc constitutionem significet, tunc procurator non potest dici legitime constitutus, cum eo casu considerari minime possit ille simultaneus consensus, qui inter constituentem et procuratorem est necessarius, ut concludit *Bart. cons.* 73 *n.* 3 *lib.* 1 quem sequitur *Becius cons.* 65 *sub n.* 4 *lib.* 1.

« Quo vero ad modum notificandi per literas, ad hoc ut ex ea possit resultare valida et efficax procuratoris constitutio ita ut possit procuratoris officium exercere, multa requiruntur de quibus est breviter « disserendum.

2. Primo itaque requiritur ut dictae literae sint scriptae ab eo qui procuratorem constituisse dicitur, *L. fin. in princ. ff de probat.*, *L. fin. in princ. ff de leg.* 2, est textus in terminis *in L. si procuratorem*, et ibi scribentes *ff de procurat.*, et per dicta jura *Simon De Praetis cons.* 83 *n.* 6 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 119 *n.* 1.

3. Et quod de hoc constet etiam parte citata, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabil. seu mandat. n.* 139, *Rot. Genuen. d. decis.* 119 *n.* 1, *Menoch. de arbitr. judic. quaest. casu* 94 *n.* 9 *circa med.*

4. Et cautius esset si illae proprio scribentis sigillo, si illud sit recognitum, munitae essent, *Bart. in d. L. si procuratorem n.* 2 *ff de procur.*, *Francisc. Viv. decis.* 54 *n.* 2, *Sebastianus Medices decis. March.* 7 *n.* 3.

5. Secundo requiritur, quod dictas literas constet fuisse transmissas ad eum qui dicitur constitutus procurator, et ab illo receptas; nam tale mandatum perficitur per receptionem dictarum literarum, quia eo ipso quod

procurator dictas literas recipit et tacet, dicitur consentire et ratificare mandatum, *Bart. in L.* 1 § *dari n.* 2 *ff de procurat.*, et statim insurgit simultaneus consensus inter ipsum et constituentem, et oritur mutua obligatio, ut comprobat *Decian. cons.* 109 *n.* 17 *lib.* 2.

6. Constitutio enim procuratoris non consideratur relate ad tempus quo literae scribuntur, sed relate ad tempus quo illae recipiuntur, et ad illud tempus mandatum reducitur, *L. qui absenti ff de acquir. possess.*, *L. absenti ff de donation.*; per quae jura *Tiberius Decianus d. n.* 17, *Rimin. Sen. cons.* 84 *n.* 5 *lib.* 1.

7. Qui consensus propterea dicitur simultaneus et efficax ad inducendum dictum contractum mandati, ut in simili ad inducendum pactum (quod similiter requirit simultaneum partium consensum *L. pactum*, et ibi communiter scribentes *ff de pactis*) sufficere illum consensum qui resultat ex missione et receptione literarum, dicunt *Didacus Covarruvias ad cap. quamvis par.* 2 § 4 *n.* 14 *de pactis*, *Paris. cons.* 127 *n.* 28 *et seqq. lib.* 1, *Rimin. Jun. in princ. instit. de donat. n.* 769, *Surd. cons.* 371 *n.* 36 *et seqq. lib.* 3, *Franciscus Monaldus cons.* 161 *n.* 5 *lib.* 2, *Thomas Sanchez de matrimonio lib.* 1 *disp.* 6 *n.* 3.

8. Debet itaque constare de praesentatione dictarum literarum, secus nihil probant, *d. L. qui absenti ff de acquir. possess. per quem tex. Rip. L. admonendi n.* 136 *ff de jurejurand.*, *Menoch. de arbitr. judic. d. casu* 94 *n.* 18, late *Nicolaus De Passeribus*, *Genua de scriptur. privat. lib.* 3 *cap.* 1 *n.* 91 *et seqq.*

9. Tertio requiritur ut praesentatio dictarum literarum fiat vivente eo qui illas exaravit et transmisit, *Rimin. Jun. cons.* 9 *n.* 15 *lib.* 1, *Rimin. Sen. cons.* 84 *n.* 5 *lib.* 1, *Genua d. cap.* 1 *n.* 94.

10. Si enim praesententur post mortem scribentis, deficit consensus simultaneus, cum mortuus consentire non possit, *Felin. in cap.* 2 *n.* 10 *vers. idem operatur*, *extr. de fide instrum.*, *Menoch. d. casu* 94 *n.* 19.

11. Nam ut dictum est mandatum refertur ad tempus praesentationis literarum, et cum eo tempore deficiat consensus scribentis, et propterea causa inductiva mandati, debet etiam cessare effectus, videlicet constitutio procuratoris, vulgat *L. adigere* § *quamvis ff de jure patron.*

CAPUT XX.

QUI POSSINT PROCURATOREM CONSTITUERE.

(CONCLUSIO PRIMA)

SUMMARIUM

1. *Procuratorem constituere valent non solum domini, sed etiam ii ad quos negocium et causa pertinent etiam secundario et ratione officii.*
2. *Procurator est is qui mandato domini aliena negocia administrat.*
3. *Procurator constituitur ab eo qui rebus suis superesse vel non vult vel non potest.*
4. *Relativum* « suus » *proprietatem et dominium significat.*
5. *Filiusfamilias in iis bonis in quibus pater non habet usumfructum, quandocumque procuratorem constituere potest.*
6. *Minor* 25 *annis ad negocia, et signanter ad alienandum non potest constituere procuratorem absque solemnitatibus.*
7. *Prohibito fine censentur etiam prohibita omnia quae tendunt ad finem.*
8. *Minor non potest constituere procuratorem ad lites absque solemnitatibus quae in minorum contractibus requiruntur.*
9. *Secus procedit in judiciis possessoriis.*
10. *Ac etiam in beneficialibus.*
11. *Mulieres absque debitis solemnitatibus non possunt sibi procuratorem facere, neque respectu rerum quarum sunt dominae.*
12. *Quod non procedit in procuratore ad lites.*
13. *Contra, quod etiam in procuratore ad lites constituto a muliere requirantur dictae solemnitates.*
14. *Mulier cum sit prohibita sua bona alienare, est etiam prohibita actiones exercere.*
15. *Paria sunt per se vel per procuratorem litigare.*
16. *Quod circa solemnitates adhibendas a muliere in constituendo ad lites procuratore, debeat haberi respectus ad statuta et constitutiones locorum requirentes hujusmodi solemnitates.*
17. *Declaratur hoc idem principium.*
18. *Verba statutorum stricte et proprie accipi debent.*
19. *De statuto prohibente mulieribus ne se obligent sine certis solemnitatibus.*

20. *Ex mandato etiam ad lites et judicia oritur obligatio.*
21. *Quomodo consideranda verba, et dispositio statuti.*
22. *Forma statuti specifice debet impleri.*
23. *Quando mulier possit facere sibi procuratorem ad lites et ad judicialia absque solemnitatibus a statuto praescriptis.*
24. *Excommunicatus non potest constituere procuratorem ad lites etiam si agatur de propriis suis bonis.*
25. *Nec alium procuratorem in sui locum substituere.*
26. *Excommunicatus potest facere procuratorem ad se defendendum in judicio.*
27. *In iis casibus in quibus quis potest esse in judicio, potest etiam sibi facere procuratorem.*
28. *Excommunicatus actus extrajudiciales exercere non prohibetur.*
29. *Maxime quoad nudum ministerium facti.*
30. *Contraria sententia* Cardinalis Hostiensis in cap. si vero extr. de sentent. excommunic. *reiicitur.*

Fuit in praecedentibus capitibus explicatum, quomodo procuratoris constitutio inducatur, nunc quaerendum est qui possint procuratorem constituere. In quo articulo duas reperio apud DD. conclusiones, quae in praesenti et sequenti capite sunt enucleandae.

1. Prima est quod procurator constituitur a domino: secunda, quae est ampliativa primae, est quod procuratorem constituere possunt non solum domini, sed etiam ii ad quos negocium et causa pertinent non solum jure proprio et principaliter, verum etiam ii ad quos pertinent secundario et ratione officii.

2. Primam conclusionem ponit *Innoc. in cap. petitio n.* 1 *extr. de procurat.* quae optime probatur in *L.* 1 *ff de procurat. tum in princip.* ubi JC. definiendo procuratorem, dicit quod est is qui mandato domini aliena negocia administrat, ponderando illa verba *mandato domini;* tum in § *usus autem.*

3. Ubi dicitur quod procuratorem constituit is qui rebus suis ipse superesse vel non vult, vel non potest.

4. Ponderando illud relativum « *suis* » quod proprietatem et dominium significat, *L. Quintus cap.* 2 § *argento,* et ibi *Bart. n.* 6 *ff de aur. et argent. legat.* § *sic itaque instit. de action., Riminal. Jun. cons.* 392 *n.* 38 *lib.* 4, *Menoch. cons.* 129 *n.* 7 *lib.* 2, *et de praesumption. lib.* 4 *quaest.* 262 *n.* 28. Ex quo textu optime apparet probata haec prima conclusio.

5. Atque hinc justificatur illud DD. dictum, quod filiusfamilias in iis bonis in quibus pater non habet usumfructum, et sic spectant ad filium

pleno jure dominii, potest quandocumque etiam ante litis contestationem procuratorem constituere, *Lupus ad cap. per vestras in ration. dubitandi* § 28 *n.* 5 *extr. de donationib. inter vir. et uxor. fol. mihi* 164. Cum in iis absque patris consensu esse in judicio et actiones exercere possit, *L. non solum* § *necessitate cod. de bon. quae liber.*, *Lupus ubi supra*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defectu inhabilit. seu mandat. n.* 40 *vers. in reliquis igitur causis*, *Ascanius Clementinus de patr. potest. cap.* 6 *effect.* 4 *n.* 13 ubi plures allegat,

Non tamen quilibet dominus potest pro rerum et negociorum administratione procuratorem constituere; aliqui enim prohibentur propter aetatem, aliqui propter sexus fragilitatem, alii etiam aliis de causis.

6. Ac proinde minor vigintiquinque annis ad negocia et signanter ad alienationem non potest constituere procuratorem absque solemnitatibus, et optimis rationibus nixus statuit *Boccatius ad constit. March. Gloss.* 8 *n.* 15; cum enim minor sit prohibitus contrahere sine certis solemnitatibus, eadem ratione non potest facere mandatum ad contrahendum absque iisdem solemnitatibus.

7. Prohibito enim fine censentur etiam prohibita omnia quae tendunt ad finem, *L. oratio ff de sponsalib. cum similibus.*

8. An autem minor possit constituere procuratorem ad lites absque solemnitatibus requisitis in contractibus minorum (quod enim adhibitis solemnitatibus, et cum decreto competentis judicis possit sibi procuratorem facere etiam ante litis contestationem sancivit, *Imper. in L. neque tutores cod. de procurat.*, et concludunt *Cephal. cons.* 745 *n.* 3 *lib.* 5, *Joachimus Mynsigerus singul. observat. centur.* 2 *observat.* 38 *n.* 4) sunt opiniones, et partem affirmativam fuit amplexus *Gratian. disceptat. foren. cap.* 738 *n.* 37, contrarium tamen videtur concludendum per *tex. in d. L. neque tutores* § 1, et hanc opinionem tenuit *Paris. cons.* 32 *n.* 11 *lib.* 3, *Decian. cons.* 91 *n.* 27 *lib.* 3, *Virginius de Boccatiis d. Gloss.* 8 *n.* 16 *circa princ. vers. videamus ibi: Ego vero teneo, et vers. si ergo*, ubi respondet rationibus propter quas contrariam sententiam firmat *Gratian. d. n.* 37.

9. Transeundo autem cum hac posteriori et negativa sententia, eam limita non procedere in judiciis possessoriis, *L. fin. cod. qui legit. person.*, *Boccatius d. Gloss.* 8 *n.* 17.

10. Neque in beneficialibus, *Franch. in cap. si annum n.* 3 *vers. ultimo not. de judic. lib.* 6, *Boccat. d. Gloss.* 8 *n.* 18, *Rot. cor. Crescent. decis.* 211 *quae est* 11 *de sentent. et re judicat. n.* 6.

11. Mulieres quoque, quia sinae debitis solemnitatibus non possunt contrahere, nec etiam possunt sibi procuratorem facere, etiam respectu rerum quarum sunt dominae, ut firmavit *Oddus cons.* 51 *n.* 6 *lib.* 1 qui multos allegat, quibus adde *Boccat. d. Gloss.* 8 *n.* 15.

« Indubitati juris est easdem solemnitates in mandato requiri quae « requiruntur in contractu, quia eadem facilitate qua mulier potest in- « duci ad contrahendum, potest etiam induci ad faciendum mandatum de « contrahendo, *Actolin. resolut.* 66 *n.* 31 *et* 32.

« Mandatum factum a muliere, etiam ad ratificandum, requirit easdem « solemnitates quas requirit ratificatio, *Rot. decis.* 114 *n.* 13 *part.* 14 « *Recent.*

12. Quo vero ad procuratorem ad lites partem affirmativam defendit *Angel. cons.* 317 *n.* 4 *vers. item non potest*, qui movetur ea ratione, quia hoc mandatum tendit principaliter ad ipsius mulieris utilitatem, unde non videntur necessariae dictae solemnitates ex *Bald. in d. L. neque tutores.*

13. Contrariam vero et negativam sententiam videtur amplexus *Paul. De Castr. cons.* 119 *n.* 2 *lib.* 2., dum nititur sustinere sententiam latam cum procuratore constituto a muliere absque solemnitatibus, eo solo fundamento quia erat lata ad favorem ipsius mulieris, quae sola poterat dare de nullitate; ac proinde sentit quod si lata fuisset sententia contra mulierem, potuisset dici de illius nullitate proveniente ex defectu mandati intervenientis pro ipsa muliere, et hanc opinionem sequitur *Boccat. d. Gloss.* 8 *n.* 16.

14. Atque ea ratione comprobari posse videtur, quia cum mulier sit prohibita alienare bona sua, est etiam prohibita actiones exercere, *L. ait praetor* § 1 *ff de jure deliber.* et ibi *Bart. n.* 1, *Tiraquell. de leg. connub. Gloss.* 5 *n.* 207.

15. Et consequenter cum per se vel per procuratorem litigare idem sit, *L.* 1 *ff de procurat.*, *L. apud Julianum* § *contractum ff ex quib. caus. in possess. eat*, sicut non potest per semetipsam, ita neque per procuratorem ad hoc facere.

16. Equidem in hac difficultate cum prohibitio mulierum de non alienando proveniat ex statutis locorum (cum in mulieribus majoribus hoc prohibitum in jure non reperiatur) existimo esse ponderanda verba statutorum vel constitutionum hujusmodi solemnitates requirentium.

« Mandatum non est de se actus laesivus et ideo potest dari a mu- « liere sine solemnitatibus statuti requirentis solemnitates in eorum actibus « laesivis, *Rot. decis.* 497 *n.* 6 *part.* 5 *tom.* 2 *Recent.*

« Secus si statutum absolute prohiberet quemlibet contractum, *d. decis.* « 497 *n.* 7.

17. Si statutum enim vel constitutio prohibet mulieribus ne contrahant sine certis solemnitatibus, et ex hoc statuto non prohibentur constituere procuratorem ad lites et ad judicialia;

18. Cum in illis stricte et proprie (prout statutorum verba accipi debent *L. si vero* § *de viro ff solut. matrim.*) non contrahatur sed quasi

contrahatur, *L.* 3 § *idem scribit*, et ibi *Gloss.* 1, et *Bart. in princ. ff de pecul.*, *Gloss. in L.* 2 § *fin. in verb. ex parte post princ.*, et ibi etiam *Bart. col.* 1 *vers. sed cum decedit ff de praetor. stipulat.*

19. Si vero statutum prohibet mulieribus ne se obligent sine certis solemnitatibus;

20. Et cum ex mandato etiam ad lites et judicia oriatur, et contrahatur obligatio ut dicemus infra *cap. IC de actione mandati*, et tunc mulier non poterit sine solemnitatibus statutariis procuratorem constituere etiam ad lites et ad judicia, ut pluribus comprobat *Gratian. decis. March.* 45 *n.* 15 *et seqq.*, *Joannes Stephanus Lambertengus de cont. eorum quib. vel a jure comm. vel a statutis sine certis solemnitat. contrahere permissum non est*, *Gloss.* 3 *n.* 43 *in fin.*

21. Vel sunt alio modo consideranda verba et dispositio statuti; nam si illud requirit dictas solemnitates pro forma substantiali, mulier non poterit sine dictis solemnitatibus sibi etiam ad lites procuratorem constituere; etenim tunc non est considerabilis utilitas mulieris;

22. Sed forma statuti quae debet impleri specifice, *Bald. in L. fin.* § *necessitate n.* 17 *cod. de bon. quae liber.*, *Rol. a Valle cons.* 54 *n.* 45 *lib.* 2, *Gratian. d. decis.* 45 *n.* 11 *et seqq.* nisi utilitas mulieris sit multum evidens, *Dec. cons.* 331 *col.* 3 *n.* 4 *vers. secundo principaliter respondetur*, *Tiraquel. de legib. connubial.*, *Gloss.* 8 *n.* 89.

23. Si autem statutum requirat dictas solemnitates non pro forma, sed ad occurrendum fragilitati mulierum, et tunc verior sit opinio affirmativa, quod mulier possit sibi facere procuratorem ad lites et ad judicialia absque illis solemnitatibus. Nam eo casu, erit specialiter et principaliter spectandum an judicium illud sit futurum utile ipsi mulieri, *Bald. in L. neque n.* 1 *cod. de contr. stipulat.*, *Jas. in L. contra juris in princ. n.* 7 *ff de pactis.*

24. Excommunicatus similiter licet agatur de suis propriis bonis non potest in judicialibus et ad lites procuratorem constituere, *cap. fin. extr. de procur.*

25. Immo nec etiam potest alium procuratorem in sui locum substituere, ut post multos concludit *Franc. Marc. decis.* 1233 *n.* 5 *part.* 1.

26. Ista tamen conclusio debet limitari: primo ut excommunicatus non sit prohibitus facere procuratorem ad se defendendum in judicio.

27. Nam regulare est quod in iis casibus in quibus potest quis esse in judicio, in illis etiam potest sibi procuratorem facere, *Inn. in cap. cum primo et secundo n.* 1 *extr. de sentent. et re judicat.*, *et in cap. intelleximus* et ibi *Dec. n.* 14 *et Felin. n.* 8 *extr. de judic.*, et propterea licet excommunicatus prohibeatur ne possit esse in judicio tamquam actor et agendo, potest tamen provocatus in judicio se defendere tamquam reus,

multos allegat *Vant. de nullit. in tit. quis possit dicere de nullit. n.* 30, *Mattheus De Afflictis decis.* 268 *n.* 3, *Ant. Gravatius ad Octavianum Vestrium in sua praxi lib.* 7 *cap.* 1 *n.* 25, *Rot. decis.* 696 *n.* 3 *part.* 2 *Recent.*, et proinde poterit etiam facere procuratorem qui ipsum defendat in judicio, *d. cap. intelleximus*, et ibi *Innoc. Abb. et alii*, et praesertim *Franc. Marc. decis.* 1233 *n.* 5 *in fin. et n.* 60.

28. Limitatur secundo in extrajudicialibus, in quibus excommunicatus non prohibetur exercere actus, *Abb. in cap. veritatis n. . . . . extr. de dol. et contum. arg. cap. decernimus a contrario sensu de sentent. excommunicat. lib.* 6.

29. Maxime quoad nudum ministerium facti, *cap. pro illarum*, et ibi notant DD. *extr. de praeben.*, et per haec hanc opinionem amplectitur *Franc. Marc. d. decis.* 1233 *n.* 2 *et* 3 *part.* 1.

30. Explosa contraria sententia *Hostiensis* in *cap. si vero extr. de sentent. excommunic.* dicentis excommunicatum non posse constituere procuratorem ad negocia, quia contractus illius non valent ad ejus utilitatem, sed tantum in praejudicium ipsius.

« In electione Summi Pontificis non admittitur illa facultas, quae de « jure in aliis comitiis, vel capitulis conceditur absentibus atque legitime « impeditis, proferendi votum per procuratorem, *Card. De Luca in relat.* « *Rom. Cur. disc.* 3 *n.* 18.

CAPUT XXI.

QUI POSSINT PROCURATOREM CONSTITUERE.

(CONCLUSIO SECUNDA)

SUMMARIUM

1. *Mandatum dicitur quasi manu datum.*
2. *Quis mandat quod potest explicare.*
3. *Procurator Caesaris inter privatas personas non potest cognoscere, neque alteri mandare ut inter illas cognoscat.*
4. *Servus regulariter non potest constituere procuratorem ad lites:*
5. *Potest tamen in causis ad ipsum principaliter spectantibus.*
6. *Episcopus etiam ante litis contestationem in causis episcopatus procuratorem constituere valet.*
7. *Ita etiam Praelatus in causis suae Ecclesiae.*
8. *Praesumitur constituisse procuratorem de consensu sui capituli.*
9. *Patris ad officium spectat res filiorum defendere.*

10. *Pater potest constituere procuratorem in causis filiorum etiam ante litis contestationem.*
11. *Si filius sit minor septennio potest solus pater absque illius consensu et praesentia illi procuratorem constituere.*
12. *Si filius sit major septennio requiritur ejus consensus.*
13. *Tutor principaliter personam pupilli, secundario res illius defendere tenetur.*
14. *Habet amplam potestatem circa administrationem bonorum et rerum sui pupilli.*
15. *Exceptis iis in quibus requiritur causae cognitio, et judicis decretum.*
16. *Potest ad negocia pupilli et ad contrahendum pro eo procuratorem constituere.*
17. *Negocia pupilli sunt negocia ipsius tutoris curae et sollicitudine.*
18. *Tutor pro pupillo procuratorem constituere non valet nisi post litem contestatam, et postquam sit effectus dominus litis.*
19. *Nemo potest pro alio procuratorem ad lites facere, nisi sit effectus dominus litis.*
20. *Vel nisi habeat mandatum ab illo cum facultate substituendi.*
21. *Tutor non potest constituere procuratorem pupilli nisi sit effectus dominus litis.*
22. *Tutor testamentarius etiam ante litis contestationem pro pupillo procuratorem constituere potest.*
23. *Dummodo confecerit inventarium vel ei fuerit remissa illius confectio.*
24. *Tutorem non posse pupilli procuratorem constituere ante litis contestationem limitatur de jure canonico.*
25. *Nec procedit si ipse tutor una cum pupillo faciat procuratorem.*
26. *Vel si nomine pupilli ipsum constituat.*
27. *Quando tutor solus vel cum pupillo potest procuratorem constituere, illum facere debet cum solemnitatibus requisitis, et signanter cum decreto judicis competentis.*
28. *Alias processus cum procuratore fabricatus esset invalidus.*
29. *Acta tamen per dictum procuratorem tendentia ad favorem pupilli essent valida.*
30. *Quid, si quis eligat pro alio procuratorem minime instructum, et non habentem notitiam causae et illius meritorum?*

1. Secunda erat conclusio circa hunc articulum, qui possint procuratorem constituere: quod hoc dicent non solum dominis ipsis negociorum et

causarum, ut firmatum est in praecedenti capite, sed etiam iis ad quos negocia et causae pertinent, vel jure proprio et principaliter, *Gloss. in L.* 1 § *usus autem in verb. vel nolit ff de procurat.*, *L. sed si unius ff de injuriis*, *L. plane ff famil. haerciscund.*, *L. fin. cod. de procur.*, *L. fin.* § *cum autem cod. de his qui ad exules confug.*, et multorum auctoritate firmat *Felin. in cap. post cessionem n.* 32 *vers. et adverte extr. de probat.*, sed etiam iis ad quos causae et negocia pertinent ratione dignitatis vel officii, ut infra videbimus.

Cum enim mandatum dictum sit quasi manu datum ut dicit *Vincentius Placentinus in tract. de varietat. action. lib.* 2 *tit.* 20;

2. Consequens est ut quis debeat mandare id quod ipse valeat explicare, ut ibi subdit *Placent. per tex. in L.* 1 *cod. de pedan. judic.*

3. Ubi procurator Caesaris qui inter privatas personas non potest cognoscere, nec etiam potest mandare alteri ut cognoscat inter privatos.

« Procurator Caesaris respectu proconsulis habebat jurisditionem pri-
« vativam quoad causas fiscales; cumque hodie judex et praesidens camerae
« procuratoris Caesaris locum obtineat, iste quoque gaudere debet simili
« praerogativa respectu prolegati qui successit in locum proconsulis, *Rot.*
« *in Mantiss. ad Card. De Luca de jurisd. lib.* 3 *decis.* 2 *n.* 1 *tom.* 3.

4. Atque hinc servus qui regulariter procuratorem ad lites constituere non potest, *L. servum in princ. ff de procurat.*, *L. ab hostibus in princ. ff ex quib. caus. major.*;

5. In causis in quibus ageretur de illius statu, cum de sua libertate vel servitute, et sic de negocio ad ipsum principaliter spectante tractatur, et in causis et negociis respicientibus peculium cujus ipse habet administrationem, non prohibetur agere mediante persona sui procuratoris, *d. L. servum* § *cum vero ff de procurat.*

6. Episcopus quoque ad quem negocia et causae episcopatus pertinent, ratione dignitatis potest in dictis causis etiam ante litis contestationem procuratorem constituere, *Innoc. in cap. petitio n.* 2 *extr. de procurat.*

7. Prout etiam eadem ratione Praelatus in causis suae Ecclesiae potest solus, etiam ante litis contestationem, procuratorem constituere et illum revocare, ut *per cap. causam extr. de juram. calumn.* dicit *Innoc. in d. cap. petitio n.* 1 *vers. canones autem*, *Frideric. de Senis cons.* 227 *per tot.*, *Ruin. cons.* 130 *n.* 3 *lib.* 5, *Achilles de Grassis decis.* 68 *quaest.* 8 *de procur.*

8. Praesumitur enim illum constituisse da consensu sui capituli, *Joseph Maschardus de probat. vol.* 1 *concl.* 2 *sub n.* 4, *vers. ex hac conclusione.*

9. Atque hinc etiam pater ad cujus officium spectat tueri et defendere res filiorum, *l.* 1 *C. de bon. mater*, et diximus supra *cap. III de procur. constitut. a lege.*

10. Potest non solum per semetipsum esse in judicio in causis filiorum, ut ibi docuimus, verum etiam mediante persona procuratoris a se pro illis etiam ante litis contestationem constituti, *L. filiusfam.* § 1 *ff de procur.*, *Bart. in l.* 1 *n.* 1, et ibi *Bald. in* 2 *opposit.*, et *Arius Pinellus part.* 2 *n.* 65 *cod. de bon. mater*, *Clementinus de patr. potest. cap.* 6 *effect.* 12 *n.* 2 *et n.* 4 *vers. infertur tertio*, *Philippus Paschalis de virib. patr. potest.* § 1 *cap.* 2 *n.* 28, qui plures congerunt.

An autem pater solus possit pro filio in quacumque aetate constituto procuratorem facere, an vero requiratur etiam consensus ipsius filii et ejus praesentia, sunt opiniones plures pro utraque parte et contrariae quae allegantur a *Pinell. d. l.* 1 *part.* 2 *n.* 66, *Clement. d. effect.* 12 *n.* 19, *Borgn. Cavalcan. de tutor. et curator. n.* 312 *per tot.*

11. Verum communis resolutio est, quod si filius sit minor septennio et in infantia existens, possit solus pater absque illius consensu et praesentia illi procuratorem constituere per *tex. in L. fin.* § *cum autem vers. nisi adhuc in prima aetate sint constituti cod. de bon. quae liber.*

12. Si autem filius sit major septennio dicendum, quod non possit pater solus procuratorem illi dare sed filii consensum necessarium esse, *Rom. cons.* 241 *n.* 10 *ad med.*, *Cavalcan. sub d. n.* 312, *Pinell.* alios allegans *d. n.* 66 *paulo post. princ.*, *vers. sed in hac mira est*, ubi testatur hanc sententiam esse receptiorem, quam firmat etiam *Alex. Raudensis cons.* 9 *n.* 154 *et seqq. lib.* 1, *Paschal de virib. patriae potest. part.* 1 *cap.* 2 *n.* 30.

13. Pari ratione tutor, qui ratione sui officii personam pupilli principaliter, secundario autem res illius tueri et defendere tenetur, *instit. de tutel. in princ. juncto* § *datus instit. de excusat. tutor.*, *L. cum plures* § *cum tutor ff de administr. tutor.*

14. Et circa administrationem bonorum et rerum sui pupilli amplam habet facultatem et potestatem, *Bart. in L. neque tutores n.* 17 *cod. de procur.*, *Jo. Cephalus cons.* 651 *n.* 12 *et* 13 *lib.* 5.

15. Exceptis tamen iis in quibus requiritur causae cognitio et judicis decretum, puta ad petendum interpositionem decreti pro alienatione rerum pupilli, *Gratian. discept. forens. cap.* 644 *n.* 2, 7 *et seqq.*, *et n.* 16 *et seqq.*, ubi multos allegat.

16. Tutor, inquam, potest ad negocia pupilli et ad contrahendum pro eo procuratorem constituere, *L. si procuratorem* § *si tutores ff mand.*, *DD. in d. L. neque tutores*, maxime *Bart. in* 1 *lectur. n.* 2, *Jas. n.* 1, et alii communiter, *Gratian. d. cap.* 644 *per tot.*, *Dominicus Picus ad statut. urb. Gloss.* 7 *n.* 166.

17. Ubi numero sequenti dicit esse rationem, quia negocia pupilli sunt negocia ipsius tutoris cura et sollicitudine, *ex Bart. in d. L. neque tutores in* 1 *lectur.* non *n.* 17 ut ipse allegat sed *n.* 6.

18. Quo vero ad causas et lites pupilli, tutor non habet adeo laxas habenas, sed potest pro pupillo procuratorem constituere, dumtaxat postquam per litis contestationem est effectus dominus litis, seu mavis instantiae, *d. L. neque tutores § fin. cod. de procur.*, *Angel. Aret. in § actionum n.* 91 *instit. de action.*, *Ceph. cons.* 745 *n.* 1 *et seqq. lib.* 5, *Mynsing. singul. observat. centur.* 2 *observat.* 38 *n.* 1, *Picus d. Glos.* 7 *n.* 161 *cum multis seqq.*, *Gratian. d. cap.* 644 *n.* 20, *Caesar de Vosillis addit. ad decis. Matthei de Afflictis decis.* 262 *n.* 6, et in his terminis existimo esse intelligendam *decis. Jacobi Putei* 318 *lib.* 1, dum ibi dicitur simpliciter quod tutor potest constituere procuratorem in causis pupilli, ut scilicet hoc possit post litem cum tutore contestatam.

19. Nemo enim potest pro alio procuratorem ad lites facere nisi sit effectus dominus litis, *Jas. in L. quod quis cod.* 1 *n.* 1 *cod. de procur.*, *Sim. de Praet. cons.* 41 *n.* 16 *lib.* 1, *Pic. d. Glos.* 7 *n.* 162.

20. Vel nisi habeat mandatum ab illo cum facultate substituendi, ut late dicemus infra *cap. XXXVIII*, dum agemus de facultate substituendi.

21. Antequam autem tutor sit effectus dominus litis, in causis pupilli procuratorem constituere minime potest, ut est *tex. expressus in d. L. neque tutores*, et firmant omnes mox allegati.

22. Quod tamen limitandum est: et primo in tutore testamentario qui sit etiam constitutus administrator bonorum et defensor pupilli, donec pervenerit ad legitimam aetatem, *Mattheus de Afflictis d. decis.* 262 *n.* 6, *Bald. in L.* 1 *in* 1.ª *opposit. cod. de bon. mater.*, *Rot. dec.* 613 *n.* 2 *part.* 1 *divers.*:

23. Dummodo iste tutor confecerit inventarium vel illi fuerit remissa illius confectio, *Afflict. d. n.* 6 *in fin. et n.* 7.

24. Secundo limitatur de jure canonico, *Puteus dec.* 132 *n.* 3 *lib.* 2 *auctoritate Alber. in d. L. neque tutores cod. de procur.*, *et per tex. in cap. petitio.*, et ibi *Abb. Panorm. in* 3 *notab. extr. de procur.*

25. Tertio limitatur, si procuratorem non faciat solus tutor, sed ipse una cum pupillo, *d. L. neque tutores § fin.*, et ibi communiter scribentes, *Ceph. d. cons.* 745 *n.* 3 *lib.* 5, et dat pro cautela *Angel. Aret. in d. § actionum n.* 91 *inst. de action.*

26. Quarto limitatur, si tutor constituat procuratorem non ex propria persona, sed ex persona pupilli, *d. L. neque tutores*, idest nomine pupilli, ut declaratum fuit in *constit. March. lib.* 5 *cap.* 9. Nam nomine pupilli potest tutor etiam ante litis contestationem procuratorem facere, *d. L. neque tutores*, et disponitur *in d. cap.* 5 *constit. March.*

Nam cum dictae constitutiones fuerint confirmatae a Paulo III per suam specialem constitutionem promulgatam tertio kalendis augusti anno 1538, et alios ejus praedecessores, ut dicit *Corneus cons.* 159 *n.* 4 *vers. et cum constitutiones lib.* 3, *Boccat. in commentar. ad. dd. constitut.*, *Glos.* 2 *n.* 15 *in*

fin., et per eumdem Paulum III in dicta sua constitutione extensae ad totum Statum Ecclesiasticum, remanet satis comprobata ista limitatio.

27. Caeterum in iis casibus in quibus tutor solus vel cum pupillo potest facere procuratorem, debet illum facere cum solemnitatibus requisitis, et signanter cum decreto competentis judicis, *Afflict. d. decis.* 262 *n.* 5, *Rim. Jun. cons.* 467 *n.* 78 *lib.* 4.

« Mandatum factum a tutore qui non satisdedit nec adimplevit so-
« lemnia, remanet nullum, *Rot. decis.* 109 *n.* 31 *et* 32 *par.* 17 *Recent.*

« Sicuti est nullum mandatum factum a tutore absque decreto judi-
« cis, *Rot. decis.* 46 *n.* 8 *par.* 10 *Recent.*

« Factum tamen a muliere tutrice testamentaria ad faciendum contra-
« ctum super rebus minoris, etiam sine solemnitatibus substinetur, *Rot.*
« *decis.* 154 *sub n.* 3 *par.* 11, *et decis.* 17 *n.* 4 *part.* 3 *Recent.*

« Quod tamen declara procedere, quando procurator fuit constitutus
« cum decreto judicis ad faciendum certum actum, secus quando fuit ge-
« neraliter constitutus, *Rot. ibidem.*

« Ubi autem a testatore majori mandatum fuit alicui solemniter con-
« cessum, non consideratur aetas haeredis, *Rot. decis.* 172 *n.* 31 *par.* 7
« *Recent.*

28. Alias processus fabricatus cum procuratore constituto a tutore, non adhibitis debitis solemnitatibus, esset nullus et invalidus, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 373 *n.* 1, et non repugnat *Innoc. in cap. petition.* 2 *extr. de procur.*

29. In casibus autem in quibus tutor non potest facere procuratorem antequam sit effectus dominus litis, si de facto illum faciat, acta per dictum procuratorem facta, quae tendunt ad favorem pupilli, sunt valida, ut firmat *Corneus cons.* 164 *n.* 5 *vers. et licet lib.* 4.

30. Pro complemento autem articuli hujusmodi animadvertendum est, quod quilibet qui procuratorem vult constituire curare debet ut eligat personam quae sit instructa, notitiamque habeat causae ac meritorum illius, alias sibi imputetur, ac proinde, si procurator interrogatus dicat se velle consulere dominum, non est illi dandus terminus, nisi ex justa causa; quinimmo si dicat se nescire ea de quibus interrogatur, si pertineant ad negocium principale, debet condemnari in expensis, quae propter hoc fierent, nisi forte sit articulus qui de novo emergeret, vel de quo non posset domino imputari, si procuratorem non instruxerit; *Innoc. in cap. in pertractandis in fin.*, *et ibi Abb. n.* 3 *extr. de juram. calumn.*; *sequitur Jo. Gutierrez practic. quaest. civil. lib.* 1 *quaest.* 62 *n.* 5.

CAPUT XXII.

PROCURATOR QUIS ESSE POSSIT.

SUMMARIUM

1. *Edictum de procuratoribus est prohibitorium.*
2. *Infamis esse potest procurator ad negocium.*
3. *Filiusfamilias potest fieri procurator et comparere in judicio nomine constituentis, absque patris consensu.*
4. *In procuratorio debet exprimi nomen procuratoris.*
5. *Ex cognitione unius ex contrariis resultat cognitio alterius.*
6. *Miles est prohibitus procuratorio nomine in judicio comparere.*
7. *Procedit etiam accedente consensu adversarii.*
8. *Neque a suis proximioribus potest constitui procurator.*
9. *Quod etiam procedit in milite coelestis militiae.*
10. *Miles potest esse procurator, si ei nec judex nec adversarius opponatur tempore contestationis litis.*
11. *Reus criminis non potest expresse renunciare defensionibus.*
12. *Potest tamen tacite patiendo labi terminum ad se defendendum assignatum.*
13. *Miles potest eligi procurator in causis criminalibus.*
14. *Aut si sit miles veteranus, et a militia missus.*
15. *Vel si agatur de causis militum sui ordinis.*
16. *Vel si fiat procurator tamquam in rem propriam.*
17. *Miles potest esse in judicio in causis status pro suis necessariis.*
18. *Quia in talibus causis causam propriam tractare videtur.*
19. *An milites nostri temporis antiquis militibus aequiparentur.*
20. *Religiosus procuratoris officium exercere non potest.*
21. *Per litis contestationem non efficitur dominus litis.*
22. *Non potest alium substituere.*
23. *De licentia sui superioris procuratoris officium valet exercere.*
24. *Sufficit licentia etiam superioris immediati.*
25. *Potest esse procurator in causis sui monasterii.*
26. *Aut si constituatur procurator ab Episcopo in causis in quibus vertitur utilitas monasterii.*
27. *Vel si constituatur procurator in aliqua certa et particulari causa.*
28. *Vel compareat pro miserabilibus personis, pro consanguineis, vel pro his quorum de jure geri negocia.*

29. *Coram judice tamen ecclesiastico.*
30. *Et praecedente superioris licentia.*
31. *Si religiosus de facto fiat procurator, et uti talis compareat in judicio, processus cum eo factus ante oppositionem est validus et judicium substinetur.*
32. *Religiosus in extrajudicialibus procurator esse potest.*
33. *Quod religiosi non possint esse procuratores, procedit in illis qui emiserunt tria vota.*
34. *Clericus in sacris ordinibus constitutus non potest esse procurator laici in causis civilibus.*
35. *Secus procedit in clerico in minoribus constituto ordinibus.*
36. *In urbe ex Pontificis tollerantia, clerici, ac etiam sacerdotes, advocationis et procurationis munere funguntur.*
37. *Clericus in sacris ordinibus constitutus aliquando potest esse procurator laici in causis civilibus.*
38. *Mulier procuratorio nomine in judicio comparere non potest.*
39. *Neque pro parentibus, vel pro filiis, vel marito, nisi eos morbus aut aetas impediat, nec alium qui pro eis agat habeant.*
40. *Mulier non admittitur ad plenam defensionem alterius, sed tantum ad allegandum causas absentiae.*
41. *Mulier in causis propriis procuratoris officio non prohibetur.*
42. *Et potest in illis constitui procuratrix.*
43. *Neque prohibetur in extrajudicialibus et ad negocia.*
44. *Pro executione negociorum poterit etiam esse in judicio.*
45. *Ac in causis in quibus tractatur de salute animae.*
46. *Mater potest esse in judicio pro filio in causa appellationis.*
47. *Quando admittitur pro filio potest juvari Vellejano.*
48. *Quod adversarius illam non admittat nisi beneficio Vellejani renunciet.*
49. *Mulier potest esse in judicio coram judice cui fuit commissa causa cum clausula* « sola facti veritate inspecta ».
50. *Excommunicatus non potest esse procurator, neque ad agendum, neque ad defendendum, nec alium procuratorem habilem substituere.*
51. *Quod procedit quando tempore quo fuit constitutus procurator erat excommunicatus, nam si postea incidat in excommunicationem, processus cum eo factus substinetur, donec ab adversario opponatur.*
52. *Excommunicati constitutio est nulla, et si publice pro excommunicato non habeatur.*

53. *Excommunicatum esse repellendum a procuratoris officio tripliciter declaratur.*
54. *Accusatus de crimine non esse potest procurator antequam se purget de accusatione.*
55. *Sic pariter is qui habet litem omnium bonorum.*
56. *Lis omnium bonorum aequiparatur liti criminali.*
57. *Minor vigintiquinque annis non potest constitui procurator ad lites.*
58. *Valet tamen sententia favorabilis reo in judicio ab ipso reportata.*
59. *Sententia lata ad favorem minoris minus legitime in judicio comparentis est valida.*
60. *Minor vigintiquinque annis major tamen anno decimoseptimo potest ad negocia procurator constitui.*
61. *Minor factus procurator non tenetur adhibere solemnitates requisitas in contractibus minorum.*
62. *Neque debet in integrum restitui.*
63. *Secus vero si sit procurator ad judicia.*
64. *Procurator inhabilis an possit habilem substituere.*

1. Vidimus in praecedentibus proximis capitibus qui possint procuratorem constituere, sequitur ut videamus qui possint esse procuratores, et cum edictum de procuratoribus sit prohibitorium, *L. mutus in princ. ibi cum quaeritur ff de procurat.*, proinde omnes qui non reperiuntur prohibiti procuratoris officium exercere poterunt, *cap.* 1 *in princ. de procurat. lib.* 6 ubi *Gloss. in verb. edictum vers. vel secundo* et communiter alii.

« Mandatum non transit in inhabilem, *Rot. decis.* 297 *n.* 13 *par.* 7 « *Recent.*

2. Ad negocia etiam infamis potest esse procurator, § *fin. Bernardus Innocentius tract. de exception., vide Jo. Bertachinum in repertorio in verb. infamis pag. mihi* 25.

3. Etiam si esset filiusfamilias, *L. filiusfamilias* § *ipse quoque filius ff de procurat.* et aget et stabit in judicio nomine constituentis absque consensu patris, *text. est in cap. qui generaliter* § *nedum eod. tit. lib.* 6, *Bart. in d.* § *ipse quoque filius*, refert et sequitur *Chassan. ad constitut. Burgund. rubr.* 4 § 5 *n.* 39 qui respondet contrariis.

« Licet ubi agatur de causa propria, filiusfamilias non possit stare in « judicio nec per se nec per alium absque consensu patris, *Rot. decis.* 53 « *n.* 2 *et seqq. par.* 2, *et decis.* 571 *n.* 1 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Nisi filiusfamilias in judicio sustineat partes rei, quo casu etiam, si

« non interfuerit patris consensus, debet sufficere instantia saepius facta « pro illo obtinendo, *Rot. decis.* 53 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

« Vel nisi agatur de causa spirituali, quia tunc filiusfamilias potest « stare in judicio etiam sine consensu patris, *Rot. d. decis.* 571 *n.* 1 *par.* 4 « *tom.* 1 *Recent.*

4. Specificandum tamen est et exprimendum in procuratorio nomen illius qui ad procurationis munus eligitur, *L.* 2 *ff de procurat.*

Unde non sine ratione *Hippolytus de Marsil. in L. si quis ne quaestio n.* 59 *ff de quaestion.*, reprehendit practicam constituendi procuratores ad confitendum debitum, et suscipiendum terminum ad solvendum, omnes causidicos de mundo, cum propter incertitudinem ignoretur quis vere sit constitutus procurator, et deficiat simultaneus consensus mandantis et mandatarii, ut diximus supra *cap. XVIII n.* 23 *vers. Et hinc Hippolytus Marsil.*

5. Quamobrem si cognoverimus quaenam personae repellantur ab exercendo officium procuratoris, cognoscemus etiam qui illud exercere possint, cum ex cognitione unius ex contrariis resultet cognitio alterius § 1 *instit. de his qui sunt sui vel alieni juris*, § 1 *instit. de tutel. et utrobique Gloss.*

Multae autem sunt personarum species, quibus procuratoris officium est interdictum, quae cuique obviam fiunt in *tot. tit. ff et cod. de procurat.*, quas si singulas referre velim et mihi laboriosum, et lectori foret tediosum; aliquas tamen referre constitui quae declaratione indigere visae sunt.

6. Miles itaque, ut hinc exordiar, est prohibitus procuratorio nomine in judicio comparere, *L. filiusfamilias* § *veterani ff de procurat.*, *L. militem cod. eod. tit.*

7. Ampliatur 1.° ut hoc procedat etiam accedente consensu adversarii, *d.* § *veterani:* cum enim ista prohibitio sit fundata super publica utilitate, *d. L. militem in fin.*, illi non potest facto privatorum derogari, *L. jus singulare ff de legib.*

8. Ampliatur 2.° ut miles nec etiam possit constitui procurator a patre, matre, fratre, vel ab aliis quibusvis conjunctis, *d. L. militem.*

9. Ampliatur 3.° ut procedat etiam in milite coelestis militiae, § *alium autem.*, *auth. de SS. Episcop.*, de cujus ampliationis veritate dicemus infra *n.* 20 in vers. *religiosi etiam.*

10. Limitatur autem supra firmata conclusio, si hoc militi tempore litis contestationis, nec ab judice, nec ab adversario opponatur, *L. ita demum cod. de procurat.*, *Gloss. in d.* § *veterani*, *Hercules Marescottus variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 11.

11. Proindeque in hoc plus operatur conniventia et tacitus consensus, quam pactum et consensus expressus, ut dicitur de reo criminis, qui licet non possit expresse renunciare defensionibus, *Gloss. fin. ad fin. in L. pactum inter haeredem ff de pact.*, *per tex. in L. non tantum ff de appellat.*

12. Potest tamen tacite patiendo ibi terminum ad se defendendum assignatum, *Doc. in L.* 1 *n.* 48 *cod. de eden.*

13. Limitatur secundo in causis criminalibus agendo, *L. non prohibentur cod. qui accus. poss., Gloss. in L. qui stipendia in verb. inofficiosa cod. de procurat.*

14. Limitatur tertio in militibus veteranis et militia missis, qui non prohibentur procurationis officio in judicio fungi, *d.* § *veterani.*

15. Limitatur quarto ut possint esse procuratores in causis sui ordinis militum, *d.* § *veterani, facit ten. in L. placet*, et ibi *Gloss. in verb. sindico cod. de episcop. et cleric.*

16. Limitatur quinto si miles fiat procurator tamquam in rem propriam, *d.* § *veterani et d. L. qui stipendia cod. de procurat., Bertazol. de claussul. instrum. claus.* 20 *Gloss.* 1 *n.* 3.

Qui autem dicantur procuratores in rem propriam late dicemus infra *cap. CXI de procuratore in rem suam.*

17. Limitatur sexto in causis status, in quibus miles potest esse in judicio pro suis necessariis de libertate tractantibus, *L.* 3 § *militi ff de liberal. caus.*

Quae autem dicantur personae necessariae potest declarari per *tex. in L. sed et hae personae in princ., et in L. foeminis ff de procurat.*, et *in L. militem cod. eod. tit.*

18. Hujus autem limitationis eam reddit rationem *Gloss. fin. in d.* § *veterani*, qui miles tractando causas hujusmodi, causam propriam tractare videtur, *L.* 2 § *fin. ff quando appell. sit;* in causa autem propria miles non reperitur prohibitus quin stare possit in judicio, immo fuit illi concessum, ut dictum est in praecedenti quinta limitatione sub *n.* 16.

19. Sed quoniam posset dubitari an milites nostri temporis aequiparentur militibus antiquis, ita ut disposita circa illos habeant etiam locum in istis, pro resolutione adeundi sunt *Sfortia Oddus* tam *in tractatu de compendiosa substitutione part.* 5 *quaest.* 3 *in* 3 *praemiss. in* 2 *inspect. fol. mihi* 89 *et seqq.*, quam *in tract. de restitut. in integrum quaest.* 6 *per tot. et Joseph De Rusticis ad L. cum avus lib.* 5 *cap.* 5 *ff de cond. et demonstr.*, ubi fere omnium militiarum nostri temporis ordines recenset, et illarum originem et insigna explicat.

20. Religiosi etiam prohibiti reperiuntur procuratoris officium exercere, § *alium autem de SS. Episcop., Gloss. in L. filiusfamilias* § *veterani in verb. praetermissum in fin., et in L. neque foemina in verb. miles ff de procur. facit L. placet cod. de episcop. et cleric., Clem. Religiosus de procur., Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 132, *Rot. decis.* 445 *n.* 1 *part.* 2 *Recent.*

21. Ista autem conclusio est ampliandа, 1.° ut nec etiam per litis

contestationem efficiatur dominus litis, ut post *Imol. in d. Clem. Religiosus col.* 3, dicit *Gigas cons.* 91 *n.* 2 *et seq.*, quos refert *Joannes Jacob. a Laurentiis de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 20.

22. Amplianda est 2.° ut nec etiam possit alium substituere, ut dicemus infra *cap. XXXIX de quaestionibus circa materiam substitutionis in prima quaestione.*

23. Recipit etiam plures restrictiones, et limitatur primo ut possit officium procuratoris exercere de licentia sui superioris, *Clem. Religiosus de procur.*, *Rot. d. decis.* 445 *n.* 1, ubi multi allegantur.

24. Sufficit autem ut talis licentia sit illi concessa, non solum a suo superiore supremo, sed etiam a superiore immediato, ut notatur in *d. Clem. Religiosus*, et statuit *Rot. coram Achill. decis.* 65 *quae est* 5 *de procur.*;

25. Limitatur secundo in causis sui monasterii, quia tunc videtur causam propriam agere, *L. placet, et ibi Glos. in verb. sindico col. de episcop. et cleric.*, *Rot. d. decis.* 445 *n.* 1, *Innoc. in d. cap. cum* 1 *et A. n.* 2.

26. Limitatur tertio si constituatur procurator ab episcopo, *cap. sopite*, et ibi *Hostien. extr. de censib.*, *Franc. Marc. decis.* 1379 *n.* 3 *part.* 1, scilicet in causis in quibus vertitur utilitas monasterii, *Can. qui vere* 16 *quaest.* 1 per quem tex. *Innocent. in d. cap. cum* 1 *et A. n.* 3 *extr. de sentent. et re judic.*

27. Limitatur quarto si constituatur procurator in aliqua certa et particulari causa, *Innoc. in cap. unic. in fin. extr. de obligat. ad ratiocin. Abb. in cap. ex parte n. . . extr. de postulan.*, *Franc. Marc. d. decis.* 1379 *n.* 1 *part.* 1.

28. Quinto limitatur pro miserabilibus personis, pro consanguineis et his quorum negocia de jure gerit, *L.* 1 § 1 *et L. seq. ff de postul.*, per quae jura *Innoc. in d. cap. unic. n.* 3 *in fin. extr. de obligat. ad ratiocin. arguendo ab advocatis ad procuratores.*

29. Intellige, dummodo compareat coram judice ecclesiastico, coram quo potest comparere etiam pro laicis, ut dicit ibi *Innoc.*

30. Intellige secundo, de superioris licentia et non alias; vide *Joan. Jacob. Laurentium in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 20 *in fin.*

31. Limitatur sexto quod si de facto fiat procurator et tamquam talis compareat in judicio et cum ipso fabricetur processus, et exerceatur judicium, acta facta cum ipso, et processus cum eo fabricatus ante oppositionem erit validus et judicium substinebitur, *Abb. in cap.* 2 *n. . . veris an teneat judicium extr. ne cleric. vel monac.*, *Achill. d. decis.* 65 *n.* 3, *Hercules Marescottus variar. resol. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 5 *et seqq.*, ubi testatur de magis communi, et *n.* 11.

32. Limitatur septimo in extrajudicialibus, *Card. Franc. Zabarella in Clem. Religiosus*, *Stephanus Aufrerius ad capellae Tolosanae dec.* 24 *et seq.*

33. Declarari etiam debet ista conclusio, ut sit vera in iis religiosis qui emiserunt tria vota substantialia regulae, videlicet castitatis, paupertatis et obedientiae, *Joan. Bapt. Ferrerus cons.* 213 *n.* 5, quem allegat et sequitur *Jacob. a Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 20.

34. Clericus quoque in sacris ordinibus constitutus non potest esse procurator laici in causis civilibus, *Barthol. Caepolla cons. civ.* 21 *n.* 1, ubi multos allegat, *Rom. cons.* 384 *n.* 3, *Vivius decis.* 151 *n.* 5 *lib.* 1.

« Clericus advocati munus exercere non prohibetur in causis propriis « vel conjunctorum, vel pro locis piis et miserabilibus personis, vel pro « aliis amicis, gratuito et absque mercede, vel coram judice ecclesiastico, « vel in aliis casibus a jure permissis, de quibus habetur per *Redoanum* « *de Spoliis quaest.* 2 *n.* 18 *et plurib. sequentib.*, et per *Barbosa de jure* « *ecclesiast. cap.* 40 *n.* 83 *et seqq.*, ut tradit *Actolin. resol.* 60 *n.* 9.

« Mandatum ad comparendum coram judicibus laicis datum alicui « clerico intelligendum est in casibus a jure ei permissis, *Rot. decis.* 670 « *n.* 3 *part.* 4 *tom.* 3 *Recent.*

35. Quamvis hoc non denegetur clerico existenti in minoribus ordinibus, ut late comprobat respondens contrariis, *Caepoll. cons. civ.* 20 *n.* 5 *vers. et hoc probo.*

36. In urbe tamen ex Summi Pontificis tollerantia, clerici seculares etiam sacerdotes, advocationis et procurationis officio publice funguntur, *Octavianus Vestrius in prax. Roman. cur. lib.* 3 *cap.* 4 *in fin.*, refert *Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 21 *vers. et si clericus.*

37. Quoad clericum constitutum in sacris ordinibus limitatur nonnullis modis, ut per *Caepoll. d. cons.* 21 *per tot.*

38. Mulier similiter prohibetur comparere in judicio procuratorio nomine, *L. neque foemina, et ibi Gloss. et DD. ff de procur.*, *L. quia*, *L. alienam cod. eod. tit.*, *Joannes Stephanus Lambertengus de contract. eor. Gloss.* 3 *n.* 45.

« Propter immaturitatem judicii, foeminae habere non dicuntur aliquam « habilitatem, *Rot. decis.* 663 *n.* 12 *par.* 2 *Recent.* Atque hinc non pos- « sunt esse decuriones nec de consilio, *Rot. decis.* 509 *n.* 12 *par.* 19 *tom.* 2 « *Recent.* Sicuti prohibentur exercere publica munera, *Rot. ibid. et decis.* « 205 *n.* 9 *par.* 16 *Recent.* Immo nec possunt esse testes in testamento, « nisi agatur de testamento ad pias causas, *Decis.* 312 *n.* 6 *et seqq. par.* 16 « *Recent.* Atque in illis ratione sexus praesumitur ignorantia juris, *Decis.* « 252 *n.* 14 *par.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

39. Ampliatur conclusio, ut nec possit fungi officio procuratoris pro parentibus, vel pro filiis, vel marito, *L.* 2 § *fin. in fin. ff. ad Vellejan.*, nisi eos morbus aut aetas impediat, nec alium qui pro eis agat habeant, *d. L. foeminis ff de procurat.*, *L.* 3 § *cum vero ff de liberal. caus.*, et in

matre ampliatur, quae filium defendere poterit, quando nullum alium habet defensorem, neque reperitur qui illius tutelam suscipiat, ut dixit *Bald. in d. L. alienam in prima opposit. cod. de procurat.*

40. Intellige ut mulier non admittatur ad plenam defensionem alterius, sed admittatur ad allegandum causas absentiae, *L. servum § publice ff de procurat.*, ponderando illud verbum *a quibuscumque*, quod in sui generalitate comprehendit ea quae alias non comprehenderentur, *Dec. cons.* 599 *n.* 2 *et* 3, *Rot. cor. Seraphin. decis.* 325 *n.* 7 *et decis.* 791 *n.* 10 *par.* 1 *diversor.*, et non recipit aliquam restritionem, *Rom. cons.* 31 *n.* 2, *et ibi Mandos. in verb. quacumque*, *Decian. cons.* 3 *n.* 184 *lib.* 1, et per istum textum ita intelligit *Bald. in d. L. alienam in* 2 *notabil. cod. de procurat.*

41. Hoc autem de mulieris prohibitione fungi procuratoris officio non procedit in causis propriis, *L. quia absentis cod. de procur.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 878 *n.* 24, *Bertazol. de clausul. instrum. clausul.* 29 *Gloss.* 1 *n.* 4.

42. Dum concludunt foeminam posse constitui procuratricem in rem propriam.

43. Limitatur secundo in extrajudicialibus et ad negocia, *L. idemque § si cui mandavero, vers. si mater ff mandat.* per quem tex. et alia jura *Natt. cons.* 262 *n.* 4 *lib.* 2, *Surd. cons.* 428 *n.* 15 *lib.* 3, *Bertazol. de clausul. in* 7 *clausul. Gloss.* 19 *n.* 11.

44. Et tali casu mulier pro executione negociorum poterit etiam esse in judicio, ut post *Paul. De Castr.*, *Alexand. et Dec.*, dicit *Surd. d. n.* 15.

45. Limitatur tertio in causis in quibus tractatur de salute animae, *Rom. singul.* 691, incipit *tu audisti*, ubi affert exempla, et ibi *Aldent.* multorum auctoritate confirmant, refert, et sequitur *Lupus in cap. per vestras, in ratione dubitan.* § 34 *n.* 6 *extr. de donat. inter virum et uxorem fol. mihi* 168.

46. Limitatur quarto in matre quae potest esse in judicio pro filio in causa appellationis, *L.* 1 *ff de appellat.*, quod esse speciale dicit *Bald. in d. L. alienam, in* 1 *opposit. cod. de procurat.*, *et ibi Gloss. et Bart. n.* 2.

47. Verum quia quando mater admittitur pro filio, posset juvari Vellejano, ut probat *Bald. in d. L. alienam in* 1 *q.*, quam sententiam amplectitur etiam *Bart. ibi n.* 4 *et Jas. n.* 3, quamvis contrarium teneat *Gloss. in L. foeminis ff de procur.*

48. Idcirco *Bald.* ibi admonet adversarium, ne illam admittat nisi renunciaverit beneficio Vellejani.

49. Mulier similiter esse potest in judicio coram judice, cui fuit commissa causa cum clausula *sola facti veritate inspecta*, *Jas. in L. alienam n.* 2 *vers. quinto limita, cod. de procurat.*, sequitur *Marcellus Cula in tract. de modo articulandi* § 1 *Glos.* 4 *n.* 18, qui moventur ea ratione, quia

exceptio « Tu non potes esse procurator » est de apicibus juris, quae coram judice procedente vigore dictae clausulae non debet admitti, ut latius videre est apud eos.

50. Excommunicatus etiam prohibetur quominus procurator constitui possit, tam ad agendum quam ad defendendum, ac ita ut si constituatur procurator non possit alium habilem substituere, *Franch. in cap.* 1 *n.* 5 *de except. lib.* 6, *Felin. in cap. post cessionem n.* 6 *et* 29 *vers. prima conclusio extr. de probat., Joannes de Selva de benefic. q.* 4 *part.* 3 *n.* 35, *Anton. de Butrio in cap.* 1 *sub n.* 35 *de rescript. in* 6: prohibetur enim esse in judicio, *Franc. Marc. decis.* 1233 *n.* 5 *in fin. par.* 1, *Rot. coram Crescent. decis.* 223, *quae est* 12 *de procur. n.* 2, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 22.

51. Quod tamen intelligendum est procedere si tempore quo constituitur procurator sit excommunicatus, secus si incidat in excommunicationem postquam fuit factus procurator, nam eo casu processus cum illo fabricatus sustinetur donec ab adversario opponatur, non autem factus post oppositionem, *Abb. in cap. post cessionem n.....*, *et ibi Felin. n.* 32 *vers. et nota quod excommunicatio extr. de probat., Marcabrun. cons.* 32 *n.* 100, *Marant. de ordin. judic. par.* 4 *distinct.* 16 *n.* 42, *Rot. cor. Crescent. d. decis.* 12 *n.* 4, *Laurent. d. n.* 22, alios allegans.

52. Adeo autem prohibetur excommunicatus ab officio procurandi ut si constituatur procurator, talis constitutio sit nulla quamvis publice non haberetur pro excommunicato, *DD. in d. cap. post cessionem*, et signanter *Imol. n.* 20, *Felin. n.* 29, *Crescent. d. decis.* 12 *n.* 2.

53. Ista autem conclusio circa excommunicatum repellendum ab officio procuratoris, declaratur multipliciter, ut per *Joann. de Selva d. q.* 4 *par.* 3 *n.* 42 *et seqq.*, *et per Felin. in d. cap. post cessionem n.* 30 *et seqq.*, *et Laurent. d. n.* 22, 25 *et* 26 cum multis sequentibus usque ad *n.* 36 exclusive.

54. Ille etiam qui fuit accusatus de crimine non potest alienam suscipere defensionem, antequam se de accusatione purget, *L. reum criminis, cod. de procur.*

55. Ubi DD. inferunt, quod etiam is qui habet litem omnium bonorum repellatur ab officio procuratoris.

56. Ea potissimum ratione ducti, quia hujusmodi lis aequiparatur liti criminali, ut dicit *Rimin. Jun. cons.* 478 *n.* 16 *et* 17 *lib.* 4.

57. Minor similiter vigintiquinque annis ad lites procurator esse nequit, *L. exigendi § fin. eod. de procur.*, *et ibi Gloss. L. minor. ff eod. tit.*, *cap. qui generaliter § fin. eo tit. lib.* 6, *Franc. Marc. decis.* 629 *n.* 4 *lib.* 1, *Boccat. ad constitut. March. Gloss.* 8 *n.* 16 *vers. praeterea*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 133.

58. Caeterum si officium procuratoris pro reo in judicio suscipiat et obtineat sententiam favorabilem, valet sententia non obstante quod processus sit fabricatus a persona minus legitima, ut non obscure voluit *Imperator in d. L. exigendi § fin. cod. de procur.*

59. Quemadmodum valida et efficax reputatur sententia lata ad favorem minoris minus legitime in judicio comparentis, cum cesset ratio praetoris prohibentis, scilicet ne aetas hujusmodi laedatur, *L. non eo minus*, et ibi communiter scribentes, *Cod. de procur. Gloss. in L. 1, in verb. adversus cod. qui legitim. person.*

60. Ad negocia vero potest minor vigintiquinque annis procuratoris officio fungi, dummodo sit major decem et septem *d. cap. qui generaliter*, § *fin. de procur. lib.* 6, *Mazol. cons.* 61 *n.* 26, *Franc. Marc. d. decis.* 629 *n.* 5 *lib.* 1.

61. Si autem minor fuerit factus procurator ad negocia, necesse non est quod adhibeat solemnitates requisitas in contractibus minorum, quia attenditur non persona ipsius procuratoris contrahentis et gerentis negocia, sed persona constituentis illum in procuratorem, quam procurator contrahendo vel gerendo pro ea reprehesentat, *Jo. Franc. de Ponte cons.* 54 *n.* 8 *et seqq.*

62. Et propterea neque etiam debet in integrum restitui, *L. cum mandato patris ff de minor.*

63. Quamvis secus sit si constituatur procurator ad judicia, *L. minor vigintiquinque annis in princ.*, et ibi *Gloss. ff de procur.*

64. Quia vero posset in dubium revocari, an is qui ratione inhabilitatis non potest exercere officium procuratoris, possit substituere habilem; pro resolutione hujus dubitationis est recurrendum ad dicenda per nos infra *cap. XXXVIII*, ubi nobis sermo erit *de facultate substituendi.*

CAPUT XXIII.

PROCURATOREM CONSTITUERE AN QUIS COGI POSSIT.

SUMMARIUM

1. *Si quis nolit personaliter, potest in judicio per procuratorem se defendere.*
2. *Non tamen compellitur mittere procuratorem.*
3. *Procuratorum usus est inventus in favorem litigantium, et in eorum odium trahi non debet ut possint cogi constituere procuratorem.*
4. *Multo minus in causis gravibus et arduis.*

5. *Etiamsi causa esset dumtaxat super interesse, quando illud est magnum et grave.*

6. *Vel si quis ex aliquo justo impedimento non posset procuratorem mittere, puta propter inopiam.*

7. *Quod fallit in iis civitatibus et locis in quibus pro pauperibus sunt de publico constituti procuratores, et hic Perusiae.*

8. *Aut si quis procuratorem mittere non posset propter captivitatem, morbum, carcerationem, vel alias causas.*

9. *Et si hujusmodi impedimenta proveniant culpa et facto ipsius impediti.*

10. *Vel si essent futura, perpetua vel diuturna.*

11. *Quod tamen non admittit* Mynsingequs *contra* Portium *et* Parisium.

12. Portius *et* Parisius *cum* Mynsingero *conciliantur.*

13. *Procuratorem quis mittere tenetur etiam si juste sit impeditus in causis quae requirunt celerem expeditionem.*

14. *Aut si quis fuerit vocatus a Summo Pontifice.*

15. *Vel fuerit vocatus ad electionem faciendam.*

16. *Vel si quis idonei procuratoris copiam habeat.*

17. *Aut esset discessurus a loco judicii.*

18. *Plures contra unum litigantes cogi possunt ad unum procuratorem constituendum.*

1. Egimus hucusque de personis quae constituere et quae constitui possunt procuratores; sequitur ut videamus an quis cogi possit ut procuratorem constituat tam in actibus judicialibus, quam in extrajudicialibus. In quo articulo resolutive procedando, quoad judicialia facio conclusionem, quod licet in civilibus causis non cogatur quis personaliter comparere ad se defendendum in judicio, potest tamen per procuratorem se defendere, *L.* 1 § *usus autem ff. de procur., Oddus de restit. in integr. quaest.* 12 *art.* 8 *n.* 66.

2. Non tamen compellitur mittere procuratorem, *L. fin. cod. de procur.*, arguendo ali[illegible]clusione ad exclusionem personarum in dicta lege non expressarum, per regulam *L. cum praetor ff de judic.*, probat etiam *text. in cap.* 2 *extr. de procur., Innoc. in cap. exposuit n.* 2 *in verb. teneri vers. respondeo quod non potest, extrav. de dilitiis, Mynsing. singul. observat. centur.* 4 *observat.* 58 *n.* 1.

3. Cum enim usus procuratorum sit inventus in favorem litigantium ut quando nemo suis non possent vel nollent per semetipsos superesse, possent saltem per organum alterius personae agere vel conveniri, ut fuit dictum supra *cap. I*, non est trahendus in odium litigantium ut cogi

possint procuratorem constituere, ut non obscure sentit *Mastrill. decis.* 109 *n.* 26 *lib.* 2.

4. Et multo minus cogi possunt in causis gravibus et arduis, *d. cap.* 2 *et cap. quaerelam extr. de procur.*, *Innoc. in d. cap. exposuit n.* 2 *vers. tum quia ardua erat extr. de dilat.*, *Portius Imol. cons.* 3 *n.* 15 *et* 37, *ubi n.* 16 *et* 17 comprobat similibus, *Afflict. decis.* 50 *n.* 3, *Paris. cons.* 102 *n.* 6 *lib.* 4, *Angel. Aret. cons.* 16 *n.* 5, *Bursattius cons.* 294 *n.* 15 *lib.* 3, *Mynsing. d. observat.* 58 *n.* 2 *et n.* 4, *Mastrill. d. decis.* 109 *n.* 27, *Oddus de restit. in integr. q.* 30 *art.* 17 *n.* 90 *vers. in contrarium*; ubi testatur de magis communi plurimos congerens, et *n.* 79 cum multis *seqq.* aperit quae dicatur causa ardua et gravis in proposito: eamdem sententiam amplexus fuit *Gratian.* post multos quos allegat *discept. forens. cap.* 868 *n.* 30 *et* 31, *et decis. March.* 107 *n.* 1.

5. Etiam si causa esset dumtaxat super interesse, quando illud est magnum et grave, *Affl. d. decis.* 50 *n.* 5 *post. med. vers. item d. causa*, *Gratian. d. decis.* 107 *n.* 2.

6. Quae conclusio ut supra firmata debet ampliari ut procedat etiam in iis qui ex justo aliquo impedimento non possent procuratorem mittere, puta propter inopiam, ex eo quod sit adeo inops ut quomodo patrocinii mercedem exsolvat non habeat, *Paris. d. cons.* 102 *n.* 9 *lib.* 4, post quem et alios *Petrus Ruiz de Moras decis. Lithuan.* 4 *n.* 20.

7. Quod tamen non admitteretur in iis civitatibus et locis in quibus pro pauperibus essent de publico constituti procuratores, prout est in hac civitate Perusina patria mea, ut dicemus infra *cap. LX procuratori ad lites an constitui possit salarium in* 2.ª *limitat.*

8. Prout similiter procedit in iis qui procuratorem mittere non possent propter captivitatem, carcerationem, aegritudinem, vel alias causas quas prosequitur *Petrus Ruiz dicta decis.* 4 *n.* 21, usque ad finem decisionis ubi late nititur comprobare talia impedimenta excusationem justam et legitimam praebere, ne quis procuratorem mittere teneatur.

9. Haec autem ampliatio est extendenda ut procedat etiam si tale impedimentum proveniat culpa et facto ipsius impediti, nam neque iste cogi potest ad constituendum procuratorem, maxime in causis gravibus et arduis, *Port. Imol. d. cons.* 3 *n.* 47 *et* 48, *Paris. d. cons.* 102 *n.* 1, *Petr. Ruiz d. decis.* 4 *n.* 21 *et seqq.*

10. Quamvis dictum impedimentum sit futurum perpetuum, vel diu duraturum, *Port. d. cons.* 3 *n.* 52, *Paris. d. cons.* 102 *n.* 8.

11. In hoc tamen ultimo contrarium defendit *Mynsing. d. obs.* 58 *n.* 4 *vers. deinde*, ne propter hujusmodi impedimentum jus adversarii opprimatur vel perdatur, quod esse iniquum dicit per *Tex. in L. fin. cod. de procur.*, et alia jura et auctoritates.

12. Nisi dicamus *Parisium et Portium* loqui in causis gravibus et arduis, *Mynsing.* autem in non arduis, vel in terminis sequentis primae limitationis.

13. Ista autem conclusio ut supra ampliata, recipit nonnullas restrictiones et limitationes. Primo, in causis quae celerem expeditionem requirunt, in quibus etiam juste impeditus, tenetur procuratorem mittere, *Abb. in cap. cum dilecti n.... vers. ex quo infero*, et ibi *Butr. n.* 26 *vers. fallit extr. de dol. et contum.*, *Decius cons.* 699 *n.* 12, *Petr. Ruiz d. decis.* 4 *n.* 480.

14. Limitatur secundo in eo qui fuit vocatus a Summo Pontifice, *d. cap. cum dilecti extr. de dol. et contum.*, *Dec. d. cons.* 699 *n.* 17, *Petr. Ruiz d. decis.* 4 *n.* 490.

15. Limitatur tertio in eo qui fuit vocatus ad electionem faciendam, *cap. cupientes* § *quod si per viginti in verb. procuratorem de elect. in* 6, *Jas. in L. non exigimus* § *si quis judicio in fin. ff si quis caution.*, quorum auctoritate *Petrus Ruiz d. decis.* 4 *n.* 489, ubi *n. sequenti* affert rationem ne qui Ecclesiae praesit diu desideretur, et divinae majestatis cultus negligatur.

16. Limitatur quarto si idonei procuratoris copiam habeat, quo casu tenetur procuratorem mittere, *Port. Imol. d. cons.* 3 *n.* 18 *cum multis seqq.*, *Paris. d. cons.* 102 *n.* 5 *lib.* 4, *Burs. d. cons.* 294 *n.* 15 *lib.* 3, *Mynsing. d. observat.* 58 *n.* 4 *vers. nisi vel non possit.*

17. Limitatur quinto in eo qui est discessurus a loco judicii, ne lis fiat immortalis, *arg. tex. in L. jam tamen* § *si tamen ff judicat. solv.*, *L. ne in plures ff exercit. act.*, *Gloss. in L. si suspectus in verb. cognita in fin. ff de procurat.*, per quae jura *Vincentius De Franchis decis.* 309, quem relatum sequitur *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 47.

18. Limitatur sexto in pluribus contra unum litigantibus, quos cogi posse ad unum procuratorem constituendum, est *tex. in auth. de quaest.* § *si vero forsitan, et in L. quod si nolit* § *si plures ff de aedilit. aedict.*, per quae jura *Amanellus de Claris Aquis singul.* 104, *Vincent. De Franch. d. decis.* 309, quos refert *Laurent. d. n.* 47. Alias limitationes vide apud *Petrum Ruiz d. decis.* 4 *a n.* 471 *usque ad n.* 491.

« Cum officiales et magistratus durante illorum officio non possint « convenire nec conveniri, hinc in dubium vocari nequit, quod ubi sint « citati neque teneantur mittere procuratorem inviti, alias namque privile- « gium nihil operaretur, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rub.* 9 *n.* 7

« Ubi vero velit per procuratorem comparere utique valet hujusmodi « officialis, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 1 *rub.* 9 *n.* 10.

« Quamvis procuratoris persona ad judicii integritatem necessaria non « sit, cum sine procuratore actor vel reus respective judicium per se ipsos

« agere valeant, neque ad constituendum procuratorem cogi possint, adhuc « tamen plures dantur casus in quibus ista persona, sub diversis tamen « vocabulis explicare solita, necessaria est ad judicii integritatem ac perfe- « ctionem, quia nempe ipsa principalis persona actoris vel rei proprias « partes per se ipsam explicare non possit, ut ex. gr. sunt pupilli, mino- « res, amentes, fatui, et similes, qui sub necessaria seu legali administra- « tione vivant, et cum quibus tutorem vel curatorem legitimum non ha- « bentibus judicium peragi non valet, ideoque ad judicii perfectionem ac « validitatem curator vel actor ad litem illam peragendam deputandus est, « *Card. De Luca de judic. disc.* 6 *n.* 14.

« Quinimo nec sufficit sola deputatio, sed requiritur etiam effectiva « susceptio defensionis, cum alias sententia aliaque acta contra pupillum « vel minorem aut similem personam indefensam nullius momenti reputanda « sint, dum paria sunt nullum adesse curatorem vel defensorem, et adesse, « sed suas partes non explere, *Card. De Luc. de judic. d. disc.* 6 *n.* 15.

« Idemque in omnibus aliis sub eadem legali ac necessaria administra- « tione viventibus, quibus eadem congruat ratio, ut sunt ecclesiae et « monasteria, vel pia loca, nec non communitates et corpora ficta seu « intellectualia, sive haereditates jacentes, ac item patrimonia decocta sub « concursu posita, vel patrimonia illorum absentium quorum status sit « incertus, sive existant apud hostes, aut alias ita impediti ut per se « ipsos judicium peragere, suaque jura tueri non valeant, *Card. De Luc.* « *de judic. d. disc.* 6 *n.* 16.

« Super modo autem vel praxi deputandi hujusmodi curatores vel « defensores, certa regula generalis cuicumque casui vel loco applicabilis « non de facili statui potest, et praesertim circa cautionem vel circa « juramentum aliasque solemnitates in tutoribus et curatoribus aliisque « administratoribus desideratas, cum locorum ac tribunalium particularibus « legibus, vel stylis frequentius inter se variis deferendum veniat, *Card.* « *de Luc. de judic. d. disc.* 6 *n.* 17.

CAPUT XXIV.

PROCURATOR AN COGI POSSIT AD SUSCIPIENDUM MANDATUM.

SUMMARIUM

1. *Procurator non potest compelli ad acceptandum mandatum.*
2. *Etiam si fuerit ab alio procuratore substitutus.*
3. *Procurator, acceptando mandatum, dicitur contrahere cum mandante.*

4. *Nemo cogi potest ad contrahendum.*
5. *Contractus ab initio sunt voluntatis.*
6. *Privatus non potest habere imperium contra privatum et non subditum.*
7. *Procuratores et causidici palatii qui operam suam clientibus locare solent, mandatum ad lites acceptare tenentur.*
8. *Prout etiam procurator ad lites, pro quo consentiente, vel saltem non reclamante, dominus constituens satisdedit de solvendo judicatum.*
9. *Licet satisdator ante litem contestatam moriatur.*
10. *Nisi recuset ex aliqua legitima causa, approbanda tamen per judicem.*
11. *Si non adsit satisdatio, quis mandatum suscipere non potest compelli.*
12. *Quis dici non potest procurator ante acceptationem mandati.*
13. *Et nihil potest gerere tamquam procurator.*
14. *Sufficit quod procurator fuerit de mandato certioratus per literas mandantis, vel per nuncium ad id specialiter missum.*
15. *Procurator ante notitiam mandati, si aliquid gerat nulliter facit.*
16. *Quod procedit de rigore juris, et non de aequitate.*
17. *Sententia* Felini *et* Vantii; *in curia romana servari de stylo quod citetur procurator et cum eo fiat processus, antequam mandatum aceptet.*
18. *Declaratur haec eadem sententia.*
19. *Sequitur hujusmodi declaratio.*
20. *Conclusio.*
21. *De jure civili requiritur, quod a procuratore fiat expresse acceptatio mandati.*
22. *De jure vero canonico sufficit tacita et praesumpta acceptatio mandati.*
23. *Tacite et praesumptive dicitur procurator acceptasse mandatum si compareat in judicio et faciat actus procuratori convenientes.*
24. *Aut si in receptione literarum vel nuncii missi a mandante non contradicat.*
25. *Contraria opinio Cardinalis* in Clem. 1 de procurat. in 3 opposit., *quod non sufficiat taciturnitas et non contradictio procuratoris in recipiendis literis vel instrumento mandati, sed requiratur aliquis actus positivus ab ipso factus, vel saltem quod declaret animum suum acceptandi mandatum.*

26. *Opinio Cardinalis reiicitur.*
27. *Multo magis si penes procuratarem constitutum reperiantur literae ei missae vel instrumentum mandati.*
28. *Vel si procurator constituenti literarum receptionem significet.*
29. *Vel procurator aliunde notitiam habuerit de mandato, quamvis illud non viderit.*
30. *Ad inducendam tacitam acceptationem mandati sufficit quod procurator undecumque de facultate sibi data habeat notitiam.*
31. *Procurator postquam acceptavit mandatum illud exequi tenetur.*
32. *Nam deciperet tam mandantem quam alteram partem.*
33. *Procurator constitutus ad omnia generaliter peragenda, potest acceptare mandatum cum protestatione, quod illud ad certos actus vel tantum ad aliquam certam causam acceptet.*
34. *Hujusmodi protestatio fieri debet tempore acceptationis mandati, non vero quando illud producitur in judicio.*

1. Succedit necessaria indagatio; an procurator possit invitus compelli ad acceptandum mandatum: in qua similiter est negativa firmanda conclusio, *L. si mandavero § fin. ff mand., L. invitus cod. de procur., L. filiusfamilias § invitus ff eo tit., Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observat.* 43 *n.* 2.

2. Quamvis fuerit ab alio procuratore substitutus; nam si non acceptet nihil cum eo geri potest, *Rot. coram Verall. decis.* 308 *n.* 2 *lib.* 2.

3. Cujus conclusionis eam reddit rationem *Bald. in d. L. invitus n.* 1, quem sequitur *Gail. d. observat.* 43 *n.* 5 *in fin.*, quia procurator acceptando mandatum dicitur contrahere cum mandante, *L. in commodato § si autem vers. ut accidit in eo ff commod.*

4. Ubi expresse habetur, quod ad contrahendum nemo potest cogi, *L. invitus cod. de contr. empt.*

5. Cum contractus ab initio sit voluntatis, *L. sicut cod. de action. et obligat.*

6. Vel potest esse ratio, quia secus sequeretur quod privatus haberet imperium contra privatum et non subditum, quod esse absurdum firmavit *Surd. cons.* 433. *n.* 3 *lib.* 3.

7. Haec autem conclusio nonnullas recipit restrictiones et limitationes: quarum prima est, ut non procedat in causidicis et procuratoribus palatii qui operam suam clientibus locare solent; isti enim mandatum ad lites acceptare tenentur, ut notant *DD. in d. L. invitus cod. de procur.*, maxime *Paul. de Castr., et Jas. uterque n.* 2, refert *Gail. d. observat.* 43 *n.* 8.

« Stante collegii procuratorum in urbe existentia, pluries in facti « contingentia (oretenus tamen, et in forma familiarium discursuum) dicere « consuevi, quod in Curia indefinite non procedat propositio quam DD. « firmant, quod scilicet advocati et procuratores, necessitate vel justa causa « impellente, quamvis inviti, per magistratus cogi valeant ad patrocinium « praestandum vel consulendum, quasi quod huic muneri se addicendo « quemdam quasi contractum cum republica inire dicantur, ut de medicis « tam spiritualibus quam corporalibus traditur. Siquidem cum adsint illi « advocati et procuratores, qui munus suscipiunt solemniter et in officium, « pluribus potiendo emolumentis et praerogativis quibus alii carent, hinc « proinde rationabile videtur, ut ex regula *secundum naturam*, ut quem « sequuntur commoda sequantur incommoda, istorum prior debeat esse « obligatio; aliorum vero nisi subsidiaria. Bene verum, quod nimirum raro « et forte numquam formiter hujusmodi quaestiones disputari occasio prae- « bet, *Card. De Luc. in relat. Roman. Cur. discurs.* 46 *n.* 112.

8. Secundo limitatur in eo procuratore ad lites pro quo consentiente vel non reclamante, dominus constituens satisdedit de solvendo judicatum, *L. filiusfamilias* § *procuratorem ff de procur.*

« Satisdatio, procuratore consentiente tacite vel expresse, operatur quod « procurator possit compelli, et quod mandatum morte non finiatur, *Rot.* « *decis.* 172 *n.* 25 *part.* 7 *Recent.*, quod adnotatur etiam *cap. CXX ad* « *n.* 44.

9. Etiam si constituens qui talem satisdationem dedit, moriatur ante litem contestatam, *L. si defunctus ff eod. tit.*

10. Nisi recuset ex aliqua justa et legitima causa ex specificatis et expressis *in d.* § *procuratorem* cum quinque legibus sequentibus per judicem tamen causa cognita approbenda, *L. sed haec neque* § *sed haec ff eod. tit.*

11. Cessante autem dicta satisdatione, ut supra praestita, quis non potest compelli mandatum suscipere et acceptare.

12. Et ante acceptationem procurator dici non potest, *L.* 2 *ff de procur.*, *Bart. cons.* 73 *n.* 2 *lib.* 1, *Bald. in L. falcus n.* 18 *cod. de furt.*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ob defect. inhabilit. n.* 103, *Rot. decis.* 7 *procur. in nov. et coram Verall. decis.* 319 *n.* 2 *lib.* 1.

13. Et nihil gerere potest tamquam procurator, *Gloss. in Clem.* 1 *in verb. receptis de procur.*, *Vant. d. tit. n.* 115.

14. Sufficit tamen quod procurator fuerit de mandato certioratus per literas mandantis, vel per nuncium ad id specialiter transmissum, *Nicol. Alex. Tartagni cons.* 146 *n.* 34 *lib.* 1, et nos diximus supra *cap. XVIII n.* 19, et ita debet intelligi *Gratian. discept. forens. cap.* 377 *n.* 14, dum dicit quod satis est, quod ex praesumptionibus possit colligi quod procurator habuerit notitiam de contentis in mandato; ista enim notitia debet haberi

ex literis ipsius mandantis, vel mediante nuncio ad id specialiter trasmisso, ut diximus *d. cap. XVIII.*

15. Etsi ante habitam dictam notitiam procurator aliquid faciat, nulliter facit, *Soc. sen. in L. multum* 21 *n.* 8 *ff de condit. et demon.*, *Bart. cons.* 73 *in* 1 *dub. lib.* 1 *et in L. si pupilli* § *item si procurator n.* 6 *ff de negoc. gest.* cum aliis apud *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 116 *vers. tertio principaliter.*

« Pro eo autem quod attinet ad notitiam mandati potest adnotari, « quod mandati procurae scientia satis justificatur ex illius exhibitione « in actis, *Rot. decis.* 193 *n.* 7 *part.* 8 *Recent.*

16. Hoc tamen intellige verum de rigore juris, secus de aequitate, *Bald. in d. L. falsus n.* 18 *circa med.*, *vers. et quidquid sit cod. de furt.*, ubi dicit, quod dominus constituens potest venientem contra factum dicti procuratoris repellere exceptione doli.

17. Et licet *Felinus in cap. sciscitatus n.* 42 *de rescript.*, *et Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabil. n.* 116. dicant in Curia Romana servari de stylo, quod procurator citetur, et cum eo fiat processus antequam mandatum acceptet:

« Videantur ea quae adnotantur *ex Card. De Luc. cap.* 37 *ad n.* 4 « *et* 10.

18. Iste tamen stylus vel est restringendus quoad productionem mandati, ut scilicet possit citari et cum eo fabricari processus antequam producat mandatum, dummodo eo tempore haberet mandatum, ut notant *Addent. ad d. decis.* 7 *n.* 3 *de procur. in nov.*, et nos dicemus infra *cap. CII*, dum *de mandati productione* agemus:

19. Vel procedit dumtaxat in procuratoribus nominatis in curia, qui intersint executioni processuum remissoriae et compulsoriae in partibus; nam isti nominati possunt citari, et cum eis fabricari processus in partibus antequam mandatum acceptent, ea ratione, quia in curia monitae fuerunt partes ad constituendum procuratorem in partibus reperibilem, cum comminatione quod procedatur per affixionem ad valvas, et stante ista monitione et intimatione imputandum est eis, si non elegerunt procuratorem reperibilem et acceptantem, et ita respondet *Rot. coram Verall. d. decis.* 319 *n.* 3 *et* 4 *lib.* 1.

20. Stat itaque conclusio, quod antequam quis tamquam procurator possit valide pro aliquo in judicio intervenire, opus est ut de mandato notitiam habeat, et illud acceptet.

21. An autem dicta acceptatio debeat fieri expresse, vel sufficiat tacita aut praesumpta, videtur esse differentia inter jus civile et canonicum: nam de jure civili requiritur acceptatio expressa, *L. filiusfamilias* § *invitus ff. de procur.*

22. De jure vero canonico sufficit tacita acceptatio et praesumpta, ut distinguendo concludit *Vant. d. tit. n.* 103.

« Mandati procurae acceptatio expressa vel tacita est necessaria etiam « in procuratore qui praesens fuit constitutus, *Rot. decis.* 371 *n.* 6 *part.* 17 « *Recent.*

« Et fortius si procurator constitutus non erat praesens, *decis.* 104 « *n.* 36 *part.* 6 *Recent.*

« Illa tamen praesumitur ex jurium productione et impensa in lite « facta, *d. decis.* 104 *n.* 43 *part.* 6 *Recent.*

« Non tamen procedit stante productione facta per compulsum, nec « deducitur ex scripturis et informationibus, qui sunt actus extrajudicia- « les, *ibid. d. L. n.* 44.

« Neque ab iis quae non solent fieri a procuratore habente mandatum « ad causam, *ibid. d. n.* 45.

« Registrum pariter a procuratore receptum non sufficit pro acceptatione mandati, *Rot. dec.* 371 *n.* 9 *part.* 11 *Recent.*

« Neque praesumitur mandati acceptatio quando est acceptanti praejudicialis, *decis.* 469 *n.* 8 *et* 18 *part.* 18 *tom.* 2 *Recent.*

« Et praecipue si appareat receptum absque aliqua protestatione vel « interpellatione, *decis.* 101 *n.* 5 *part.* 3 *Recent.*

« Regulariter tamen dicitur acceptatum a procuratore stipulationi « praesenti, *decis.* 12 *n.* 4 *part.* 18 *tom.* 1 *Recent.*

23. Tacite autem aut praesumptive dicetur procurator acceptasse mandatum, si compareat in judicio et faciat actus procuratori convenientes, *Gratian. discept. forens. cap.* 738 *n.* 27; ita ut ob tales comparitiones et actus, mandatum generale dicatur deductum ad speciale, respectu actuum pro quibus comparuit, *Rot. coram Seraph. decis.* 654 *n.* 3, *Gratian. d. cap.* 738 *n.* 24.

24. Item si recipiat literas mandantis aut nuncium, unde procuratori deducatur ad notitiam mandatum illi factum, et non contradicat, *Clem.* 1 *de procur., Paul. de Castr. in L. invitus n.* 8 *cod. de procur.*, et ibi *Alex. Tartagni n.* 7, *Vant. d. n.* 103, *Paris. cons.* 5 *n.* 105 *lib.* 4, *Jas. in L. quae dotis n.* 99 *vers. decimus septimus ff sol. matr., Crav. de antiq. temp. par.* 1 § *viso de verbis n.* 23, *Decian. cons.* 109 *n.* 17 *lib.* 2, *Rot. Genuen. decis.* 68 *n.* 4, *decis.* 125 *n.* 1, *decis.* 147 *n.* 4, *et decis.* 163 *n.* 3, *Ludovic. de Casanate cons.* 39 *n.* 28, qui omnes moventur *per tex. in d. Clem.* 1 *de procur.*

25. Et quamvis contraria sententia, quod non sufficiat ista taciturnitas procuratoris, sed requiratur quod fiat aliquis actus positivus a dicto procuratore ultra receptionem literarum vel instrumenti continentis mandatum, et quod procurator saltem declaret animum suum acceptandi man-

datum placuerit *Cardinali Francisco Zabarellae in d. Clement.* 1 *in* 3 *opposit.*, quem sequuta fuit *Rot. Genuen. sibi contraria decis.* 23 *n.* 20, *et Vestr. in prax. Roman. Cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 4 *vers. in tantum:* subijciens propterea quod etiam minime resultat acceptatio mandati ex praesentia et non reclamatione, quando notarius conficit instrumentum mandati in ejus personam per *Tex. in d. L. filiusfamilias* § *invitus ff de procur.:*

26. Ego tamen superiorem et affirmativam sententiam veriorem esse existimo, tum per *Tex. in d. Clem.* 1 *de procurat.*, qui ad hoc videtur expressus, tum ob numerum et auctoritatem DD. qui illam firmant, adeo ut non possit in dubium revocari, quin sit communiter recepta; nam post literarum vel instrumenti mandati receptionem, si procurator non contradicat, videtur suum consensum accomodasse ut dicunt praefati DD. qui hanc sententiam sunt amplexi, et nos late comprobavimus supra *cap. XVIII*, dummodo dictae literae mandantis habeant qualitates quas in illis requiri diximus *cap. XIX.*

27. Quae opinio procederet multo magis si penes procuratorem constitutum reperiantur literae praefatae vel instrumentum mandati, *Decian. cons.* 39 *n.* 100 *et* 166 *lib.* 2.

28. Vel si procurator significasset domino constituenti receptionem dictarum literarum, ut notat *Rot. Genuen. decis.* 70 *n.* 5.

29. Vel procurator aliunde notitiam habuerit de dicto mandato, licet illud non viderit, *Gratian. discept. forens. cap.* 639 *n.* 12.

30. Nam ad eliciendam dictam tacitam acceptationem, sufficit quod procurator, undecumque notitiam habeat de facultate sibi data, *Rot. decis.* 451 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*, neque obstat *Vestr. d. n.* 4, quia loquitur ad eliciendam expressam acceptationem, ut colligitur dum allegat *Tex. in d. L. filiusfamilias* § *invitus*, ubi agitur de expressa acceptatione.

31. Postquam autem procurator acceptavit mandatum, tenetur illud exequi, *L. si mandavero* 22 § *fin.*, *L. si quis* 27 § *qui mandatum ff mand.*, alias tenetur ad interesse, *L. si procurator* 8 § *mandati*, *L. si mandavero* § *Julianus ff mand.* An autem procurator postquam mandatum acceptavit possit illud deserere et illi renunciare, dicemus infra *cap. CXIX.*

« Acceptans mandatum, censetur se adstrinxisse omnibus in eo con-
« tentis, *Rot. decis.* 640 *n.* 10 *par.* 1 *Recent.*

« Sed acceptatio debet intelligi secundum materiam, scilicet donec
« procurator fuerit revocatus, *Rot. decis.* 443 *n.* 5 *par.* 1 *Recent.*

32. Nam deciperet tam mandantem, quam alteram partem, *Bald. in d. L. filiusfamilias* § *procurator n.* 1, *et ibi Paul. de Castr. n.* 10 *ff de procur.*

33. Verum enim vero, si quis sit constitutus procurator ad omnia

generaliter peragenda, potest procurator acceptare mandatum cum protestatione et declaratione, quod illud aceeptare vult et acceptat dumtaxat quoad certos actus, vel quoad aliquam certam causam, non autem quoad alia contenta in procuratorio, *Burs. cons.* 39 *n.* 14 *lib.* 1, *Rot. decis.* 3 *et decis.* 18 *de procur. in antiq.*, *Vestr. in sua prax. Romam. Cur. lib.* 4 *cap.* 5 *de procur. n.* 5.

34. Quod si talem declarationem et protestationem non faciat tempore acceptationis mandati, sed quando illud producit in judicio, ista protestatio et declaratio, tamquam contraria facto non relevaret, cum ex receptione mandati simpliciter facta absque dicta protestatione, resultet illius acceptatio quoad omnia in procuratorio contenta, ut declarat *Vestr. d. n.* 5.

CAPUT XXV.

DE MANDATO EXPRESSO.

SUMMARIUM

1. *Mandatum expressum dicitur quod constat expresse.*
2. *Expressum dicitur quod per scripturam apparet.*
3. *Mandatum est expressum quando constat per publicum instrumentum.*
4. *Mandatum regulariter est probandum per instrumentum rogatum per publicum notarium.*
5. *Mandatum etiam dicitur expressum, quando de eo constat per literas missivas ipsius constituentis, directas vel adversario vel judici.*
6. *Vel si de ipso constaret per exemplum sumptum ex prothocollo notarii rogati de dicto mandato.*
7. *Vel si in aliquo publico instrumento reperiatur insertum et registratum de verbo ad verbum.*
8. *Aut si de illo constaret per scripturam munitam sigillo episcopi vel alterius praelati, quod esset recognitum, absque subscriptione notarii et testium.*
9. *Vel si mandatum fieret apud acta.*
10. *Quando fit mandatum coram notario actuario, absente judice, debent adhiberi testes, si de stylo curiae aliter non servetur.*
11. *Secus vero si praesente judice fiat mandatum.*
12. *Mandatum quoque dicitur expressum, quod ipsius constituentis confessione probatur.*

1. Quoniam supra *cap. II* dicebamus mandatum aliud esse expressum, aliud tacitum, aliud praesumptum, ideo de hujusmodi mandatorum qualitatibus separatim et distincte agendum esse censui. Et incipiendo a mandato expresso, illud mandatum dicitur expressum, de quo expresse constat: potest autem multis modis de illo constare, et quidem

2. Primo, cum expressum id dicatur quod per scripturam apparet, *Bald. in cap. ult. col. 4 n. . . . vers. quaero numquid consuetudo extr. de consuetud., et in L. sed si quis § quaesitum col. 3 sub n. 4 vers. venio ad quaestiones*, in illis verbis, *expressum autem dicitur ff si quis caution.*, quem sequitur *Tiraq. de legib. connubial. Glosa 7 n. 82, et Decian. cons. 1 n. 106 lib. 2.*

3. Mandatum expressum illud diceretur, de quo constat per publicum instrumentum, *Christophoris Forniola cons. 93 n. 3, Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n. 138 vers. ratione formae, Rot. Genuens. dec. 92 n. 2*, et huc forte respexit *Seraphinus de Seraphinis in tract. de privilegiis juramentorum privileg. 33 n. 82*, dum dixit

4. Mandatum regulariter esse probandum per instrumentum rogatum per publicum notarium.

5. Secundo in proposito, mandatum diceretur expressum illud de quo appareret per literas missivas ipsius constituentis directas vel adversario, vel judici, *L. 1 § 1, L. procuratorem*, et ibi *Gloss. ff de procur., L. 1 ff mand., Gloss. in L. 1 in verb. praesentis cod. de satisdat., Paris. cons. 47 n. 14 et cons. 91 n. 1 et seqq. lib. 1, Mazol. cons. 37 n. 45 et cons. 87 n. 1; Thomas Doccius cons. 145 n. 1, Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n. 129, Rot. Genuen. decis. 49 n. 1 et decis. 119 n. 1, Franc. Viv. decis. 470 n. 6 par. 3, Rot. dec. 84 n. 2 par. 4 Divers.*

« Cum etiam per literas fieri posse mandatum deductum sit supra « *cap. XVIII*, dummodo literae illae habeant requisita necessaria, de qui- « bus diximus *cap. XIX.*

« Mandatam probatur ex literis *d'Avviso, Samminiat. controv. 27 n. 37* « *lib. 1.*

« Mandatum dari et probari potest per epistolam et literas missivas, « *Idem ibid. n. 38.*

« De jure non dubitatur, mandatum etiam per epistolas familiares « dari posse, *Card. de Luc. de regul. disc. 115 n. 2.*

6. Tertio, expressum quoque diceretur mandatum, de quo constaret per exemplum sumptum ex prothocollo notarii de dicto mandato rogati: dummodo in exemplatione et transumptatione illius fuerint adhibitae et servatae solemnitates necessariae, de quibus *in cap. cum per Tabellio. extr.*

de fid. instrum., *et per Guidonem Papam decis.* 2, *et per Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 711 *n.* 17 *cum multis seqq.* Ita *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 139 *in fin. vers. et si producitur.*

7. Quarto dicitur etiam expressum mandatum illud quod in aliquo publico instrumento reperitur insertum et registratum de verbo ad verbum, *Nicolaus Boerius decis.* 281 *n.* 3 *vers. tamen si fuisset*; *Vant. d. tit. n.* 75 *vers. dummodo*, qui testatur de communi, et testatur *Rot. decis.* 2 *n.* 3 *vers. de quo adhuc lib.* 1 *part.* 3 *Divers.*

8. Quinto mandatum quoque expressum diceretur illud de quo constaret per scripturam signatam et munitam sigillo episcopi, vel alterius praelati absque subscriptione notarii et testium; dummodo sigillum sit recognitum, *Rot. decis.* 162 *quae est* 12 *de procur. in nov.*, *Franc. Marc. decis.* 891 *n.* 6 *par.* 1, *Gratian. decis. March.* 105 *n.* 5 cum aliis apud *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 139.

9. Sexto illud quoque mandatum diceretur expressum quod fieret apud acta.

10. Circa quod posset dubitari, an in illius confectione sit necesse adhibere testes: in qua dubitatione sunt considerandi duo casus. Primus est quando procurator constituitur coram notario actuario, absente judice, in quo verior est opinio affirmativa, si de stylo curiae aliter non servetur.

11. Secundus casus est, quando tale mandatum fit praesente judice, et hoc casu non est necesse adhibere testes, ut resolvit *Rot. decis.* 859 *lib.* 3 *par.* 3 *Divers.*

12. Septimo non videtur quod possit in dubium revocari, quin expressum dici possit etiam mandatum, quod ipsius constituentis confessione probatur, prout probari posse volunt communiter scribentes, *Angel. cons.* 87 *n.* 2, et alii in sequenti capite allegandi.

CAPUT XXVI.

MANDATUM EXPRESSUM AN PROBETUR TESTIBUS.

SUMMARIUM

1. *Mandatum, et praecipue speciale, debet probari per claras et necessario concludentes probationes.*
2. *Mandatum quibus modis dicitur expressum, iisdem probatur.*
3. *Maxime si de illo exhibeatur publica scriptura vel instrumentum quod manifestam facit probationem.*
4. *Plura tamen circa hanc probationem sunt advertenda.*
5. *Mandatum expressum probatur etiam per confessionem constituentis procuratorem.*

6. *Et potest etiam probari per testes.*
7. *Expressum dicitur quod voce profertur.*
8. *Mandatum probatur per testes etiam singulares, singularitate tamen adminiculativa et non obstativa.*
9. *Et sunt idonei ad illud probandum etiam testes, quibus fuit factum mandatum.*
10. *Multo magis si habeant contestes.*
11. *Intelligitur tamen si alia adminicula concurrant.*
12. *Mandatum principis debet probari per scripturam, et non per testes.*
13. *Contraria opinio* Thom. Grammatici, *atque* Bertazolii.
14. *In mandato principis jurisditionali, non vero in mandato ad negocia requiritur scriptura.*
15. *Sic pariter in mandato continente gratiam, et non in mandato quod contineat justitiam.*
16. *Scriptura quando requiritur in mandato principis, requiritur etiam in mandato episcopi.*
17. *Mandatum ad exigendum per publicum instrumentum probari debet.*
18. *Mandatum scriptura est probandum, si statuto caveatur quod non credatur testibus deponentibus de mandato.*
19. *Quando lex vel statutum requirit scripturam, licet non disponat quoad testes, isti tamen habentur pro omissis.*
20. *Potest tamen probari per testes ratificatio gestorum ab asserto procuratore.*
21. *Verba statuti sunt intelligenda in casu vero, et non in casu ficto.*
22. *Quando mandatum probatur testibus, duo saltem requiruntur.*
23. *Unicus testis nec semiplenam quidem facit probationem, et ideo non potest deferri juramentum ad plenam probationem supplendam.*
24. *Nisi constaret de voluntate constituentis, quod procurator possit suum mandatum per juramentum probare.*
25. *Vel nisi ageretur de praejudicio ipsius constituentis.*
26. *Si sit probandus per testes tenor mandati, isti debent esse advocati, doctores vel notarii notabiles, secus vero si solum probandum sit fuisse factum mandatum.*

1. Quia mandatum, maxime speciale, debet probari per claras dilucidas et necessario concludentes probationes, *Crav. cons.* 265 *n.* 5, *Caesar. Manent. decis.* 61 *n.* 20, sequitur ut videamus quibus modis probetur.

« Juramentum suppletorium non datur, quando agitur de probando, « quod quis sit procurator, aut simili probatione requirente scripturam, « *Ridolphin. in prax. part.* 2 *cap.* 4 *n.* 161.

2. In qua indagatione illud in primis pro firmo statuendum est, mandatum probari iisdem modis quibus in praecedenti capite dictum fuit mandatum dici expressum.

3. Et maxime si de illo exhibeatur publica scriptura et publicum instrumentum, quod facit probationem manifestam et probatam, *Bart. in L.* 1 *in princ. n.* 8, et ibi *Jas. n.* 10 *ff de nov. oper. munc.* cum aliis apud *Tiraquell. de retract. lign.* § 2 *Gloss.* 1 *n.* 20 *et seq.*

« Mandatum probatur ex instrumento publico, *Rot. decis.* 10 *n.* 1 « *part.* 6 *Recent.*

4. In hac tamen probatione facienda per publicum instrumentum est advertendum ad plura quae considerat *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 140 *cum multis seqq.*, habita etiam ratione personarum constituentium procuratorem, an in celebratione instrumenti procuratorii adhibuerit solemnitates de jure, vel ex forma statuti, vel constitutionis requisitas, si sit minor aut mulier.

5. Prout etiam probari posse per confessionem ipsius constituentis, diximus in fine praecedentis capitis, auctoritate *Angel. cons.* 87 *n.* 2 *vers. nec etiam obstat*, cui adde *Rim. Sen. cons.* 34 *n.* 2 *lib.* 1, *et Ruin. cons.* 71 *n.* 4 *lib.* 3.

6. Sed dubitari potest, an probari possit per testes: in qua dubitatione licet non desint qui partem negativam amplectantur, quos refert *Joseph Mascardus de probat. vol.* 2 *conclus.* 1010 *n.* 2, affirmativam tamen communis scribentium schola sequuta fuit, *Bart. in L.* 1 *n.* 11 et ibi communiter alii, *cod. de procur.*, *Alex. cons.* 149 *n.* 15, qui de communi, *lib.* 5, *Ceph. con.* 65 *n.* 1 *lib.* 1, *Viv. decis.* 470 *n.* 5 *par.* 3, *Caesar Bartius decis.* 46 *n.* 57, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 70, *Rim. Sen. d. cons.* 34 *n.* 10, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 3 *n.* 26, *Ant. Maria Gallesius de obligat. cameral. par.* 3 *de praeambul. ipsius process. q.* 2 et juxta ordinem *Zacchiae q.* 27, *Gratian. decis. March.* 105 *n.* 4, *Jacob. Strozzius in tract. de Vicar. Episcop. lib.* 1 *cap.* 62 *n.* 6.

« Ex legibus expressis regionum Hispaniarum mandatum probari non « potest per testes, *Rot. decis.* 320 *n.* 34 *et* 36 *par.* 10 *Recent.*

7. Quae opinio confirmari potest ea ratione, quia expressum illud etiam dicitur quod voce profertur, *Bald. in L. sed et si quis* § *quaesitum sub n.* 4 *vers. venio ad quaestiones*, *in illis verbis; expressum autem dicitur ff si quis caution.*, cum aliis apud *Tiraquell. de legib. connub. Gloss.* 7 *n.* 81, eo enim casu testis deponeret de mandato expresso facto verbis, et sic de actu per sensum auditus et corporeum percepto, prout testis

deponere debet, *L. testium cod. de testib.*, *L. qui testamento* § *fin. ff de testam.*, *L.* 1 *in princ. ff de his quae in testam. debent*, *Bart. in L.* 1 *n.* 17 *ff si cert. petat.*

8. Ista autem conclusio ampliatur primo, ut procedat etiam si testes essent singulares, singularitate tamen non obstativa sed adminiculativa, *Rot. decis.* 274 *n.* 3 *par.* 4 *Divers.*

9. Ampliatur secundo, ut ad probandum mandatum sint idonei testes etiam illi quibus fuit factum mandatum, *Alex. cons.* 88 *n.* 31 *vers. praeterea etiam lib.* 5, sequitur *Ruin. cons.* 59 *n.* 6 *lib.* 1, *et cons.* 65 *n.* 7 *vers. secundo lib.* 5, refert et sequitur *Simon. de Praetis cons.* 151 *n.* 54, *et cons.* 158 *n.* 7 *lib.* 1, *Rot. decis.* 169 *n.* 2 *part.* 2 *Recent.*

10. Et multo magis si habeant contestes, ut subdit *Sim. de Praet. d. num.* 54 et dicit *Ruin. d. vers. secundo.*

11. Quod tamen intelligendum esse dixit *Rot. d. n.* 2 si concurrant alia adminicula.

12. Limitatur autem dicta principalis conclusio, primo in mandato principis, quod non testibus sed per scripturam probandum esse evincit, *Tex. in L. unic. cod. de mand. princip.*, et dicunt *Natt. cons.* 420 *n.* 15 *lib.* 2, *Joseph Ludovici decis. Perus.* 110 *n.* 5, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1010 *n.* 8.

13. Contrarium tamen sentit *Thomas Grammaticus cons. crimin.* 13 *n.* 14, et post eum *Bertaz. cons. civil.* 106 *n.* 16 *ad med. lib.* 1.

14. Quae tamen contrarietas videtur quod salvari possit distinguendo mandatum jurisditionale a mandato ad alia negocia; nam in jurisditionali est necessaria scriptura, ut per multa jura dicit, *Natt. d. cons.* 420 *n.* 2 *et* 4 et alii pro limitatione allegati: in mandato autem ad negocia non requiritur scriptura, et de hoc loquuntur *Gramm. et Bertaz.*

15. Vel potest dici quod mandatum principis continens gratiam requirat scripturam, si vero contineat justitiam possit probari testibus, ut distinguit *Affl. decis.* 398 *n.* 7 *vers. quod mandatum regis.*

16. In casibus autem in quibus habet locum limitatio illa, procedit etiam in mandato episcopi, *Rot. decis.* 397 *quaest.* 5 *de offic. vicarii in nov. vers. de secundo, et decis.* 4 *de offic. ordin.* pariter *in nov. Aegydius de Bellamera decis.* 110 *de offic. deleg.*, *Rebuff. in pract. benefic. in tit. de Vicar. Episc. n.* 8 *et* 13.

17. Limitatur secundo in mandato ad exigendum et recipiendum solutiones, quod per publicum instrumentum probandum esse dicunt *Bart. in L. falsus col. pen. n.* 27 *cod. de furt.*, *Alex. in L.* 1 *n.* 16 *cod. de procur.*, qui dicit non inveniri contradictorem, *Franc. Cremens. singul.* 139 *si procurator*, *Marsil. in rubr. cod. de probat. n.* 30 *vers. teneas tamen perpetuo menti*, *Caesar de Ursillis ad Affl. decis.* 498 *n.* 5 *vers. circa quae*

non obliviscaris, et decis. 319 *n.* 7 *vers. quae bene, Catellianus Cotta in suis memorab. in verb. gradat, Sim. de Prudis cons.* 83 *n.* 7 *lib.* 1, *Mascard. de probat. conclus.* 1010 *n.* 7 qui alios allegat, *Gratian. in addit. ad dictum decis.* 105 *n.* 2.

18. Limitatur tertio si statuto caveatur quod non credatur testibus deponentibus de mandato, sed illud probari debeat per scripturam, *Surd. cons.* 54 *n.* 11 *lib.* 1.

19. Etenim quando lex vel statutum requirit scripturam, licet non disponat quoad testes, testes pro omissis debent haberi, *Menoch. de adipiscenda possess. casu* 4 *n.* 917 *et seq.*, *Tiraq. de retract. lign.* § 2 *Gloss.* 1 *n.* 15 *et* 20.

20. Eo tamen casu poterit probari per testes ratificatio gestorum ab asserto procuratore; nam cum ratificatio sit factum mandatum non comprehenditur sub statuto loquente de mandato.

21. Quia verba statuti sunt intelligenda in casu vero et non in casu ficto, *Bald. in L. observare* § *fin. n.* 8 *in* 11 *quaest. ff de offic. Procons.*, *Dec. in cap. n.* 2 *in prima limitat. extr. de probat. et cons.* 297 *n.* 4, *Surd. d. cons.* 54 *n.* 11.

22. Declaratur etiam principalis conclusio ut supra limitata, ut quando mandatum est probandum per testes, requirantur ad minus duo, *Petrus de Beninciondis decis.* 76 *n.* 5, *Mascard. d. conclus.* 1010 *n.* 11, *Gratian. decis. March.* 114 *n.* 10.

23. Adeo ut unicus testis de mandato attestans non faciat quidem semiplenam probationem, et consequenter non possit deferri juramentum ad supplendam plenam probationem, *Decian. cons.* 65 *n.* 20 *lib.* 5, *Purpur. cons.* 71 *n.* 29 *lib.* 1, *Seraph. de privileg. juram. privileg.* 33 *n.* 83, *Barthol. Socin. reg.* 204 *in* 6 *fallent.*

24. Nisi constaret de voluntate constituentis quod procurator possit suum mandatum probare per juramentum, quia tunc talis probatio admitteretur ad praejudicium ipsius constituentis, *Rimin. Sen. cons.* 34 *n.* 7 *lib.* 1.

25. Vel nisi ageretur de praejudicio constituentis, puta quia procurator vellet repetere ab eo expensas factas pro eo: si dominus enim negaret illum fuisse suum procuratorem, tunc mandatum probari per unicum testem, cum juramento suppletorio ipsius procuratoris, firmat *Rim. Sen. d. cons.* 34 *n.* 8, auctoritate *Butr. in cap. cum pro causa in fin. extr. de procur.*

26. Declaratur secundo principalis conclusio, quod si sit probandus per testes tenor mandati, testes debeant esse magni advocati, doctores, vel notabiles notarii, si autem sit probandum dumtaxat fuisse factum mandatum, non requiruntur testes hujus qualitatis, ut post *Abbatem Panormitanum*, quem allegat in *cap. cum olim super Gloss. fin. extr. de privileg.* deducit *Jo. Crottus cons.* 89 *n.* 19 *et seqq. lib.* 1.

CAPUT XXVII.

MANDATUM AN PROBETUR PER ASSERTIONEM NOTARII, QUOD ILLUD VIDERIT ET LEGERIT.

SUMMARIUM

1. Speculatoris *opinio mandatum probari per assertionem notarii quod illud viderit et legerit.*
2. *Contraria sententia de communi mandatum per talem assertionem minime probari.*
3. *Quamvis hujusmodi enunciatio in instrumento antiquo esset facta.*
4. *Quamvis notarius diceret se de tali mandato constat per instrumentum rogatum per me notarium.*
5. *Multo minus ad praejudicium tertii.*
6. *Opinio* Speculatoris *salvatur.*
7. *Verba enunciativa tertio non praejudicant.*
8. *Intelligitur procedere in magno et gravi, non autem in levi et modico praejudicio.*
9. *Assertio notarii licet quoad tertios non faciat plenam probationem, inducit tamen praesumptionem de existentia mandati.*
10. *Maxime in instrumento antiquo.*
11. *Quae praesumptio transfert onus probandi contrarium in adversarium.*
12. *Assertio notarii facit probationem, si de stylo curiae loci hujusmodi assertioni credatur.*
13. *Quid si notarius non faciat fidem se vidisse et legisse mandatum, sed reperiatur scriptum in actis, quod de mandato fuit facta fides.*
14. *Si reperiatur scriptum in actis, quod talis comparuit nominibus quibus supra, et licet pluries supra reperiatur ita scriptum nunquam tamen apparet illum realiter esse procuratorem dici nequit quod constet de mandato.*
15. *Probatum dicitur aliquem non esse procuratorem, quando in processu non constat de illius mandato.*

1. In hac dubitatione licet partem affirmativam videatur voluisse firmare *Marcabr. cons.* 32 *n.* 112 *et seqq.* et signanter *n.* 129 *et seq.* auctoritate *Speculatoris*, ubi per eum.

2. Negativam tamen sententiam tamquam communem et veriorem amplexi sunt *Barbat. cons.* 38 *in prim. dub. lib.* 4, *Cels. Hug. cons.* 51 *n.* 1 *vers. et hoc etiam*, *Christoph. Torniola cons.* 93 *n.* 3, *Decian. cons.* 65 *n.* 23 *lib.* 5, *Cephal. cons.* 176 *n.* 40 *lib.* 2, *Gratus cons.* 28 *n.* 13 *lib.* 1, *Dec. cons.* 522 *n.* 3, *Rol. cons.* 15 *n.* 21 *lib.* 1, *Rimin. Jun. cons.* 381 *n.* 90 *lib.* 4 *et cons.* 520 *n.* 2 *lib.* 5, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 71, *Surd. decis.* 231 *n.* 3, *Mastrill. decis.* 101 *n.* 29 *lib.* 2, *Boer. decis.* 281 *n.* 3 *et* 4, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 4 *n.* 6, *Rot. cor. Card. Cavaller. decis.* 272 *n.* 5.

3. Licet hujusmodi denunciatio esset facta in instrumento antiquo, ut dicemus infra *cap.* XXX, *mandatum an praesumatur ob temporis diuturnitatem* in 8.ª *limitatione.*

4. Quamvis notarius diceret, ut de tali mandato constat per instrumentum rogatum per me notarium etc., *Socin. Sen. cons.* 266 *sub n.* 1 *vers. nec obstat quod tex. et DD. lib.* 2, quem refert et sequitur *Surd. d. decis.* 231 *n.* 3 *vers. sed etiam si dicat*, *Torniola d. cons.* 93 *sub n.* 3, ea ratione, quia tunc notarius deponeret tamquam testis, unde cum sit unicus et non juratus non probat, *L. licet cod. de testibus.*

5. Et multo minus ad praejudicium tertii, *Augustinus Berojus cons.* 109 *n.* 29 *lib.* 1, *Burs. cons.* 150 *n.* 81, qui testatur de communi *lib.* 2.

6. Caeterum si velimus salvare illud dictum *Speculatoris* possemus dicere, quod procedat respectu partium contrahentium, inter quas assertio notarii se vidisse et legisse mandatum probat, et ita declarat *Alex. cons.* 6 *n.* 7 *lib.* 4, *Burs.*, qui testans de communi, illum et alios allegat *d. cons.* 150 *n.* 82 *lib.* 2.

7. Quo vero ad alios non facit probationem in eorum praejudicium, nam regulariter verba enunciativa tertio non praejudicant, *Paulus a Monte Pico cons.* 97 *n.* 12, *Rimin. Jun. cons.* 578 *n.* 1 *lib.* 5, *Marcabr. cons.* 29 *n.* 87 *et seq.*

8. Hoc tamen ultimum dictum de praejudicio tertii debet declarari ut procedat in gravi et magno praejudicio, secus in levi et modico, ut declarat post alios, *Crav. de antiq. tempor. part.* 1 § *ampliatur n.* 4 *et seqq.*, *et in* § *viso de fama n.* 21, *Burs. cons.* 151 *n.* 93 *lib.* 2.

9. Secundo declaratur, quod licet quoad tertios dicta assertio notarii non faciat plenam probationem, faciat tamen praesumptionem de existentia mandati, *Marcabr. cons.* 32 *n.* 118 *et n.* 146, *Cephal. cons.* 297 *n.* 15 *et seq. lib.* 2, *Mantic. de tacit. et ambig. convention. lib.* 7 *tit.* 4 *n.* 8, *Rot. cor. Gregorio XV decis.* 275 *n.* 5, *et in Recentior. decis.* 503 *n.* 3 *part.* 1, *et decis.* 440 *n.* 5 *in fin. part.* 2, *Gratian. discept. foren. cap.* 737 *n.* 20 *et seqq.*

« Assertio notarii dicentis rogatum esse mandatum per acta sui, in-

« servit pro conjectura, nam et si illi plene non credatur, ut dicit *Innoc.* « *in cap. quoniam contra falsam de probat.*, loquens de notario dicente, « ut constat in quodam instrumento procurationis facto per manus mei, « *Boerius cons.* 5 *n.* 5 *lib.* 1, *Afflict. decis.* 48 *n.* 2, attamen junctis aliis « coadiuvat probationem, ut dicit idem *Afflict. n.* 3 *et* 4, atque haec ha- « bentur ex *Rot. decis.* 140 *n.* 14 *part.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

10. Maxime in instrumento antiquo, ut dicemus dicto *cap.* XXX in 8.ª limitatione.

11. Quae praesumptio transferret onus probandi contrarium in adversarium, *Menoch.* post alios, *cons.* 207 *n.* 11 *lib.* 2.

12. Tertio declarandum est, quod non procedat si ex stylo curiae loci credatur hujusmodi assertioni notarii, *Rot. decis.* 327 *n.* 2 *lib.* 3 *part.* 3 *divers.*

13. Sed rursus posset circa hoc dubitari, quod si notarius non faciat fidem se vidisse et legisse instrumentum mandati, sed reperitur scriptum in actis quod de mandato fuit facta fides, an dici possit constare de mandato? Et affirmativam partem statuit post alios *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 110 *et seqq.*, ea ratione quia non sit necessarium quod procuratorium inseratur et registretur in actis de verbo ad verbum, sed sola assertio habeat vim probationis, ut ibi per eum.

14. Secus autem esset si in actis reperiretur scriptum quod talis comparet nominibus quibus supra, si supra non constat illum realiter et cum effectu esse procuratorem, etiam si pluries in actis reperiretur ita scriptum; ex hoc enim non resultat sufficiens probatio quod comparens sit procurator illius cujus nomine comparet, *Odd. cons.* 20 *n.* 10.

15. Immo quod ille non fuerit procurator dicitur probatum eo ipso quod in processu non constat de illius mandato, ut plurimus comprobat *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 62.

CAPUT XXVIII.

DE MANDATO AMBIGUO.

SUMMARIUM

1. *Mandati dubietas vel ambiguitas potest multis modis contingere.*
2. *Sequitur de modis quibus de mandati dubietate vel ambiguitate loquitur.*
3. *Mandatum ambiguum et dubium debet declarari ab ipso constituente procuratorem, si sit praesens,*
4. *Si autem sit absens potest illud per literas declarare.*

5. *Si declaratio mandati dubii non possit haberi ab ipso mandante praesente vel absente, est recurrendum ad varias circumstantias, considerando id quod ejus vigore est explicandum.*
6. *In primis sunt spectanda verba mandati.*
7. *Verbum ambiguum est intelligendum et interpretandum ad favorem constituentis.*
8. *Si ex verbis non possit declarari mandatum est investigandum an postea constituens fecerit aliud mandatum, et ex illo, si possibile est, debet desumi interpretatio primi.*
9. *Si nullum subsequens mandatum reperiatur est recurrendum ad consuetudinem.*
10. *Mandatum recipit interpretationem a solito.*
11. *Praecipue est spectanda consuetudo ipsius mandantis.*
12. *Mandatum intelligi debet secundum quod consuetus erat mandans.*
13. *Si non constet de consuetudine mandantis recurrendum est ad consuetudinem loci, ubi officium procuratoris est exercendum.*
14. *Quod procedit in consuetudine communi, et respiciente ea quae sunt accessoria et de natura actus qui mandatur.*
15. *Procurator constitutus ad faciendum unum actum et unum contractum, alium contractum facere non potest.*
16. *Si neque constet de consuetudine, mandatum est declarandum juxta verisimilem mentem constituentis.*
17. *In mandato censentur comprehensa ea de quibus si mandans fuisset interrogatus, mandasset.*
18. *Procurator gerens actum quem constituens si scivisset verisimiliter mandasset, dicitur se continere intra fines mandati.*
19. *Verisimilis mens mandantis potest elici ex observantia subsequuta.*
20. *Si interpretatio dubietatis mandati alias haberi nequeat, illud reduci debet ad intellectum juris.*
21. *Procurator ad lites intelligitur constitutus ad causas agitandas in loco ubi constituens citari et conveniri potest et non in alio foro, nec coram alio judice.*
22. *Si reperiantur duo mandata eodem die et rogato eodem notario et coram eisdem testibus facta, si constet quod sit primum, ultimum debet attendi, quod antecedens declarat.*
23. *Si mandata sint sibi ad invicem contraria et repugnantia; et non constet quod sit primum, neutrum valet.*
24. *Nisi tamen ex inspectione prothocolli possit constare quod sit verum et efficax mandatum.*

25. *Si appareant duo mandata diversa, debet illud attendi quod minorem mandatario tribuit potestatem.*
26. *Si diversitas mandatorum non respectu quantitatis sed respectu qualitatis consistat, neutrum valet.*
27. *Mandatum in dubio est interpretandum ad favorem constituentis.*
28. *Procuratorum usus in favorem constituentium inductus fuit.*
29. *Secus est in mandato jurisditionali.*
30. *Si dubietas et ambiguitas mandati non possit ex aliqua circumstantia declarari, mandatum est interpretandum contra mandantem.*
31. *Procurator tamen debet admitti cum cautione de rato.*
32. *Quod non procederet si dominus esset praesens.*
33. *Vel si de mandato nullatenus constaret.*
34. *Neque in iis casibus in quibus requiritur mandatum speciale.*
35. *Si certum sit quod mandatum non se extendat ad actum gestum per procuratorem, sequens ratificatio domini nil operatur.*
36. *Si vero sit dubium, per sequentem domini ratificationem actus convalidatur.*
37. *Ratificatio habet vim mandati etiam ubi requiritur mandatum speciale.*
38. *Cautela* Bartoli in L. inter quos § alieno n. 4 ff de damn. infect. *ad impediendam ratificationem gestorum per procuratorem.*
39. *Cautela quando procurator gerat aliquem actum qui tendat ad praejudicium domini et dubitetur an mandatum sit sufficiens.*
40. *Alia cautela assignatur,*
41. *Quae tamen pupillis non praejudicat.*

Quoniam potest aliquando contingere quod mandatum procuratoris sit dubium et ambiguum, investigandum censui quomodo illud intelligi et interpretari debeat.

1. Mandati autem dubietas vel ambiguitas potest multis modis contingere, ut animadvertit *Speculator in tit. de satisdation. in rubr. procurat. actor. qualit. satisdar. debeat n.* 3, *Bart. in L. non solum* § *qui alieno n.* 3 *ff de procur., Angel. Aret. in* § *sin autem per procuratorem n.* 5 *instit. de satisdat.*

« Mandatum, relicto in albo nomine procuratoris, non suffragatur, si « numquam album fuit repletum, *Rot. decis.* 138 *n.* 6 *part.* 16 *Recent.*

2. Puta quod probetur dumtaxat per unicum testem, vel reddatur dubium propter exceptiones adversarii, vel producatur mandatum cum sigillo constituentis, juxta *Tex. in L. si procuratorem ff de procur.*, et revocetur in dubium an huic mandato sit danda fides, ut dubitat ibi *Gloss.*, et sic mandatum remanet dubium, ut dicit *Guillelmus Durantus d. n.* 3, *et Aret. d. n.* 5, vel ex forma verborum potest pluribus modis intelligi et interpretari, ut dicit *Bald. cons.* 110 *col.* 2 *circa med. vers. unde quandoque lib.* 1, vel ex aliis causis consideratis a *Specul. d. n.* 3.

3. Si itaque mandatum ex aliqua ex supradictis causis vel alia quacumque, sit dubium et ambiguum, si constituens sit praesens ipse illud declarare debet, *Gloss. in cap. petitio in verb. intextio extr. de procur.*, *Rim. jun. cons.* 203 *n.* 68 *lib.* 2, *Alex. cons.* 146 *n.* 24 *lib.* 5, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 14 *n.* 11, qui alios allegat.

« Mandans potest declarare mandatum dubium, *Card. De Luc. de* « *regalib. disc.* 119 *n.* 7.

« Mandantis declarationi in ambiguis est deferendum, *Card. De Luc.* « *de tutor. et administrator. disc.* 19 *n.* 14.

« In dubio statur declarationi mandantis, *Rot. decis.* 63 *n.* 7 *part.* 6 « *Recent.*

4. Si autem constituens sit absens et proinde illud non possit ipsemet declarare verbis et ore proprio, poterit haberi declaratio ab eo per literas, ut dixit *Rot. coram Achill. decis.* 77 quae est 17 *de procur.*, et coram *Card. Mantic. decis.* 100 *n.* 1, dummodo concurrant ea quae supra, *cap. XIX*, diximus requiri, ut libere hanc probationem faciant.

5. Si autem ista declaratio haberi non possit ab ipso mandante praesente vel absente, ac proinde mandatum ipsum, tamquam dubium remaneat inefficax et insufficiens pro illius interpretatione ad varias circumstantias recurrendum est, considerando id quod ejus vigore est explicandum, *Andreas Alciatus cons.* 67 *n.* 2 *cum seqq. lib.* 8, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *cap.* 16 *n.* 47.

« Voluntas mandantis sufficit quod ex conjecturis probetur, *Rot. de-* « *cis.* 154 *n.* 36 *part.* 8 *Recent.*

« Et cum illa unice sit spectanda, inde fit ut ex ipsa mandantis vo- « luntate, actus alias dividuus, possit reddi individuus, *decis.* 393 *n.* 9 « *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

6. Et in primis spectanda sunt verba mandati: nam si in illo adest aliquod verbum actum comprehendere id quod explicandum est a procuratore, tunc non debet mandatum restringi, cum non sit recedendum a naturali illius verbi significatione.

« Mandatum ipsum est attendendum, non autem stylus, *Decis.* 535 « *n.* 9 *par.* 19 *tom.* 2 *Recent.*

7. Nam verbum ambiguum (si tamen ejus natura etiam in genere patiatur) intelligendum et interpretandum est ad favorem constituentis, juxta *tex. in L. si quis decurio cod. de fals.*, et ita in terminis mandati resolvit *Rot. cor. Cassiodor. decis.* 1 *sub n.* 1 *vers. placuit de procurat.*, et repetit *cor. Contuccio decis.* 8 *n.* 2 *et* 3 *par.* 2 *Recent.*, et videtur sensisse *cor. Puteo decis.* 88 *lib.* 2 *et decis.* 148 *quae est* 18 *de rescript. in nov.*, *Grat. cons.* 159 *n.* 3 *lib.* 2, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 8.

8. Caeterum si ex verbis non possit elici illius declaratio et interpretatio, erit investigandum an postea constituens fecerit aliud mandatum, et ex illo si possibile est, desumi debet illius interpretatio, *Alex. cons.* 146 *n.* 22 *et* 23 *in fin. lib.* 5, *Crav. cons.* 234 *n.* 4 *circa princ. lib.* 2, *Decian. cons.* 7 *n.* 49 *lib.* 1.

9. Et si nullum subsequens mandatum reperiatur, erit recurrendum ad consuetudinem, *Jas. in L. certi conditio* § *si nummum n.* 13 *ff si cert. pet.*, *L. vel universorum ff de pignor. action.*, *L. fin. ad fin. cod. de fidejussorib.*, *Sebastianus Medices decis. March.* 7 *n.* 7.

10. Nam censentur mandata procuratori ea quae sunt solita, et mandatum recipit interpretationem a solito, *Rot. Genuen. decis.* 174 *n.* 14.

11. Et in primis spectanda est consuetudo ipsius constituentis et mandantis, *L. haeredes palam* § *sed et si notam ff de testam.*, *L. si servus plurium* § *fin. ff de legat.* 1, *d. L. vel universorum ff de pignorat. action.*

« Mandatum generale recipit interpretationem a consuetudine mandan-
« tis, *Gob. ad L. bene a Zenone cod. de quadr. praescript. quaest.* 2 *n.* 69.

12. Nam mandatum debet intelligi secundum quod mandans consuetus erat, *Rimin. Sen. cons.* 336 *n.* 36 *lib.* 2, *Mazzol. cons.* 16 *n.* 55 *et* 56, *Stracc. de mercatur. in tit. de mandat. n.* 47, *Bertazol. cons.* 334 *n.* 17 *cons.* 465 *n.* 38, *et cons.* 469 *n.* 18 *lib.* 2 *crimin.*

13. Si autem de consuetudine mandantis non constet, recurrendum est ad consuetudinem loci ubi officium procuratoris exercendum est, *d. L. vel universorum ff de pignor. action.*, *Ruin. cons.* 66 *n.* 5 *lib.* 4, *Purpur. cons.* 176 *n.* 12 *lib.* 1, *Decian. cons.* 60 *n.* 5 *lib.* 2, *Rot. Genuen. decis.* 148 *n.* 3 *in fin.*, *Mastrill. decis.* 204 *n.* 9, *Rot. cor. Coccin. decis.* 109 *n.* 10.

« Quando est interpretandum mandatum attendi debet observantia de
« tempore illius, *Rot. decis.* 111 *n.* 38 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

14. Cum duplici tamen limitatione et declaratione, ut scilicet procedat in consuetudine communi, et respiciente ea quae sunt accessoria et de natura actus qui mandatur.

15. Non autem ut procurator constitutus ad faciendum unum actum et unum contractum possit alium contractum facere, ut declarat *Rimin. Jun. cons.* 29 *n.* 16 *lib.* 1, et dicetur infra *cap. LXXXXVIII procurator non servans fines mandati, quando dicatur illos egredi, in secundo casu.*

« Mandatum expressum ad unam causam non potest ad alias non « expressas extendi, *Rot. decis.* 312 *n.* 4 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

16. Quod si neque constet de consuetudine, eo casu mandatum erit intelligendum et declarandum secundum verisimilem mentem constituentis, *Paris. cons.* 96 *n.* 15 *lib.* 3, *Crav. cons.* 274 *n.* 9, *Rot. decis.* 116 *sub n.* 1 *et n.* 4 *par.* 1 *divers.*

« Verisimile autem dicitur in materia mandati, quod magis interest « mandantis, *Actolin. resol.* 28 *n.* 10.

« Mandatum explicari debet secundum verisimilem mentem mandantis, « *Rot. decis.* 287 *n.* 10 *par.* 7 *Recent.*

« Mandati ea fieri debet interpretatio, quae sit verisimilis et secun- « dum mentem mandantis, *Decis.* 26 *n.* 1 *par.* 6 *tom.* 1, *et decis.* 27 « *n.* 16 *par.* 13 *Recent.*

« Mens enim et affectus verbis est praeferendus, *decis.* 194 *n.* 11 « *par.* 6 *Recent.*

17. Unde in mandato censentur comprehensa ea de quibus si mandans fuisset interrogatus mandasset, *Crav. cons.* 247 *sub n.* 4 *vers. tertio respondetur, et cons.* 274 *n.* 9, *Afflict. decis.* 340 *n.* 1, *Jacob. Berett. cons.* 112 *n.* 7 *vers. rursus, Bureat. cons.* 395 *n.* 7 *lib.* 4, *Puteus decis.* 21 *in fin. lib.* 3, *Rot. Genuens. decis.* 147 *n.* 3.

« Verisimile pariter id dicitur quod mandans verisimiliter respondis- « set, si de eo fuisset interrogatus, *Actolin. resol.* 28 *n.* 11.

« Procurae mandatum non amplius continet quam quod constituens « verisimiliter concessurus fuisset, *Rot. decis.* 813 *n.* 19 *par.* 18 *tom.* 2 « *Recent.*

18. Hinc dicitur quod procurator gerens actum quem constituens si de illo scientiam et notitiam habuisset verisimiliter mandasset, dicitur se continere intra fines mandati, *Afflict. d. decis.* 340 *sub n.* 5, *Rimin. Jun. in addict. ad cons.* 567 *sub n.* 5, *Riminal. Sen. lib.* 3, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 5 *et decis.* 64 *n.* 2, *Jacob. Berett. d. cons.* 112 *sub n.* 7, ac propterea non videtur fidendum de *Berojo cons.* 61 *n.* 20 *lib.* 2, quem sequitur *Rimin. Jun. cons.* 525 *n.* 25 *lib.* 5, dum dicunt quod mandatum non potest extendi etiam ex tacita mente mandantis; nisi illos dicamus loqui quando mandatum est clarum et non eget interpretatione.

19. Ista autem verisimilis mens mandantis elici potest ex observantia subsequuta quae potest esse optima mentis mandantis interpres, *L. sed Julianus* § *sed si ab initio ff ad Macedon., L. quaedam in princ. ff de reb. dub., Gloss. in cap. scribam extr. de praeser., Menoch. cons.* 2 *n.* 264 *lib.* 1, *Mantic. decis.* 100 *n.* 5, *Joan. Franc. Schenardus cons.* 72 *n.* 24 *lib.* 1, qui alios allegat; vel ex subiecta materia, *Rot. decis.* 85 *n.* 2 *par.* 4 *divers.*

« Ex observantia resultat interpretatio verborum et clausularum quae « continentur in mandato; cum, data ambiguitate, intret receptissimum « axioma in foro quotidianum, ut omnino deferendum sit observantiae, « tamquam optimae interpreti, et cujus interpretatio talis est quod etiam « verborum proprietati praevalet, *Card. De Luca de censib. disc.* 24 *n.* 4. « Observantia plurimum confert ad interpretationem clausularum mandati, « *Saminiat. controv.* 33 *n.* 111 *lib.* 1, quae observantia bene etiam dedu- « citur ex non facto, *Id. ibid. n.* 112.

« Mandatum ambiguum declaratur per subsequentem approbationem, « *Card. De Luc. de credit. et debit. disc.* 110 *n.* 2.

« Mandatum recipit interpretationem ab observantia, *Rot. decis.* 463 « *n.* 4 *par.* 4 *tom.* 1; *decis.* 367 *n.* 7 *et* 9 *par.* 9 *tom.* 2, *et decis.* 813 « *n.* 25 *par.* 18 *tom.* 2 *Recent.*

« Mandatum recipit etiam interpretationem a taciturnitate mandantis, « *decis.* 154 *n.* 41 *par.* 8 *Recent.*

20. Et si omnia praefata deficiant, mandatum debet reduci ad intellectum juris, *Bald. cons.* 167 *n.* 3 *lib.* 3, *Joan. Bapt. Laderchius Imol. cons.* 15 *n.* 6.

« Mandatum intelligi debet prout de jure, *Rot. decis.* 445 *sub n.* 3 « *par.* 2, *decis.* 503 *n.* 3 *par.* 3, *et decis.* 453 *n.* 10 *par.* 4 *tom.* 1 « *Recent.*

« Mandatum procurae ita est interpretandum ut omissum habeatur « pro omisso, *decis.* 386 *n.* 11 *par.* 13 *Recent.*

« Atque in mandato procurae admittitur restrictio quoties immutatur « illius substantia, secus si simplex qualitas, *decis.* 58 *n.* 10 *par.* 16 « *Recent.*

21. Qui dicunt quod procurator ad lites intelligitur constitutus ad causas agitandas in loco ubi constituens citari et conveniri potest et non in alio foro nec coram alio judice, quia procurator non potest non sui judicis jurisditionem prorogare absque speciali mandato, ut dicemus *cap. XXXVI*, *procurator ad lites non possit impetrare judicem.*

22. Si autem dubietas oriatur ex eo quod reperiantur duo mandata eodem die et rogato eodem notario et coram iisdem testibus facta, et dubitetur cui sit standum, eo casu si constat quod sit primum, tunc attendi debet mandatum ultimum per quod declaratur antecedens, *L. si quis cum procuratorio § fin. ff de procurat.*, *Bald. in L. falsus n.* 25 *vers. scias tamen eod. de furt.*, *Socin. Sen. cons.* 87 *n.* 4 *lib.* 4.

23. Si autem non constat quod sit ultimum, tunc est distinguendum an dicta mandata sint sibi ad invicem contraria et repugnantia, an vero ita sint diversa ut procuratori detur diversa facultas in uno quam detur in altero. In primo casu neutrum valet, *Rot. cor. Joan. Mohedano decis.* 57

quae est 2 *de procurat.*, ea ratione quia incertitudo facit ut ignoretur quod ex illis sit verum, *L. duo sunt Titii ff de testam. tutel.*, alios refert et sequitur *Marescot. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 82 *n.* 8, et facit dictum *Bart. in L.* 1 § *non autem n.* 1 *ff de bonor. posses. secundum tabul., et Socin. Jun. cons.* 2 *n.* 11 *lib.* 2.

24. Quod tamen procederet nisi ex inspectione prothocolli posset constare quod sit verum et efficax, *Sund. cons.* 141 *n.* 8 *et infra lib.* 1.

25. Secundo vero casu, licet *Bald. ad Speculat. in tit. de procurat. vers. quando apparent duo mandata cod. die*, et *in L. imperator.* 1 *n.* 4 *ff de stat. homin.*, quem refert et sequitur *Rim. Sen. cons.* 172 *n.* 14 *lib.* 1, senserit quod sit attendendum illud quod majorem potestatem tribuit, per *Tex. in L. si ita scriptum ff de haered. instit.*, idem tamen *Bald. in d. L. falsus n.* 25 *vers. scias tamen, cod. de furt.*, fuit in sententia quod attendatur illud quod minorem tribuit potestatem; nam in eo utrumque mandatum concurrit, et cum *Bald.* ibi transeunt *Alciat. de praesumpt. regul.* 3 *praesumpt.* 43 *n.* 9, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 166, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *cap.* 16 *n.* 48, qui alios allegant.

26. Intelligendo tamen si diversitas mandatorum consistit respectu quantitatis, secus si consistat respectu qualitatis, quia tunc neutrum valet, *Oldrad. cons.* 1 *n.* 8 *et* 9, *Alex. in leg.* 1 § *si stipulanti n.* 5 *in fin. ff de verb. oblig.*, *arg. L. duo sunt Titii ff de testament. tutel.*, *Mantic. d. n.* 48 *vers. quod sane*, *Addent. ad Bald. in d. L. falsus in d. vers. scias tamen*, et in his terminis loquitur *Mophedanus d. decis.* 2 *de procur.*

27. In dubio tamen, mandatum esse interpretandum ad favorem constituentis dicit *Bald. cons.* 167 *n.* 3 *vers. nam per constitutionem lib.* 3.

28. Ea ratione scilicet, quia usus procuratorum est inductus in favorem constituentium *L.* 1 § *usus ff de procur.*, idem voluit *Rot. decis.* 43 *quae est* 32 *in fin. de procur. in nov.*, quam refert *Vant. d. tit. de nullit. et defect. inhabilit. n.* 97 *vers. multi tamen.*

29. Licet secus sit in mandato jurisditionali, per rationem quam considerat *Rot. d. decis.* 32 *ad fin. vers. ratio diversitatis potest.*

30. Caeterum si dubietas et ambiguitas mandati non possit ex aliqua circumstantia declarari, mandatum debet interpretari contra mandantem quod non sit sufficiens ad id quod est explicandum, *Alciat. cons.* 67 *n.* 2 *cum seq. lib.* 8, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 47, post quos *Caesar Manent. decis.* 61 *n.* 23.

« Sufficit quod mandatum sit obscurum, ut interpretari debeat contra « mandantem, *Rot. decis.* 154 *n.* 44 *et* 46 *part.* 8 *Recent.*

31. Procurator tamen debet admitti cum cautione de rato, *L.* 1 *cod. de procur.*, *L. non solum* § *qui alieno*, *et ibi Gloss. magn. in princ. ff eo*

tit., Bald. cons. 118 *in fin. lib.* 3, *Angel. Aret. in* § *sin autem n.* 5 *instit. de satisdat.*

« Mandatum quando est dubium, jubetur ut procurator caveat satis-« dationem de rato, *decis.* 320 *n.* 38 *par.* 10 *Recent.*, contrarium tamen, « *eadem Rot. ibid. n.* 46.

32. Quod tamen intelligendum est procedere quando dominus est absens, secus autem si sit praesens, ut per *Tex. in L. mutus* § *is qui curatorem ff de procur.* dicit *Angel. Aret. d.* § *sin autem n.* 1.

33. Et quando de mandato aliqualiter constat, sed illud est dubium, secus si de eo nullatenus constaret, *Specul. in tit. de satisdat. in rubr. de procur. actor. n.* 5, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 64.

34. Atque in iis casibus in quibus non est necessarium mandatum speciale, *Hostien. in summ. de procur. n.* 12, cujus auctoritate *Gravat. ad Vestr. in sua prax. Roman. cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 19.

35. Caeterum si procurator cum mandato dubio et ambiguo aliquid faciat quod non possit habere validitatis firmamentum, potest dubitari an per sequentem domini ratificationem actus ille validetur, licet mandatum exigeret speciale, in qua dubitatione facienda est animadversio: an sit certum quod mandatum illud non se extendat ad actum gestum, in quo casu sequens ratificatio nihil operatur.

36. Si vero dubium est de hoc ipso, quod scilicet mandatum illud non se estendat ad actum gestum, in tali casu per sequentem domini ratificationem actus ille validatur, et ita distinguendo concludit *Laurentius Calcaneus cons.* 77 *n.* 10, qui ita intelligit *Tex. in L. si de speciali* § *de minor.*

37. Per quem *Tex.* DD. inferunt ratificationem habere vim mandati, etiam ubi requiritur mandatum speciale, ut explicabimus *cap. CV de ratificatione gestorum.*

38. Ad impediendam autem dictam ratificationem dat cauthelam *Bart. in L. inter quos* § *alieno n.* 4 *ff de damn. infect.*, ut in quolibet actu faciendo cum dicto procuratore, dicatur « litigo sub hac exceptione », salvo si apparebit illum non esse procuratorem; quam pro singulari commendat *Felinus in cap. causam quae d.* 1 *col. fin. n. . . . . extr. de judic.* et refert *Catellianus Cotta in memoriali procurat. generalis in fin.*: nos etiam dicemus late infra *cap. CV de ratificatione gestorum.*

39. Quando autem procurator gerit aliquem actum qui tendit ad praejudicium domini, et dubitatur an mandatum sit sufficiens, cauthela est, ut adversarius requirat dominum an velit insistere in eo quod petit procurator: si respondeat enim quod sic, tunc ex actu illo praejudicium domino generabitur, et actus ille valet in ejus praejudicium ex ratihabitione: si vero respondeat quod non, tunc procurator debebit repelli tamquam non

habens sufficiens mandatum, ita *Paul. de Castr. in L. si procurator n.... ff de cond. indeb.*, quem sequuntur alii communiter *teste Beroio cons.* 25 *n.* 4 *lib.* 3, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 48 *lib.* 2, *Capyc. decis.* 67 *sub n.* 2, *Ancharano Regiensi quaest.* 44 *n.* 13 *lib.* 1, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 8 *post princ.*

40. Vel datur cauthela quoad procuratorem ad lites, ut in principio judicii adversarius opponat contra talem procuratorem omnia quae obiici possunt, et curet quod judex, interloquendo, pronunciet super legitimitate personae illius, non obstantibus iis quae contra personam illius obiiciuntur, et ita judicium reddetur validum, *Specul. in tit. de except. et replicat.* § *nunc videndum restat col. fin. n.* 31 *vers. in summa nota cauthelam;* sequitur *Veronensis cautel.* 17, et *Cotta d. memoriali procurat. general. circa med. vers. est verum.*

41. Quae tamen cauthela non praejudicaret pupillis, ut post multos notat *Alex. cons.* 202 *col. ult. n.* 6 *vers. nec eis lib.* 6.

CAPUT XXIX.

DE MANDATO TACITO, ET QUIS ILLUD HABERE DICATUR.

SUMMARIUM

1. *Mandatum tacitum quid sit.*
2. *Socii dicuntur habere mandatum ad invicem circa ea quae pertinent ad societatem.*
3. *Secus autem respectu aliarum personarum extra societatem.*
4. *Unus ex sociis non potest in solidum agere contra debitores societatis, sed tantum pro sua virili portione.*
5. *Secus procedit ubi vigore statuti, socii obligantur in solidum pro sociis, prout hic Perusiae ex constitutionibus collegii mercatorum.*
6. *Priores etiam, antiani et administratores bonorum alicujus civitatis vel loci, dicuntur habere mandatum tacitum circa ea quae respiciunt talem administrationem.*
7. *Non possunt tamen soli constituere sindicum et procuratorem pro sua universitate ad lites et ad judicialia.*
8. *Usufructuarius etiam habet tacitum mandatum a proprietario.*
9. *Fidejussor pariter qui fidejubet pro alio praesente ac patiente.*
10. *Si solvat pro quo fidejussit, repetit ab eo actione mandati.*
11. *Tacitum oritur mandatum inter mandantem et eum qui patitur alteri mandari ut aliquid fiat ad sui commodum.*

12. *Duo casus recensentur in quibus resultat tacitum mandatum.*
13. *Mandatum tacitum dicitur oriri inter stipulantem et adjectum in stipulatione.*
14. *Stipulator consequi potest ab adiecto actione mandati quod vigore stipulationis fuit consequutus, nisi fuerit adjectus animo donandi.*
15. *Amicus dicitur habere ab amico tacitum mandatum quando inter eos intercedit amicitia plus quam ordinaria et singularis.*
16. *Hujusmodi amicus venit appellatione suorum.*
17. *Conjunctus pro conjuncto admittitur.*
18. *Ita admitti debet amicus pro amico.*
19. *Talis amicitia praeponderat conjunctioni sanguinis.*
20. *Amicus eligitur ab ipso amico, conjunctio vero provenit a natura.*
21. *Propensior est amicus erga amicum, quam conjunctus erga conjunctum.*

Explicito tractatu de mandato expresso, sequitur ut aliqua dicamus de tacito, et quis illud habere dicatur.

1. Tacitum itaque mandatum illud est, quod absque aliqua hominis declaratione, sola juris dispositione inter certas personas et in quibusdam casibus factum esse intelligitur, quod infrascriptis exemplis dilucide apparebit.

2. Primum autem exemplum sit in mandato quod socii dicuntur habere ad invicem circa ea quae spectant et pertinent ad societatem, *Decian. cons.* 30 *n.* 4 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 331 *n.* 11 *lib.* 3, *Crav. cons.* 129 *n.* 1, *Bertazol. cons. crim.* 558 *n.* 13 *et seq. lib.* 2, *Hector Felicius in tract. de societat. cap.* 14 *n.* 45 *et cap.* 28 *n.* 71.

3. Secus autem respectu aliarum personarum extra societatem.

4. Ac propterea unus ex sociis non potest in solidum agere contra debitores societatis, sed dumtaxat pro sua virili portione, *Bart. in L. eamdem in princ. in* 7 *quaest. n.* 9 *vers. dico ergo ff de duobus reis*, quem communiter sequuntur *DD. ibi et in L. si unus ex argentariis in princ. ff. de pact.*, *ubi Alex. n.* 2 *et* 4 testatur de communi, *et Jas. pariter n.* 2 qui similiter testatur de communi, licet relinquat cogitandum *Petrus Nicolaus Mozzius in tract. de contrac. in tit. de societat. vers. venio ad quintum n.* 20, *Felicius d. cap.* 14 *n.* 100.

5. Verum in locis, ubi vigore statuti socii obligantur in solidum pro sociis, prout est Perusiae patria mea ex constitutionibus collegii quod vocant mercantiae, tale mandatum extenderetur etiam ad aliorum portio-

nes, *Bald. in L. si quis argentarius sub n. 6 cod. de donat.*, cujus auctoritate *Felicius d. cap.* 28 *n.* 75 *in fin.*

6. Secundum exemplum possumus desumere a prioribus, antianis et administratoribus bonorum alicujus civitatis vel loci, qui dicuntur habere tacitum mandatum circa ea quae respiciunt talem administrationem, *L. procuratores cod. de decurion.*, *L.* 10, *Rom. cons.* 65 *n.* 1, *Gratian. decis. March.* 93 *n.* 10.

7. Non tamen soli possunt constituere sindicum et procuratorem pro sua universitate ad lites et ad judicialia, *Gratian. d. decis.* 93 *n.* 15, et nos diximus plene supra *cap.* X, dum de sindici creatione egimus.

8. Ususfructuarius etiam dicitur habere tacitum mandatum, quasi sit a proprietario constitutus procurator in rem propriam, *L.* 1 § *fin.*, et ibi *Gloss. in verb. procuratorio*, et *Bart. n.* 1, *et late Jas. n.* 3 *ff de nov. oper. nunc.*, per quem *Tex. idem Bart. in L. quamvis n.* 11 *vers. nam fructuarius ff de damn. infect.*, *Bald. in cap. quoniam frequenter n.* 11 *extr. ut lite non contest*, *Gomez variar. resolut. tom.* 2 *cap.* 15 *n.* 6, *Ari. Pinel. in L.* 1 *part.* 2 *n.* 16 *cod. de bon. mater.*, post quos et alios *Jo. Garsias de expens. et melior. cap.* 11 *n.* 3, qui tamen *n.* 4 post alios negat usumfructuarium esse procuratorem in rem suam ponderando *d. Tex. in L.* 1 § *fin. ff de nov. oper. nunc.*

9. Similiter fidejussor qui pro alio praesente et patiente fidejubet, dicitur habere tacitum mandatum ab illo ut solvat.

10. Proindeque, quatenus solvat, repetit ab eo actione mandati *L. si remunerando* § *si passus sim ff mand.*, *Placentinus de variet. action. lib.* 2 *cap.* 20, exceptis tamen tribus casibus in dicto § enumeratis quibus addit *Gloss. quartum.*

11. Tacitum etiam mandatum oritur inter mandantem et eum qui patitur alteri mandari ut aliquid fiat ad sui commodum, puta, ut sibi pecunia credatur, iste enim cui pecunia credenda est intelligitur tacite mandare ei qui mandat alteri, ut illi pecuniam mutuo det, *L. qui patitur*, et ibi *not. Gloss. in verb. intelligitur ff mand.* refert *Placentin. d. cap.* 20.

« Mandatum insurgit ex commissione data aliquid faciendi, *Saminiat. controv.* 180 *n.* 4 *lib.* 2.

12. Qui alios duos casus recenset, in quibus mandatum tacitum resultat, scilicet si alter ex duobus reis solvat creditori ut seipsum et correum liberet, nam censetur partem correi solvisse ex tacito illius mandato, et propterea licet partem correi non possit a creditore repetere, poterit tamen repetere a correo pro quo solvit, *Gloss. fin. in L. nec interest ff ad Vellejan.*

13. Alter casus est inter stipulantem et adiectum in stipulatione, inter quos dicitur oriri tacitum mandatum.

14. Stipulator enim potest actione mandati consequi ab adiecto id quod vigore dictae stipulationis fuit consequutus, nisi fuerit adiectus animo donandi, *Tex. est, et ibi not. Gloss. in verb. a Titio in L. Julianus § qui fundum ff de verb. obligat.*, est similis *Tex. in L. qui stipulatur in fin. secundum unam lectur. ff de solut.*

15. Sed posset dubitari an amicus dicatur habere ab amico tacitum mandatum, ita ut possit in causis illius in judicio comparere? In qua dubitatione licet non videantur DD. inter se convenire, ut apud *Tiraquell. in tract. de poen. temperand. caus.* 22 *n.* 34 *et* 36, attamen si inter aliquos intercedat amicitia plusquam ordinaria et singularis, qualem describit *JC. in L. late § amicus, et ibi Rebuff. ff de verbor. sign.*, partem affirmativam tenuerunt plerique, quos recenset idem *Tiraquell. d. n.* 34, et pro ea facit, *Tex. in L. is qui amicitia*, cum ibi notat *ff de negoc. gest.*

16. Nam talis amicus venit appellatione suorum, *Decian. cons.* 46 *n.* 58 *lib.* 2, *Chassan. ad consuetud. Burgund.* § 5 *in princ. n.* 23, ubi alios allegat.

17. Ac propterea sicuti admittitur conjuncta persona pro conjuncto, ut dictum est supra *cap. V.*

« Quando agitur de re communi inter fratres, de facili praesumitur « mandatum in fratre, potissimum in extrajudicialibus, *Palma Nepos* « *decis.* 169 *n.* 7 *et seq. lib.* 2.

« Quando agitur de filio munus procuratoris adimplente pro genitore, « ob sanguinis conjunctione et fiduciam paternam, eo facilius in eo prae- « sumitur mandatum, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 92 *lib.* 1.

« Filius facile praesumitur habere mandatum patris, *Rot. decis.* 204 « *n.* 26 *et seqq. part.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

« Frater in causa fratris de jure non habet legitimum mandatum, « *Rot. decis.* 105 *n.* 7 *part.* 8 *Recent.*

« Quare frater pro alio fratre, deficiente mandato, stipulare nequit, « *Rot. decis.* 371 *n.* 4 *part.* 17 *Recent.*

« Nec potest sine mandato speciali, aut subsequuta ratificatione pro alio « fratre procuratorem constituere, *d. decis.* 371 *n.* 4 *part.* 17 *Recent.*

« Intellige fratrem uti personam conjunctam, posse pro fratre absente « procuratorem constituere ut in judicio fratrem defendat suasque dirigat « actiones, *Decis.* 12 *n.* 3 *part.* 18 *tom.* 1 *Recent.*

« In praejudicialibus tamen mandatum praesumptum ex conjunctione « sanguinis inter fratres in re communi non attenditur, *decis.* 19 *n.* 22 « *part.* 8 *Recent.*

« Et sic frater non potest transigere de re communi in praejudicium « fratris sine mandato, *decis.* 439 *n.* 2 *part.* 3 *Recent.*

« Mandatum autem praesumitur in fratre quoad unum negocium,

« quando etiam in aliis judicialiter egit suo et fratris nomine, *decis.* 156
« *n.* 12 *part.* 8 *Recent.*

« Sicuti praesumitur in fratre mandatum ex sanguine, ex commu-
« nione bonorum, ex longa lite, et ex magnitudine negotii, *d. decis.* 156
« *n.* 13 *et seqq. part.* 8 *Recent.*

« Ex quibus omnibus inducitur scientia, maxime si tempore litis frater
« fuerit in Curia et lis communi fratruum nomine agatur, *Rot. ibidem.*

18. Ita etiam debet admitti amicus pro amico.

19. Et multo magis quia talis amicitia praeponderat conjunctioni sanguinis, *Bartkol. a Chassaneo d.* § 5 *in princ. n.* 23, *et Tiraq. ad L. si umquam in verb. libertus n.* 96, *et infra C. de revoc. donat.* Et patet *per Tex. in L. cum allegas cod. de castrens. pec. lib.* 12, et confirmatur ratione quam *ex Salic. et aliis in L. exigendi cod. de procur.* refert *Angel. Aret. in* § *praeterea d.* 2 *n.* 69 *instit. de except.*

20. Videlicet quia amicus eligitur ab ipso amico, sed conjunctio provenit a natura, § *fin. instit. de jur. natur. gent. et civil.*

21. Proindeque videtur quod propensior sit amicus erga amicum, quam conjunctus erga conjunctum, ut multorum amicorum exemplis confirmari posset, quae cum omnibus sese obviam faciant consultus omitto.

CAPUT XXX.

MANDATUM AN PRAESUMATUR OB TEMPORIS DIUTURNITATEM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum non praesumitur.*
2. *Neque ob temporis diuturnitatem.*
3. *Et procedit tam in mandato ad lites quam ad negocia.*
4. *Concluditur communiter quod mandatum non praesumatur.*
5. *Multo minus praesumitur illud esse legitimum.*
6. *Mandatum si semel fuerit in judicio productum, et in alio judicio ad partis oppositionem non producatur, insurgit praesumptio quod illud non sit legitimum, nec ad causam sufficiens.*
7. *Mandatum consistit in facto.*
8. *Nemo praesumitur habere jus in re aliena nisi probetur.*
9. *Qualitas inhaerens personae plene est probanda.*
10. *Mandatum est quaedam solemnitas extrinseca quae regulariter praesumi non solet.*
11. *Mandatum non praesumitur neque ob lapsum longissimi temporis.*

12. *Neque post lapsum centum annorum.*

13. *Intellectus ad dictum* Baldi in L. 1 in princ. cod. de reb. alien. non alienand., et in L. 2 cod. si ex falso instrum. *quod mandatum non praesumatur neque post lapsum mille annorum.*

14. *Impossibilitas probandi mandatum non habetur in consideratione ad effectum ut illud praesumatur.*

15. *Licet alias propter impossibilitatem probandi sufficiant leviores probationes.*

16. *Contraria opinio quod ob temporis diuturnitatem praesumatur mandatum.*

17. *Limitatur haec opinio non procedere, si agatur de praesumendo mandatum quod requirat scripturam.*

18. *Mandatum principis quod requirit scripturam, nullo temporis lapsu praesumitur.*

19. *Nec praesumitur mandatum quando requiritur ex forma statuti.*

20. *Vel quando agenetur de acquirendo mandato cum alterius praejudicio principaliter.*

21. *Aut de probando tenore ipsius mandati.*

22. *Sententia suprafirmata* Baldi *quod neque per lapsum longissimi temporis praesumatur mandatum, non procederet quando constaret quidem de mandato, sed dubitaretur de aliqua ejus qualitate, quae facile praesumi posset ob temporis diuturnitatem.*

23. *Facilius praesumitur qualitas quam substantia.*

24. *Nisi tamen aliter constaret ex inspectione instrumenti ipsius mandati.*

25. *Sic pariter si constaret de mandato, sed non appareret negocium mandatum fuisse gestum cum consensu alicujus, qui pro forma in explicatione dicti negocii requireretur ob temporis diuturnitatem, praesumendum esset fuisse adhibitum talem consensum.*

26. *Ubi quis potest actum gerere, ad illum dumtaxat dicitur actus ille pertinere, quamvis consensum alterius teneatur requirere, adeo quod etiam ad ambos communiter non dicitur pertinere.*

27. *Hujusmodi tamen consensus non praesumitur ob temporis diuturnitatem in mandato, per quod potestas de novo tribuitur.*

28. *Si non substantia mandati, sed ratificatio gestorum per ipsum procuratorem esset probanda, ex diuturnitate temporis talis ratificatio praesumitur.*

29. *Dummodo agatur de modico praejudicio.*
30. *Praesumitur mandatum in persona quae gessit actum tamquam procurator, si sit talis pro qua praesumatur.*
31. *Pro legato praesumitur.*
32. *Praesumitur etiam mandatum in actu ad quem explicandum nemo verisimiliter accederet absque mandato.*
33. *Et multo magis praesumeretur, si fuisset enunciatum in aliquo instrumento.*
34. *Mandatum quoque praesumitur quando erat necessarium ad actum, qui gerebatur.*
35. *Ac etiam praesumitur in actu facto ab asserto procuratore, in quo ultra diuturnitatem temporis, constat etiam intervenisse scientiam et patientiam domini principalis.*
36. *Qui emit, vel alio titulo acquisivit rem ab aliquo, tamquam a procuratore veri illius rei domini, ut illam possit praescribere, sufficit per conjecturas probare acquirentem habuisse justam causam credendi fuisse procuratorem domini.*
37. *Praesumitur pariter mandatum, si ultra temporis diuturnitatem concurrant aliqua adminicula et conjecturae.*
38. *Aut si mandatum enuncietur in instrumento antiquo.*
39. *Hujusmodi enunciatio non facit plenam probationem.*
40. *Quamvis fiat a notario in actis.*
41. *Inducit praesumptionem mandati ob temporis diuturnitatem.*
42. *Maxime si enunciatio fuerit facta inter eos qui consentiendo dederunt causam instrumento, et fuerunt illius confectioni praesentes,*
43. *Mandatumque ad eos pertineat.*
44. *Multo magis si instrumentum illud fuerit productum in judicio, et non fuerit oppositum de defectu mandati in eo enunciati.*
45. *Vel si enunciatio fiat in sententia quae transivit in judicatum.*
46. *Aut coram personis valde dignis.*
47. *Vel a persona valde digna.*
48. *Vel si enunciatio fiat respectu actus, quem sine mandato quis verisimiliter non fuisset explicaturus.*
49. *Procederet, si ad illum actum, generale mandatum, non vero speciale requireretur,*
50. *Et enunciatio in specie, non autem generaliter esset facta:*
51. *Et effluxum esset tempus centum annorum.*
52. *Quis uti procurator vigore laudi lati ab arbitris super oppositione terminorum, terminos apponens ob temporis diuturnitatem praesumitur habuisse mandatum.*

1. Viso de mandato expresso et tacito; reliquum est ut videamus de praesumpto. In quo articulo firmabimus generalem conclusionem negativam.

« Mandatum procurae non praesumitur, sed est plene et concludenter « probandum, et non per verba ambigua, *Rot. decis.* 476 *n.* 4 *par.* 2, *decis.* « 69 *n.* 12 *par.* 7, *decis.* 134 *n.* 7 *par.* 9 *tom.* 1, *decis.* 350 *n.* 18 *par.* 9 « *tom.* 2, *et decis.* 64 *n.* 27 *par.* 17 *Recent.*

« Praesertim si agatur de aliquo obligando, *decis.* 134 *n.* 7 *par.* 9 « *tom.* 1 *Recent.*

« Et procedit etiam si de eo incidenter et non principaliter dubitetur, « *decis.* 64 *n.* 28 *part.* 17 *Recent.*

« Et fortius est probandum concludentibus probationibus ubi simus in « praejudicialibus, *decis.* 774 *sub n.* 2 *part.* 3 *Recent.*

2. Et illam ampliabimus primo, procedere etiam si effluxerit diuturnitas temporis.

3. Secundo, etiam in mandato ad lites; tertio, etiam in mandato ad negocia. Verum quia istae ampliationes egent discussione, singulos singulis capitibus explicabimus.

4. Communis itaque conclusio est, quod mandatum non praesumitur, *DD. communiter in L. sciendum ff de verb. oblig.*, *Decian. cons.* 65 *n.* 17 *lib.* 5, *Purpur. cons.* 27 *n.* 18, *et cons.* 71 *n.* 22 *lib.* 1, *Magon. decis. Lucens.* 9 *n.* 19, *Menoch. de praesumpt. lib.* 2 *praesumpt.* 33 *n.* 1, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1004 *n.* 8, et alii passim.

5. Et multo minus illud esse legitimum, *Decian. cons.* 3 *n.* 30 *lib.* 5.

6. Immo si semel fuerit in uno judicio productum, et in alio judicio ad partis oppositionem non producatur, insurgit praesumptio quod illud non sit legitimum, neque ad causam sufficiens, *Decian. cons.* 121 *n.* 13 *ad fin.*, *et n.* 16 *lib.* 3.

7. Cujus quidem conclusionis multiplex a scriptoribus ratio redditur. Una quidem, quia mandatum in facto consistit, *L. consilio in fin. ff de curator. furios.*; facta autem non praesumuntur, *L. in bello § factae ff de captiv. et postlim. revers.*, et hanc affert *Dec. cons.* 437 *n.* 2, *Decian. d. cons.* 65 *n.* 18, *et cons.* 5 *n.* 4 *lib.* 5, *Surd. cons.* 28 *n.* 80 *lib.* 1, *Torniola cons.* 93 *n.* 3, *Magon. d. dec. Lucens.* 9 *n.* 19, *Nicolaus de Passeribus Genua tract. de scriptura privata, et de verbis enunciativis lib.* 2 *cap.* 15 *n.* 10.

8. Alia affertur ratio, quia nemo praesumitur habere jus in re aliena nisi probetur, *L. sive possidetis cod. de probat.*, quam rationem amplectitur *Bald. in L.* 1 *n.* 1 *cod. de reb. eccles. non alien.*, *Menoch. d. praesumpt.* 33 *n.* 2 *lib.* 2.

9. Tertiam addere possumus rationem, quia cum agatur de qualitate

inherente personae illa est plene probanda, qua movetur, *Purpur. cons.* 71 *n.* 23, *et cons.* 202 *n.* 3, *Decian. d. cons.* 65 *n.* 11 *et infra lib.* 5.

10. Quarta ratio adnecti potest, quae cum prima videtur congruere; quia mandatum est quaedam solemnitas extrinseca, ut bene deducit *Simon de Praetis cons.* 79 *n.* 5 *vers. haec autem, et infra lib.* 1, quae regulariter praesumi non solet, *L. sciendum*; et ibi communiter scribentes *ff de verb. obligat.*, et ita argumentatur *Purpur. cons.* 27 *n.* 17 *lib.* 1.

11. Haec autem conclusio ampliatur, ut nec etiam praesumatur ob lapsum longissimi temporis, *Alex. in L. qui aliena in princ. n.* 11 *ad fin. ff de acquir. haered. cons.* 1 *n.* 19 *lib.* 4, *et cons:* 191 *n.* 4 *lib.* 6, *Decius cons.* 215 *n.* 2, *Ruin. cons.* 41 *n.* 19 *lib.* 1, *et cons.* 28 *sub n.* 19 *lib.* 4, *Soc. Jun. cons.* 56 *n.* 2 *et seqq.*, *et signanter n.* 5 *lib.* 1, *Osasch. decis.* 175 *n.* 4, *Crav. de antiq. tempor. part.* 2 *n.* 58, *Purpur. cons.* 488 *n.* 19 *lib.* 2, *Honded. cons.* 38 *n.* 13 *lib.* 1, *Bertazol. cons.* 412 *n.* 9 *lib.* 2 *crimin.*, *et cons.* 1 *n.* 159, ubi de magis communi *lib.* 1 *civil.*, *Surd.*, qui pariter de magis communi, *cons.* 38 *n.* 81 *lib.* 1, *Menoch. d. praesum.* 33 *n.* 14 *lib.* 2, qui multos allegant.

12. Etiam post lapsum centum annorum, *Dec. cons.* 36 *n.* 5 *vers. secundo quia*, *Rim. Jun. cons.* 724 *n.* 100 *lib.* 6, *Guidus Pancirolus cons.* 112 *n.* 36.

13. Immo *Baldus in L.* 1 *in princ. cod. de reb. alien. non alienan.*, *et in L.* 2 *cod. si ex fals. instrum.* (volens asseveranter firmare hanc conclusionem) dixit mandatum non praesumi etiam post lapsum mille annorum, quem tamen ego existimo hoc dixisse ut comprehenderet quamcumque temporis diuturnitatem, etiam triginta vel quadraginta annorum, quod longissimum reputatur, *Gloss. summ.* 16 *quaest.* 2, *et in L. si quis emptionis cod. de praescrit.* 30 *vel* 40 *ann.*, et ejus auctoritate *Beroius d. cons.* 11 *n.* 9 *lib.* 3, *Viv. decis.* 534 *n.* 34 *part.* 3, vel de tempore cujus memoria non existit in contrarium, juxta dicta per *Beroium d. cons.* 11 *n.* 8 *et seq. Natt. cons.* 526 *n.* 9 *vers. praeterea et infra lib.* 3, quasi *Bald.* voluerit comprehendere tempus, propter quod insurgeret impossibilitas probandi mandatum, quae insurgit etiam ex lapsu quadraginta annorum, juxta *Ruin. cons.* 25 *n.* 18 *lib.* 1, *Ant. Gabriellium in tit. de procur. conclus.* 1 *n.* 24, *Alex. cons.* 218 *n.* 9 *et seqq. lib.* 6.

14. Quae impossibilitas non habetur in consideratione ad effectum ut praesumatur mandatum, *Curt. Sen.* loquens de lapsu ducentorum annorum *cons.* 75 *n.* 5 *vers. sic de directo.*

15. Licet alias propter impossibilitatem probandi, leviores sufficiant probationes, *Natt. cons.* 283 *n.* 8 *lib.* 2, sequitur *Rim. Jun. cons.* 137 *n.* 29 *lib.* 1, et hanc fuisse causam cur *Bald.* usus fuerit tam effuso sermone. Quem tamen ita loquentem sequuntur *Ruin. cons.* 28 *n.* 19 *lib.* 4,

Decian. cons. 65 *n.* 18 *lib.* 5, *Torniola cons.* 93 *n.* 6, *Grammat. decis.* 103 *n.* 83 *qui testatur de communi*, et alii multi quos de magis communi testans, refert *Gabr. in tit. de procur. conclus.* 1 *n.* 1, multos etiam cumulat *Bursat. cons.* 151 *n.* 86 *lib.* 2, qui pariter de magis communi testatur, quibus addi potest *Marcus Antonius Eugenius cons.* 39 *n.* 29 *lib.* 2, *Mandell. Alb. cons.* 484 *n.* 66, ubi addentes testantur de magis communi, et veriori *lib.* 3.

16. Non defuerunt tamen, qui contrariam opinionem amplectentes affirmant, quod ob temporis diuturnitatem mandatum sit praesumendum: multos refert *Bursat. cons.* 24 *n.* 21 *lib.* 1, *Vasq. controv. illust. cap.* 12 *n.* 7 *et seq.*, *Jacob. Berett. cons.* 131 *n.* 4, *Pancirol. cons.* 112 *n.* 51, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 58 *ad fin. vers. quidquid dixerit et n.* 59, *Crav. de antiq. tempor. part.* 2 *n.* 59, *Barnab. Cornazzanus decis. lucens.* 44 *n.* 15, *Eugen. cons.* 55 *n.* 48 *lib.* 2, multos cumulat *Menoch. d. praesumpt.* 33 *n.* 17.

Quamobrem negari nequit quin ista ampliatio ob auctoritatem DD., qui hanc vel illam opinionem sunt amplexi, reddatur valde dubia ut dicebat *Cornazz. d. n.* 15 maxime cum non desint qui utramque opinionem dixerint esse veriorem et magis communem. Ego vero crediderim ex limitationibus et declarationibus quae ad utramque opinionem accomodari possunt ex traditis per DD. facili negocio hanc controversiam sedari posse.

17. Si quis enim velit amplecti opinionem contra *Bald.* poterit illam limitare primo, quando ageretur de praesumendo mandatum, quod pro illius substantia requireret scripturam; illa enim nunquam praesumitur ex sola temporis diuturnitate, nisi etiam intervenerit factum hominis, *Crav. de antiq. temp. part.* 3 *n.* 40 *in fin.*

18. Proindeque mandatum principis, quod requirit scripturam, ut diximus supra *cap. XXV de mandato expresso* ex *Natt. cons.* 420 *n.* 2, 4 *et* 15 *lib.* 3 et aliis, nullo temporis lapsu praesumeretur, *Beroius cons.* 9 *n.* 8 *lib.* 3, *Bertaz. cons.* 2 *n.* 7 *lib.* 1 *civil.*, non dissentit *Ruin. cons.* 35 *n.* 18 *vers. et si forte dicatur lib.* 1.

19. Secundo limitatur quando mandatum requireretur ex forma statuti, quia debet esse expressum, et non sufficit praesumptum ex *Guidone Papa decis.* 40 *in fin.*

20. Tertio limitatur quando ageretur de acquirendo mandato cum alterius praejudicio principaliter, *Felin. in cap. sicut n.* 36 *extr. de re judicat.*, quem allegat *Decian. cons.* 121 *n.* 13 *lib.* 3.

21. Quarto limitatur quando ageretur de probando tenore ipsius mandati, quia nulla temporis diuturnitas suffragatur sed est plene probandus, *Bald. in L. ei qui n.... vers. quod si dominus cod. si ex fals. instr.*, post quem, et alios *Decian. cons.* 78 *n.* 38 *lib.* 4.

22. Si autem velimus sequi opinionem *Baldi* debemus illam pluribus modis restringere: et primo si constaret de mandato, sed dubitaretur de aliqua ejus qualitate; nam illa ob temporis diuturnitatem praesumi facile posset, *Dec. cons.* 297 *n.* 4 *circa princ. vers. et quia dato*, *Decian. cons.* 65 *n.* 18 *ad fin. et infra lib.* 5 *Beroius cons.* 104 *n.* 9 *et* 15 *lib.* 3.

23. Nam facilius praesumitur qualitas quam substantia, ut multorum auctoritate firmat *Rim. Sen. cons.* 254 *n.* 12 *lib.* 2, *Dec. cons.* 442 *n.* 22, atque hinc dicebat *Ruin. cons.* 35 *n.* 20 *lib.* 1, quod licet ob temporis diuturnitatem non praesumatur mandatum, quando tamen de eo constat, sed agitur de illius extensione, an scilicet sit extendendum ad aliquem actum, ista qualitas ob temporis lapsum praesumitur.

24. Nisi ex inspectione instrumenti ipsius mandati aliter constaret, tunc enim ob temporis etiam longissimi diuturnitatem talis qualitas et solemnitas non praesumeretur, ut deducit *Alex. cons.* 1 *n.* 20 *lib.* 4.

25. Similiter si constaret quidem de mandato sed non appareret negocium mandatum fuisse gestum cum consensu alicujus, qui pro forma in explicatione dicti negocii requireretur ob temporis diuturnitatem praesumendum esset talem consensum fuisse adhibitum, ut deducit *Ruin. cons.* 41 *n.* 19 *lib.* 1, ex ratione, quia ex illo consensu non tribuitur potestas de novo, sed adhibetur ad solemnizandum potestatem prius competentem.

26. Quia ubi quis potest actum gerere, ad illum dumtaxat dicitur actus ille pertinere, quamvis consensum alterius teneatur requirere, adeo quod etiam ad ambos communiter non dicitur pertinere, ut notanter probatur in *cap.* 1 *ne sede vacant. lib.* 6, et ad hoc illum tex. allegat *Dominicus a Sancto Geminiano in cap. cum in illis* § *fin. col.* 1, *de praeben. eod. lib.* 6.

27. Ideo talis consensus pro forma adhibendus ex diuturnitate temporis praesumitur, sed in mandato secus per quod potestas de novo tribuitur, quia tunc non agitur de solemnitate, sed de dispositione nova praesumenda, ut per haec verba concludit *Ruin. d. n.* 19.

28. Prout etiam si probanda esset non substantia mandati, sed ratificatio gestorum per ipsum procuratorem, tunc ex temporis diuturnitate praesumptio talis ratificationis facile insurgeret, *Crav. de antiq. temp. par.* 2 *n.* 66, *Gab. in tit. de procur. concl.* 1 *n.* 14, *Lodovicus de Gozadinis cons.* 11 *n.* 16.

29. Hoc tamen quod de praesumenda ratificatione dictum est, debet intelligi, cum agitur de modico praejudicio, ut post *Jas. cons.* 140 *col.* 3 *lib.* 4 declarat *Menoch. cons.* 1 *n.* 82 *vers. nam hoc lib.* 1.

30. Limitatur secundo, si persona quae gessit actum tamquam procurator, sit talis pro qua praesumatur, *Ruin. d. cons.* 35 *n.* 21 *lib.* 1.

« Mandatum probatur ex usu ipsius, *Rot. decis.* 197 *n.* 20 *par.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

31. Ubi loquitur de actu gesto a legato vigore suae legationis, nam quod habuerit mandatum ad illum actum explicandum asserit, quia pro legato praesumitur, *Bald. in L. exemplo n.... C. de probat.* sequitur *Gabr. d. conclus.* 1 *n.* 25, et quod ob qualitatem personae mandatarii, juncta temporis diuturnitate praesumatur mandatum, firmavit etiam *Decian. cons.* 41 *n.* 98 *lib.* 2, *Simon de Praetis cons.* 8 *n.* 4 *lib.* 1, *Cacher. cons.* 1 *sub n.* 61 *et seqq.*, *Gozad. d. cons.* 11 *n.* 12, *Menoch. praesumpt.* 33 *n.* 12 *lib.* 2.

32. Limitatur tertio in actu, ad quem explicandum nemo verisimiliter accederet absque mandato, *Soc. Sen. cons.* 46 *n.* 3 *lib.* 3, *Dec. cons.* 36 *n.* 8 *vers. secundo respondetur*, *Decian. cons.* 121 *n.* 13 *vers. non obstat etiam lib.* 3, *Mandell. Alb. cons.* 290 *n.* 15, *et cons.* 381 *n.* 3, *et cons.* 523 *n.* 6 *lib.* 3, *Gozad. d. cons.* 11 *n.* 14, *Rim. Jun. cons.* 520 *n.* 14 *lib.* 5, *et cons.* 6 *n.* 118 *lib.* 1, *Bursat. cons.* 160 *n.* 47 *lib.* 2 qui alios cumulant.

33. Et multo magis praesumeretur, si fuisset enunciatum in aliquo instrumento, ut dicetur infra in 8.ª *limitat. vers. et maxime n.* 48.

34. Limitatur quarto quando mandatum erat necessarium ad actum qui gerebatur, *Alex. cons.* 1 *n.* 19 *lib.* 4, *Dec. cons.* 42 *n.* 9 *ad fin. vers. et ista conclusio*, *Beroius cons.* 21 *n.* 8 *in fin. lib.* 3, *Purpur. cons.* 374 *n.* 10 *lib.* 3.

35. Limitatur quinto, si in actu facto ab asserto procuratore ultra diuturnitatem temporis, constaret intervenisse scientiam et patientiam principalis domini, ut multorum auctoritate comprobat *Gabriellius cons.* 36 *n.* 39 *lib.* 1, *Dec. cons.* 42 *n.* 9 *ad fin. vers. secundo hoc deducitur principaliter*, *Burs. cons.* 24 *n.* 21 *lib.* 1, *et cons.* 150 *n.* 34, *et cons.* 151 *n.* 88 *lib.* 2, *Bertaz. cons.* 1 *n.* 120 *lib.* 1 *civil.*, *Torniola cons.* 93 *n.* 8 *vers. sed responderi potest*, *Gabr. in tit. de procur. conclus.* 1 *n.* 2, *Eugen. cons.* 55 *n.* 55 *lib.* 2.

36. Limitatur sexto, ut non procedat quoad inducendam bonam fidem in eo qui emit, vel alio titulo acquisivit rem ab aliquo, tamquam a procuratore veri illius rei domini, ad effectum ut possit rem illam praescribere; sufficit enim per conjecturas probare acquirentem habuisse justam causam credendi vendentem fuisse procuratorem domini, ut per *Tex. in L. fin. ff pro empt.*, quem dicit notabilem ad hoc *Alex. cons.* 191 *n.* 5 *lib.* 6, qui ita in puncto declarat illud dictum *Bald.* et cum *Alex.* transit etiam *Boer. decis.* 281 *n.* 17 *circa fin.*

Quod tamen recipiendum est, dummodo acquirens ab asserto procuratore, intellexerit a personis fide dignis, illum habere sufficiens mandatum ad faciendam dictam venditionem, vel assertus procurator sit persona valde digna, ita ut possit resultare, justa credulitas, illum esse talem qualem se facit, ut colligitur ex *Ruin. cons.* 68 *n.* 23 *lib.* 1, et ex traditis per *Franc. Balbum in repet. L. Celsus par.* 1 *n.* 45 *et infra ff de usucap.*, et ita li-

mitat *Gabr. in d. tit. de procur. concl.* 1 *n.* 18 *et* 19, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 4 *n.* 18 *vers. sed tamen est, Menoch. d. praesumpt.* 33 *n.* 23 *lib.* 2. His autem cessantibus non insurgere praesumptionem mandati ob temporis diuturnitatem, nec bonam fidem in acquirente, dicit, multos allegans, et de magis communi attestans *Gabr. d. conclus.* 1 *num.* 17 *vers. contrarium*, ibi tenendo istam, et alios multos de communi attestans, refert *Menoch. d. praesumpt.* 33 *n.* 22.

37. Limitatur septimo si ultra diuturnitatem temporis concurrant aliqua adminicula et conjecturae, *Alex. cons.* 35 *n.* 4 *lib.* 7, *Torniol. cons.* 98 *n.* 6, *Sigismundus Loffredus cons. feudal.* 20 *n.* 8, *Honded. cons.* 38 *n.* 14 *lib.* 1, *Viv. decis.* 534 *n.* 47 *par.* 4, *Gabr.*, qui testatur de veriori et magis communi, *cons.* 145 *n.* 5 *lib.* 2, *Boer. decis.* 281 *n.* 17 *vers. non obstat quod mandatum*, *Gozad. cons.* 11 *n.* 13, *Crav. de antiq. temp. par.* 2 *n.* 70, *Gabr. d. tit. de procur. conclus.* 1 *n.* 10 *vers. secus est*, *Menoch. de praesumpt. lib.* 2 *praesumpt.* 33 *n.* 19 *et* 27 *vers. declaratur*, *Curt. Sen. cons.* 76 *n.* 5 *post. med. vers. tertia conclusio*, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1006 *n.* 51, *Dominicus Cardinalis Tuscus in verbo mandatum concl.* 32 *n.* 22 *vers. dictum*, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 4 *n.* 19, *Rot. coram Caesar. de Grass. dec.* 12 *n.* 5 *et* 6 *de reb. Eccles. non alienand.*, *coram Gregorio XV decis.* 44 *n.* 5 *coram*, *Cavaller. decis.* 582 *n.* 7 *in Recent.*, *decis.* 475 *n.* 8 *part.* 1, *decis.* 89 *n.* 1, *et decis.* 440 *n.* 5 *par.* 2, *et decis.* 32 *n.* 2 *part.* 2 *divers.*, *Dec. cons.* 36 *n.* 8, *Natt. cons.* 526 *n.* 7 *lib.* 3, *Beroius cons.* 30 *n.* 29 *lib.* 2.

« Mandatum praesumitur praesertim in antiquis, si enunciatio illius ac « notarii rogati, et diei rogitus concurrat, *Ridolphin. prax. par.* 1 *cap.* 3 « *n.* 40.

« Ex observantia etiam diuturna, quando actus a procuratore gestus « fuit diu observatus, praesumitur mandatum, *Ridolph. ibid. n.* 42.

« Defectus mandati sanatur juris praesumptionibus et conjecturis, prae- « sertim si quis enunciatur procurator cum relatione ad notarium rogatum, « et certam diem, et eo magis in antiquis, *Ridolphin. prax. par.* 1 *cap.* 13 « *n.* 358.

38. Limitatur octavo, si in instrumento antiquo enuncietur tale mandatum.

39. Licet enim talis enunciatio non sit sufficiens ad plenam probationem, *Purpur. cons.* 118 *n.* 3, *et cons.* 524 *n.* 6, *Pasethus cons.* 12 *n.* 3, *Decian. cons.* 65 *n.* 22 *lib.* 5, *Rim. Jun. cons.* 381 *n.* 90 *lib.* 4, *et cons.* 520 *n.* 3 *et* 4 *lib.* 5, et diximus supra *cap. praecedenti.*

40. Quamvis talis enunciatio fiat notario in actis, *Alex. cons.* 6 *n.* 8 *lib.* 4 cum aliis citatis a *Rota decis.* 40 *n.* 3 *post Zacchiam de obligat. cameral.*

41. Sufficit tamen ut inde resultet probatio praesumpti mandati ob dati ob temporis diuturnitatem, *Dec. d. cons.* 36 *n.* 8 *et cons.* 42 *n.* 9 *in fin.*, *Beroius d. cons.* 30 *n.* 29 *lib.* 2, *et cons.* 21 *n.* 2 *et* 8 *in fin. lib.* 3, *Natt. cons.* 526 *n.* 7 *lib.* 3, *Crav. cons.* 317 *n.* 2 *vers. secundo respondeo lib.* 2, *et de antiq. temp. lib.* 2 *n.* 61, *Gozzadin. cons.* 96 *n.* 16 *vers. ad contraria*, *Boer. dec.* 281 *n.* 17 *vers. non obstat quod mandatum*, *Rim. Jun. cons.* 6 *n.* 117 *lib.* 1, *Pancirol. cons.* 712 *n.* 53, *Purpur. cons.* 374 *n.* 12, *et cons.* 527 *n.* 2 *lib.* 2, *Bursat. cons.* 24 *sub n.* 21 *lib.* 1, *et cons.* 150 *n.* 3 *in fin.*, *et cons.* 151 *n.* 87 *lib.* 2, *Gabriellius in d. tit. de procurat. conclus.* 1 *n.* 9, *Eugenius cons.* 55 *n.* 51 *lib.* 2, *Bertazzol. cons. civil.* 1 *n.* 16 ubi testatur de magis communi et veriori, *et cons.* 39 *n.* 22 *lib.* 1, *Cornazanus decis. Lucens.* 44 *n.* 15 *et* 16, *Mandell. Alb. cons.* 116 *n.* 1 *vers. respondetur et alio modo lib.* 1, asserens non habere dubitationem, *Menoch. d. praesumpt.* 33 *n.* 25 *lib.* 2.

42. Maxime si talis enunciatio fuerit facta inter eos qui consentiendo dederunt causam instrumento in quo fit talis enunciatio, et fuerunt praesentes illius confectioni, *Dec. cons.* 42 *n.* 9 *sub vers. quartum*, *Beroius cons.* 21 *n.* 4 *vers. tertio lib.* 3, *Burs. cons.* 160 *n.* 47 *lib.* 2, *et cons.* 107 *n.* 4 *lib.* 1, *Menoch. cons.* 1 *n.* 80 *lib.* 1, *Crav. de antiq. tempor. par.* 2 *n.* 64 *in fin.*, *Genua in tract. de script. privat. par.* 2 *cap.* 15 *n.* 13.

43. Et mandatum illud ad eos pertineat, *Natt. cons.* 283 *n.* 8, et sequitur *Rim. Jun. cons.* 137 *n.* 29 *lib.* 2.

44. Et fortius si dictum instrumentum in quo fit dicta enunciatio, fuit productum in judicio et non fuit oppositum de defectu dicti mandati enunciati, *Cornazanus*, post multos quos allegat, *d. decis. Lucens.* 44 *n.* 17.

45. Et si enunciatio fiat in sententia quae transivit in judicatum, *Bursat. cons.* 151 *n.* 89 *lib.* 2, *Natt. cons.* 526 *n.* 3 *lib.* 3, *Gabr. d. tit. de procur. conclus.* 1 *n.* 23.

« Mandatum probatur ex sententia in qua de verbo ad verbum est « insertum, *Rot. decis.* 302 *n.* 21 *par.* 4 *tom.* 2 *Recent.*

46. Similiterque si dicta enunciatio fiat coram personis illustribus et valde dignis, *Beroius d. cons.* 21 *n.* 3 *et* 4, *vers. idem non procederet.*

47. Vel fiat a persona valde digna, *Beroius d. cons.* 21 *n.* 2 *ad fin.*, *Burs. d. cons.* 160 *n.* 47.

48. Et maxime si dicta enunciatio fiat respectu actus, quem sine mandato verisimiliter quis non fuisset explicaturus; nam eo casu, stante temporis diuturnitate, mandatum praesumeretur, *Felin. in cap. sicut sub n.* 39 *extr. de re judic.*, *Ruin. cons.* 35 *n.* 21 *lib.* 1, *Soc. Jun. cons.* 146 *n.* 10 *lib.* 3, *Pancirol. cons.* 112 *n.* 24, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1006 *n.* 57, et faciunt allegata supra in 3.ª *limitat.*

49. Quod tamen procederet, si ad illum actum sufficeret mandatum generale; secus autem si requireretur mandatum speciale, *Decian. cons.* 121 *n.* 12 *et* 13 *vers. quia pariter lib.* 3.

50. Haec tamen octava limitatio debet intelligi primo, ut procedat quando enunciatio est facta in specie, secus autem si esset facta generaliter, *Crav. cons.* 29 *n.* 3 *lib.* 1, sequitur *Menoch. cons.* 1 *n.* 80 *vers. respondeo secundo lib.* 1, et *Addent. ad Mandell. Alb. cons.* 607 *n.* 8 *lib.* 4, *Crav. de antiq. temp. par.* 1 § *ampliatur n.* 26.

51. Secundo debet intelligi ut procedat dummodo sit effluxum saltem tempus centum annorum, *Gabr. cons.* 149 *n.* 43 *et seqq. lib.* 2, *Simon de Praetis cons.* 8 *n.* 3 *lib.* 1, qui testatur de communi, *Alex. cons.* 6 *num.* 7 *lib.* 1, *cons.* 75 *n.* 7 *lib.* 4, *et cons.* 94 *n.* 9 *lib.* 7, *Osaschus decis.* 1 *n.* 45, *Crav. de antiq. temp. par.* 1 *in princ. n.* 4, qui pariter testatur de communi, *Paul. Merend. cons.* 105 *n.* 17.

« Licet multi affirment sufficere lapsum dumtaxat triginta vel quadra-
« ginta annorum; a praecedenti tamen opinione, quae est communiter rece-
« pta, ut per *Crav. d. n.* 4, et *Simon de Praet. d. n.* 3, non est recedendum
« consulendo et judicando, ut dicit *Hieronymus Cagnolus in L. velle non*
« *creditur n.* 20 *ff. de reg. jur.* ubi multos allegat.

« Limitatur aliis modis conclusio facta in hac octava limitatione, ut apud
« *Crav. d.* § *ampliatur per totum*, ad quem in facti contingentia erit recur-
« rendum, nec non ad *Menoch. d. praesumpt.* 33 *n.* 20 usque ad finem.

52. Limitatur nono quoad eos qui uti procuratores vigore laudi lati ab arbitriis super appositione terminorum terminos apposuerunt, nam ob temporis diuturnitatem praesumuntur habuisse mandatum, *Alciatus de praesumpt. par.* 2 *praesumpt.* 23, cujus auctoritate *Petr. Nunnez de Avendano tract. de exequendis mandatis regis par.* 1 *cap.* 4 *n.* 14, asserit hoc esse speciale in materia terminorum sed in Codice meo *Alciatus* hoc non dicit.

« Constitutio Urbani VIII jubens in archivio reponi omnia mandata
« procurae non habet locum in mandatis praesumptis, *Rot. decis.* 132 *n.* 5
« *par.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

CAPUT XXXI.

MANDATUM AD LITES QUANDO PRAESUMATUR.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad lites et ad judicialia non praesumitur.*
2. *Judicialia non dependent a mera voluntate et consensu partium, sed etiam ab auctoritate judicis.*

3. *Judicium redditur in invitum.*
4. *Comparens coram judice absque mandato dicitur illi injuriam inferre.*
5. *Ea semper est capienda interpretatio, per quam delictum evitatur.*
6. *Actus judiciales non expediuntur unico actu, at frequenter quia comparet sine mandato, sperans se illud habiturum cum rutificatione gestorum.*
7. *Mandatum ad lites, nisi constet contrarium, praesumitur is habere cum quo tamquam cum procuratore fuit lis contestata.*
8. *Multo magis si stetit in judicio usque ad finem causae.*
9. *Quod procedit etiam quando non comparuit adversarius.*
10. *Mandatum praesumitur si dominus sciat aliquem intervenisse in judicio tamquam ejus procuratorem, et non contradicat.*
11. *Procedit non solum quando non constat quod aliquod praecesserit mandatum, sed etiam quando constat de praecedenti mandato, quod tamen erat nullum,*
12. *Vel ambiguum.*
13. *Vel erat validum et clarum, sed fuerat revocatum.*
14. *Multo magis si dominus assistat in judicio una cum dicto procuratore.*
15. *Et actus gesti per dictum procuratorem tendant ad commodum et utilitatem domini.*
16. *Si actus procuratoris tendant ad praejudicium domini, quod ex ipsius scientia et patientia inducatur mandatum.*
17. *Contraria sententia, quod ob taciturnitatem domini non inducatur de novo mandatum ad illius praejudicium, sed mandatum praecedens extendatur.*
18. *Secus procederet, si dominus qui scivit et passus fuit, haberet causam ab illo intervenienie uti procuratore.*
19. *Aut si constaret de tacita vel expressa ratihabitione domini, pro quo sciente et patiente aliquis uti ejus procurator comparuit.*
20. *Contrariae opiniones conciliantur. Quando recipi possit opinio affirmativa.*
21. *Quando sententia negativa procedat.*
22. *Facilius suppletur et coadiuvatur mandatum, quam de novo inducatur.*
23. *Praesumitur quod praecesserit mandatum, si de eo fiat mentio enunciative in sententia quae transivit in judicatum.*
24. *Res judicata inducit praesumptionem omnia rite et recte fuisse gesta.*

25. *Ex simplici enunciatione in sententia facta non resultat probatio mandati.*
26. *Is praesumitur habere mandatum, qui in causa fecit plures actus, quos verisimiliter non fecisset absque mandato.*
27. *Nemo praesumitur sollicitus in alienis litibus.*
28. *Praesumitur etiam in eo qui comparet in judicio in termino citationis exequutae contra suum principalem.*
29. *Praesumitur quoque mandatum in eo qui fecit expensas in causa.*
30. *Maxime si impensa fuit magna.*
31. *Quae sit impensa magna vel modica.*
32. *Mandatum pariter praesumitur, quando in sententia lata contra principalem, interveniente dicto procuratore, fit mentio de illius mandato, si dicta sententia fuit intimata principali qui non appellavit;*
33. *Aut si dominus comparens in judicio asserat talem esse suum procuratorem.*
34. *Etiam si id dicat in libello.*
35. *Procedit quando mandatum est probandum ad praejudicium domini, non ad favorem, et quando non requiritur mandatum speciale.*
36. *Is etiam praesumitur habere mandatum qui licet apud acta procuratorium produxerit, illud tamen in actis non reperitur.*
37. *Acta non secus ac publicum instrumentum faciunt fidem.*
38. *Attamen ex tali productione non insurgeret praesumptio mandati si producatur mandatum inefficax.*
39. *Neque resultaret plena probatio nisi constaret illud fuisse registratum in actis de verbo ad verbum.*
40. *Mandatum quoque praesumitur si notarius asserat in actis comparentem habere mandatum a principali.*
41. *Notario non creditur nisi de iis quae fiunt coram eo et sunt de actis.*
42. *Maxime concurrentibus aliis adminiculis et conjecturis.*
43. *Quae praesumptio est tantae efficaciae ut in adversarium reiiciat onus probandi contrarium.*
44. *Praesumitur mandatum si dominus comparet in judicio cum clausula* citra revocationem procuratorum, *si non appareat illum habere alium procuratorem quam eum qui pro ipso comparet in dicto judicio.*
45. *Prout etiam in eo qui produxit scripturas facientes ad causam.*
46. *Maxime si productio fiat praesente domino et non contradicente.*

47. *Atque si jura et instrumenta producta propriis expensis curavit extrahi in publicam et authenticam formam.*

48. *Non est verisimile, quem velle solvere de suo.*

49. *Oritur similiter praesumptio mandati, si poenes aliquem reperiantur jura et instrumenta ad causam.*

50. *Secus tamen procederet, si scripturis quas assertus procurator suis pecuniis extraxit in publicam formam, vel alias apud se servat, ipse posset uti in alio, quam pro defendenda causa domini.*

51. *Ita etiam in procuratore substituto, qui procuratoris substituentis mandatum produceret.*

52. *Similiter procederet in persona familiari, domestica et cohabitante cum eo cujus dicitur procurator, nisi probaret scripturas illas sibi a domino fuisse traditas propter metum ne ipsas ei surripuerit.*

53. *Contraria sententia quod in domestico et cohabitante, qui uti supra scripturas detineat vel extraxerit, mandatum valeat praesumi.*

54. *Suspicio surreptionis in domestico purgatur per praestationem cautionis de rato.*

55. *Etiam non probata traditione per solam productionem mandati, judex de eo redditur dubius, et proinde in illo oritur talis qualis praesumptio quod producens sit procurator.*

56. *Praestita cautione de rato debet admitti ad judicium tamquam procurator.*

57. *Et non est necessaria probatio traditionis.*

58. *Ex hujusmodi probatione non resultat praesumptiva, sed plena et concludens probatio mandati.*

59. *Probata dicta traditione non censetur dominum habere rata gesta per dictum procuratorem ante dictam traditionem, nisi constaret ipsum habuisse certam et distinctam scientiam dictorum gestorum.*

1. Secunda succedit indagatio, an mandatum praesumatur ad lites et in judicialibus: in qua est similiter firmanda conclusio negativa, *Nicol. Beroius cons.* 21 *n.* 9 *lib.* 3, *Simon de Praetis cons.* 79 *n.* 9, *et infra lib.* 1, *Sebast. Vant. in tract. de nullit. in tit. quomodo sentent. null. reparet. n.* 9. Animadvertens, quod tam *Bald. in L.* 2 *n.... cod. si ex fals. instr.*, dixit quod mandatum non praesumitur etiam ob diuturnitatem

mille annorum, quam ii qui illum sequuntur quos recensuimus proximo *cap.*, loquuntur in actibus judicialibus.

2. Cujus conclusionis eam dicit esse rationem *Beroius d. cons.* 21 *n.* 10, quia judicialia non dependent a mera voluntate et consensu partium.

3. Ex quo judicium redditur in invitum, *L. inter stipulantem* § *si Sthicum ff de verb. oblig.*, sed dependent etiam ab auctoritate judicis, *cap. forus extr. de verb. sign.*

4. Ac propterea si quis compareat coram judice absque mandato, illi injuriam inferre diceretur, *Gloss. in cap.* 1 *in verb. absentia de elect. in* 6, unde dicit *Beroius d. n.* 10 *et seq.* difficilius esse praesumendum mandatum in judicialibus.

5. Caeterum haec ratio non videtur undequaque sufficiens, immo potius in judicialibus videretur praesumendum mandatum ad evitandam suspicionem, quod comparens in judicio voluerit judicem injuria afficere, *arg. L. merito*, *ff pro soc.*, nam ista injuria sapit delictum, et ea semper est capienda interpretatio per quam delictum evitatur.

6. Quare aliam rationem affert *Simon de Praetis d. cons.* 79 *n.* 9, quod isti actus judiciales non expediuntur unico actu, sed diutius durant, unde frequenter quis sine mandato consuevit comparere, sperans se illud habiturum cum ratificatione gestorum, unde difficilius praesumitur.

« Quod mandatum procurae probetur ex conjecturis et praesumptio-
« nibus evincunt *decis. Rotae relatae cap.* 102 *ad fin. n.* 2.

« Mandatum praesumitur ex conjecturis, *Thomat. decis.* 229 *n.* 3
« *part.* 2. Mandatum probatur praesumptionibus et conjecturis, *Card.*
« *De Luc. de regal. disc.* 115 *n.* 3.

« Mandatum adminiculis et conjecturis praesumitur, *idem Card. de*
« *jur. patronat. disc.* 28 *n.* 16.

« Non dubitatur ut mandatum etiam tacite seu implicite dari possit,
» quodque praesumpta vel adminiculativa probatio admittatur; verum id
« facti potius quam juris est, ex singulorum casuum particularibus circum-
« stantiis decidendum, et ex quibus in uno casu leviores praesumptiones
« sufficere solent, in altero autem eaedem ac majores insufficientes repu-
« tantur pro causarum qualitate, vel praejudiciorum gravitate, fortius
« vero pro tribunalium seu locorum stylis ac moribus, *Card. De Luc. de*
« *judiciis disc.* 6 *n.* 3.

« Mandatum procurae potest elici etiam ex pluribus conjecturis simul
« unitis, *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 46
« *n.* 35 *tom.* 1.

« Mandatum procurae etiam ubi requiritur expressum, suppletur ex
« actibus illud inducentibus, *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. ibid.*
« *decis.* 47 *n.* 7 *tom.* 1.

« Aliquando mandatum procurae praesumitur ex conjecturis; prae-
« sertim si enunciatio illius ac notarii rogati et diei rogitus concurrat,
« *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 40.

« Defectus mandati sanatur juris praesumptionibus et conjecturis, prae-
« sertim si quis enunciatur procurator cum relatione ad notarium roga-
« tum, et certam diem; et eo magis in antiquis, *Ridolphin. in prax.*
« *part.* 1 *cap.* 13 *n.* 358.

« Sanatur aliquando defectus mandati per ratificationem, *Ridolphin.*
« *ibid. n.* 364.

« Mandatum etiam ubi expressum requiritur ex actibus illud indu-
« centibus suppletur, *Palma Nepos decis.* 38 *n.* 3 *lib.* 1.

« Mandatum probatur praesumptionibus et conjecturis, *Palma Nepos*
« *decis.* 169 *n.* 6 *lib.* 2.

« Nec non praesumitur ex verisimilitudine, *idem ibid. n.* 10.

« Mandatum probatur praesumptionibus et conjecturis, *Thomat. decis.*
« 115 *n.* 2 *part.* 1.

« Mandatum resultans ex praesumptionibus et conjecturis suffragatur
« ad validitatem judicii, *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. de dots lib.* 6
« *decis.* 11 *n.* 6 *tom.* 3.

« Indiciis etiam et conjecturis probari potest mandatum, *decis.* 410
« *n.* 10, *et decis.* 295 *n.* 5 *part.* 4 *tom.* 2 *Recent.*

« Ut autem praesumatur mandatum quae debeant concurrere, innuit
« remissive *Rot. decis.* 211 *n.* 5 *part.* 2 *Recent.*

« Pro conclusione quod mandatum procurae probetur ex conjecturis
« et praesumptionibus, vide *decisiones Sac. Rot. Rom.* quae allegantur
« *cap.* 101 *ad n.* 2.

7. Ista autem ampliatio fallit in aliquibus casibus; et primo, ut praesumatur mandatum ad lites habere is cum quo tamquam cum procuratore fuit lis contestata; nam licet de ejus mandato non constet, praesumitur quod illud habuerit, nisi constet de contrario, *Jo. de Imola in L. sciendum n.* 7 *vers. item per praedicta ff de verb. oblig., Angel. Aret. in* § *final. in ultimis verbis instit. de fidejuss., Beroius cons.* 104 *n.* 13 *vers. et consequenter, et sub n.* 15 *lib.* 3, *Ludovicus Gozadinus cons.* 96 *sub n.* 15, *Jacob Beretta cons.* 136 *n.* 14, *Joach. Minsingerus singul. observat. centur.* 5 *observat.* 80 *n.* 1, *Claud. Bertaz. cons. crimin.* 259 *n.* 5 *et* 6, *et cons.* 160 *n.* 6 *lib.* 2, *Marc. Ant. Eugenius cons.* 55 *n.* 54 *lib.* 2, *Aymon. Crav. de antiq. tempor. part.* 2 *sub n.* 60.

« Juxta Romanae Curiae praxim, si quis monitorium vel commissio-
« nem super aliqua praetensione adversus alium obtineat, ejusque vigore
« illum provocet, tunc provocato sufficit citare illum causidicum qui expe-
« ditionem obtinuit, absque alia probatione mandati quod ita inesse dicitur,

« quoties id ex collusione aliqua non sequatur pro facti qualitate, *Card.* « *De Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 7.

8. Et multo magis si stetit in judicio usque ad finem causae, *Jo. Nevizanus cons.* 19 *n.* 8, *Sob. Sen. regul.* 212 *n.* 5 *vers. adde tamen*, qui dicit hoc esse menti tenendum, quia est de pane lucrando, et quia quaestio ista saepe vertitur in palatiis, et hoc sequuntur, *Bertaz. d. cons.* 160 *n.* 7, *et Tiberius Decian. cons.* 18 *n.* 10 *lib.* 1.

« Mandatum praesumitur ex eo, quod quis diuturnam et gravem litem « substinuit, *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. de dote lib.* 6 *decis.* 11 « *n.* 7 *tom.* 3.

« Quod mandatum probetur ex conjecturis et praesumptionibus, prae- « sertim procedit, quando concurrant plures conjecturae simul junctae, vel « agatur de substituenda sententia lata contra aliquem uti procuratorem, « *Rot. decis.* 696 *n.* 12 *part.* 4 *tom.* 3, *et decis.* 454 *n.* 2 *part.* 9 *tom.* 2 « *Recent.*

9. Qui post multos quos allegat, ampliat hoc procedere non solum quando comparuit adversarius et nihil opposuit, sed etiam quando fuit legitime contumax, et sententia lata fuit contra ipsum contumacem.

10. Secundo, mandatum praesumitur, si dominus sciat aliquem intervenisse in judicio tamquam ejus procuratorem et non contradicat, hoc fuit originale dictum *Innoc. in cap. ex parte decani n. . . extr. de rescript.* quem alii sequuntur, *Alex. cons.* 157 *n.* 12 *lib.* 1, *et cons.* 80 *n.* 11 *vers. bene facit*, *et n.* 13 *vers. et sic non obstat lib.* 4, *Rom. cons.* 170 *in princ.*, et ibi *Mandos. plures congerit*, *Boer. decis.* 281 *n.* 11 *ad fin.*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. quib. mod. senten. null. repar. n.* 94, *Mynsinger. singul. observat. centur.* 5 *observ.* 80 *n.* 4, *Hyeron. Gabr. cons.* 36 *n.* 39 *in princ. ibi nisi appareat lib.* 1, *Bertaz. cons. crim.* 159 *n.* 7, *et cons.* 260 *n.* 8 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 520 *n.* 15 *lib.* 5, *Joseph Ludovici decis. Perusin.* 110 *n.* 9, *Menoch. praesumpt.* 33 *n.* 7 *lib.* 2, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7. *tit.* 7 *n.* 3, *Rot. coram eod. Mantic. decis.* 100 *n.* 2, *et coram Gregorio XV decis.* 44 *n.* 2.

« Mandatum praesumitur ex scientia et patientia quod alius nomine « suo compareat et litem prosequatur, *Thomat. decis.* 115 *n.* 3 *part.* 1.

« Mandatum praesumitur ex diuturna litis agitatione, ubi pars est « praesens, *Rot. decis.* 295 *n.* 7 *part.* 4 *tom.* 2 *Recent.*

« Scientia et patientia principalis, concurrente productione jurium et « aliis circumstantiis, probat mandatum etiam respectu absentis, *decis.* 454 « *n.* 19 *et* 20 *part.* 9 *tom.* 2, *et decis.* 132 *n.* 3 *et* 4 *part.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

11. Quod procedit non solum quando non constat aliquod praecessisse mandatum, verum etiam quando constat quidem de praecedenti mandato, sed illud vel erat nullum et inefficax, *Mantic. d. decis.* 110 *n.* 3.

12. Vel erat ambiguum, et dubitabatur de illius interpretatione, *Mantic. ibid. n.* 5.

13. Vel erat validum et clarum, sed fuerat revocatum; namque si iste procurator post revocationem procedat ad ulteriora in causa, sciente et patiente domino, censetur de novo constitutus procurator, *Mantic.* post alios *de tacit. d. lib.* 7 *tit.* 22 *n.* 2, *Andreas Tiraquellus* plures allegans *de retract. lignag.* § 9, *Gloss.* 3 *n.* 15, *Addent. ad Gregor. XV d. decis.* 44 *n.* 9.

« Mandatum praesumitur ex praesentia, scientia et patientia, quod « quis suo nomine litem prosequatur; non obstante revocatione, quia cen- « setur tacite denuo constitutus procurator, *Rudolphin. in pract. cap.* 3 « *n.* 43 *part.* 1.

« Mandatum praesumitur ex scientia et patientia principalis; et eo « magis ex ejusdem principalis praesentia, non obstante revocatione, quia « censetur constitutus de novo; et non obstante protestatione, neminem « audiri nisi docto de legitimo mandato procurae, *Rudolphin. ibid. cap.* 13 « *n.* 362.

14. Et multo magis si dominus assistat in judicio una cum dicto procuratore, *Rim. Sen. cons.* 320 *n.* 8 *lib.* 2.

« Procurator praesumitur habere mandatum, si in praesentia sui « principalis facit actus judiciales vel producit jura, *Thomat. decis.* 237 « *n.* 15 *part.* 2.

« Defectus mandati suppletur ex comparitione principalis, et illius « scientia, *decis.* 486 *n.* 3 *part.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Scientia et patientia, et fortius praesentia et consensus ejus, cujus « nomine causam procurator agit, est conjectura ex qua probatur manda- « tum, *Decis.* 55 *n.* 2 *part.* 2, *decis.* 322 *n.* 5 *part.* 5 *tom.* 1, *decis.* 187 « *n.* 15 *part.* 6, *decis.* 156 *num.* 1, 2, 20 *et* 22 *part.* 8, *decis.* 304 *n.* 11, « *et decis.* 454 *n.* 1 *et* 3 *part.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

15. Et actus gesti per dictum procuratorem tendant ad commodum et utilitatem domini, *Alex. cons.* 80 *n.* 14 *lib.* 4.

16. Si autem actus illi tendant ad praejudicium domini, ex dicta scientia et patientia inducatur mandatum, DD. non conveniunt; partem affirmativam primus omnium amplexus fuit *Innoc. in d. cap. lex parte decani n.* 2 *extr. de rescript.*, quem sequutus fuit *Paul. de Castr. in L. si tutor tuus n.* 1 *ad fin. vers. adde quod si prius vod. in quib. caus. in integr. restit. et in L. in caus.* § 1 *n.* 2 *ff. de procur.*, *Magnus Jason in L.* 1 § *si procurator n.* 3 *ad fin. vers. limita istum*, *Tex. ff si quis jus dic. non obtemper.*, *Matth. de Afflict. decis.* 308 *n.* 6 *vers. secundo dd idem, et in* 8, alios allegans *Tiraq. d. Gloss.* 3 *n.* 11, *Lupus ad rubr. extr. de donat. inter vir. et uxor.* § 68 *n.* 24 *vers. ad idem facit.*

17. Contrariam autem sententiam, quod ob praesentiam et taciturnitatem domini non inducatur de novo mandatum ad praejudicium domini, sed tantum extendatur mandatum praecedens, tenent magis communiter scribentes, ut testatur *Alex. cons.* 80 *n.* 14 *lib.* 4, post multos quos allegat; alios etiam congerit *Tiraquel. d. Gloss.* 3 *n.* 12, et *Arius Pinellus* de magis communi attestans *ad L.* 2 *cod. de rescind. vendit. part.* 2 *cap.* 1 *n.* 18 *et* 19, ubi respondet ad *Tex. in L. qui patitur ff mandati*, super quo videtur fundata contraria opinio.

18. Tenendo itaque hanc secundam negativam sententiam tamquam magis communem, ea limitanda est aliquot modis; et primo si dominus qui scivit et passus fuit, habeat causam ab illo interveniente uti procuratore; nam hoc casu ex dicta scientia et patientia insurgere praesumptionem praecedentis mandati, dixit *Alex. d. cons.* 80 *n.* 14 *circa princ. vers. tamen fallit. lib.* 4 *per Tex. in L. saepe ff de re judic.*

19. Secundo restringitur si constet de tacita vel expressa ratihabitione domini, pro quo sciente et patiente aliquis tamquam ejus procurator intervenit, ut post *Innoc. in cap. quamvis n.... extr. de re judic.*, *Alex. d. n.* 14 *in princ.*

20. Vel possumus dictas contrarias opiniones conciliare, ut prima opinio affirmativa possit recipi quando praecessit quidem mandatum, sed inefficax ad actum quem gerit; ita ut licet procurator dicatur fines mandati excedere dum actum illum explicat, actus tamen sustineatur ob praesentiam et patientiam domini, quasi illius virtute mandatum praecedens extendatur et amplietur, ut reddatur efficax etiam ad illum actum.

21. Secunda vero sententia negativa procedat ubi nullum praecessit mandatum, nam ex praesentia et patientia domini non censeretur inductum novum mandatum ad faciendum actum praejudicialem domino, ut magistraliter considerat *Pinell. d. cap.* 1 *n.* 18 *et* 19, et non obscure sentit *Jo. Cephalus cons.* 272 *n.* 112 *lib.* 2.

22. Nam facilius suppletur et coadiuvatur mandatum, quam de novo inducatur, *Decius cons.* 36 *n.* 8 *circa princ.*

23. Tertio insurgit praesumptio praecedentis mandati, si de eo fiat mentio enunciative in sententia quae transivit in judicatum.

24. Auctoritate rei judicatae quae operatur ut praesumantur omnia rite et recte gesta fuisse, *Natt. cons.* 526 *n.* 3 *lib.* 3, sequitur *Burs. cons.* 151 *n.* 89 *lib.* 2, *Gozad. cons.* 96 *n.* 13, *Menoch. praesumpt.* 33 *n.* 89 *lib.* 4.

25. Licet enim ex simplici enunciatione in sententia facta, non resultet probatio mandati, ut ex multis dicit *Rim. Sen. cons.* 472 *n.* 6 *lib.* 3, hoc tamen fallit quando illa sententia transivit in rem judicatam, maxime si concurrat diuturnitas temporis, ut respondit *Rim. d. cons.* 472 *n.* 7 *vers. secundo*, *et n.* 11.

« Probatur tamen mandatum ex sententia in qua de verbo ad verbum « est insertum, *Rot. decis.* 302 *n.* 21 *part.* 4 *tom.* 2 *Recent.*, et notatur « supra *cap.* XXX *ad num.* 45.

26. Quarto is praesumitur habere mandatum qui in causa fecit plures actus quos verisimiliter non fecisset sine mandato.

« Quoties procurator exhibuit libros sui principalis, produxit capitula « et interrogatoria ad favorem sui principalis, et comparuit in termino « citationis factae de dicto suo principali, qui pariter comparuit cum « clausula, *citra revocationem* ex praedictis satis constat de mandato prae- « sumpto, *Thomat. decis.* 117 *n.* 13 *part.* 1.

« Mandatum praesumitur in eo qui plures actus fecit in causa, *Rot.* « *in Mantiss. ad Card. De Luc. de judiciis lib.* 15 *decis.* 16 *n.* 2 *tom.* 4.

« Si procurator comparuit in judicio, et litem et appellationem pro- « sequutus est et commissionem et inhibitionem obtinuit cum citatione ad « dicendum contra, illiusque reproductione, mandatum in illo praesumitur, « *Rot. decis.* 55 *n.* 2 *part.* 2, *decis.* 165 *n.* 7, *decis.* 166 *n.* 3 *part.* 4 « *tom.* 1, *et decis.* 154 *n.* 3 *part.* 11. *Recent.*

« Mandatum probatur ex usu ipsius, *Rot. decis.* 197 *n.* 20 *part.* 9 « *tom.* 1 *Recent.*, et notatur supra *cap.* XXX *ad num.* 30.

27. Cum nemo praesumatur sollicitus in alienis litibus, *Rot. decis.* 440 *n.* 6 *part.* 2 *Recent.*

« Mandatum quoque ex eo praesumitur, quod quis fecerit in causa « multiplices et solemnes actus quos verisimiliter non fecisset nisi fuisset « procurator, cum nemo praesumatur sollicitus in alienis litibus, *Rot. in* « *Mantiss. ad Card. De Luc. de dote lib.* 6 *decis.* 11 *n.* 8 *tom.* 3.

28. Quinto praesumitur in eo qui comparet in judicio in termino citationis exequutae contra suum principalem, *Rot. decis.* 55 *n.* 3 *part.* 2 *Recent.*

29. Sexto, et multo magis mandatum praesumitur in eo qui fecit expensas in causa, puta deponendo sportulas, seu propinas judicis, et similes, *Bertaz. cons.* 259 *n.* 8 *lib.* 2 *crimin.*, *Rot. d. decis.* 440 *n.* 6 *vers. item impensas*, *et decis.* 8 *n.* 8 *part.* 2 *divers.*

« Mandatum praesumitur ex expensis in causa factis, *Rot. in Mantiss.* « *ad Card. De Luc. de judiciis lib.* 15 *decis.* 16 *n.* 3 *tom.* 4.

« Mandatum praesumitur ex non modicis expensis in causa factis, et « dicitur sufficiens et considerabilis expensa unius ducati, *Rot. in Mantiss.* « *ad Card. De Luc. de dote lib.* 6 *decis.* 11 *n.* 9 *tom.* 3.

« Mandatum praesumitur ex notabili impensa, *Rot. decis.* 295 *n.* 7 « *part.* 4 *tom.* 2, *et decis.* 241 *n.* 5 *part.* 1 *Recent.*

« Mandatum praesumitur ex impensis praesertim notabilibus factis pro « substentatione litis, *decis.* 89 *n.* 2, *et decis.* 475 *n.* 9 *part.* 1, *decis.* 55

« *n.* 3, *decis.* 89 *n.* 3, *decis.* 169 *n.* 4, *decis.* 440 *n.* 6 *part.* 2, *decis.* 193
« *n.* 11, *decis.* 425 *n.* 3, *decis.* 552 *n.* 4, *decis.* 722 *n.* 4 *part.* 3, *decis.*
« 166 *n.* 3, *decis.* 53 *n.* 3, *decis.* 441 *n.* 7, *decis.* 481 *n.* 3 *part.* 4 *tom.* 1,
« *decis.* 343 *n.* 7 *part.* 4 *tom.* 2, *decis.* 495 *n.* 2 *part.* 5 *tom.* 2, *decis.* 37
« *n.* 8, *decis.* 102 *n.* 4, *decis.* 187 *n.* 16, *et decis.* 296 *n.* 9 *part.* 6,
« *decis.* 78 *n.* 8 *et decis.* 294 *n.* 13 *part.* 7, *decis.* 17 *n.* 3, *decis.* 156
« *n.* 11, *et decis.* 193 *n.* 6 *part.* 8, *decis.* 364 *n.* 12 *et* 13, *et decis.* 454
« *n.* 15 *part.* 9 *tom.* 2, *decis.* 320 *n.* 45 *et* 47 *part.* 10, *decis.* 147 *n.* 5,
« *decis.* 154 *sub n.* 2, *et decis.* 313 *n.* 23 *part.* 11, *et decis.* 4 *n.* 5 *et* 6,
« *decis.* 21 *n.* 5, *et decis.* 118 *n.* 17 *part.* 12, *decis* 450 *n.* 5 *part.* 13,
« *decis.* 59 *n.* 7 *part.* 14, *decis.* 4 *n.* 18, *et decis.* 14 *n.* 5 *part.* 16, *et*
« *decis.* 609 *n.* 11 *part.* 19 *tom.* 2 *Recent.*

« Praesertim, stante pluralitate solutionum et maxime facta a persona
« conjuncta, *decis.* 113 *n.* 6 *et decis.* 421 *n.* 11 *part.* 2 *Recent.*

« Et potissimum si praecedit obligatio principalis, *decis.* 89 *n.* 3 *part.* 2
« *Recent.*

« Amplia primo, procedere etiam si expensa sit modica, et etiam si
« sit unius ducati, vel decem juliorum, *decis.* 440 *n.* 6 *part.* 2, *decis.* 187
« *n.* 16 *part.* 6, *et decis.* 364 *n.* 12 *et* 13 *part.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

30. Et maxime si impensa fuit magna, *Rot. decis.* 169 *n.* 4 *part.* 2 *Recent.*, et coram *Mantic. decis.* 302 *n.* 6.

31. An autem impensa sit magna vel modica, debet dijudicari ex qualitate personarum, qua attenta *Rot.* dixit impensam decem aureorum esse magnam, ut post *Dominicum Picum ad statutum urb. decis.* 40 *n.* 4, *et in Recent. decis.* 440 *n.* 2 *part.* 2, ubi *Rot.* declaravit inter privatos, impensa unius scuti esse notabilem, et alias referunt decisiones *Addent. ad Gregor. XV decis.* 324 *n.* 6.

« Urgens conjectura mandati desumitur ex impensa alicujus momenti,
« saltem unius ducati, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 41 *qui ex*
« *Beltram. ad Gregor. decis.* 324 *n.* 6 id firmat, subjungendo quod idem
« *Beltram.* ibi ait quod hoc non procedit quando impendens habet commo-
« dum vel interesse in causa, quia tunc cessat ratio, quod quis non prae-
« sumitur jactare suum, ex sic cessat praesumptio mandati.

« Mandatum praesumitur et impensa alicujus considerationis; saltem
« unius ducati, quae est summa considerabilis in privato; quod tamen non
« procedit in eo qui habet interesse in causa, vel potest ex illo actu com-
« modum consequi, *ibid. cap.* 13 *n.* 363.

« Impensa facta in causa quae sit alicujus considerationis, inducit non
« levem praesumptionem mandati, *Thomat. decis.* 115 *n.* 6. *part.* 1.

« Mandatum in actibus judicialibus praesumitur, ubi agatur de aliqua

« impensa considerabili, quae unum scutum excedat, *Card. de Luc. de re-*
« *gularibus disc.* 41 *n.* 21.

« Mandatum potissime (juxta curiae praxim) desumitur ab expensis
« quae necessariae sint pro actibus per assertum procuratorem expletis, ex
« quibus mandati praesumptio nimirum desumi solet, ut scilicet quando
« eae sint notabiles, hanc praesumptionem inducant; cum praesumendum
« non sit, ut quis propria bona pro tertio absque mandato jactare voluerit,
« atque regulariter notabilis illa dicitur impensa quae unius scuti summam
« excedat, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 4.

« Verum id pariter certam non habet regulam, cum verius a singu-
« lorum casuum qualitate et circumstantiis pendeat, dum alterius collitigan-
« tis collusio, vel affectatio notabilem quoque impensam suppeditare potest,
« nimiumque confert consuetudo particularis, an scilicet ille causidicus alia
« ejusdem partis negocia tractare solitus esset, nec ne, sive quod sanguinis
« conjunctio, aut alia verisimilia accedant argumenta, *Card. de Luc. de*
« *judiciis disc.* 6 *n.* 5.

32. Septimo, praesumitur etiam mandatum quando in sententia lata contra principalem, interveniente dicto procuratore, fit mentio de illius mandato, si dicta sententia fuit intimata principali, qui non appellavit, *Gozadin. cons.* 96 *n.* 13.

33. Octavo insurgit praesumptio mandati si dominus in comparitione facta in judicio asserat esse suum procuratorem, *cap. si quem* § *secus extr. de procur.*, *L. ne satisdatio ff rem rat. haber.*, quam ad hoc dicit singularem *Rom. cons.* 63 *sub n.* 1, *et Purpur. cons.* 12 *n.* 11, *et cons.* 51 *n.* 6 *lib.* 1, et alii relati per Addentes *ad Rom. d. cons.* 63.

34. Etiam si praefata enunciatio fiat in libello, seu in praecibus per principali principi oblatis, ut per dictum *Tex.* dixit *Rom. singul.* 359 *incip. secundo in supplicatione.*

35. Hoc tamen procedit quando mandatum est probandum contra dominum et ad illius praejudicium, secus si ad illius favorem, ut multos allegans declarat *Addens ad Rom. d. sing.* 359, ubi ampliat hoc procedere in casibus in quibus requiritur mandatum speciale.

36. Nono praesumitur habere mandatum is qui produxit procuratorium apud acta, nam licet in actis illud non reperiatur, sufficit tamen ad effectum praefatum ut legatur in actis mandatum fuisse productum, *Gozad. cons.* 96 *n.* 15, *Jacob Berret. cons.* 136 *n.* 13 *ad fin. et n.* 14, *Pancir. cons.* 112 *n.* 51, *Bertaz. cons. crim.* 259 *n.* 11 *lib.* 2, *Mynsing. sing. observat. cent.* 5, *observat.* 81 *n.* 5.

37. Acta enim fidem faciunt, non secus ac publicum instrumentum, ut subjungit *Pancir. d. cons.* 112 *n.* 52.

38. Ex dicta tamen productione non insurgeret praesumptio mandati, si producatur mandatum inefficax, *Rot. cor. Coccin. decis.* 378 *n.* 15.

39. Et multo minus resultaret plena probatio, nisi constaret illud fuisse registratum de verbo ad verbum in actis, *Angel. Aret. cons.* 110 *n.* 1 cum aliis allegatis per nos *cap. XXV de mandato expresso,* et allegandis *cap. CII de productione mandati.*

40. Decimo, mandatum quoque praesumeretur praecedere si notarius asserat in actis comparentem habere mandatum a principali; licet enim ex dicta enunciatione non insurgat plena probatio, quod ille comparens habeat mandatum, ut diximus dicto *cap. XXV.*

« Assertio notarii dicentis rogatum esse mandatum per acta sui in-
« servit pro conjectura; nam et si illi plene non credatur ut dicit *Innoc.*
« *in cap. quoniam contra falsam deprobat.*, loquens de notario dicente ut
« constat in quodam instrumento procurationis facto per manus mei, *Be-*
« *cius cons.* 5 *lib.* 1 *n.* 5, *Afflict. decis.* 48 *n.* 2, attamen junctis aliis coa-
« diuvat probationem ut dicit *idem Afflict. n.* 3 *et* 4, atque haec habentur
« ex *Rot. decis.* 140 *n.* 14 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.* et adnotata fuere etiam
« *cap. XXVII ad num.* 9.

41. Quia notario non creditur nisi de iis quae fiunt coram eo et sunt de actis, *Gabr. cons.* 40 *n.* 2 *et* 3 *lib.* 1: ex dicta tamen assertione oritur praesumptio de existentia mandati, *Rot. per Cassiodor. decis.* 3 *n.* 4 *vers. item vult de procurat., et decis.* 503 *n.* 3 *par.* 1, *et decis.* 440 *n.* 5 *vers. fuit namque par.* 2 *Recent.*

42. Concurrentibus maxime aliis adminiculis et conjecturis, *Rot. cor. Mantic. decis.* 352 *n.* 4, *et in Recent. decis.* 169 *n.* 2 *par.* 2.

43. Quae praesumptio est tantae efficaciae ut reiiciat onus probandi contrarium in adversarium, *Menoch.*, post alios, *cons.* 207 *n.* 11 *lib.* 2.

44. Undecimo praesumitur mandatum si dominus compareat in judicio cum clausula « *citra revocationem procuratorum* » si non appareat illum habere alium procuratorem quam eum qui pro ipso comparet in dicto judicio, *Rot. decis.* 55 *sub n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

45. Duodecimo, in eo quoque qui produxit scripturas facientes ad causam praesumitur mandatum, *Ruin. cons.* 107 *n.* 6 *lib.* 4, *Loffredus cons. feudal.* 37 *n.* 1, *Nevizanus cons.* 19 *n.* 8 *vers. quod fortius*, *Simon De Praetis cons.* 180 *n.* 21, qui de communi testatur, *lib.* 1, *Bertaz. cons. crim.* 159 *n.* 4 *lib.* 2, *Vant. in tract. de nullit. in tit. qualit. sentent. et proces. reparet. n.* 97, *Rot. cor. Verall. decis.* 183 *n.* 3 *par* 2 *et in Recent. decis.* 185 *n.* 3, *et decis.* 140 *n.* 7 *par.* 2, *et decis.* 2 *n.* 5 *lib.* 1 *par.* 3 *divers.*

« Ex jurium productione urgens conjectura ad praesumptionem man-
« dati elicitur, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 44, qui ex *Gregor.*
« *decis.* 86 *n.* 2 *et* 3 ait, quod sufficit hujusmodi mandatum praesumptum

« etiam si statutum mandatum requirat; quod tamem declaratur procede-
« re nisi producens sit persona domestica, quae potuerit jura subripuisse
« *Ridolphin. ibid. d. n.* 44.

« Mandatum praesumitur ex productione jurium, quod tamen non pro-
« cedit in persona domestica quae praesumitur jura subripuisse, *idem Ri-*
« *dolphin in prax. par.* 1 *cap.* 13 *n.* 361.

« Procurator producens scripturam in judicio praesumitur habere ple-
« nam scientiam omnium contentorum in ea, *Rot. cor. Crispo decis.* 17 *n.* 8
« *tom.* 1.

« Mandatum praesumitur ex jurium productione, *Thomat. decis.* 115
« *n.* 4 *par.* 1, et ista dicitur efficax conjectura, *ibid. n.* 5.

« Quod est adeo verum ut protestatio neminem audiri etc. non vitiet
« processum etiam si mandatum non exhibeatur, quando potest illud prae-
« sumi ex jurium exhibitione facientium ad causam, *ibid. n.* 8.

« Productio scripturae per procuratorem in actis facta praejudicat
« principali non secus ac si ab ipso facta fuisset, quia hujusmodi productio
« censetur facta de mandato ejusdem principalis, *Thomat. decis.* 59 *n.* 32
« *et* 33 *part.* 1, et quod procurator censeatur scripturas in judicio producere
« de mandato domini tradit *decis.* 68 *n.* 47 *par.* 1.

« Mandatum praesumptum resultat ab exhibitione illarum scriptura-
« rum quae nonnisi ab ipso principali haberi possunt, *Card. De Luc. de fi-*
« *deicomm. disc.* 193 *n.* 14.

« Scripturarum item seu jurium qualitas magnum est argumentum,
« vel praesumpta probatio mandati, quando scilicet scripturae sint tales,
« ut verisimiliter aliunde haberi non potuerint, quam ab ipso principali,
« adeo ut quandoque id sufficiens reputari consueverit, etiam ad effectum
« illius mandati specialis, quod necessarium est pro illa praejudiciali pro-
« ductione quae causet restrictionem possessionis ad certum titulum, qui sit
« exclusivus illius melioris, qui in vim immemorabilis vel centenariae pos-
« sessionis alias allegari valeat, *Card. De Luca de judiciis d. disc.* 6 *n.* 6,
« *et disc.* 23 *n.* 8.

« Mandatum ex jurium productione praesumitur, *Rot. in Mantiss. ad*
« *Card. De Luc. de dote lib.* 6 *decis.* 11 *n.* 8 *tom.* 3.

« Mandatum maxime praesumitur si agatur de causa ardua et gravi,
« pluraque in ejus decursu deducta et gesta sint, quorum procurator noti-
« tiam habere nequiverit nisi a principali fuisset informatus, quo casu in-
« trat mandati praesumptio, sive principalis sciens et patiens sit in loco
« judicii, sive ab eo sit absens, *Rot. in Mantiss. ad Card. De Luc. de dote*
« *lib.* 6 *decis.* 11 *n.* 10 *et* 11 *tom.* 3.

« Mandatum probatur ex productione scripturarum, *Rot. decis.* 295
« *n.* 6 *par.* 4 *tom.* 2 *Recent.*

« Conjectura mandatum comprobans desumitur ex jurium et instru-
« mentorum productione, *Decis.* 123 *n.* 3 *et decis.* 185 *n.* 3 *par.* 2, *decis.*
« 165 *n.* 7 *par.* 4 *tom.* 1, *decis.* 495 *n.* 2 *par.* 5 *tom.* 2, *decis.* 102 *n.* 4
« *et decis.* 196 *n.* 9 *par.* 6, *decis.* 122 *n.* 6, *decis.* 168 *n.* 14, *et decis.* 148
« *n.* 10 *par.* 7, *decis.* 3 *n.* 1 *et* 2, *decis.* 64 *n.* 18, *et decis.* 156 *n.* 6 *par.* 8,
« *decis.* 122 *n.* 20 *et decis.* 276 *n.* 2 *par.* 9 *tom.* 1, *decis.* 364 *n.* 13 *et*
« *decis.* 454 *n.* 13 *par.* 9 *tom.* 2, *decis.* 261 *n.* 16 *et decis.* 320 *n.* 45
« *et* 47 *par.* 10, *decis.* 147 *n.* 6, *decis.* 154 *sub n.* 2, *decis.* 214 *n.* 7 *et*
« *decis.* 305 *n.* 8 *par.* 11, *decis.* 4 *n.* 4 *par.* 12, *decis.* 176 *n.* 2 *par.* 14,
« *et decis.* 609 *n.* 11 *par.* 19 *tom.* 2 *Recent.*

« Quae probatio dicitur semiplena et suffragatur etiamsi ex adverso
« fuerit protestatum neminem ex adverso audiri nisi docto de legitimo man-
« dato procurae, *decis.* 495 *n.* 3 *par.* 5 *tom.* 2, *decis.* 3 *n.* 1 *et* 2 *par.* 8,
« *decis.* 320 *n.* 41 *par.* 10, *et decis.* 147 *n.* 6 *par.* 11 *Recent.*

« Hic tamen nota solam jurium productionem non sufficere quando jura
« producta potuerunt alia via haberi quam a principali, unde haec praesum-
« ptio in domestico non sufficit, *decis.* 112 *n.* 20 *et* 21 *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

46. Maxime si productio fiat praesente domino, et non contradicente, *Jacob. Puteus decis.* 358 *lib.* 1, *et decis.* 214 *lib.* 2, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 44 *n.* 4.

47. Et absque dubio quando ille qui dicta jura et instrumenta produxit illa curavit extrahi in publicam et authenticam formam cum suis propriis pecuniis, *Gloss. in cap. fin. extr. de rescript.*, *Loffredus d. cons.* 37 *n.* 2, *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 110 *n.* 7.

48. Ea ratione quia non est verisimile aliquem velle solvere de suo ut notat *Socin. Jun. cons.* 139 *n.* 10 *vers. sed quidquid sit lib.* 3, et apposite *Joseph Ludovic.* alios congerens *d. decis.* 110 *n.* 9, et faciunt dicta supra in *sexta praesumptione.*

49. Decimotertio ex eo insurgeret praesumptio mandati quod poenes aliquem reperiantur jura et instrumenta ad causam, et tamquam talis deberet in dicta causa admitti *cap. praeterea extr. de offic. delegat.*, *Ruin. cons.* 107 *n.* 6 *lib.* 4, *Gravat. ad Vestrium in prax. Rom. Cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 3, *Rot. cor. Verall. decis.* 285 *n.* 6 *lib.* 2.

« Similiter praesumitur mandatum si procurator habeat scripturas et
« informationes ad causam facientes, quae aliunde ab alio quam a principali
« habitae non praesumantur, *decis.* 722 *sub n.* 4 *par.* 3, *et decis.* 187
« *n.* 15 *par.* 6 *Recent.*

50. Hae autem duae ultimae praesumptiones sunt restringendae: « Primo » si jura et scripturae illae possent deservire asserto procuratori in alio quam pro defendenda causa domini, ut bene colligitur ex dictis per *Prosperum Pasethum cons.* 158 *n.* 3 *in fin.*

51. « Secundo » limitatur in procuratore substituto in quo per productionem mandati procuratoris substituentis non praesumitur quod fuerit substitutus, quia illud potuit habere aliunde quam a substituente, ut dixit *Rot. cor. Coccin. decis.* 378 *n.* 10 *in fin.* et infra

52. « Tertio » limitatur si persona illa poenes quam reperiuntur dicta jura et instrumenta, vel illa produxit, sit familiaris, domesticus et cohabitet cum eo cujus dicitur procurator, nam propter suspicionem ne illa subripuerit nisi probet illorum traditionem sibi a domino factam hanc praesumptionem non admittit, *Rom. cons.* 446 *n.* 13 *vers. aut instramenta producens* per *text.* quem dicit singularem ad hoc inducendo ut ibi per eum *in L. unica § ille autem cod. de latin. liber. tollend.*, quod repetit *Singul.* 643 *incip. numquid per productionem n.* 6 *vers. aut producitur*, quem sequitur *Gravat. ad Vestrium in sua prax. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 30, *Rot. cor. Veratt. decis.* 285 *n.* 7 *lib.* 2, *et Addent. ad Gregor. XV decis.* 44 *n.* 9.

53. Contrariam tamen sententiam, quod immo ista praesumptio sit accipienda etiam in domestico et cohabitante, multorum auctoritate firmat *Burs.* de communi testans *cons.* 294 *n.* 6 *lib.* 3, et amplectitur *Andr. Alciat. in tract. praesumpt. reg.* 1 *praesumpt.* 33 *n.* 6 *vers. sed de ista limitatione* ubi *Addent.* allios allegant.

54. Et ibi *Alciatus* respondet ad dictam *legem unicam § ille autem* quod illa suspicio subreptionis purgetur in domestico per prestationem cautionis de rato.

55. Et cum hac ultima opinione in terminis in quibus versamur de praesumendo mandatum, ego libentius pertransirem, nam illimet qui requirunt in domestico probationem traditionis affirmant, quod etiam non probata traditione, per solam productionem judex redditur dubius de mandato, proindeque in illo oritur talis qualis praesumptio quod producens sit procurator, *Ruin. cons.* 44 *n.* 9 *lib.* 1, *et cons.* 107 *n.* 9 *lib.* 4 *et cons.* 59 *n.* 6 *vers. ex alio quoque lib.* 5, *Burs.* de magis communi testans *d. cons.* 294 *n.* 7 *lib.* 3.

56. Et consequenter praestita cautione de rato debet admitti ad judicium tamquam procurator, *Burs. d. cons.* 294 *n.* 4, *Vant. de nullit. in tit. qualit. sentent. repar. n.* 98 *et seq.*, *Rot. decis.* 211 *sub n.* 4 *vers. quia licet par.* 2 *Recent.* quae est *apud Coccin. decis.* 378 *n.* 11.

57. Nam ad dictum effectum probatio traditionis non est necessaria, *Bertaz. cons. crim.* 260 *n.* 4 *lib.* 2, *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 110 *in ultimis verbis.*

58. Si autem dicamus esse necessariam probationem traditionis egredimur terminos propositae indagationis, cum ex tali probatione resultet plena et concludens probatio mandati, non praesumptiva de qua agimus, *Burs. d. cons.* 294 *n.* 4, *Laderchius Imolensis cons.* 15 *n.* 9, *Joseph Ludovic.*

d. decis. 110 *n.* 1, et fuit etiam de mente *Menoch. praesumpt.* 33 *n.* 13 *lib.* 2.

59. Probata autem traditione non propterea censeretur dominum habere rata gesta per dictum procuratorem ante dictam traditionem, nisi constaret ipsum habuisse certam et distinctam scientiam dictorum gestorum, *Alex. cons.* 112 *n.* 5 *lib.* 1, cujus et aliorum auctoritate *Laderchius d. cons.* 15 *n.* 10.

« Ad sustinendam sententiam sufficit mandatum procurae praesumptum, « *Rot. decis.* 17 *n.* 2. *par.* 8 *Recent.*

« Limitatur tamen ubi praesumptio non concludat per necesse, *decis.* « 19 *n.* 21 *par.* 8 *Recent.*

« Mandatum namque adimpleri potest per aequipollens, *decis.* 362 « *n.* 19 *par.* 10 *Recent.*

CAPUT XXXII.

MANDATUM AD NEGOCIA QUANDO PRAESUMATUR.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad negocia praesumitur quando agitur de modico praejudicio.*
2. *Et quando actus qui geritur est utilis asserto domino.*
3. *Multo magis si dominus ex actu illo fructus percipit.*
4. *Praesumitur etiam ratione probitatis personae egregiae se procuratorem enunciantis.*
5. *Et quando actus gestus ab asserto procuratore fuit sortitus suum effectum.*
6. *Dummodo effectus subsequutus correspondeat mandato, quod praesumitur.*
7. *Similiter si super actu qui geritur ab asserto procuratore fuerit celebratum instrumentum in quo enunciatur mandatum, cum expressione nominis notarii de illo rogati, et diei rogitus.*
8. *Praecipue si talis enunciatio fiat in aliquo instrumento antiquo.*
9. *Quod tamen non procederet si ipsemet procurator faceret se scribi procuratorem talis.*
10. *Nec si mandatum quod enunciatur minime esset necessarium ad actum qui gerebatur.*
11. *Et procedit tantum inter easdem personas inter quas instrumentum fuit celebratum.*

12. *Mandatum quoque praesumitur in eo, qui pro alio et tamquam illius procurator recepit plures solutiones.*

13. *Maxime si agatur de evitanda poena ad favorem solventis.*

14. *Multo magis si creditor principalis differat per longum tempus dictas summas solutas asserto procuratori petere a debitore.*

15. *Et sine dubio si solutiones fuerint factae dicto asserto procuratori, sciente et non contradicente vero creditore.*

16. *Inducitur enim tacitum mandatum.*

17. *Praesumitur mandatum in actu qui fit sciente et patiente domino.*

18. *Praesumitur etiam mandatum in iis actibus, ad quos peragendos nemo verisimiliter accederet sine mandato.*

19. *Prout quando quis pecunias solvit pro alio.*

20. *Non est verisimile quod solvens velit jactare suum.*

21. Rota *id non admittit simpliciter, sed requirit alia adminicula.*

22. *Adminiculum esset si solvens in actu solutionis assereret pecunias quas solvit esse principalis debitoris.*

23. *Aut si praecessisset obligatio illius pro quo procuratorio nomine fit solutio.*

24. *Vel si solutio esset facta sciente principali debitore.*

25. *Intellectus* ad Hyeronimum Cagnolum in L. velle non creditur n. 15 vers. quin immo in puncto ff de reg. jur. et ad Vasq. de success. creation. § 5 n. 35 et seq.

26. *Mandatum praesumitur in solutione facta pro alio successiva, non autem in ea quae fuit facta semel tantum.*

27. *Similiter in eo praesumitur qui fecit actum qui sine impensa fieri non poterat.*

28. *Maxime quando impensa fuit magna:*

29. *Vel saltem alicujus considerationis.*

30. *Quod tamen non procederet, si principalis ad nullam impensam teneretur.*

31. *In mandato quantumcumque generali non venit quod procurator solvat indebitum.*

32. *Neque procederet quando ex praesumptione mandati insurgeret praesumptio delicti contra principalem.*

33. *Nec quando ille qui fecit actum cum impensa posset ex illo actu consequi aliquod commodum, vel in eo haberet particulare interesse.*

34. *Similiter quoque si impensa esset modica.*

35. *Contra vero si impensa illa, licet modica, nulli alteri causae tribui posset quam favori ejus propter quem fuit facta.*

Fuit supra in capite abhinc secundo firmata conclusio, quod mandatum regulariter non praesumitur, quam diximus procedere tam in judicialibus quam in extrajudicialibus et ad negocia, sed quoad utrumque mandatum recipere aliquot limitationes et restrictiones; quoad mandatum ad judicialia et ad lites in dicto capite retulimus nonnullos casus in quibus illud praesumitur, superest ut in praesenti referamus aliquos casus in quibus praefata conclusio fallit in extrajudicialibus et ad negocia.

1. Primus itaque casus in quo praesumitur mandatum ad negocia est quando agitur de modico praejudicio, *Curt. Sen. cons.* 76 *n.* 5 *ad med. vers. facit quia tempore*, *Crav. de antiq. tempor. par.* 2 *n.* 65, *Eugen. cons.* 55 *n.* 53 *lib.* 2.

2. Secundus casus est quando actus qui geritur est utilis asserto domino, nam praesumitur gestus eo mandante, *Beroius cons.* 118 *n.* 21 *et seq. lib.* 3, *Franc. Viv. decis.* 534 *n.* 45 *par.* 4.

« Quamvis ad exercendum jus praelationis de jure exigatur speciale « mandatum, ratione obligationis quam exinde principalis seu dominus « contrahit ad praetium oblatum, ad effectum tamen conservandi praefatum « jus prelationis, cum agatur de re mere favorabili ac constituente prin- « cipalem in facultate et arbitrio utendi vel non utendi beneficio dicti juris, « non exigitur mandatum speciale, sed sufficit etiam praesumptum, *Rot. in* « *Mantiss. ad Card. De Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 45 *n.* 10 *tom.* 1.

3. Et multo magis si dominus ex actu illo fructus percipit, *Sim. De Praetis cons.* 8 *n.* 5 *lib.* 1, ubi praesumptionem mandati elicit ex eo quod Praelatus recepit canones ab emphyteuta investito ab asserto procuratore, et aliter comprobat *Viv. d. decis.* 534 *n.* 26.

4. Tertius est casus, ratione probitatis personae egregiae se procuratorem enunciantis, *Ruin. cons.* 35 *n.* 21 *lib.* 1, *Burs. cons.* 150 *n.* 79 *vers. nec non mandatum lib.* 2, *Sim. De Praetis d. cons.* 8 *n.* 4, *Port. Imol. cons.* 134 *n.* 6, ubi loquitur de gestis a Cardinalibus.

5. Quartus adnecti debet casus quando actus gestus ab asserto procuratore fuit sortitus suum effectum, *Rot. coram Mantic. decis.* 244 *n.* 6 *et decis.* 373 *n.* 8. Nam propter observantiam subsequutam praesumitur praecedens mandatum, ut post alios dicit *Bertaz. cons. civil.* 35 *n.* 25 *lib.* 1.

6. Quod tamen verum est dummodo effectus subsequutus correspondeat mandato, quod praesumere volumus, ut declarat *Purpur. cons.* 425 *n.* 32 *vers. et maxime*, ubi exemplis hoc explicat bene *Dec. cons.* 35 *n.* 5 *cir. medium vers. quando non intervenerit*, et infra

7. Quintus affertur casus, si super actu qui geritur ab asserto procuratore fuerit celebratum instrumentum in quo enunciétur mandatum cum expressione nominis notarii de illo rogati et diei rogitus, *Guglielm. Cassiodor.*

decis. 3 *n.* 4 *vers. item vult de procur.*, *Dec. cons.* 36 *col.* 5 *n.* 6 *ad fin. vers. secundo respondetur*, *Rot. coram Gregorio XV decis.* 111 *n.* 2.

8. Maxime si talis enunciatio fiat in aliquo instrumento antiquo, *Dec. cons.* 42 *n.* 9 *ad fin. vers. tertio alio ex cap.*, cum aliis relatis *ab Eugen. d. cons.* 55 *n.* 51 *lib.* 2.

9. Ista tamen praesumptio non haberet locum si ipsemet procurator faceret se scribi procuratorem talis, *Decian.*, qui multos allegat, *cons.* 53 *n.* 5 *lib.* 1.

10. Nec si mandatum quod enunciatur non esset necessarium ad actum qui gerebatur, ut declarat *Dec. cons.* 42 *n.* 9 *ad fin. vers. et ista conclusio.*

11. Declaratur etiam iste casus ut procedat inter easdem personas inter quas fuit celebratum instrumentum, *arg. L. optimam cod. de contr. et comm. stipul.*, per quem *tex. Dec. d. cons.* 36 *n.* 6 *ad fin. vers. secundo respondetur*, *et d. n.* 9 *vers. primo quia licet.*

12. Sextus casus est in eo qui pro alio, et tamquam illius procurator recepit plures solutiones, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 111 *n.* 3, *quae est* 89 *n.* 2 *vers. secunda part.* 2 *Recent.*

13. Maxime si agatur de evitanda poena ad favorem solventis, *Rot. decis.* 26 *n.* 6 *part.* 2 *divers.*

14. Et multo magis si creditor principalis differat per longum tempus dictas summas solutas asserto procuratori petere a debitore, *Rot. coram Gregor. d. decis.* 111 *n.* 3 *vers. tertia.*

15. Et sine dubio si solutiones fuerint factae dicto asserto procuratori, sciente et non contradicente vero creditore, *Tiraq. de retr. lignag.* § 9, *Gloss.* 3 *n.* 16 *ad fin.*, *Guid. Pap. decis.* 173 *n.* 3 *circa fin. vers. aut talis gestor*, et infra, *Magon. decis. florent.* 70 *n.* 6.

16. Ubi dicit propterea induci tacitum mandatum: regulare enim est quod praesumatur mandatum in actu, qui fit sciente et patiente domino, *Tiraq. d. n.* 16, *Decian. cons.* 41 *n.* 96 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 520 *n.* 15 *lib.* 5, *Simon de Praetis cons.* 79 *n.* 12 *et* 13 *lib.* 1.

17. Ac supra diximus cap. praecedenti in secundo casu, quod scientia domini et non contradictio facit praesumi etiam mandatum ad lites.

18. Septimus casus in quo mandatum praesumitur est in iis actibus ad quos peragendos nemo verisimiliter accederet sine mandato, *Curt. Sen. cons.* 76 *n.* 5 *vers. facit ad praemissa*, *Rim. Jun. cons.* 6 *n.* 118 *lib.* 1, *cons.* 505 *n.* 50, *cons.* 520 *n.* 14, *et cons.* 556 *n.* 131 *lib.* 5, *Crav. de antiq. temp. part.* 2 *n.* 65 *vers. tertio sublimitatur*, *Anton. Gabr. in tit. de procurat. conclus.* 1 *n.* 6, *Ceph. cons.* 756 *n.* 6 *lib.* 5, *Pancirol. cons.* 112 *n.* 54, *Soc. Jun. cons.* 146 *n.* 10 *lib.* 3, *Burs. cons.* 160 *n.* 47 *lib.* 2, *Hieronymus Gratus cons.* 142 *n.* 28 *lib.* 2, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1084 *n.* 39 *vers. limitanda est tertio*, *Rot. decis.* 591 *n.* 3 *part.* 2

Recent. Quorum aliqui licet loquantur quando concurrit etiam diuturnitas temporis, plerique tamen hoc firmant simpliciter et indistincte.

19. Exemplificant DD. hunc casum multipliciter, et quidem primo in eo qui pro alio pecunias solvit, *Soc. Jun. cons.* 56 *n.* 9 *in fin. lib.* 1, *Mandell. Alb. cons.* 249 *n.* 16 *lib.* 2, *Crav. de antiq. temper. part.* 2 *d. n.* 65, *Beroius cons.* 43 *n.* 57 *lib.* 3, *Menoch. praesumpt.* 33 *n.* 3 *et seqq. lib.* 2, *Rot. decis.* 23 *quae est* 2 *de caus. possess. et propriet. in antiq., decis.* 89 *n.* 3 *et decis.* 591 *n.* 3 *part.* 2 *Recent., et coram Gregor. decis.* 275 *n.* 3.

« Mandatum praesumitur ex solutione facta procuratorio nomine, cum « nemo praesumatur jactare suum, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 13 « *n.* 359. Et eo magis concurrentibus adminiculis, prout est pluralitas so- « lutionum cum diuturnitate temporis, et summa notabili, *ibidem n.* 360.

20. Qui ea ratione moventur, quia non est verisimile quod solvens voluerit jactare suum, per *regul. L. cum de indebito ff de probat.*

21. Hanc autem conclusionem in hoc primo exemplo *Rotam* non admittere simpliciter et indistincte, sed requirere alia adminicula dicunt *Addent. ad Gregor. XV dicta decis.* 275 *n.* 20, ubi adducunt *Rotae* decisiones, in quibus ita fuisse resolutum affirmant.

22. Loco autem adminiculi posset considerari, si solvens in actu solutionis assereret pecunias quas solvit esse principalis debitoris, *Cassiodor. decis.* 3 *n.* 4 *in fin. de procur., Rot. decis.* 83 *n.* 3 *part.* 2 *Recent., quae est in impressis coram Gregor. XV decis.* 111.

23. Aliud adminiculum insurgeret si praecessisset obligatio illius pro quo procuratorio nomine fit solutio, *Rot. decis.* 89 *n.* 3 *in fin. part.* 2 *Recent.*, et non obscure *coram Gregor. decis.* 275 *n.* 4.

24. Pro adminiculo etiam deserviret, si solutio facta esset sciente principali debitore, ut per *Addent. ad Gregor. d. decis.* 275 *n.* 20 *vers. ego tamen*, ubi deducit quod talis scientia facit quidem adminiculum ad praesumendum mandatum in solvente pro alio, si nullum aliud adminiculum concurrat, illam tamen necessariam minime esse ubi alia adsunt adminicula.

25. Et ita universaliter intelligendi *Hieron. Cagnol. in L. velle non creditur n.* 15 *vers. quinimo in puncto ff de reg. jur., et Vasq. de success. creation.* § 5 *n.* 35 *et seq.* quos refert et sequitur *Bertaz. cons.* 1 *n.* 121 *et cons.* 2 *n.* 31 *lib.* 1 *civil.*, dum dicunt tunc ex solutione resultare praesumptionem mandati si fiat sciente principali debitore, et sic esse necessariam scientiam debitoris, ut scilicet hoc sit verum, quando cum solutione nullum aliud concurrit adminiculum, secus alias ut dictum est.

26. Declarari etiam debet hoc exemplum, ut sit verum in solutione successiva, non autem in ea quae fuit facta dumtaxat semel, puta in eo qui per multos annos solvisset pensionem pro alio, ut declarat *Ceph. cons.*

441 *n.* 75 *lib.* 3, ponderando quod in his terminis loquitur *Rot. decis.* 2 *quae est* 23 *de caus. poss. et propriet. in antiq.*, quae ad hoc a DD. allegatur.

27. Secundum exemplum affertur in eo qui fecit actum, qui sine impensa fieri non poterat, *Curt. Sen. cons.* 76 *n.* 5 *vers. et per hoc*, *Socin. Jun. cons.* 146 *n.* 10 *vers. sed in proposito lib.* 3, *Gigas de pension. quaest.* 43, *Cassiodor. d. quaest.* 3 *n.* 4 *de procur.*, *Loffredus cons.* 37 *n.* 2, *Surd. cons.* 355 *n.* 24 *lib.* 3, *Rot. decis.* 475 *n.* 9 *part.* 1 *Recent.*, *et coram Cavaller. decis.* 83 *n.* 5, *et decis.* 590 *n.* 10.

28. Et maxime quando impensa fuit magna, *Rot. decis.* 89 *n.* 3, *et decis.* 241 *n.* 5 *part.* 1 *Recent.*, *et post Zacchiam de oblig. camer. decis.* 56 *n.* 12.

29. Vel saltem alicujus considerationis, *Rot. coram Gregor. decis.* 44 *n.* 5 *quae est decis.* 55 *part.* 2 *Recent.*

30. Hoc autem exemplum restringitur primo, si principalis ad nullam impensam tenebatur; eo enim casu nulla oriri potest praesumptio mandati, *Ceph. cons.* 441 *n.* 76 *lib.* 3, *Ruin. cons.* 156 *n.* 16 *vers. ex alio lib.* 1, *Bertaz. cons. civil.* 114 *n.* 24 *lib.* 1.

31. Nam in mandato quantumcumque generali non venit quod procurator solvat indebitum, *L. si procurator in prima respon. ff de cond. indeb.* et dicemus *cap. CX de potestate procuratoris cum libera n.* 36.

32. Secundo restringitur quando ex praesumptione mandati insurgeret praesumptio delicti contra principalem, *Chassan. cons.* 58 *n.* 22, *Gramm. vot.* 40 *n.* 16, *Jo. Petr. Fontanella de pact. nuptial. clausul.* 4 *Gloss.* 18 *part.* 5 *n.* 38 *tom.* 1, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1004 *n.* 40, *Menoch. de praesumpt. lib.* 2 *praesumpt.* 33 *n.* 6.

33. Tertio restringitur quando ille qui fecit actum cum impensa, potest ex illo actu consequi aliquod commodum, vel in eo habet particulare interesse, *Rot. decis.* 732 *n.* 3 *part.* 2 *Recent.*, *Addent. ad Gregor. XV decis.* 324 *n.* 6 *in fin.*, ubi dicunt ita fuisse resolutum in aliis causis.

34. Quarto restringitur si impensa sit modica, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 4 *n.* 14, *et tit.* 6 *n.* 22, *Addent. ad Gregor. d. decis.* 324 *n.* 6 *vers. sed contrarium.*

35. Praeterquam quando impensa illa licet sit modica, nulli alteri causae potest attribui quam favori ejus propter quem fuit facta, quo casu etiam ex actu qui geritur cum modica impensa praesumi mandatum, dicit *Rot. coram Seraph. decis.* 856 *n.* 5, quae decisio in his terminis loquitur, non autem quod simpliciter et indistincte praesumatur mandatum ex actu qui fit cum impensa etiam modica, prout illam intellexit *Addit. ad Gregor. d. decis.* 324 *sub n.* 6. An autem, et quando impensa dicatur magna vel modica, debet haberi in consideratione qualitas personarum, ut dictum fuit in praecedenti capite.

« De facili praesumitur mandatum in eo qui in aliis negociis solet esse « procurator ejusdem principalis, *Card. De Luc. de regal. disc.* 115 *n.* 5.

« Solus actus transmissionis mercium ab uno mercatore ad alium « dicitur importare mandatum, *Idem ibid. n.* 4.

« Mandatum praesumptum non dubitatur etiam per praesumptiones « et conjecturas induci; facilius vero in eo, qui solitus est hujusmodi per- « sonam gerere atque alia mandantis negocia explicare, *Card. De Luc. de « censibus disc.* 24 *n.* 5.

« Mandatum de facili praesumitur in eo qui alia negocia mandantis « gerere solitus est, ex firmatis *per Dunozett. decis.* 786 *et* 888.

« Quod tamen procedit quando agitur de negociis consimilibus, alias « secus; ideoque si alicui foressa et judicialia appareant commissa, non ex « hoc poterit praesumi quod ille mandatum etiam habuerit ad pecunias « accipiendas ad interesse, atque ad alios contractus obligatorios faciendos, « ut advertit *Card. De Luc. de tutor. et administrator. disc.* 19 *n.* 15.

CAPUT XXXIII.

DE PROCURATORE AD LITES.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad lites quis dicatur.*
2. *Mandatorum ad lites variae species.*
3. *Antequam quis pro alio procuratorio nomine in judicio compareat, opus est ut praecedat mandatum efficax, sufficiens et legitimum.*
4. *Debet habere notitiam de suo mandato, et quantum sua facultas se extendat.*
5. *Mandatum oritur ex consensu tam mandantis quam mandatarii.*
6. *Non potest contrahi cum eo qui de mandantis consensu notitiam non habet.*
7. *In ignorantia non cadit consensus.*
8. *Antequam quis notitiam habeat mandati, si quid procuratorio nomine gerat, nulliter agit.*
9. *Necesse est ut procurator mandatum acceptet.*
10. *Mandatum consistit in facto.*
11. *Procurator tenetur illud probare;*
12. *Et per veras et concludentes probationes.*
13. *Probatio mandati potest fieri per productionem instrumenti super ipso confecti in publicam et authenticam formam.*

14. *Potest etiam fieri aliis modis.*
15. *Si procurator compareat antequam habeat mandatum, judicium coeptum est nullum.*
16. *Convalidatur per superveniens mandatum.*
17. *Nam procurator censetur constitutus cum ratificatione gesterum.*
18. *Secus procederet si judicium esset omnino et omni respectu nullum.*
19. *Tunc non convalidatur nisi in praejudicium mandatis.*
20. *Ut convalidentur acta gesta per eum qui non habebat mandatum, opus est ut constituens habeat notitiam dictorum actorum.*
21. *Non tamen convalidarentur si adversarius antea opposuisset de defectu mandati, cum protestatione quod gesta ratificari non possint.*
22. *Validaretur judicium a procuratore sine mandato inchoatum, si principalis ipse illud prosequeretur.*
23. *Procurator comparens in principio litis cum legitimo mandato tamquam procurator semper exinde censetur eodem procuratorio nomine comparere.*
24. *Dummodo in eadem causa non habeat aliquod particulare interesse, quo casu censeretur proprio nomine comparere.*
25. *Procurator movens litem injustam tenetur ad expensas.*
26. *Ita etiam procurator culposus et contumax.*
27. *Procurator tenetur ad expensas processus, si dominus sit absens.*
28. *Potest tamen illas repetere a suo principali contraria actione mandati.*
29. *Quamvis in causa succumbat, si id sua culpa non accidat.*
30. *Procurator tenetur domino constituenti actionem mandati, si causa sit laesa:*
31. *Vel si cum adversario collusit:*
32. *Aut si non appellavit:*
33. *Vel aliud in domini praejudicium, dolo vel culpa gessit.*
34. *Si procurator produxit testes in causa, vel instrumenta, et adversarius instet ut ipse procurator declaret an velit illis uti pro veris et realibus, quia intendit illa redarguere de falso, ipse non potest declarare si non habeat mandatum cum libera.*
35. *Quod non sufficiat mandatum cum libera, sed requiratur speciale ad sic et sic respondendum.*
36. *Procurator non potest respondere positionibus adversarii contra suum principalem exhibitis,*

37. *Nisi habeat mandatum ad sic et sic respondendum.*
38. *Debet praesentare suum principalem, ut ipsemet respondeat.*
39. *Tenetur etiam suis expensis notificare suo principali ut compareat quando est necessaria illius persona.*
40. *Procurator ad lites non potest renunciare liti sine speciali mandato.*
41. *Renunciatio est species donationis.*
42. *Nec potest renunciare exceptionibus peremptoriis.*
43. *Neque dilatoriis.*
44. *Quando tamen ista renunciatio laedit negocium principale.*
45. *Potest renunciare exceptionibus declinatoriis.*
46. *Minor qui omisit hujusmodi exceptiones opponere, in integrum non restituitur.*
47. *Nisi dicta omissio arbitrio judicis sit magni praejudicii ipsi minori.*
48. *Si sit magni praejudicii reputatur tamquam peremptoria.*

Explicitis iis quae generaliter circa procuratorem constitutum a particularibus personis, et illius mandatum sese obviam fecerunt; sequitur ut accipiendo primum membrum primae distinctionis hujus mandati, juxta ordinem praescriptum supra, *cap. II*, videamus de procuratore constituto ad lites et ad judicialia.

1. Procurator autem ad lites is est cui data est facultas ut pro constituente agere et illum defendere possit in judicio, *L.* 1 § *usus ff de procur.*

« Procuratores sunt qui ambigua facta causarum, tum verbo, tum « scripto advocatis et judicibus explicant, atque exponunt ex quibus jus « oritur, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 4.

« Advocati vero dicuntur qui clientum causis agendis, vel tuendis « legibus ac juribus assistunt, *idem Conciol. ibid. n.* 1.

« Defendere est id facere quod dominus in litem faceret, et cavere « idonee, nec debet durior conditio procuratoris fieri quam sit domi- « ni, praeterquam in satisdando, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 14 « *n.* 330.

« Munus causarum patroni in romana curia, etiam per doctissimos « jurisconsultos ad aliud advocati munus plusquam idoneus exerceri solet, « cum in effectu classici causarum patroni gerant eas partes quas in aliis « Europae partibus gerunt advocati, dirigendo causas, ordinando et com- « pilando processus, nec non excitando motiva; munus vero advocatorum « curiae romanae sit respondendi solum de jure in decisoriis super prae-

« suppositis, seu motivis excitatis per eosdem causarum patronos, absque « eo quod se ingerant in visura ut ordinatione processuum ac aliis ordina- « toria judicii concernentibus, *Card. De Luc. de usuris disc.* 26 *n.* 2.

2. Verum quia ista facultas aliquando conceditur ampla et generalis, aliquando vero restricta ad aliquam causam dumtaxat, aliquando autem restricta et limitata ad aliquem certum et specificum articulum alicujus causae; de singulis per separata capita agendum est, si prius juxta praeceptum *Imperat. in § his igitur instit. de jur. natur. gent. et civil.*, nonnulla generaliter praemiserimus, quae singulis mandatorum ad lites speciebus conveniunt, quae in praesenti et proximo capite explicabimus.

3. Praemittendum itaque est primo loco, quod antequam quis possit pro alio procuratorio nomine in judicio comparere, opus est ut non solum praecedat mandatum efficax, sufficiens et legitimum, *L. si vero non remunerandi § si post creditam ff mand.*, cum aliis apud *Decian. cons.* 65 *n.* 5 *lib.* 3, *Ruin. cons.* 7 *n.* 4 *lib.* 2, *Simon. de Praetis cons.* 159 *n.* 5 *lib.* 1:

4. Sed etiam quod ipse procurator de suo mandato, et quantum se extendat sua facultas notitiam habeat.

5. Cum enim mandatum oriatur ex consensu tam mandantis quam mandatarii, *L. consensu*, et ibi notat *Gloss. et DD. ff de verb. oblig.;*

6. Minime contrahi potest cum eo qui de mandantis consensu notitiam non habeat:

7. Quia scilicet in ignorantem non cadit consensus, *L. mater ff de inefficac. testam.*, *Alex. cons.* 146 *n.* 12 *lib.* 5.

8. Proindeque si quid, antequam sui mandati notitiam habeat, gesserit procuratorio nomine, nulliter gessit, *Marsilius in L. si quis ne quaest. n.* 64 *cum seqq. ff de quaest.*, *Rebuff. in L. subsignatio* 38 § *attestari col.* 2 *circa princ. vers. de constituto ff de verbor. significat. fol.* 301.

9. Neque sufficeret quod procurator haberet notitiam dicti mandati, sed ulterius necesse est quod illud acceptet, *Gloss. in Clem.* 1 *in verb. receptis de procur.*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandati n.* 115, maxime *vers. igitur ante veram*, *Ruin. cons.* 122 *n.* 6 *lib.* 4, *Gratian. discept. forens. cap.* 877 *n.* 15.

10. Unde cum procurator fundet se in mandato, quod in facto consistit, *L. consilio in fin. ff de curat. furios.;*

11. Tenetur illud probare, *Dec. cons.* 437 *n.* 2, *Decian. cons.* 5 *n.* 4 *lib.* 5, *Surd. cons.* 28 *n.* 80 *lib.* 1, cum aliis apud *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1004 *n.* 4:

12. Et quidem per veras et concludentes probationes, *Crav. cons.* 268 *n.* 5, *Joseph Ludovici decis. Perusin.* 117 *n.* 15, *Gratian. discept. forens. cap.* 677 *n.* 41.

13. Ista autem probatio legitima fieri diceretur non solum per pro-

ductionem instrumenti super dicto mandato confecti in publicam et authenticam formam, quod facit probationem manifestam, notoriam, probatam et evidentissimam, *Bald. in L. imperator* 2 *ff de statu homin.*, *Bart. in L.* 1 *in princ. n.* 8, *et ibi Jas. n.* 10 *ff de nov. oper. nunc.*, *Tiraquel. de retract. lignag.* § 2 *Gloss.* 1 *n.* 2, *Crav. cons.* 56 *n.* 2 *lib.* 1, *Rol. cons.* 40 *n.* 8 *et infra lib.* 2:

14. Sed etiam aliis modis qui habentur supra *cap. XXV de mandato expresso.*

15. Si autem procurator compareat antequam habeat mandatum, quamvis judicium coeptum sit nullum, ut dicitur *in d. cap. XXV circa princ.*,

16. Convalidatur tamen per superveniens mandatum, *Alex. cons.* 112 *n.* 5 *lib.* 5, *Rim. Sen. cons.* 445 *n.* 13 *lib.* 3.

17. Censetur enim constitutus cum ratificatione gestorum, *L. Julian.*, et ibi *Angel. n.* 3 *vers. in eadem Gloss. ibi nec trahitur ff qui satisd. cogant.*

18. Quod tamen procedit si judicium non sit omnino, et omni respectu nullum, nam data omnimoda nullitate, per subsequens mandatum non posset convalidari, *Innoc. in cap. prudentiam extr. de offic. deleg.*

19. Nisi in praejudicium mandantis, ut declarat *Angel.* ubi supra *n.* 3 *in fin. et n.* 4.

20. Ad hoc autem ut per sequens mandatum convalidentur acta per eum qui non habebat mandatum, opus est ut constituens habeat notitiam dictorum actorum, *Alex. d. cons.* 112 *in fin.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 216 *n.* 41.

21. Quae tamen non convalidarentur si adversarius antea opposuisset de defectu mandati cum protestatione quod gesta ratificari non possint, ut dicemus infra *cap. CIII mandatum quando sit producendum in* 2.ª *et* 3.ª *limitat.*

22. Prout etiam validaretur judicium ab asserto procuratore sine mandato incohatum, si principalis ipse illud prosequatur, *Rot. decis.* 440 *n.* 2 *part.* 2 *Recent.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 944 *n.* 55 *et* 56.

23. Si autem procurator compareat in principio litis cum legitimo mandato tamquam procurator, semper exinde censetur comparere eodem procuratorio nomine, licet id in quolibet actu non exprimat, sed compareat simpliciter, *Ruin. cons.* 61 *n.* 34 *lib.* 5, *et cons.* 94 *n.* 7 *lib.* 1, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 119 *n.* 5.

24. Quod tamen intelligendum est procedere, dummodo iste procurator non habeat aliquod particulare interesse in eadem causa, quoniam si ageretur etiam de suo proprio interesse censeretur proprio, non procuratorio nomine comparere, *Ruin. cons.* 75 *n.* 15 *lib.* 5.

25. Curare debet quilibet procurator constitutus ad lites, ne injustam litem moveat nomine sui principalis.

26. Et ne sit contumax vel culposus in causa; quia istis casibus teneretur ipse, quas minime posset a suo principali repetere, ut de procuratore movente litem injustam dicit *Angel. Aret. cons.* 105 *n.* 7 *et seqq.*, et de procuratore culposo et contumace est *Tex. in L. qui proprio § procurator in fin. ff de procur.*, per quem et alios, *Pancirol. cons.* 16 *n.* 18 *et seq.*

27. In caeteris autem casibus licet procurator teneatur ad expensas processus, si dominus sit absens, *Petr. de Benintendis decis. Bonon.* 26 *n.* 7, *Bertaz. cons. crimin.* 260 *n.* 10 *lib.* 2:

28. Illas tamen potest a suo principali repetere actione contraria mandati, *Benintend. d. decis.* 26 *n.* 5, et nos dicemus infra *cap. C de contraria actione mandati;*

29. Quamvis in causa succumbat, si id sua culpa non accidat, *L. etiam C. mand.*

30. Tenetur etiam procurator iste domino constituenti actione mandati, si causa sit laesa, *L. cum per procuratorem C. mand.*

31. Vel quia cum adversario collusit, *L. si procuratorem in princ. ff mand.*

32. Vel quia non appellavit, *Gloss. in L. . . . . in verb. extendere ad fin. vers. item pro eo cod. de procur.*

33. Vel aliud in domini praejudicium dolo vel culpa gessit, *L. si procurator in fin. cod. de procur.*, et ita exemplificat *Gloss. in d. L. cum per procuratorem cod. mand.*

34. Si autem in causa produxit testes vel instrumenta, et adversarius instet ut ipse procurator declaret, an velit illis uti pro veris et realibus, quia vult et intendit illa redarguere de falso, ipse non potest declarare si non habeat mandatum cum libera, ex *Prospero Farinaccio de simulat. et falsit. quaest.* 159 *n.* 22 *et seqq.*

35. Immo quod non sufficiat mandatum cum libera, sed requiratur speciale mandatum ad sic et sic respondendum, dicit *Bald. cons.* 110 *col.* 2 *vers. praeterea iste procurator lib.* 1, sequitur *Capyc. decis.* 67 *n.* 3 *et alii apud Menoch. de arbitr. judic. quaest. cas.* 315 *n.* 24 *et seq.*

36. Iste etiam procurator licet non possit respondere positionibus adversarii contra suum principalem exhibitis, *Amatus* post alios *decis. March.* 74 *n.* 6,

37. Nisi habeat mandatum ad sic et sic respondendum, *Soc. Sen. cons.* 55 *sub n.* 8 *lib.* 1, *Burs. cons.* 285 *sub n.* 27 *lib.* 3, *Franc. Niger Cyriac. controv. forens. lib.* 1 *controv.* 13 *n.* 3,

38. Tenetur tamen praesentare suum principalem, ut ipsemet respondeat, *Benintend. decis.* 24 *n.* 1.

39. Prout tenetur etiam suis expensis notificare suo principali ut compareat, quando est necessaria illius persona, *Benintend. d. decis.* 24 *n.* 1.

« Procurator tenetur recognoscere vel negare manum sui principalis; « quod tamen procedit quando principalis non est in curia, et fuit citatus « in partibus; tunc enim praesumitur certiorasse procuratorem suum, an « jura sint ejus propria manu scripta, nec ne; alias, eo contumace, pronun- « ciatur pro recognita et proceditur ad ulteriora in causa ac si scriptura « esset vere recognita, et ita quotidie servatur, *Ridolph. in prax. par.* 1 « *cap.* 2 *n.* 212.

« Procurator tenetur etiam recognoscere manum suam ad instantiam « adversarii, quando ab eo petitur recognitio uti principali, *Ridolphin.* « *ibid. n.* 213.

40. Facultas autem procuratoris ad lites non se extendit ut possit renunciare liti sine speciali mandato.

41. Quia renunciatio litis est species donationis, per quam rationem *Bart. in L. fin. ff de his quae in fraud. creditor.*, *Alex. cons.* 115 *n.* 1 *lib.* 5.

42. Nec similiter potest renunciare exceptionibus peremptoriis, *Bart. in d. L. fin.*, *Jas. L.* 1 § *si procurator n.* 20 *ff si quis jusdicen. non obtemper.*

43. Nec etiam dilatoriis, *Bart. in d. L. fin.*

44. Quod tamen est intelligendum, quando dicta renunciatio laedit negocium principale, ut per *Crav. cons.* 1000 *n.* 241 *lib.* 6, *Barzius decis.* 47 *n.* 35, *Jacob Cancerius var. resolut. tom.* 3 *cap.* 15 *n.* 329.

45. Potest tamen renunciare exceptionibus declinatoriis, *Bart. in d. L. fin. ff de his quae in fraud. credit.*, *Angel. Aret. cons.* 100 *n.* 5, quia istae sunt modici praejudicii.

46. Ob quam rationem non restitui in integrum minorem, qui omisit hujusmodi exceptiones opponere, multorum auctoritate firmat *Sfortia Oddus de restit. in integr. quaest.* 64 *artic.* 5 *n.* 36.

47. Nisi dicta omissio arbitrio judicis sit magni praejudicii ipsi minori, ut subjungit ibi *Oddus n.* 39.

48. Nam si sit magni praejudicii reputatur tamquam peremptoria, *Rim. Sen. cons.* 577 *n.* 7, quem sequitur *Caesar Barzius decis.* 47 *n.* 35.

« Procurator feriis inductis in hominum utilitatem renunciare potest, « praesertim tacite absque speciali mandato, *Conciol. et Romaguer. ad sta-* « *tut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 28 *n.* 9 *et* 43.

CAPUT XXXIV.

DE MANDATO GENERALI AD LITES.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad lites generalis est, quando constituens mandatum quod illi concedit appellat generale.*
2. *Vel si quis constituat procuratorem ad certam causam, et generaliter ad omnes alias causas.*
3. *Aut quando in procuratorio adijcitur aliqua clausula quae generalitatem importat.*
4. *Veluti si procuratori in instrumento mandati detur facultas ut illud mandatum possit extendi a quocumque notario cum facultatibus eidem procuratori bene visis.*
5. *Vel si detur procuratori facultas defendendi jura constituentis in omnibus et per omnia.*
6. *Aut si detur facultas procuratori ut possit facere omnes actus necessarios et opportunos tam in judicio quam extra, et quos constituens facere posset etiam si exigerent mandatum magis speciale.*
7. *Verbum* actus *est generale, sive re, sive verbis quid agatur.*
8. *Restringitur tamen hujusmodi mandatum ad expressa et specificata in procuratorio.*
9. *Maxime si in mandato adsit aliquis terminus restrictivus.*
10. *Nam restringit mandatum, ita ut non extendatur ultra expressa.*
11. *Maxime ad graviora expressis.*
12. *Quoad expressa vigore dictae clausulae censetur data facultas etiam circa ea quae requirunt speciale mandatum.*
13. *Constitutus ad causam et litem in numero singulari, potest comparere in omnibus causis et litibus quas constituens habet.*
14. *Locutio indefinita aequipollet universali.*
15. *Procurator constitutus cum clausula quod possit comparere coram quocumque judice, intelligitur quod id possit quoad expressa in procuratorio.*
16. *Procurator constitutus ad agendum, potest non solum agere nomine constituentis, sed etiam illum in judicio defendere.*
17. *Secus autem si esset constitutus ad agendum cum aliqua dictione taxativa*

18. *Si procurator ad agendum moveat aliquam litem calumniosam, non praejudicat domino quoad condemnationem in expensis, sed ipse procurator venit condemnandus.*

19. *Si procurator sit constitutus contra quascumque personas alicujus collegii aut universitatis, potest solum comparere in causis quas constituens habet cum personis particularibus illius collegii vel universitatis, non vero etiam in causis vertentibus inter ipsum constituentem et dictum collegium, seu universitatem.*

20. *Mandatum factum contra quascumque personas de universitate, collegio vel capitulo, non intelligitur factum contra ipsam universitatem, collegium vel capitulum.*

21. *Istae sunt personae fictae.*

22. *Non veniunt proprie appellatione personarum.*

23. *Procedit in mandato facto ab actore, non autem a reo qui potest defendi a suo procuratore, etiamsi ab universitate, collegio vel capitulo contra eum agatur.*

24. *Dummodo non voluntarie, sed ex necessitate veniat ad judicium.*

25. *Clausulae quantumvis generales et amplissimae appositae in mandatis restringuntur ad habilia.*

26. *Non autem ad ea quae sunt facti, sed juris.*

27. *Numquam operantur ut censeatur data facultas dilapidandi, et censetur semper excepta fraus et dolus.*

Dicebamus supra capite praecedenti, mandatum ad lites fieri, vel generaliter, vel ad certam causam, vel ad certum articulum dumtaxat; et de singulis esse disserendum, et in primis de generali. In hoc itaque capite videndum est, quis dicatur habere mandatum generale: mox in sequentibus capitibus videbimus, ad quae se extendat generalis procuratoris facultas et potestas.

1. Procurator igitur generalis ad lites est, et generale mandatum habere dicitur non solum quando constituens generale appellat mandatum quod illi concedit, *Celsus Hugo cons.* 7 *n.* 1:

2. Puta si quis constituat procuratorem ad certam causam et generaliter ad omnes alias causas, quod mandatum generale esse dicit *Rim. Jun. cons.* 615 *n.* 25 *lib.* 6:

3. Verum etiam quando in procuratorio adijcitur aliqua clausula quae generalitatem importat.

« Mandatum efficitur generale ad omnes actus, nullo specialiter de-
« mandato negocio, nec aliqua praescripta lege, ex clausula *cum libera fa-*

« *cultate,* juncta clausula *rato,* et clausula *quod possit ea omnia facere etc.,* « *Rot. decis.* 428 *n.* 19 *par.* 5 *tom.* 2 *Recent.*

4. Puta si procuratori in instrumento mandati detur facultas ut illud mandatum possit extendi a quocumque notario cum facultatibus eidem procuratori bene visis, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 28, *Gratian. discept. forens. cap.* 274 *n.* 18, *Rot. decis.* 257 *n.* 1 *vers. et quod videbatur par.* 2 *divers.*

5. Vel si detur facultas procuratori defendendi jura constituentis in omnibus et per omnia, quo casu procurator poterit explicare omnia ea quae alias in dicto mandato non comprehenderentur, *Rot. decis.* 8 *n.* 4 *et seqq. par.* 2 *divers.*

6. Similiter dicitur mandatum generale quando procuratori datur facultas, ut possit facere omnes actus necessarios et opportunos tam in judicio quam extra, et quos constituens facere posset etiamsi exigerent mandatum magis speciale.

7. Quia verbum *actus* est generale sive re, sive verbis quid agatur, *L. Labeo* 19, *et ibi Rebuff. col.* 2 *ad fin. vers. sexto ff de verb. signif., Gratus,* qui multos allegat *cons.* 159 *n.* 8 *lib.* 2, *Surd. cons.* 1 *n.* 35 *lib.* 1, *Rot. coram Mantic. decis.* 11 *n.* 4.

8. Hoc tamen mandatum restringitur ad expressa et specificata in procuratorio, *Ruin. cons.* 19 *n.* 3 *lib.* 5, *Parisius cons.* 45 *n.* 38 *lib.* 1, *Decian. cons.* 91 *n.* 31 *lib.* 3, *Rot. decis.* 295 *n.* 3 *par.* 4 *divers., et in Recentior. decis.* 556 *n.* 1 *par.* 1, *et decis.* 754 *n.* 2 *par.* 2.

9. Maxime si in mandato adsit aliquis terminus restrictivus, puta in praemissis, et circa praemissa, *Rim. Jun. cons.* 622 *n.* 1 *lib.* 6, *Barzius decis.* 125 *n.* 21 *cum quatuor seqq.*

10. Nam illa verba restringunt mandatum, ita ut non extendatur ultra expressa, *Alex. cons.* 22 *in fin. lib.* 1, *et cons.* 21 *n.* 5 *lib.* 7, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 29 *lib.* 3, *Rot. decis.* 576 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

11. Maxime ad graviora expressis, *Clem. non potest de procur., Antoninus Thesaurus decis.* 155 *n.* 1 *vers. secundo movebar, Laurentius de Pinu cons.* 95 *n.* 1, *Jacob Berett. cons.* 112 *n.* 5, *Parisius cons.* 45 *n.* 39 *lib.* 1, *Franc. Marci decis.* 694 *n.* 2 *et* 4 *lib.* 2, *Caesar Barzius decis.* 68 *n.* 8.

12. Quo vero ad expressa vigore dictae clausulae, censetur data facultas etiam circa ea quae requirunt speciale mandatum, *Bald. in L. illud* § 1 *n.* . . . *ff de muner. et honor., et in extravag. de pac. Constant. in verb. misit nuncium, Alex. cons.* 44. *n.* 1 *lib.* 2, *Gratus cons.* 96 *n.* 16 *lib.* 1, *et cons.* 159 *n.* 6 *et seqq. lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 61 *lib.* 2, *Decian. cons.* 65 *n.* 18 *lib.* 5.

13. Sed posset in dubium revocari an si procurator non sit constitutus

ad omnes causas et lites in numero plurali, sed ad causam et litem in numero singulari, possit comparere et se intromittere in omnibus causis et litibus quas constituens habet; et partem affirmativam fuit amplexus *Speculator in tit. de procur.* § *ratione autem formae n.* 12 *vers. quid si sit constitutus.*

« Sic etiam mandatum ad lites generale comprehendit etiam causam « particularem, quoties procurator citatus non opposuit, vel de alio man- « dato speciali non constat, *Rot. decis.* 12 *n.* 5 *par.* 18 *tom.* 1 *Recent.*

14. Ea ratione, quia illa locutio indefinita aequipollet universali, *L. si pluribus, et ibi Bart. ff de leg.* 2, et hanc sententiam sequitur *Rim. Jun. cons.* 561 *n.* 13 *lib.* 5, *Rot. decis.* 29 *n.* 4 *par.* 2 *Recent., quae est Gregor. XV decis.* 2 *n.* 11, *Joseph de Rusticis ad L. si avus ff de condit. et demonst.*, licet contrariam sententiam videatur firmare *Bart. lib.* 6 *cap.* 7 *n.* 27 *et seqq. in L. damni* § *si iis qui aedes n.* 2 *ff de damn. infect.*

15. Si autem sit constitutus procurator cum clausula, quod possit comparere coram quocumque judice, hoc mandatum licet videatur generale, debet tamen intelligi restrictum quoad expressa in procuratorio, *Rot. decis.* 120 *n.* 4 *par.* 4 *Divers.*

16. Procurator autem constitutus ad agendum potest non solum agere nomine constituentis, sed potest etiam illum in judicio defendere, *L. servum quoque* § *ait praetor, et ibi Bart. n.* 3 *ff de procur., Gloss. in L. invitus, et ibi Alex. n.* 16 qui testatur de magis communi, *C. eod. tit., Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 26.

17 Secus autem si esset constitutus ad agendum cum aliqua dictione taxativa, ut dicit *Bart. d. n.* 3, *et Mantic. d. tit.* 16 *n.* 27.

18. Verum enim vero si iste procurator ad agendum moveat aliquam litem calumniosam, non praejudicat domino quoad condemnationem in expensis, sed ipse procurator condemnari debet, et pro illis, non contra dominum constituentem, sed contra procuratorem agi debet, *Ruin. cons.* 138 *n.* 25 *lib.* 1, et nos alibi diximus.

19. Sed posset dubitari, an si quis constitutus procurator contra quascumque personas alicujus collegii vel universitatis, illius facultas sit restricta ad lites et causas quas constituens habet cum personis particularibus dicti collegii vel universitatis; an vero possit se intromittere etiam in causis et litibus vertentibus inter ipsum constituentem ex una, et collegium seu universitatem ex altera partibus: in qua dubitatione communis est scribentium sententia, quod tale mandatum intelligitur restrictum et limitatum ad lites, quae inter particulares personas dicti collegii vel universitatis et ipsum constituentem versantur, *Chassan. cons.* 1 *in* 5 *praesupposito n.* 37, *Surd. cons.* 447 *n.* 32 *lib.* 3, *Virginius Boccatius ad constitut. Marchiae, Gloss.* 6 *n.* 78, *Franc. Viv. decis.* 112 *n.* 7 *par.* 1,

Rot. coram Achille decis. 75 *quaest.* 15 *de procur.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 332 *n.* 19.

20. Mandatum enim factum contra quascumque personas de universitate, collegio vel capitulo, non intelligitur factum contra ipsam universitatem, collegium vel capitulum, *Surd. d. cons.* 447 *n.* 31.

21. Quia iste sunt personae fictae, *Alex. cons.* 216 *n.* 11 *vers. et ideo lib.* 2, *Corneus post Bald. cons.* 25 *n.* 4 *lib.* 4, *Sarmient. ad regul. cancellar. in regul. de idiomat. quaest.* 2 *n.* 4, *Chassan. d. n.* 37, *Rot. coram Mantic. decis.* 100 *n.* 6, *Gratian. d. cap.* 337 *n.* 19.

22. Et propterea non veniunt proprie appellatione personarum, *Alex. d. cons.* 216 *n.* 11, *Roman. cons.* 400 *n.* 4, *ubi Adden.*, *Soc. Sen. cons.* 275 *n.* 101 *lib.* 2.

23. Quod tamen intelligendum est de mandato facto ab actore; secus autem in mandato facto a reo, qui potest defendi a suo procuratore etiamsi ab universitate, collegio vel capitulo contra eum agatur, *Chassan. in d.* 5 *praesupposito n.* 38 *vers. sed ego*, *Sarmient. d. quaest.* 2 *n.* 4, *Mantic. d. decis.* 100 *n.* 7.

24. Cum declaratione tamen quod hoc procedat respectu rei, qui venit ad judicium ex necessitate, non autem in reo voluntario, qui non invitus ad judicium trahitur, in quo idem esse servandum quod in actore dixit *Rot. coram Mantic. d. n.* 7.

25. Sciendum etiam est, quod clausulae quantumvis generales et amplissimae appositae in mandatis, restringuntur ad habilia, *Paris. cons.* 45 *n.* 38 *lib.* 1.

26. Non autem ad ea quae sunt facti, sed dumtaxat ad ea quae sunt juris, *Alex. cons.* 8 *n.* 8 *lib.* 3, *Jas. in L.* 1 *n.* 108 *et seq. ff de acq. possess.*, *Laurentius de Pinu cons.* 95 *n.* 2.

27. Et numquam operantur, ut censeatur data facultas dilapidandi, et censetur semper excepta fraus et dolus *L. creditor* § *Lucius*, *et ibi DD. ff mand.*, *Alex. cons.* 44 *n.* 2 *lib.* 2.

« Docet communis praxis, quod causae singulorum monasteriorum « agitantur cum eorum praelatis, vel specialibus procuratoribus absque ne- « cessitate evocandi procuratorem generalem religionis, qui potest, si vult, « comparere et admitti ad causam, ac reputatur legitimus defensor etiam « sine speciali mandato, non autem necessarius, *Card. de Luc. de jurisdict.* « *et for. compet. disc.* 2 *n.* 11.

« De facultatibus autem procuratorum generalium religionum, an, et « quando agant causas singulorum monasteriorum, non de facili certa re- « gula statui valet, cum varia sint religionum instituta, *Card. De Luc. de* « *judiciis disc.* 6 *n.* 22.

CAPUT XXXV.

MANDATUM GENERALE AD LITES AN EXTENDATUR AD CAUSAS MOVENDAS.

SUMMARIUM

1. *Quod quando mandatum fit indefinite ad lites et causas absque aliquo signo universali, procurator possit agere non solum causas motas et pendentes tempore facti mandati, sed etiam causas postea exortas.*
2. *Contraria sententia de magis communi.*
3. *Si tempore quo fuerit factum mandatum, constituens nullas habebat lites ne tale mandatum sit frustraneum, ad lites postea motas extenditur.*
4. *Ita pariter si in mandato adsint aliquae dictiones praegnantes.*
5. *Si tamen constituens non adiiciat aliquem terminum arctativum et restrictivum.*
6. *Procurator constitutus ad omnes lites et causas quas constituens habet cum Titio, contra aliam personam in judicio comparere non valet, licet in mandato adessent clausulae quae importarent constitutionem procuratoris generalis.*
7. *Mutata persona mutatur causa.*
8. *Ac proinde cessat mandatum.*
9. *Procurator constitutus ad causas quas quis habet in civitate Perusiae, non potest agere causas quas constituens habet in alio loco.*
10. *Constitutus ad omnes causas legitime devolutas ad curiam non potest intervenire in causis non devolutis, vel non legitime, vel in illis quae post factum mandatum etiam legitime ad curiam devolverentur.*
11. *Secus esset si in procuratorio adesset clausula « et in aliis quibuscumque curiis et tribunalibus ».*
12. *Quando mandatum fit generaliter ad omnes et singulas causas et lites tam motas quam movendas, tam praesentes quam futuras, contra quascumque personas et coram quocumque judice, tunc procurator censetur constitutus non solum ad causas motas tempore facti mandati, sed etiam ad futuras et movendas.*
13. *Quamvis constituens eo tempore haberet plures causas jam motas et pendentes.*

14. *Mandatum potest fieri ad causas etiam futuras et movendas.*
15. *Si mandatum non sit conceptum verbis praesentis temporis, sed futuri ad omnes causas quas constituens habiturus est, tunc refertur tantum ad instantiam, non autem ad jus principale, et procurator taliter constitutus non potest se intromittere circa principale negocium.*
16. *Mandatum quantumvis generale non comprehendit causas in quibus mandatum speciale requiritur:*
17. *Nisi quando mandatum generale redderetur frustratorium et inane si non comprehenderet etiam causas requirentes mandatum speciale.*
18. *Constituens, faciendo generale mandatum non censetur ratificare ea quae ante factum mandatum per procuratorem constitutum gesta erant, et de quibus ipse constituens non habebat notitiam.*
19. *Per hujusmodi mandatum non censetur data facultas procuratori ut possit agere contra ipsum constituentem.*
20. *In generali dispositione numquam venit id quod disponens in specie non fuisset verisimiliter dispositurus.*
21. *Nec includitur persona loquentis.*
22. *Procurator generalis non admittitur in casibus et causis, in quibus per legem vel statutum requiritur praesentia mandantis.*
23. *Secus procederet, si mandans ob legitimum impedimentum non posset comparere.*
24. *Vel si adversarius consentiret ut compareat per specialem procuratorem.*
25. *Habens mandatum ad omnes causas civiles et criminales, non potest se intromittere in causis spiritualibus et beneficialibus.*
26. *Mandata sunt stricti juris, et una species causarum non includit aliam.*
27. *Si in mandato non sit facta expressa mentio de causis civilibus et criminalibus, sub generalitate verborum et clausularum in procuratorio adhibitarum, comprehenduntur etiam causae beneficiales.*
28. *Mandatum quantumcumque generale restringitur, si aliquem terminum arctativum in se contineat.*

Dubitant DD. an procurator, vigore generalis mandati possit agere non solum causas motas et pendentes tempore facti mandati, verum etiam

postea motas et exortas: in qua dubitatione duo casus nobis sunt considerandi.

1. Primus, quando mandatum fit indefinite ad lites et causas absque aliquo signo universali; in quo scribentes in duas iverunt sententias, ut videre est apud *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 97, *et Gravat. ad Vestr. in sua prax. rom. Cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 38, et partem affirmativam, ultra allegatos per eos, amplexus est *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 48, *Gratian. discept. forens. cap.* 224 *n.* 22, et magis communem profitetur *Alex. in L. invitus n.* 23 *cod. de procur.*

2. Sed ex adverso magis communiter teneri opinionem negativam post *Bart.* et alios quos allegat, testatur *Joseph Ludovici decis. Perusin.* 37 *n.* 1, *Rim. Jun. cons.* 561 *n.* 13 *lib.* 5, *Thomas Doccius in prima allegat. post cons.* 93 *lib.* 1.

3. Transeundo autem cum hac negativa, uti vere magis communi, eam limita primo, ut non procedat, si tempore quo fuit factum mandatum, constituens nullas habebat lites; tunc enim ne tale mandatum sit frustratorium et inane, extenditur ad causas postea motas et exortas, ut ex mente *Guilelmi de Canaco concludit Parisius cons.* 43 *n.* 14 *lib.* 4, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 98, *Addent. ad decis.* 19 *Rot. quae est* 1 *de procur. in nov. n.* 4 *et* 11, *Joseph Ludovici d. decis. Perusin.* 37 *n.* 3, qui testatur hanc limitationem communiter teneri, et cum illa transit etiam *Mantic. d. tit.* 16 *n.* 46 *vers. verum in proposito.*

4. Secundo limitatur, si in mandato adsint aliquae dictiones praegnantes, puta, si quis constituatur procurator ad omnes et singulas causas, vel ad omnes et quascumque causas, *Addent. ad dictam decis. Rot.* 19 *n.* 11 *vers. contra tamen praedicta*, *Vestr. in sua prax. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 11, et ibi *Gravat. n.* 38 *vers. verum tamen*, *Joseph Ludovici d. decis.* 37 *n.* 2.

« Mandatum ad lites generale extenditur etiam ad causas futuras, « quae tamen non requirunt speciale mandatum quando constat de mente « constituentis, *decis.* 789 *sub n.* 5 *part.* 3, *et decis.* 218 *n.* 16 *part.* 9 « *tom.* 1 *Recent.*

5. Haec tamen secunda limitatio debet sublimitari, nisi constituens adiiciat aliquem terminum arctativum et restrictivum, quo casu procurator censeretur constitutus dumtaxat ad eam litem et causam, quae sub illa restrictione comprehenderetur.

6. Puta si quis constituat procuratorem ad omnes et quascumque lites, quas constituens habet cum Titio; nam tale mandatum compraehendit quidem omnes lites et causas, quas constituens habet cum Titio, sed non extenditur ad causas quas habet cum alia persona, quamvis in dicto mandato adessent clausulae quae alioquin possent importare constitutionem pro-

curatoris generalis, *Rom. sing.* 156 *incip. constituo Titium*; *Bellamera decis.* 314 *n.* 1, *Puteus dec.* 112 *lib.* 1, *Decian. cons.* 68 *n.* 18 *lib.* 3, *Surd. cons.* 160 *n.* 3 *lib.* 2, *Torniola cons.* 8 *n.* 76, *Rot. coram Mantic. decis.* 291 *n.* 2, *coram Gregor. XV decis.* 584 *n.* 1 *et* 5, *et ibi Addent.*, *et in Recent. decis.* 754 *n.* 2 *part.* 2, *decis.* 566 *n.* 3 *lib.* 3 *part.* 3 *Divers.*, *et post Pic. ad statutum urbis decis.* 9 *n.* 3.

« Mandatum speciale contra certam personam, licet sequantur clausulae « generales ad omnes lites et causas, intelligitur contra illam personam tan- « tum, *Rot. decis.* 754 *sub n.* 2 *part.* 2 *Recent.*

7. Mutata namque persona mutatur causa, *Bellamer. d. decis.* 314 *n.* 2.

8. Ac proinde cessat mandatum, *Decian. d. cons.* 68 *n.* 18 *lib.* 3.

9. Similiter si quis constituat procuratorem ad lites et causas, quas habet in civitate Perusiae, mandatum istud non extenditur ad lites et causas quas habet in alio loco, *Rot. coram Verall. decis.* 335 *n.* 1 *lib.* 2, *et in Recent. decis.* 680 *n.* 1 *part.* 2.

« Mandatum restrictum ad lites in una civitate non extenditur ad « lites vertentes in alia, *Rot. decis.* 680 *n.* 1 *part.* 2 *Recent.*

« Limita concurrentibus clausulis ampliativis ad alia loca, *d. decis. n.* 3 « *part.* 2 *Recent.*

10. Proindeque si quis sit constitutus procurator ad omnes causas legitime devolutas ad curiam, non poterit intervenire in causis non devolutis vel non legitime devolutis, vel quae post factum mandatum etiam legitime ad curiam devolverentur; nam illud participium, *devolutis*, temporis praeteriti significat rem perfectam, et sic causas jam esse ad curiam devolutas, *L.* 1 § *fin. ff quod quisq. jur.*, *Surd. cons.* 375 *n.* 35 *lib.* 3, *Rot. decis.* 91 *n.* 2 *part.* 2 *Recent.*, et positum sine copula dispositionem ad causas restringit, jam devolutas tempore facti mandati, *Rel. cons.* 43 *n.* 34 *lib.* 4, *Surd. cons.* 127 *n.* 47 *lib.* 1, unde quoad causas devolutas post factum mandatum deficeret voluntas et consensus constituentis, ut bene considerat *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabil. n.* 99.

11. Secus tamen esset si in procuratorio adesset clausula « et in aliis quibuscumque curiis et tribunalibus », ut advertit *Rot. decis.* 620 *n.* 5 *part.* 2 *Recent.*

12. Secundus casus principalis est, quando mandatum fit generaliter ad omnes et singulas causas et lites tam motas quam movendas, tam praesentes quam futuras, contra quascumque personas et coram quocumque judice; in quo firmanda est conclusio, quod per illa verba generalia, seu verius universalia, procurator censeatur constitutus non solum ad eas lites et causas quae tempore facti mandati motae reperiebantur, sed etiam ad futuras et movendas postea, *Rebuff. ad L. verbum oportebit* 8 *col.* 3 *in*

princ. ff de verb. signif., *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 47, *Rot. decis.* 413 *quae est* 32 *de procur. in nov.*, *coram Verall. decis.* 393 *lib.* 2, *et coram Sarmien. decis.* 53 *lib.* 1.

13. Licet eo tempore constituens haberet aliquas et plures causas motas et pendentes, quia nihilominus istud mandatum extenditur ad causam vel causas postea motas, *Rot. decis.* 65 *lib.* 2 *part.* 3 *divers.*, quae post alios quos allegat testatur de communi.

14. Nec repugnat natura mandati, cum illud fieri possit etiam ad causas futuras et movendas, *L. item*, *et ad litem ff de procur.*, *Speculator in tit. de procur.* § *ratione autem formae n.* 10, *Andreas Gailius pract. observ. lib.* 1 *cap.* 83 *n.* 4.

15. Haec tamen conclusio nonnullas recipit restrictiones; et quidem primo limitari debet si mandatum non sit conceptum verbis praesentis temporis sed futuri ad omnes causas quas constituens habiturus est, nam tunc refertur tantum ad instantiam non autem ad jus principale, quia causa et jus sunt de praesenti, instantia autem est de futuro, proindeque procurator taliter constitutus non poterit se intromittere circa negocium principale, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 88 *vers. nihilominus*, post *Bart.* et alios quos allegat.

16. Secundo limitatur, ut non comprehendat causas in quibus est necessarium mandatum speciale, *Bellamer. decis.* 5 *n.* 2 *vers. et quoad*, *Rot. decis.* 375 *quae est* 27 *de procur. in nov. n.* 2, *Gravat. ad Vestr. in prax. roman. cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 38 *vers. cum temperamento.*

17. Nisi quando mandatum generale redderetur frustratorium et inane si non comprehenderet etiam causas requirentes mandatum speciale, ut dicit *Gravat. d. n.* 38 auctoritate *Bart. et Curt.* attestantis de communi.

18. Tertio limitatur, ut constituens faciendo tale mandatum non censeatur ratificare ea quae ante factum mandatum per procuratorem constitutum gesta erant, et de quibus ipse constituens notitiam non habebat, *Puteus decis.* 373 *n.* 1 *lib.* 3.

19. Quarto limitatur, ut hoc mandatum quantumvis generale non extendatur, ut per illud censeatur data facultas procuratori, ut possit agere contra ipsum constituentem, *Rot. coram Crescent. decis.* 94, *quae est* 4 *de senten. et re judic.*, movetur ex notatis per *Rom. cons.* 2 *n.* 2 *vers. et nota quod canonistae*, in illis verbis « *et eo maxime* ».

20. Nam in generali dispositione numquam venit id quod disponens in specie non fuisset verisimiliter dispositurus, ut dicit *ibi Rot.*

21. Nec includitur persona loquentis, *L. inquisitio cod. de solut.*, *cap. quisquis extr. de praeben.*, *Surd. cons.* 152 *n.* 45 *lib.* 2. Quis autem esset tam vaecors, ut alicui faceret mandatum, cum quo ipse quoque posset conveniri?

22. Quinto limitatur, ut iste procurator quantumvis generalis non admittatur in casibus et causis in quibus per legem vel statutum requiritur praesentia mandantis, et ipse personaliter adesse debet, *cap. fin.* § 1 *extr. de offic. delegat.*, quem *Tex.* ad hoc dicit expressum *Osasch. decis.* 113 *n.* 2 *et n.* 53, *L.* 1 § *ne autem cod. de caduc. tollen.*, *Jas. in L.* 2 § *quod si in patris n.* 3, et ibi *Ripa n.* 7 *ff sol. matr.*, *Port. Imol. in cap. cum parati;* et ibi *Dec. uterque n.* 4 *extr. de appell.*, *Bursat. cons.* 73 *n.* 22 *lib.* 1.

23. Ista autem limitatio debet sublimitari primo, ut non procedat quando mandans ob legitimum impedimentum non posset comparere, *Angel. in L. Pomponius in princ. n.* 1 *ff de procur.*, *Aret. in cap. licet ex quadam in* 8 *notab. extr. de testib.*, *Decius* qui de communi *in d. cap. cum parati n.* 4.

24. Sublimitatur secundo, nisi adversarius consentiret ut compareat per specialem procuratorem, *Gloss. in d. cap. fin.* § 1 *in verb. praesentialiter*, et ibi *Abb. Panormitanus in* 1 *notab. de offic. deleg.*, *Osasch. d. decis.* 113 *n.* 3.

25. Sexto limitatur, ut procurator habens mandatum ad omnes causas civiles et criminales, non possit se intromittere in causis spiritualibus et beneficialibus, propter illam expressionem factam in procuratorio causarum civilium et criminalium, *Dominus Lapi alleg.* 70 *n.* 40, addens rationem, tum quia causae civiles et criminales proprie dicuntur de rebus temporalibus, et quae coram judice laico et seculari sunt tractandae, quales non sunt beneficiales.

« Mandatum generale habens clausulas amplissimas, comprehendensque « causas motas et movendas in quocumque loco et foro, et coram quo- « cumque judice tam ecclesiastico quam seculari, ordinario et extraordi- « nario, delegato et subdelegato etc., extenditur etiam ad causas ecclesia- « sticas et beneficiales, *Rot. decis.* 599 *n.* 5 *et seqq. part.* 4 *tom.* 3, *et* « *decis.* 472 *n.* 3 *part.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

« Mandatum factum in causa civili non trahitur ad causas criminales, « *Rot. decis.* 109 *n.* 26 *part.* 17 *Recent.*

26. Tum quia mandata sunt stricti juris et una species causarum non includit aliam, *cap. scriptum de rescr. in* 6. Unde expressio causarum civilium et criminalium restringit mandatum, ut non possit trahi ad causas beneficiales; et hanc opinionem amplexa fuit *Rot. coram Puteo decis.* 247 *n.* 1 *lib.* 2, *et coram Achille decis.* 69 *quae est* 9 *de procur.*, et sequitur *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 25 *vers. secundo.*

27. Ubi autem in mandato non esset facta expressa mentio de causis civilibus et criminalibus, sub generalitate verborum et clausularum in procuratorio adhibitarum comprehenderentur etiam causae beneficiales, *Puteus d. decis.* 247 *n.* 1, *Bellamera decis.* 5 *n.* 1, *Rot. coram Achille d. decis.* 9

de procur., et decis. 375 *quae est* 27 *de procurat. in nov. n.* 2 *vers. praedictis.*

28. Septimo limitatur, si tale mandatum quantumcumque generale, habeat aliquem terminum arctativum et restrictivum, puta quod quis sit constitutus procurator ad omnes causas et lites motas et movendas contra Titium; procurator enim ita constitutus non posset intervenire in causis contra alios motas vel movendas, ut post multos firmat *Vant. d. tract. in tit. de nullit. ex defect. inhabil. seu mandat. n.* 101, et nos diximus supra in sublimitatione secundae limitationis primi casus, *et cap. praecedenti ad fin.*

CAPUT XXXVI.

PROCURATOR AD LITES AN POSSIT IMPETRARE VEL RECUSARE JUDICEM.

SUMMARIUM

1. *Ad impetrandum rescriptum ad lites de jure requiritur mandatum speciale.*
2. *Hoc tamen non servatur in practica.*
3. *Maxime quando tractatur de aliqua poena incurrenda per constituentem.*
4. *Vel si rescriptum impetretur a procuratore constituto cum clausula* « etiamsi forent talia quae mandatum exigerent magis speciale », *vel cum clausula* « ad faciendum ea quae dominus si praesens esset expedire posset ».
5. *Aut in rescripto impetrato a procuratore qui in prima instantia intervenit.*
6. *Sic pariter si is contra quem fuit impetratum rescriptum non opponat.*
7. *Aut impetrans sit de personis a quibus non exigitur mandatum.*
8. *Haereticus rescriptum, et causae commissionem nequit impetrare.*
9. *Similiter excommunicatus.*
10. *Ut commissiones et rescripta alieno nomine impetrata valeant debet is cujus nomine impetrata fuerunt illa expresse vel tacite per usum approbare.*
11. *Procurator ad lites non potest absque speciali mandato dare vel prorogare judici jurisdictionem.*

12. *Ad faciendam dictam prorogationem sufficeret mandatum generale, si esset tale quod speciali equipolleret.*
13. *Aut si procurator habeat mandatum cum libera administratione.*
14. *Si dominus consentiat expresse vel tacite, si sciat procuratorem comparere coram judice incompetente et carente jurisdictione, et non contradicat nec prohibeat, processus coram dicto judice fabricatus est validus.*
15. *Procurator non potest sine speciali mandato judicem suo domino suspectum acceptare, et coram eo litigare.*
16. *Hoc tendit principaliter in praejudicium sui domini, et ad favorem adversarii.*
17. *Ita ut non sufficiat mandatum generale cum libera.*
18. *Ne dominus postea dicat se de hoc in mandato non intellexisse, et adversarius damnificetur saltem in expensis.*
19. *Procurator absque speciali mandato, judicem tamquam suspectum recusare non valet.*
20. *Ad effectum renunciandi dictae recusationi judicis et ab illa recedendi, sufficit sequens ratificatio etiam tacita, resultans ex comparitione coram dicto judice recusato et pro suspecto allegato.*

1. Licet ad impetrandum rescriptum ad lites de jure requiratur mandatum speciale, *Speculator in tit. de procurat. in princ. n.* 4 *vers. octavo cap. nonnulli* § *fin. ubi omnes cap. cum ordinem extr. de rescript., Alex. cons.* 135 *n.* 4 *lib.* 2, *Beroius cons.* 25 *n.* 8 *et* 21 *lib.* 3, *Decian. cons.* 13 *n.* 36, qui de communi testatur, *lib.* 5, *Burs. cons.* 74 *n.* 17 *lib.* 1 *et cons.* 395 *n.* 30 *lib.* 4, *Gaspar Caballinus ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. vigesimus sextus, Joseph Ludovic. in suis conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers. trigesimosecundo.*

2. Hoc tamen non servatur in practica, *L. universis cod. de precib. Imperat. offeren., Gloss. in d. cap. nonnulli et in cap. ex parte de rescript., Rot. decis.* 175 *quae est* 6 *de judic. in noviss. in princ., Cassiodor. decis.* 1 *in fin. de procurat., Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. juris delegat. n.* 87, *Caballinus et Joseph Ludovic. in locis praecitatis, Barzius decis. Bononien.* 154 *n.* 19, *Vincentius Caroccius de locat. et conduct. in tit. de jure sublocan. quaest.* 33 *n.* 38, et maxime non procedit in infrascriptis casibus:

3. Primo, quando non tractatur de aliqua poena incurrenda per constituentem, *Burs. d. cons.* 74 *n.* 77 *vers. nec replicetur lib.* 1.

4. Secundo, si rescriptum impetretur a procuratore constituto cum clausula « *etiam si forent talia quae mandatum exigerent magis speciale* », vel cum clausula « *ad faciendum ea quae dominus si praesens esset expedire posset* » *Burs.* qui rationem affert *d. cons.* 74 *n.* 78.

5. Tertio, in rescripto impetrato a procuratore qui in prima instantia intervenit, quia is absque dubio potest impetrare rescriptum in causa appellationis, cum dicatur potius defendere ac prosequi, quam novum rescriptum impetrare, *Speculator in tit. de rescript. praesentat.* § *ratione autem impetrantis n.* 5, *Burs. d. cons.* 74 *n.* 81.

6. Quarto, si is contra quem fuit impetratum rescriptum non opponat, *Bursat. d. cons.* 74 *n.* 80.

7. Quinto, multo magis hoc procedit si impetrans sit de personis a quibus non exigitur mandatum, ut per *Speculat. d.* § *ratione autem impetrantis*, ubi late prosequitur.

8. Non tamen est perpetuum quod quilibet possit impetrare rescriptum et causae commissionem, nam fallit in haeretico, *L. nullus in princ. cod. de summ. trinit. et fide catholic.*

9. Similiter in excommunicato, *cap.* 1 *de rescript. lib.* 6, *cap. dilectus extr. eod. tit.*, *Rot. decis.* 417 *quae est* 17 *de sentent. excommunicat. in antiq.*

10. Ad effectum autem ut commissiones et rescripta alieno nomine impetrata valeant, opus est ut is cujus nomine impetrata fuerunt illa expresse, vel tacite per usum approbaverit, *Bellamera decis.* 582 *et seq.* cum aliis per *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. juris delegat. n.* 89 *ad fin.*

11. Similiter non potest procurator ad lites absque speciali mandato dare vel prorogare jurisdictionem judici, *cap. cum olim*, *Abb.* et ibi notant communiter scribentes *extr. de offic. deleg.*, *Rom. cons.* 48 *n.* 1 *in fin.*, et ibi *Quintilianus Mandosius in litera E*, *Rimin. Sen. cons.* 193 *n.* 7 *lib.* 1, *Paris. cons.* 15 *n.* 3 *lib.* 4, *Guid. Pap. decis.* 285 *n.* 2, *Vant. d. tract. de nullitat. in tit. de nullitat. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 102, *Caballin. in d. verb. procuratorem n.* 4 *vers. vigesimus tertius*, *Amatus decis. March.* 9 *n.* 57, *Rot. coram Mohedan. decis.* 89 *quae est* 3 *de appellat. post med. et decis.* 21 *n.* 2 *part.* 4 *divers.*, *Barzius decis.* 154 *n.* 14 *vers. nec quiquam*, *Sigismundus Scaccia de sententia et re judicata*, *Gloss.* 7 *quaest.* 3 *limit.* 6 *n.* 5.

12. Ad faciendam tamen dictam prorogationem sufficeret mandatum generale, si esset tale quod speciali aequipolleret, quod quando contingat dicemus infra *cap. LXVIII de mandato speciali.* Potest dari exemplum si in mandato generali sint expressa aliqua de gravioribus, quae mandatum speciale requirunt, exempli causa, quod possit obiicere crimina, si credimus *Barzio d. decis.* 154 *n.* 15.

13. Vel si procurator habeat mandatum cum libera administratione, *Innoc. in cap. de causis n.* 1 *in fin. extr. de offic. deleg.*, *Marianus Socinus in cap. significasti n.* 20 *vers. octavo, et ultimo quaero extr. de for. competent.*, *Felin. in cap. D. et G. n.* 12 *extr. de offic. delegat.*, *Scaccia de sentent. et re judicat.*, *Gloss.* 7 *quaest.* 3 *limit.* 6 *n.* 6 *et seqq.*, *Barz. d. decis.* 154 *n.* 16.

14. Licet autem procurator non possit judicis regulariter jurisdictionem prorogare, attamen si dominus consentiat expresse vel tacite, si sciat procuratorem comparere coram judice incompetenti et carente jurisditione, et non contradicat nec prohibeat, processus coram dicto judice fabricatus validus est, *Innoc. in d. cap. cum olim*, *Abb. n.* 2, *Felin. in d. cap. D. et G. n.* 12, *Parisius cons.* 45 *n.* 15 *vers. et cum de istis lib.* 1, *Barz. d. decis.* 154 *n.* 21, *Scacc. d. limit.* 6 *n.* 7.

15. Quamobrem cum procurator non possit regulariter judicis jurisdictionem prorogare, multo minus poterit sine speciali mandato acceptare judicem suo domino suspectum, et coram eo litigare, *cap. causam quae extr. de elect.*, *Paris. cons.* 31 *n.* 112 *in fin. lib.* 1.

16. Hoc enim tenderet principaliter in praejudicium sui domini et ad favorem adversarii, quae non potest explicare procurator sine speciali mandato, *Rimin. Jun. cons.* 81 *n.* 28 *lib.* 1, *Beroius quaest.* 33 *n.* 10, *Bertazol. cons.* 407 *n.* 8 *lib.* 2 *criminal.*, *Barz. decis.* 125 *n.* 17.

17. Ita ut non sufficiat mandatum generale cum libera, *Rimin. Jun. d. n.* 28, *Beroius d. quaest.* 33 *sub d. n.* 10.

18. Et est ratio quam considerat *Bart. in L. filiusfamilias n.* 11 *ff. de donation.*, ne dominus postea dicat se de hoc in mandato non intellexisse, et adversarius damnificetur saltem in expensis, *Rimin. Jun. cons.* 203 *n.* 47 *lib.* 2.

19. Cum itaque non possit procurator in vim generalis mandati consentire in judicem suo principali suspectum, posset dubitari an illi sit permissum recusare judicem tamquam suspectum absque mandato speciali, et partem negativam amplexi sunt, *Rol. cons.* 19 *n.* 2 *lib.* 3, *Caballinus ad statut. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. sextus*, *Alex. cons.* 78 *n.* 15 *lib.* 5, *Gratian. discept. foren. cap.* 701 *n.* 19, *Rom. cons.* 220 *n.* 7 *circa fin. vers. secundo ex defectu*, et ibi *Mandos. in litera N*, *Felin. in cap.* 1 *n.* 20 *in princ. extr. ut lit. non contest.*, *Rot. decis.* 135 *n.* 5 *part.* 1 *Recent.*, *et cor. Gregorio XV decis.* 368 *n.* 1, *et cor. Card. Cavalier. decis.* 348 *n.* 2.

« Ad recusandum judicem requiritur in procuratore mandatum spe-
« ciale, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 5 *n.* 4.

« Ad allegandum judicem vel notarium suspectum, requiritur manda-
« tum speciale: sufficit tamen tacita ratificatio, prout si principalis fuerit

« causam prosecutus coram alio, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 7 *n.* 118.
« Dicitur autem satis speciale mandatum, si in eo sit solita clausula ad
« judices et notarios suspectos allegandum, *Ridolphin. ibidem n.* 119.

« Non potest judex compulsor de stylo curiae recusari, nisi ex causa
« ardua, et tunc requiritur mandatum speciale ad allegandum suspectum,
« *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 12 *n.* 209.

20. Ad effectum autem renunciandi dictae recusationi judicis, et ab illa recedendi, sufficit sequens ratificatio etiam tacita, resultans ex comparitione facta coram dicto judice recusato, et pro suspecto allegato, *Rot. decis.* 440 *n.* 2 *part.* 2 *Recent., Addent. ad Gregor. XV d. decis.* 368 *n.* 8.

CAPUT XXXVII.

AN CUM PROCURATORE GENERALI INCHOARI POSSIT JUDICIUM.

SUMMARIUM

1. *Cum procuratore generali ad lites potest judicium inchoari.*
2. *Contraria opinio* Gloss. in cap. causam extr. de dol. et contum.
3. *Sententia* Bart. *practicam tutiorem esse; quod primo citetur dominus principalis.*
4. *Quod licet ista practica sit melior, non tamen sit necessaria, adeoquod judicium non reddatur nullum, si prima citatio exequatur contra procuratorem.*
5. *Judicium potest initium capere a citatione executa contra procuratorem generalem solum in iis causis quae non sunt magni sed modici praejudicii.*
6. *Neque id procederet, si ex forma rescripti vel vigore statuti deberet in principio litis citari ipse principalis.*
7. *Dispositio statuti loquentis in personam non egreditur personam expressam, cum sit stricti juris et non extendatur.*
8. *Similiter principalis ipse et non procurator esset citandus si ille sit praesens in loco ubi exercitandum est judicium vel prope, ita ut de facili possit citari.*
9. *Contraria sententia, quod judicium possit initium sumere a citatione exequanda contra procuratorem.*
10. *Et est communiter recepta, et practicatur in curia romana.*
11. *Nisi agatur de censuris, vel de poena privationis, quibus casibus judicium est initiandum cum principali.*
12. *Quod judicium non possit incohari cum procuratore, non pro-*

cedit ex necessitate validitatis judicii et processus, sed amplectendo tutiorem et securiorem practicam Bartoli *supra traditam n.* 3.

13. *Et secundum hunc sensum procedit non solum quando principalis est praesens vel prope locum in quo judicium est agitandum, sed etiam quando adest in comitatu, nam tunc dicitur esse in loco judicii.*

14. *Vel quando certum est in quo loco reperiatur, et locus non est valde remotus a loco judicii; ita ut citari commode possit.*

15. *Secus procederet si, factis diligentiis, principalis non fuerit repertus.*

16. *Non factis tamen diligentiis, judicium cum procuratore initiatum esset nullum.*

17. *Dispositio statuti Perusini circa modum procedendi contra eos qui a civitate se absentaverunt.*

18. *Judicium potest inchoari cum procuratore, dummodo iste sit certus, et acceptaverit mandatum.*

19. *Et judicium sit tractandum in loco ubi principalis potest conveniri.*

20. *Procurator potest petere dilationem ad consulendum dominum.*

21. *Quando id a* Rota *admittatur.*

1. Successive dubitari contingit an cum procuratore generali ad lites possit inchoari judicium, an vero necesse sit quod saltem prima citatio exequatur contra principalem: In qua conclusione firmandum est, quod judicium possit cum hoc procuratore incipi, *L.* 1 § *sufficit ff de administr. tutor.*, DD. communiter in *L. eum qui* 3, per illum *Tex. cod. de procur.* et signanter *Bart. n.* 1, *Paulus de Castr. n.* 2, *Angel. n.* 2, *Alex.* qui affert multos concordantes *n.* 2, *Jas. n.* 1, *Ruin. cons.* 117 *n.* 4 *lib.* 5, *Barbat. cons.* 18 *col.* 4 *vers. et si dicatur lib.* 1, *Gravat. ad Vestr. in sua prax. roman. curiae lib.* 4 *cap.* 3 *n.* 10, qui testatur de communi, *Addent. ad Bertaz. cons.* 400 *lib.* 2 *crimin.*, *Rot. decis.* 395 *quaest.* 31 *de procur. in nov.*, *Cassiod. decis.* 1 *n.* 1 *de dilat.*, in quibus decisionibus dum dubitabatur an procuratori generali citato in principio judicii danda esset dilatio ad consulendum suum principalem, videtur absque dubio esse inferendum, quod *Rot.* senserit judicium recte fuisse inchoatum cum dicto procuratore generali absque citatione exequuta contra principalem: atque ita esse intelligendas dictas decisiones, asserte declaravit *Rot. coram Seraphin. decis.* 654 *n.* 4 *et coram Gregor. decis.* 86 *n.* 1, *et decis.* 227 *n.* 8, eamdem sententiam firmavit *Rot. coram Achille decis.* 146 *quae est* 16 *de dol. et contum.*

2. Caeterum nonnulli tenent contrariam opinionem quod in principio litis non sit citandus procurator quantumvis generalis, sed ipse principalis, et signanter *Gloss. in cap. causam extr. de dol. et contum.*, et communiter teneri testatur *Gratian. discept. forens. cap.* 145 *n.* 1.

3. Ideo *Bart. in d. L. eum qui n.* 1. dicit quod licet prima et communis opinio sit verior in puncto juris, prout illam esse veriorem pluribus confirmat, *Barbat. d. col.* 4 *vers. sed si poneremus*, tutior tamen practica est quod primo citari debeat dominus principalis quam procurator, et *Bart.* sequuntur *DD. in d. L. eum qui*, *Angel.*, *Paul. de Castr. et Alex. omnes n.* 2, *et Jas. n.* 1, *et Ruin. d. n.* 4, *et Barbat. d. vers. sed si poneremus.*

4. Ubi demonstrat quod licet ista practica quod prima citatio exequatur contra principalem sit melior, non tamen est necessaria: adeo quod si judicium initium capiat a citatione exequuta contra procuratorem reddatur nullum, cum praxis ista citandi principalem sit potius consilii quam necessitatis et praecepti, proindeque non ligare concludit per *Tex. in cap. concupiscentiam extr. de constit.*, et alia jura, et cum *Bart.* transit etiam *Gravat. ad Vestr. d. cap.* 3 *n.* 10.

« Citatio partis legitime exequuta censetur quando est citatus ejusdem « partis procurator generalis in curia existens, cum quo receptum est in « eadem curia judicium institui seu inchoari posse non citato principali, « *Card. De Luc. de foeud. disc.* 33 *n.* 4.

5. Retenta autem communi conclusione, quod judicium possit assumere principium a citatione exequuta contra procuratorem generalem, illa debet restringi et limitari nonnullis modis: primo, ut procedat dumtaxat in iis causis quae sunt modici praejudicii, secus autem in iis quae sunt magni praejudicii, *DD. in d. L eum qui*, et signanter *Alex. d. n.* 2 *vers. sed in aliis*, *et Jas. n.* 1 *vers. secundo limita*, *Abb. in cap. causam* 11 *extr. de dol. et contum.*, *Bart. in L. quamvis n.* 11 *ff de damn. infect.*, *Rot. decis.* 750, *quae est* 20 *de dol. et contum. in antiq.*, *Decius cons.* 460 *n.* 32, *Crav. cons.* 182 *n.* 11 *vers. non intelligo in fin. lib.* 1, *Vant. in tract. de nullit. ex defect. citation. n.* 84 *vers. quamvis si dominus*, *Bertaz. cons. crimin.* 507 *n.* 8 *lib.* 2, *Laderch. Imol. cons.* 15 *n.* 1 *lib.* 1, *Gratian. d. cap.* 149 *in princ.*

« Quod judicium incipi non possit cum procuratore quando causa est « gravis, tradit etiam *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 1 *n* 8.

« Quod maxime procedit quando causa est commissaria, idem *Conciol.* « *ibidem n.* 9.

« Caeterum quoties non sumus in principio causae et de procuratoris « mandato constat, procurator indistincte potest citari, *idem Conciol. ibi-* « *dem n.* 11.

« Citatio ad hoc ut dicatur in procuratoris personam legitime facta

« requiritur, ut ab ipso sit acceptatum mandatum, *Romaguer. post Conciol.* « *ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 17.

« Post factam procuratoris constitutionem, principalis regulariter citari « non potest, qui non tenetur comparere, nisi ipse citetur uti melius instru- « ctus in aliquo emergenti, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 5.

6. Secundo limitatur si ex forma rescripti, vel vigore statuti deberet in principio litis citari ipse principalis, *Gratian. d. cap.* 145 *n.* 4, *Rot. decis.* 637 *n.* 2 *par.* 2 *Recentior.*

7. Nam dispositio statuti loquentis in personam, non egreditur personam expressam, cum sit stricti juris et non extendatur, *DD. in L. postulante ff ad Trebell., Soc. Sen. cons.* 120 *n.* 17 *vers. quarto principaliter, et n.* 18 *lib.* 1, *et cons.* 293 *n.* 2 *lib.* 2.

8. Tertio limitatur, si principalis sit praesens in loco ubi exercendum est judicium, vel prope, ita ut de facili possit citari, *Paul. de Castr. d. L. eum qui n.* 2 *in fin. vers. sed dic* et ibi *Jas. n.* 1 *vers. intellige si dominus cod. de procur., Laderch. d. cons.* 15 *n.* 1, *Bertaz. d. cons. crimin.* 507 *n.* 6 *et seq. lib.* 2, *Gratian. discept. forens. cap.* 145 *n.* 3, ubi testatur de communi, nam stante praesentia principalis, ipse et non procurator est citandus.

« Non potest prima citatio exequi in personam procuratoris, quoties « principalis sit praesens, et reperiatur in eadem civitate, alias secus *Con-* « *ciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 1 *n.* 10.

« Prima citatio non potest fieri in personam procuratoris sed domini, « ubi commode haberi potest, *Romaguer. post Conciol. ad statut. Eugu-* « *bin. lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 6.

« Posset tamen prima citatio quoque fieri in personam procuratoris « si dominus abesset a tota provincia, et in ea non haberet domum ac fa- « miliam, *Romaguer. ibidem n.* 7.

9. Contrarium tamen in hac limitatione firmant *Alex. in d. L. eum qui n.* 2 *vers. quaedam jura, Barbat. d. cons.* 18 *col.* 4 *vers. sed si poneremus lib.* 1, *Ruin. d. cons.* 117 *n.* 4 *vers. sive dominus sit praesens lib.* 5, qui moventur praecipue per *Tex. in d. L. eum qui cod. de procur.*, quae indistincte loquitur, quod judicium possit initium sumere a citatione exequuta contra procuratorem, ac proinde nos distinguere non debemus *L. de praecio ff de public. in rem action. cum simil.*

10. Et haec secunda opinio recepta est et practicatur in curia Romana ut testatur *Rot. coram Gregor. XV decis.* 127 *n.* 5, et ibi *Addent. n.* 12, ubi plures aliae decisiones allegantur, quod esse ritum et pervulgatum dixit *Rot. coram Mantic. decis.* 91 *n.* 8.

« Ex particulari stylo curiae Romanae, ubi citandus in ea procurato- « rem generalem habeat, quamvis aliarum causarum vel negociorum occa-

« sione sit deputatus, adhuc tamen cum eo novum ac diversum judicium « inchoari et prosequi potest, *Card. De Luc. de judiciis disc.* 9 *n.* 20.

« Ideoque imprudens consilium est, ut illi qui, evocati ad curiam oc- « casione alicujus causae particularis, pro eorum defensione procuratorem « deputare coguntur, deputationem generalem faciant nulla exigente necessi- « tate, cum sufficiat deputatio pro illa causa particulari; unde propterea « in deputationibus generalibus adhiberi solet cautela, illas restringendi ad « causas activas tantum, non autem ad passivas, *Card. De Luc. de judiciis* « *decis.* 9 *n.* 21.

11. Praeterquam quando agitur de censuris vel de poena privationis, quibus casibus judicium esse initiandum cum principali, et non cum procuratore dixit *Rot. d. decis.* 20 *de dol. et contum. in antiq.*, *et Mantic. d. n.* 8, ubi alii allegantur.

12. Si quis autem velit amplecti limitationem illam, debemus intelligere et declarare ut procedat non ex necessitate validitatis judicii et processus, sed amplectendo tutiorem et securiorem practicam, quam *Bart. et DD.* consulunt *in d. L. eum qui cod. de procur.* et alii supra allegati.

13. Et eo casu limitatio erit recipienda et habebit locum non solum quando principalis est praesens in loco ipso in quo judicium agitandum est, vel prope, sed etiam quando adest in comitatu, nam tunc dicitur esse in loco judicii, *Romanus cons.* 454 *n.* 6 *et* 7, *Abb. cons.* 43 *n.* 3 *lib.* 2, *Laderch. d. cons.* 15 *n.* 5 *lib.* 1, *Gratian. decis. March.* 154 *n.* 4.

14. Vel quando certum est in quo loco reperiatur ipse principalis, et locus ille non est valde remotus a loco judicii, ita ut citari commode possit et citatio non sit admodum difficilis, ut declarat *Laderch. d. cons.* 15 *n.* 3 *et* 4.

15. Sublimitari etiam debet ut non procedat, quando factis diligentiis, ipse principalis non fuit repertus, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. citat. n.* 84.

16. Alias, non factis diligentiis et omissa dicta perquisitione, judicium cum procuratore initiatum esse nullum defendunt *Laderch. d. cons.* 15 *n.* 8, *et Gratian. d. decis. March.* 154 *n.* 5.

17. Atque hinc justificatur dispositio statuti Perusini, *lib.* 2 *rubr.* 26, in quo datur forma procedendi contra eos qui a civitate se absentaverunt.

18. Declaratur autem principalis conclusio, quod judicium possit inchoari cum procuratore, primo, ut sit vera, dummodo procurator sit certus et acceptaverit mandatum, alias secus, *Laderch. d. cons.* 15 *n.* 7, et conferunt dicta per nos supra.

19. Secundo, dummodo judicium sit tractandum in loco ubi principalis potest conveniri, alias non potest in dicto loco citari procurator nisi habeat speciale mandatum ad dictam causam, *Laderch. d. cons.* 15 *n.* 6, *Gratian. d. decis.* 154 *n.* 8, *Bald. cons.* 167 *n.* 2 *et seq. lib.* 3, *Menoch. cons.* 746

n. 24 *vers. nec dici potest, Laderch. cons.* 15 *n.* 6, *Mantic. de tacit. lib.* 14 *tit.* 39 *n.* 10.

20. Tertio declaratur, quod procurator potest petere dilationem ad consulendum dominum, si illa sit concedenda, *Gravat. ubi sopra d. n.* 4 post *Bart.* quem allegat

« Quoties dominus est absens, procuratori citato conceditur terminus « ad denunciandum domino causam motam, et ad eum consulendum ut « deliberet an cedere vel contendere velit, *Romaguer. post Conciol. ad sta-* « *tut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 8.

« An autem hujusmodi terminus concedatur procuratori actoris, *idem* « *Romaguer. ibid.* se remissive habet *n.* 9 *ad Altimar. de nullitat. rubr.* 12 « *quaest.* 20 *n.* 45.

21. Rota tamen non admittit hoc indistincte, sed cum hac distinctione: quod si isti procuratori sit factum mandatum antequam causa ad quam nunc citatur, esset commissa contra dominum suum, tunc sit illi concedenda dilatio, *cap. dilectus extr. de procur.*: si autem illi fiat mandatum post causae commissionem, in hac hypothesi illi erit deneganda, quia praesumitur peti malitiose et causa differendi negocium, et quod venerit ad judicium instructus, ita *Rot. decis.* 395 *quae est* 31 *de procur. in novis., Cassiodor. decis.* 1 *n.* 1 *de dilation.*

CAPUT XXXVIII.

PROCURATOR AD LITES AN ET QUANDO POSSIT ALIUM PROCURATOREM IN LOCUM SUUM PONERE.

SUMMARIUM

1. *Quod procurator ad lites et ad negocia non possit alium in suum locum substituere.*
2. *Constituens procuratorem, eligit illius industriam et peritiam.*
3. *Procurator aut est constitutus ad lites et ad judicialia, aut ad negocia extra judicium explicanda.*
4. *Procurator ad lites non potest alium substituere.*
5. *Secus procederet in procuratore constituto in rem suam propriam.*
6. *Ac in illo procuratore qui est effectus dominus litis.*
7. *Non tantum is potest alium procuratorem substituere, sed etiam ab eo substitutus, postquam ipse quoque sit effectus dominus litis.*

8. *Procurator enim postquam est effectus dominus litis potest alterum substituere cum facultate ut ipse quoque possit alium substituere; qui tamen id agere nequit, nisi postquam ipse pariter dominus litis est effectus.*

9. *Quando non datur litis contestatio, ut est in summariis, procurator potest alium substituere statim ac de meritis ejusdem causae coeperit pertractare.*

10. *Procurator effectus dominus litis potest alium substituere etiam in causis criminalibus in quibus admittitur procurator.*

11. *Hujusmodi procurator non substituit tamquam procurator et vigore sui mandati, sed quia est effectus dominus litis.*

12. *Nec debet substituere nomine domini constituentis, sed nomine proprio.*

13. *Non potest tamen alium in locum suum ponere si esset prohibitus in procuratorio alium substituere.*

14. *Procurator constitutus a reo convento, qui comparuit sine mandato, sed cum cautione de rato, cum, praestita tali cautione, sit loco domini, potest alium substituere.*

15. *Etiam ante litis contestationem.*

16. *Procurator alium pariter in suum locum ponere valet, si dominus in illius constitutione pro eo promisit de rato.*

17. *Idem valet in causis modici momenti, in quibus non requiritur causae cognitio, sed nudum ministerium.*

18. *Similiter si in procuratorio sit data procuratori potestas alium in suum locum substituendi.*

19. *Si procurator vigore talis mandati alium substituat, substitutio dicitur facta ab ipso domino.*

20. *Praedicta tamen facultas expresse dari debet.*

21. *Dominus promittens in procuratorio relevare ab onere satisdandi tam procuratorem constitutum, quam ab eo subsituendos, non censetur substituendi facultatem illi dedisse.*

22. *Quid operentur praefata verba* « ab eo substituendos ».

23. Caroccius *redarguitur.*

24. *Procurator licet in procuratorio habeat substituendi facultatem, substituere tamen non potest nisi prius ipse mandatum acceptet.*

25. *Et debet expressam facere substitutionem.*

26. Parisii *opinio refertur in* cons. 143 n. 34 lib. 4.

27. *Declaratur.*

28. *Doctoris dictum intelligi debet secundum terminos jurium quae allegat.*

29. *Procurator in substituendi actu, uti potest quolibet verbo quod ejus explicet voluntatem.*

30. *Et semper capienda est interpretatio per quam actus substinetur.*

1. Quoniam potest contingere, quod is cui pro alterius litibus et negociis munus procuratoris fuit demandatum, vel nolit, vel non possit dictis litibus vel negociis ipsemet superesse, sed alterius opera sit sibi necessaria; propterea est discutiendum an illi liceat ad dictas lites exercendas, vel negocia peragenda alium substituere et in locum suum ponere.

2. Et pro parte negativa videtur urgere ratio, quod constituens illum procuratorem, elegerit peritiam et industriam personae illius, unde videtur inferendum quod non possit alium in suum locum sufficere, juxta *not. in cap. fin. extr. de offic. deleg. et in Clem.* 1 *eod. tit.*

3. Verum, ut haec materia distincte et clare explicetur, duae sunt faciendae inspectiones in separatis capitibus discutiendae. Prima erit circa procuratorem ad lites et ad judicialia; altera circa procuratorem ad negocia extra judicium explicanda, exemplo *Juris Consulti in L. si procuratorem* § 1, et ibi *Bart. n.* 1 *et* 2 *ff mand., Caroccius de locat. et conduct. in tit. de sublocat. q.* 32 *n.* 4, *Franc. a Pont. cons.* 55 *n.* 48 *vers. et hanc.*

4. In prima inspectione est firmanda regula negativa ad mentem *Imperat. in L. quod quis cod. de procur., L. si procuratorem* § 1, et ibi *Bart. n.* 1 *ff mand.*, cum aliis apud *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 131, *Menoch. praesumpt.* 33 *n.* 1 *lib.* 2, *Carocc. d. tit. de sublocat. quaest.* 33 *n.* 1, *L. ab executore* § *fin. ff de procurat.*

5. Quae tamen patitur nonnullas limitationes; quarum prima est, ut non procedat in procuratore constituto in rem suam propriam (qui qualis sit dicemus infra *cap. CXI de procuratore in rem propriam*): is enim proprio jure alium in locum suum ponere potest, *L. illam cod. de donat., cap.* 1 § 1 *de procurat. in* 6, *Bart. in d. L. procuratorem* § 1 *n.* 2 *ff mandat., Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observ.* 74 *n.* 11 *in fin., Caballin. ad constitut. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 3 *circa princ., Carocc. d. quaest.* 33 *n.* 13.

« Conclusio quod procurator ad lites non possit substituere nisi ha-
« beat in mandato facultatem vel sit effectus dominus litis, non procedit
« in procuratore in rem propriam, qui potest substituere etiam ante litem
« contestatam, licet facultatem hujusmodi in specie non haberet, *Ridolphin.*
« *in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 56.

« Similiter non procedit in causa quae censetur propria, prout quando
« disputatur an quis sit procurator; tunc enim quis potest substituere,

« etsi careat facultate substituendi, etiam lite non contestata, *Ridolphin.* « *ibid. n.* 57.

6. Secundo limitatur in illo procuratore qui est effectus dominus litis (de quo agemus infra *cap. LVIII de procuratore domino litis effecto*), nam is quoque potest jure suo sufficere alium in locum suum, *d. L. si procuratorem* § 1, et ibi *Bart. et alii ff mandat.*, *Thomas Trevisanus decis.* 55 *n.* 6 *et* 7 *lib.* 1, *Oldrad. cons.* 130 *n.* 3, *Beninten. decis.* 80 *n.* 5 *vers. aliud est*, *Rot. decis.* 5 *de procurat. in nov.*

« Similiter praedictus procurator alium substituere valet tamquam do« minus litis seu instantiae effectus, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 48.

« Potest procurator dominus litis effectus substituere in quacumque in« stantia si in ejus mandato est clausula « *relevans etc.* », licet enim regu« lariter ejus facultas spiret lata sententia, cum dominus litis idest instan« tiae tantum efficitur, nihilominus quia dicta clausula « *relevans etc.* » « habet vim fidejussionis tam in prima quam in aliis instantiis sequentibus, « poterit in quacumque instantia ut supra substituere, *Ridolphin. in prax.* « *par.* 1 *cap.* 3 *n.* 54.

7. Quae secunda limitatio est extendenda; primo, ut possit substituere non solum ipse procurator principalis postquam est effectus dominus litis, sed etiam substitutus ab illo postquam ipse quoque est effectus dominus litis, *Rot. decis.* 122 *quae est* 5, *et decis.* 146 *quae est* 8 *de procurat. in nov.*, *Decis.* 546 *quae est* 28 *eod. tit. in antiq.*, *et cor. Bisignetto decis.* 9 *eod. tit.*, *Vant. ubi supra n.* 109, *Mynsinger. singul. observ. centur.* 1 *observ.* 43 *n.* 2, *Carocc. d. quaest.* 33 *n.* 75, *Bertazol. cons.* 400 *n.* 16 *lib.* 2 *crimin.*, *Cravat. ad Vestrium in prax. rom. cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 36.

« Procurator substitutus alium substituere non potest. Sed hoc non « procedit postquam ille litem fuit contestatus, vel merita causae discus« sit et pertractavit; nam tunc tamquam dominus litis effectus potest sub« stitueri; quod procedit etiam in executivis, *Ridolphin. in prax. par.* 1 « *cap.* 3 *n.* 74.

8. Potest enim procurator postquam est effectus dominus litis alterum substituere cum facultate, ut ipse quoque possit alium substituere; sed iste substitutus antequam ipse quoque sit effectus dominus litis non potest vigore dictae facultatis alium substituere ne habeatur processus in infinitum, potest bene postquam est effectus dominus litis, *Franch. in cap.* 1 § 1 *n.* 7 *de procurat. in* 6.

9. In iis autem casibus in quibus non datur litis contestatio, et est in summariis, procurator poterit alium substituere, (quamvis non fuerit effectus dominus litis per illius contestationem) statim ac de meritis ejusdem causae coeperit pertractare, *DD. communiter in L. nihil et in L. nulla cod. de procur.*, vide *Peregr. tract. var. lib.* 1 *n.* 60 *pag.* 21, quia tunc dicitur

effectus dominus litis, *Bart. in L. post litem n.* 3 *ff eod. tit.*, unde tamquam litis dominus poterit substituere, *Rot. d. decis.* 5 *n.* 2 *de procur. in nov.*, *Vant. ubi supra n.* 110.

« Non interest an quis sit dominus litis effectus per litis contestatio-
« nem, vel pro contestata habitam in casibus in quibus illa non contesta-
« tur, vel per satisdationem de judicatum solvendo ad effectum ut procu-
« ratorem substituere valeat, quod etiam procedit in causis executivis, *Ri-*
« *dolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 51.

10. Secundo extenditur suprafirmata limitatio, ut procedat etiam in iis causis criminalibus in quibus admittitur procurator, *Angel. in L.* 1 *in princ. n.* 2 *ff de procur.*, cujus auctoritate *Caroccius q.* 33 *n.* 31.

11. Declaratur autem dicta limitatio secunda, ut procurator hoc casu non substituat tamquam procurator et vigore sui mandati, sed quia est effectus dominus litis, *arg. Tex. in cap.* 1 *extr. de procur.*, *et in cap. qui ad agendum, cum ibi notat. eo tit. lib.* 6, per quae jura *Rot. in d. decis.* 5 *et decis.* 33, et ibi *Addent. de procur. in nov.*, *Bellamera decis.* 6 *per tot.*

12. Et propterea debet substituere non nomine domini constituentis, sed nomine proprio, *Surd.* per multa jura *cons.* 99 *n.* 25 *lib.* 1, sequitur *Scacc. de sentent. et re judic.*, *Gloss.* 14 *quaest.* 25 *sub n.* 5.

13. Sublimitatur autem haec secunda limitatio, ut non habeat locum si iste procurator in procuratorio esset prohibitus alium in locum suum ponere ac substituere, quia tunc neque postquam esset effectus dominus litis posset alium substituere, *Gloss. in L. pen.* § *quod si is ff de divers. et temporal. praescript.*, quam sequitur et dicit notabilem *Franch. in cap.* 1 § 1 *n.* 7 *ad med. de procurat. lib.* 6.

14. Limitatur tertio principaliter suprafirmata conclusio, ut non habeat locum in procuratore constituto a reo convento, qui comparuit sine mandato, sed cum cautione de rato; nam praestita dicta cautione est loco domini, *L. Titius*, et ibi *Gloss.* et *Bart. n.* 1 *ff de procur.*

15. Ac propterea poterit procuratorem substituere etiam antequam litem fuerit contestatus, *Alex. in L. quod quis n.* . . . et ibi *Jas. n.* 1 *cod. de procur.*, *Carocc. d. quaest.* 33 *n.* 26, *Rot. decis.* 35 *n.* 3 *de procur. in nov.*

16. Limitatur quarto, si dominus in constitutione procuratoris pro illo promisit de rato, *Barthol. Soccinus regul.* 329 *in ult. limit.*, *Caroccius d. quaest.* 33 *n.* 34, qui allegat *Bald. in L. pen.* § *et magis ff de except.*, quem locum in meo codice non valui reperire.

17. Limitatur quinto, in causis modici momenti in quibus non requiritur causae cognitio, sed nudum ministerium, *Carocc. d. q.* 33 *n.* 36, qui allegat *Felin. in cap. fin.* § *caeterum n.* 9 *extr. de offic. delegat.*, *et Rotam decis.* 368, *quae est* 14 *de offic. deleg. in nov.* quae potest adaptari in sui ratione.

18. Limitatur sexto, si in procuratorio sit data procuratori potestas et facultas alium in sui locum substituendi, *Andr. Gail. pratic. observat. lib.* 1 *observat.* 74 *n.* 11, *Thom. Trevis. decis.* 53 *n.* 6 *et* 7 *lib.* 1.

« Potest procurator ad lites alium legitime substituere vigore facultatis « sibi ad id in mandato a principali traditae, *Ridolphin. in prax. part.* 1 « *cap.* 3 *n.* 48, ubi *ex Achill. decis.* 4 *n.* 1 *et seq. de procur.* ait quod « habens hanc facultatem potest substituere etiam post sententiam ad ap- « pellandum, quia appellatio est pars primae instantiae.

« Procurator cum facultate substituendi constitutus, potest substituere « etiam ante litem contestatam, *Ridolphin. ibid. n.* 59.

« Licet olim esset dubium de jure civili, an procurator cum facultate « substituendi posset substituere ante litem contestatam, nihilominus hodie « res est clara, etiam de jure civili ex dispositione juris canonici, *Ridol-* « *phin. ibid. n.* 64.

« Est autem notandum, quod mandatum insufficiens operatur ut sub- « stitutio sit quoque insufficiens, *Rot. decis.* 472 *n.* 15 *part.* 9 *tom.* 2 « *Recent.*

19. Quod si procurator, vigore dictae facultatis, alium substituat, substitutio dicitur facta ab ipso domino, cum fiat vigore mandati, *Rot. decis.* 140, *quae est* 8, *et decis.* 414 *quae est* 33 *n.* 2, *et decis.* 454 *quae est* 38 *n.* 2 *de procur. in nov.*, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 16.

« Gesta a procuratore vigore facultatis substituendi, censentur facta a « domino; praesertim si in mandato principali adsunt illa verba, *prout ex* « *nunc ipse constituit;* quae tamen verba hodie non sunt de essentia, « *Ridolphin. prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 60.

« Et si substituens moriatur antequam substitutus acceptet, non ideo « expirat substitutio, dummodo substitutus acceptet vivente domino, *Ri-* « *dolphin. ibid. n.* 61.

« Sed hoc non procedit in substitutione facta a procuratore tamquam « domino litis effecto, quia illa expirat morte substituentis, si moriatur re « integra antequam substitutus acceptet, *ibidem n.* 62.

20. Ista autem facultas danda est explicite et expresse, *arg. Clem.* 1 *in fin. de praeben.*

21. Nec sufficit quod illa videtur tacite subintellecta, ut non obscure sentit *Rot. decis.* 346 *quae est* 23 *de procur. in antiq.*, in qua fuit resolutum, quod si dominus in procuratorio promittat relevare ab onere satisdandi tam ipsum procuratorem constitutum, quam ab eo substituendos, non propterea censetur illi dedisse facultatem substituendi; nam illa verba *quam ab eo substituendos* non sunt in parte dispositiva, nec dispositive prolata, sed suppositive: verba autem quae aliquid supponunt, nihil disponunt super eo quod supponunt, *arg. Tex. in L. ex facto* 1 *ff de haered. instit.*

eamdem sententiam sequitur *Bellamera decis.* 8 *in princ.*, *Alex. cons.* 17 *n.* 6 *lib.* 2, cum quo transit etiam *Dec. cons.* 38 *col.* 6 *sub n.* 5 *ad fin. vers. facit quod not. Rot.*, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 111, *Surd. decis.* 195 *n.* 9, *et decis.* 257 *n.* 2 *lib.* 6.

22. Neque propterea essent superflua illa verba, *et ab eo substituendos:* possunt enim operari in iis casibus in quibus posse procuratorem jure proprio alium in sui locum ponere diximus in praecedentibus limitationibus, ut considerat *Bellamer. d. decis.* 8 *n.* 1 *vers. possunt enim.*

23. Et licet *Caroccius d. q.* 33 *n.* 83 conetur evertere rationem quam consideravit *Rot. d. decis.* 23 *de procur. in antiq.*, rationes tamen et responsiones *Caroccii* mihi undequaque non placent, quia concludunt in substitutione quae fit a procuratore virtute facultatis sibi a lege concessae, puta quando est constitutus procurator in rem propriam, vel quando est effectus dominus litis, non autem quando substitutio fit in vim facultatis sibi a constituente concessae, et ita considerat *Bellamer. d. decis.* 8.

24. Quando autem constituens dat in procuratorio procuratori facultatem substituendi, non potest procurator vigore dictae facultatis substituere nisi prius mandatum ipse acceptet; ante acceptationem enim illius neque ipse dici potest procurator, *Rot. decis.* 145, *quae est* 7 *de procur. in nov.*, *Vant. ubi supra n.* 103, *Vestr. in prax. rom. cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 5, et ibi *Gravat. n.* 33, *Rot. decis.* 451 *n.* 3 *in fin. part.* 2 *Recent.*, *et decis.* 210 *n.* 2 *part.* 1 *divers.* Quando autem procurator dicatur acceptasse mandatum dictum fuit supra *cap. XVIII.*

25. Debet autem procurator ex facultate sibi in procuratorio concessa substitutionem expresse facere, nec tacita esset relevans, *Rot. decis.* 38 *n.* 1 *in fin. de procur. in nov.*, *decis.* 211 *part.* 2 *Recent.*, *coram Coccin. decis.* 378 *n.* 12.

26. Unde redditur dubitabile dictum *Parisii cons.* 143 *n.* 34 *lib.* 4, dum dicit, quod procurator substituens aliquem in aliqua causa censetur ratificare gesta per ipsum tamquam substitutum si illorum habuit notitiam. Nam si substitutio non potest fieri nisi expresse, non videtur quod per subsequentem ratificationem validari possint gesta ante dictam ratificationem facta, ut valeant tamquam gesta a procuratore substituto.

27. Nisi intelligamus *Parisium* fuisse loquutum de substitutione facta a procuratore, non vigore facultatis sibi a domino constituente concessa, sed de substitutione facta in vim dominii per ipsum procuratorem acquisiti ex eo quod esset factus dominus litis, juxta terminos *decis.* 154 *quae est* 38 *de procur. in nov.* quam *Parisius* allegat.

28. Nam dictum doctoris debet intelligi secundum terminos jurium quae allegat, juxta doctrinam *Bart. et aliorum in L. Imperator ff de in diem addiction.*

29. In actu autem substituendi potest procurator uti quovis verbo per quod aperiatur ejus mens et voluntas ponendi alium in sui locum, proindeque sive utatur verbo substituo, sive verbo constituo procuratorem, censetur voluisse uti facultate substituendi quam habebat, et sic procuratorem substituere, non constituere, ut fuisse resolutum *in Rot.* testatur *Coccin. decis.* 62 *per tot.*

30. Ea potissima ratione, quia semper est capienda interpretatio per quam actus substineatur, *L. quoties* 80 *ff de verb. oblig.*

« Si quis simpliciter substituerit vigore facultatis substituendi omni « meliori modo, nec expresserit an substituerit vigore mandati vel tam- « quam dominus litis, in dubio censetur substituisse vigore facultatis « quam habet eo modo quo melius et validius substitutio substineri potest, « prout etiam si quis substituerit vigore facultatis substituendi, et alias « omni meliori modo, vel cum clausula ut supra, *et omni alio meliori* « *modo:* haec clausula substinet actum prout melius de jure valere potest, « etiam ultra expressa *Ridolphin. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 52 *et seq.*

CAPUT XXXIX.

PROCURATOR AD NEGOCIA AN POSSIT ALIUM SUBSTITUERE.

SUMMARIUM

1. *Procurator constitutus ad negocia potest alium substituere, etiamsi talem facultatem in procuratorio non habeat.*
2. *Secus procederet in procuratore et sindico alicujus universitatis.*
3. *Ita pariter in procuratore generaliter ad negocia constituto, qui alium ad lites substituere non posset.*
4. *Neque substituere posset generaliter ad omnia, sed solum ad aliquod certum negocium.*
5. *Procurator ad negocia alium similiter substituere non posset, quando esset electa industria personae.*
6. *Idem procedit in procuratore constituto ad contrahendum matrimonium.*
7. *Et in procuratore constituto ad vendendum, nulla ei data certa forma adhibenda in venditione.*
8. *Secus si ipsi certa forma data fuerit.*
9. *Is pariter substituere non potest qui ea conditione fuit constitutus procurator, ut ipsemet, vel per se, vel per aliud verbum importans personalitatem, explicet negocium.*

10. *Item is cui negocium commissum fuit explicandum secundum suam conscientiam.*
11. *Similiter is cui commissum fuit aliquod grave negocium.*
12. *Vel cui commissa fuerit visitatio alicujus monasterii.*
13. *Vel cui expresse prohibitum fuerit alium substituere.*

Vidimus in praecedenti capite an et in quibus casibus procurator ad judicialia possit alium in suum locum sufficere, et substituere; sequitur ut juxta praemissum ordinem, dispiciamus, an et in quibus casibus hoc liceat procuratori constituto ad negocia et extrajudicialia.

1. In quo articulo est constituenda conclusio affirmativa quod huic procuratori liceat alium substituere, quamvis illi in procuratorio talis facultas data et concessa minime fuerit, *L. si procuratorem* § *si quis mandaverit,* et ibi *Bart. n.* 1 *ff mand., L.* 1 § *magistrum autem ff de exercit. action., cap.* 1 *in fin. de procur. in* 6, *Gloss. in L. quod quis cod. eo tit., Marcabr. cons.* 90 *n.* 9, *Joannes Bernardinus Diaz. de regul. jur. regul.* 607, *Jo. Franc. a Pont. cons.* 55 *n.* 47.

« Procurator ad negocia potest substituere absque alia specifica substituendi facultate, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 58, ubi ait, « quod *Jas. in L. quod quis n.* 2 *et seqq. cod. de procur.*, id limitat decem « modis.

2. Ista autem conclusio recipit nonnullas restrictiones: et primo limitatur in procuratore et sindico alicujus universitatis, qui non potest alium in locum suum ponere, *L. munerum* § *defensores* in illis verbis « laborem personalis muneris aggrediuntur » *ff de muner. et honor., Carocc. in tract. de locat. et conduct. in tit. de jure sublocan. quaest.* 32 *n.* 81.

3. Secundo limitatur in procuratore generaliter constituto ad negocia, quia licet ipse possit etiam litigare et esse in judicio pro constituente, non tamen potest quoad lites et judicialia alium procuratorem substituere, nisi post quam ipse fuerit effectus dominus litis, *Castren. in d. L. quod quis n.* . . . et ibi *Jas. in* 2 *limitat. secundae regul. n.* 4 *vers. decimo limit. cod. de procur., Paseth. cons.* 27 *n.* 11, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 76.

4. Tertio limitatur in procuratore constituto generaliter ad negocia, quia licet habeat a jure facultatem substituendi, non tamen potest substituere generaliter ad omnia negocia, sed dumtaxat ad aliquod certum negocium, *DD. in d. L. quod quis cod. de procur.*, et signanter *Paul. de Castr. n.* . . . *Alex. n.* . . . *Jas. n.* 2 *et alii*, *Marcabr. d. cons.* 90 *n.* 10, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 51.

« In casibus in quibus procurator ad negocia potestatem habet indefinitam substituendi, id generaliter ac indeterminate facere non potest

« ad omnia, sed solum intelligitur in aliquibus negociis particularibus, juxta « necessitatem vel opportunitatem, adeo ut substitutio generaliter facta « non valeat, *Card. de Luc. de tutor. et administrator. disc.* 19 *n.* 10.

5. Quarto limitatur generaliter in casibus in quibus fuit electa industria personae, in quibus procurator debet per semetipsum negocium explicare, nec potest alteri illius explicationem demandare, *Marcabr. d. cons.* 90 *n.* 10, *Jo. Franc. a Ponte d. cons.* 55 *n.* 43, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 67 *et* 69, *L. pen.* § *fin.*, et ibi *Bart. n.* 1 *vel si in procuratore cod. de divers. et temporal. praescr.*, *idem Bart. in L. si procuratorem* § *si quis mandaverit n.* 2 *vers. ad secundum ff mand.*, *Menoch. praesumpt.* 38 *n.* 2 *lib.* 2, ubi *n.* 3 docet quando dicatur electa industria personae, et latius *de arbitr. judic. quaest.* 68 *n.* 11 *et seqq.*

« In iis in quibus electa est industria personae procurator alium sub« stituere non valet, quamvis substituendi facultas ei data sit, quoniam « intelligitur in iis quae sunt compatibilia, *Card. de Luc. de tutor. et admi« nistrator. disc.* 19 *n.* 9, a quo allegatur *Alex. Trentacinque lib.* 2 *variar.* « *resolut. tit. de procurat. resolut.* 3 *n.* 29, qui (teste eodem *Card. de* « *Luc.*) omnium latius ac melius tractat hanc materiam facultatis sub« stituendi tam in judicialibus quam in extrajudicialibus, ideoque erit omnino « videndus.

6. Et in proposito possunt dari exempla in procuratore constituto ad contrahendum matrimonium, nam cum censeatur electa industria personae ob gravitatem negocii, *Menoch. d. praesumpt.* 38 *n.* 3, *Franc. Molinus de ritu nuptiar. et pactis in matrimonio conventis lib.* 1 *comparat.* 25 *n.* 60, non potest ad id peragendum alium substituere, *cap. fin. de procur. in* 6, *Petrus Nicolaus Mozzius in tract. de contractibus in tit. de mand. vers. venio ad quartum n.* 11, quem refert et sequitur *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 8 *et* 20, *Molin. d. n.* 60.

7. Item in eo qui fuit constitutus procurator ad vendendum, nulla ei data certa forma adhibenda in venditione facienda, *Bart. in L.* 1 *in prim. lectur. in fin. ff de offic. procur.*, *Caesar. Bald. in L. unic.* § *ne autem n.* 7 *cod. de caduc. toll.*, *Anton. Monacus decis. Lucens.* 25 *n.* 72, *Menoch. d. quaest.* 68 *n.* 13, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 26.

8. Secus si sit data certa forma qua negocium mandatum sit explicandum, tunc enim non censetur electa industria personae, sed censetur potius constitutus procurator ad exequendum quam ad explicandum negocium, *Bart. in d. vers. si in procuratore*, *Marcabr. d. cons.* 90 *n.* 13, post *Alex. et Jas. in d. L. quod quis cod. de procur.*, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 26, *Caesar. Manentus decis.* 64 *n.* 6.

9. Similiter is qui fuit constitutus procurator ea conditione et lege, ut ipsemet vel seipsum negocium commissum explicet, vel per aliud verbum

importans personalitatem, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 62 *et infra*, ubi multos allegat.

10. Item in eo cui fuit commissum aliquod negocium explicandum juxta sua conscientiam, *Soc. Senior. cons.* 60 *n.* 11 *vers. secundum probatur lib.* 1 cum aliis allegatis a *Menoch. d. quaest.* 68 *n.* 12, et a *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 52.

« In iis quae alicujus arbitrio vel conscientiae commissa sunt, alius ab « ipso substitui non potest, quamvis data sit ei substituendi facultas, quoniam « intelligitur in iis quae sunt compatibilia, *Card. De Luc. de tutor. et ad-* « *ministrator. disc.* 19 *n.* 9.

11. Item in eo cui fuit commissum aliquod negocium arduum et grave, *Menoch. d. quaest.* 68 *n.* 15, et latius *casu* 205 *n.* 1, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 72.

12. Eadem ratione si alicui fuerit commissa visitatio alicujus monasterii, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 79.

13. Tandem in eo qui fuit constitutus procurator cum expressa declaratione ne alium substituat, *Jas. in L. quod quis in* 1.ª *limitat. secundae regulae cod. de procur. per Tex. in L.* 1 § *magistrum autem vers. quod tamen ff de exercitor. action.*

CAPUT XL.

QUAESTIONES ALIQUOT CIRCA MATERIAM SUBSTITUTIONIS PROCURATORUM.

SUMMARIUM

1. *Si sit constitutus procurator cum facultate substituendi, aliquis qui talis esse nequeat, an alium habilem saltem substituere possit.*
2. *Quando procuratoris inhabilitas provenit ab ipso jure procurator alium substituere nequit.*
3. *Judex recusatus tamquam suspectus, et per sententiam talis declaratus non potest alteri non suspecto causam delegare.*
4. *Procurator excommunicatus alium habilem substituere nequit.*
5. *Procurator inhabilis propter auctoritatis defectum, accedente auctoritate, alium habilem substituere potest.*
6. *Religiosus procurator constitutus non potest alium substituere sine sui superioris licentia.*
7. *Procurator inhabilis ob exceptionem illi oppositam, parte non opponente, alium substituere potest.*

8. *Declaratur* Bartoli *sententia*, in L. quod quis cod. de procur.
9. *Processus factus cum procuratore substituto a muliere quae procuratrix constituta fuit cum facultate substituendi, substinetur.*
10. *Procurator non habens facultatem substituendi, recte tamen ante litis contestationem substituit si pars adversa nihil opponat.*
11. *Secus si opponat.*
12. *Verum si post oppositionem adversarius cum hujusmodi procuratore substituto litem prosequatur, censetur quod judex illum ut habilem tacite approbaverit.*
13. *Quamquam rursus opponeret, quando proferenda esset sententia: protestari enim debuerat in quolibet actu de defectu mandati.*
14. *In judicialibus non sufficit una protestatio, sed repeti debet in quolibet actu.*
15. *Quod tamen procederet si judex super dicta oppositione cognoverit.*
16. *Vel si licet judex super ipsa non cognoverit, tamen pars adversa se non obtulit ad probandam suam exceptionem nec appellavit.*
17. *Procurator habens simplicem substituendi facultatem, si alium substituat ipse desinit esse Procurator.*
18. *Nisi habeat in suo mandato facultatem substituendi unum vel plures procuratores.*
19. *Vel substituendi semel aut pluries.*
20. *Vel revocandi substitutos, firmo penes ipsum remanente mandato.*
21. *Vel nisi habeat mandatum generale.*
22. *Alias procurationis munus amitteret, sed solum respectu illius actus ad quem substituit.*
23. *Substituens non desinit esse procurator, si substitutus se non ingerat in causa in qua fuit substitutus.*
24. *Aut ipse sit inhabilis.*
25. *Vel si non sequatur effectus, propter quem fuit factum mandatum substituendi.*
26. *Facta substitutione et a substituto acceptata, iste dicitur a principali domino habere mandatum.*
27. *Periculum tamen est substituentis, et ipse habet regressum contra substitutum.*
28. *Substitutus acceptata substitutione facere potest ea omnia quae poterat substituens.*

29. *Nisi substituens ei concedat facultatem limitatam.*
30. *Procurator habens substituendi facultatem si unum substituat et postea alterum, per secundum intelligitur revocata prima substitutio.*
31. *Procurator nec expresse nec tacite substitutum revocare potest re non integra.*
32. *Secus vero si procurator habeat facultatem substituendi ac etiam revocandi toties quoties sibi videbitur expedire.*
33. *Attamen stante hac facultate revocatio fieri debet expresse.*
34. *Procurator substitutum re integra tam expresse quam tacite revocare potest.*
35. *Nisi substituens comparendo pro causae defensione sit protestatus quod non intendit revocare suos substitutos.*
36. *Revocaretur etiam substitutus si substituens alium substitueret.*
37. *Si tamen secundus substitueretur ad idem ad quod fuerat primus substitutus.*
38. *Procurator desinit talis esse si simpliciter et in totum transferat vices suas in substitutum.*
39. *Secus si sibi revocandi facultatem reservet.*

Explicavimus in praecedentibus capitibus an et in quibus casibus procurator constitutus tam ad lites et judicialia, quam ad negocia citra judicium peragenda, possit alium in locum suum sufficere et substituere.

Superest ut pro majori dilucidatione hujus materiae aliquas dubitationes dissolvamus.

1. Primo itaque dubitatur an si sit constitutus procurator cum facultate substituendi, aliquis, qui sit inhabilis ad exercendum, munus procurationis (de quibus dictum fuit supra *cap. XXII*) ille possit saltem substituere habilem et idoneum, in qua dubitatione, *Gloss. in Clemen. religiosus in verb. commissum de procurat.*, distinguit tres casus. Primus est quando inhabilitas est inducta ipso jure. Secundus quando inhabilitas insurgit propter defectum auctoritatis, qua interveniente cessat inhabilitas. Tertius quando inhabilitas detegitur per oppositam illi exceptionem.

2. In primo casu *Gloss.* ibi concludit negative, ac proinde *Card. Zabarella in d. Clement. in* 5 *quaest.*, quem refert *Jacob Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 20 dicebat quod religiosus qui procurator esse nequit, ut diximus dicto capite, nec etiam potest habilem substituere; et pro hac conclusione *d. Gloss.* allegat *cap. judex de offic. deleg. in* 6.

3. Ubi judex qui fuit recusatus tamquam suspectus, et per sententiam

talis declaratus, non potest tamquam inhabilis ipso jure alteri non suspecto causam delegare.

4. Quae conclusio comprobari etiam potest hac ratione, quia si constituatur procurator aliquis excommunicatus existens, et sic ipso jure inhabilis, ut diximus *d. cap. XXII vers. excommunicatus*, ipse non potest habilem substituere, *Gloss. in cap. post cessionem extr. de probat.* multos allegat, *Franc. Mar. decis.* 1233 *n.* 5 *par.* 1.

5. In secundo casu concludit supradicta *Gloss. in Clem. religiosus*, quod accedente licentia et auctoritate possit inhabilis habilem substituere per *tex. in d. Clem.*

6. Ubi religiosus si constituatur procurator non potest sine licentia sui superioris alium substituere.

7. In tertio vero casu eadem *Gloss.* concludit quod possit parte non opponente.

8. Et licet *Bart. in L. quod quis in* 2.ª *lectura vers. quaero ego cod. de procurat.* quem sequitur *Marcabr. d. cons.* 90 *n.* 137 sentiat simpliciter et indistincte quod procurator inhabilis possit habilem substituere, hoc tamen *Bartoli* dictum debet intelligi juxta distinctionem *Gloss. in d. Clem. religiosus*, alias esset sibi contrarius, cum in *L.* 1 § *item acquirimus ff de acquir. possess. n.* 10 transeat cum hac *Gloss.* distinctione quam sequuntur etiam in *d.* § *item acquirimus*, *Angel. in vers. caeterum, Alex. n.* 4, *Soc. Sen. n.* 4, *Jas. n.* 48, *Caroc. in tract. de locat. et conduct. in tit. de jure sublocan. quaest.* 33 *n.* 40 *et seq.*, et alii multi quos congerit *Mastrill. decis.* 264 *n.* 10, qui hunc articulum plene enucleat, considerando plures casus quos consultus omitto cum apud eum videri possint.

9. Nolui tamen praetermittere quod ego in contingentia facti obtinui processum factum cum procuratore substituto a muliere procuratrice constituta cum facultate substituendi, et sententiam inde sequutam validam declarari et debitae executioni demandari.

10. Secundo in dubium revocatur an si procurator non habens facultatem substituendi, de facto ante litis contestationem substituat (quod illi non licere diximus supra *cap.* abhinc *secundo*) processus cum dicto substituto fabricatus et sententia inde sequuta valeat.

In qua dubitatione pro validitate est tenendum si pars adversa nunquam opposuerit de inhabilitate personae substitutae ex defectu mandati substituentis, *Jacob Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 18 *circa fin.*, qui allegat *Jas. in L. quod quis cod. de procurat.*

11. Secus si opposuerit, *Benint. decis.* 57 *cum aliis, et Jacob. Laurent. ibi n.* 19.

« Quamvis procurator ad lites non possit substituere nisi habeat in « mandato facultatem vel sit effectus dominus litis, secus tamen procedit

« parte non opponente; nam cum haec sit exceptio dilatoria, si lis fuerit « postmodum cum procuratore substituto contestata, vel pro contestata ha- « bita non amplius potest opponi de validitate substitutionis, *Ridolphin. in « prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 55.

12. Caeterum si post oppositionem et exceptionem, adversarius litem cum dicto procuratore substituto prosequatur usque ad finem, et usque ad sententiam, per processum ad ulteriora non obstante dicta oppositione, censetur judex tacite pronunciare super illius habilitate, *cap. ex parte d.* 2 *extr. de appellat.*, *Bart. in L. si procedente n.* 4, et ibi alii, *cod. de dilat.*, *Alex. cons.* 37 *n.* 79 *lib.* 2, *Marsil. in L. si quis ne quaestio n.* 90 *ff de quaestion.*

13. Quamvis tempore prolationis sententiae rursus opponeretur et exciperetur de mandati defectu, nam si non protestetur in quolibet actu sed patiatur quod post oppositionem procedatur ad ulteriora nec a tali processu appellet, dicta tacita judicis pronunciatio transivit in judicatum, *Rom. cons.* 220 *n.* 7 *ad fin. vers. tertio*, *Felin. in cap. meminimus col.* 4 *n.... extr. de accus.*, *Dec. cons.* 469 *n.* 12, *Marsil. d. L. si quis ne quaestio n.* 104, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 177, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11, *Gloss.* 4 *n.* 3 *post princ. vers. procurator ante litem.*

14. Nam in judicialibus non sufficit unica protestatio, sed debet in quolibet actu repeti, *Rot. decis.* 611 *n.* 3 *part.* 1 *et decis.* 55 *n.* 5 *part.* 2 *Recent.*, et nos dicemus *cap. CI de exceptione mandati.*

15. Quod tamen intelligitur si judex super dicta oppositione habuerit cognitionem, *Bart. in d. L. si procedente n.* 4 *cod. de dilat.*, cum aliis allegatis ibi per *Addent. in litera P.*

16. Quod tamen procederet etiam si judex super dicta exceptione non cognoverit, sed ad ulteriora processit, si pars adversa non obtulit se probaturam suam exceptionem nec appellavit sed passa fuit ad ulteriora procedi ut firmat, *Bart. ibi n.* 3 *vers. adverte.*

17. Tertio dubitatur an procurator habens simplicem facultatem substituendi, si substituat amittat facultatem exercendi officium procuratoris. In qua dubitatione resolutive procedendo constituo conclusionem affirmativam, *Felin. in cap. in literis col.* 3 *vers. vide*, *Bald. n.... extr. de offic. deleg.*, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 104, *Gabriellius cons.* 149 *n.* 92 *lib.* 2, *Dec. cons.* 77 *col.* 3 *post med. vers. tertio principaliter.*

« Postquam procurator substituit desinit esse procurator, *Ridolphin. « in prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 69.

« Sed primo hoc non procedit si procurator fuit constitutus ad plures « causas; nam si substituit in una causa remanet procurator in aliis, « *Ridolphin. ibid. n.* 70.

« Secundo non procedit quando data est ei potestas substituendi, re-
« vocandi, et reassumendi, *ibid. n.* 71.

« Tertio non procedit si in mandato principali dicitur quod substi-
« tuens nihilominus procurator remaneat, *ibid. n.* 72.

« Quarto non procedit si in mandato dicatur quod possit substituere
« unum vel plures; et ratio est in promptu, quia si alteri potest facultatem
« concedere, ergo, cum ante cessionem factam illam penes se habeat, potest
« eamdem per se ipsum exercere, *Ridolphin. ibid. n.* 73.

18. Quam limitatur primo in eo qui in suo mandato habet facultatem substituendi unum vel plures procuratores, *Vinc. De Franc. decis.* 465 *n.* 2, *Rot. decis.* 451 *n.* 4 *part.* 2 *Recent.*

19. Vel habet facultatem substituendi semel vel pluries, *Bart. in L. quod si forte* § *quid ergo n.* 3 *vers. idem forsan ff de solut.*, sequitur, *Franc. d. decis.* 465 *n.* 3.

20. Vel habet facultatem revocandi substitutos firmo remanente mandato penes substituentem, *Dec. d. cons.* 77 *d. vers. tertio principaliter*, in illis verbis, *secus vero in casu*, *Laurentius Tenninus cautel.* 209 *n.* 4 *et seqq.*

21. Maxime si habeat mandatum generale, *Franch. d. decis.* 465 *n.* 4, *Rot. decis.* 451 *n.* 4 *part.* 2 *Recent.*

22. Secundo limitatur ut procedat dumtaxat respectu illius actus ad quem substituit, secus quoad reliqua comprehensa in mandato, *cap. is qui de procur. in* 6, *Rot. d. decis.* 451 *n.* 4.

23. Tertio limitatur si substitutus se non ingerat in causa in qua fuit substitutus, *Rot. decis.* 386, *quae est* 30 *de procur. in nov.*, *Carocc. de locat. in tit. de jure sublocan. quaest.* 33 *n.* 21.

24. Quarto limitatur si substitutus sit inhabilis, *Vant. ubi supra n.* 104 in illis verbis *habilem et acceptantem.*

25. Quinto limitatur si per primam substitutionem non sit sequutus effectus propter quem fuit factum mandatum procuratori substituenti, *Dec. d. cons.* 77 *col.* 3 *vers.* 3 principaliter in illis verbis *et ad hoc bene facit.*

Limitatur aliis modis ut per *Carocc. d. quaest.* 33 *n.* 62 *vers. declaratur haec* cum multis sequentibus usque *ad n.* 75 exclusive.

26. Facta autem substitutione, et illa per substitutum acceptata, substitutus dicitur habere mandatum non a substituente sed a principali domino, *Gloss. in cap.* 7 *in verb. substituendi de procur. in* 6, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 16, *Rom. decis.* 8 *et* 38 *de procur. in nov., et decis.* 692 *n.* 2 *part.* 2 *Recent.*, *Carocc. d. quaest.* 33 *n.* 99, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 105.

27. Et licet *Rota Genuensis decis.* 160 *n.* 6 videatur sentire, quod substitutio fiat periculo mandantis, non autem substituentis auctoritate,

Oldr. cons. 134, *et Philip. Franch. in cap.* 1 *de procur. in* 6, advertendum tamen est, quod *Oldradus* ibi ne verbum quidem de hoc, *Franch.* similiter *in princ. d. cap.* 1 nihil omnino dicit quod faciat ad propositum: immo in § *procurator n.* 1 *in fin.* dicit quod periculum est substituentis, sed ipse habet regressum contra substitutum, quod etiam sentit *Dominicus a Sancto Geminiano in d.* § *procurator n.* 2 in illis verbis, *et sic etiam in infinitum unus alteri tenebitur*, ac etiam *Lup. in rubr. extr. de donat. inter vir. et uxor* § 30 *n.* 11 in illis verbis, *inter ipsum scilicet substitutum et procuratorem, videlicet substituentem oritur actio mandati, non inter ipsum et dominum*, et facit *Tex. in L. si mandato ad fin. ff de negoc. gest.*

« Procurator tenetur de facto substituti, *Palma Nepos decis.* 290 « *n.* 16 *lib.* 3.

« Eatenus praeponens vel procurator de facto praepositi vel substituti « tenetur, quatenus voluntarie id agat, in iis muneribus quae ad ipsum « praeponentem vel procuratorem gerere spectabat; secus autem, si depu- « tatio sive substitutio sit facta ex necessitate officii circa ea quae ab in- « ferioribus ministris explicanda sunt, neque explicari debent vel possunt « per ipsum procuratorem seu praeponentem, *Card. De Luc. de regularibus* « *disc.* 54 *n.* 2.

28. Iste autem substitutus, acceptata substitutione, potest facere ea omnia quae facere poterat substituens, *Put. decis.* 345 *n.* 4 *lib.* 1, proindeque si substituens erat constitutus procurator ad causas motas et movendas, substitutus quoque poterit procuratoris officium exercere tam in prima, quam in aliis instantiis, *Rot. decis.* 62 *lib.* 1 *part.* 3 *divers.*

« Procurator substitutus non solum debet docere de legitimo mandato « procurae in ejus personam facto, sed etiam quod substituens potuerit « illum de jure substituere, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 47

29. Nisi substituens concedat substituto limitatam facultatem: substituti enim potestas spectanda est ex instrumento substitutionis, non ex instrumento substituentis, *Rot. decis.* 670 *n.* 6 *lib.* 3 *part.* 3 *divers.*

30. Quarto quaeritur an procuratur habens a constituente facultatem substituendi qui unum substituit substituendo alterum, censeatur revocatus primus per secundum substitutum. Quaestio ista duas habet inspectiones. Prima est an per substitutionem primam sit consumpta facultas substituendi, quae est explicata *hoc eod. cap. in* 3 *quaest.* Secunda est inspectio an per secundam substitutionem censeatur revocatus primus substitutus in iis casibus in quibus per primam substitutionem non fuit consumpta facultas substituendi, quos retulimus in *d.* 3 *quaest. in limitat.* Et in hac inspectione *Rot. decis.* 121 *quae est* 4 *de procur. in nov.* dixit, quod per dictam secundam substitutionem intelligatur revocatus primus substitutus, licet in prima substitutione procurator fuerit expresse protestatus, quod

propter aliquam comparitionem non intendebat eum revocare, quia aliud est comparere, aliud substituere, ut dicit ibi *Rot.*, et refert illam sequendo *Carocc. d. quaest.* 33 *n.* 62.

31. Quinto quaeritur an procurator revocare possit expresse substitutum etiam re non integra, vel tacite reassumendo in se officium et munus procuratoris? In qua est negative concludendum per *Tex.* expressum in *cap. is qui de procur. in* 6.

32. Quae tamen conclusio non procedit, si procuratori fuerit data facultas substituendi, nec non etiam revocandi ac reassumendi officium toties quoties sibi videbitur expedire, ut stante hujusmodi clausula resolvit *Rot. decis.* 184 *quae est* 14 *de procur. in nov.*, sequitur *Vant. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 105 *vers. secus si in mandato.*

« Substituens non potest revocare substitutum nisi id sibi in mandato « concedatur; et ita servat curia, *Ridolphin. in prax. part.* 1 *cap.* 3 *n.* 63.

33. Haec tamen facultas et licentia revocandi substitutum non operatur nisi revocatio fiat expresse, nec se extendit ad tacitam revocationem, quae resultat ex eo quod procurator substituens reassumat officium procuratoris tractando causam, ut deducit *Oldrad. cons.* 130 *n.* 2 *vers. praeterea.*

34. Caeterum quod procurator, cui est data facultas revocandi substitutum, possit illum, re tamen integra, revocare tam expresse quam tacite, puta reassumendo defensionem causae, dixit *Rot. decis.* 386, *quae est* 30 *de procur. in nov.*

35. Nisi substituens comparendo pro defensione causae sit protestatus incontinenti, quod non intendit suos substitutos revocare; praemissa enim dicta protestatione non praesumeretur velle substitutum revocare, *Bellamer. decis.* 580.

36. Revocaretur etiam substitutus, si substituens alium substitueret, *Rot. decis.* 121, *quae est* 4 *de procur. in nov.*, *Bellamer. decis.* 564 *n.* 1, *Vant. d. tit. de nullit. et defect. inhabilit. n.* 108.

37. Quod tamen procederet, si secundus substitueretur ad idem ad quod fuerat substitutus primus, secus si ad diversa, *Bellamer. d. decis.* 564 *n.* 1.

38. Verum si procurator substituendo transferat in substitutum simpliciter et in totum vices suas, desinit esse procurator quasi functus fuerit officio suo, et non potest illud reassumere.

39. Secus si substituendo reservet sibi facultatem revocandi, et utatur clausula, procuratorio in suo robore duraturo, *Rot. per Bisignetum decis.* 11 *de procur.*, ad rem facit *decis.* 30, et ibi *Addent. eo tit. in nov.*

« Mandatum continens facultatem substituendi, refertur ad omnia « praecedentia, ac si singulis capitibus talis facultas adjecta fuisset, *Rot.* « *decis.* 438 *n.* 4 *part.* 13 *Recent.*

« Dicitur autem continere facultatem substituendi, si substitutus solitus « fuit gerere etiam alia negocia substituentis, *decis.* 313 *n.* 22 *part.* 13 « *Recent.*

« Immo mandatum procurae generale dicitur continere facultatem « substituendi, etiam si fuerit electa industria personae, *decis.* 813 *n.* 20 « *part.* 18 *tom.* 2 *Recent.*

« In mandato vero, cujus vigore fuit facta substitutio, si illud fuerit « omissum, facultas substituendi adfuisse praesumitur, *Rot. decis.* 313 *n.* 21 « *part.* 11 *Recent.*

CAPUT XLI.

PROCURATORES PLURES IN EADEM CAUSA VEL AD IDEM NEGOCIUM QUANDO CONSTITUI POSSINT.

SUMMARIUM

1. *Tam ad judicialia quam ad negocia possunt plures procuratores constitui.*
2. *Secus in causis universitatum et collegiorum.*
3. *Ratio diversitatis redditur.*
4. *Idem procedit in pluribus reis debendi conventis.*
5. *Si plures vasalli a domino conveniantur, unus ab illis procurator est creandus qui compareat pro omnibus.*
6. *Si pariter plures sint condomini, quibus a vasallis debeatur annuus census, unus ab illis exactor creari debet.*
7. *Idem etiam servari debet quando plures fidejussores in solidum obligati vel conveniuntur ut se defendant, vel ipsi agunt ut conserventur indemnes.*
8. *Similiter si conveniantur plures haeredes unius debitoris, unum procuratorem constituere tenentur.*
9. *Secus si ipsi non conveniantur, sed agant.*
10. *Inter haeredes actio dividitur.*
11. *Quando conveniuntur plures haeredes, tunc solum cogi possunt ad unum procuratorem constituendum, quando judicium coeptum erat cum defuncto.*
12. *Alias quilibet potest facere suum procuratorem.*
13. *Nam quilibet tenetur pro sua portione haereditaria.*
14. *Reus conventus pluribus actionibus, plures potest facere procuratores.*

15. *Plures actores possunt plures procuratores constituere ad plures causas motas contra eamdem personam.*
16. *Quando plures constituuntur procuratores, non potest unus usque ad certum tempus constitui, et exinde alter ad eamdem causam.*
17. *Tam quando permittitur plures posse constitui procuratores, quam quando negatur, semper ad causae naturam vel negocii qualitatem habetur respectus.*
18. *Quando plures unum tantum habent procuratorem, ille potest omnes mandantes in solidum obligare.*

1. Proposita indagatio non magnam videtur habere difficultatem, cum habeamus jura clare demonstrantia, quod quis potest constituere non solum unum procuratorem, sed etiam duos, *L. qui duos* 47 *ff de procurat.*, immo etiam plures, *L. pluribus* 32 *ff eod. tit.*

2. Haec tamen conclusio non est perpetua, sed dantur casus in quibus unus tantum est constituendus procurator, ac plures constitui nequeunt. Quorum unus est in causis universitatum et collegiorum, in quibus unus sindicus et unus procurator constituendus est, qui jura collegii et universitatis tueatur atque defendat, *Bart. post Jacob de Arena in L.* 4 § *creditoribus ff de fideic. libertat.*, sequitur *Rom. in L.* 1 § *si autem*, et ibi *Alex. et Ripa in ultim. notab. ff ad Trebell.*, refert et sequitur *Vinc. de Franchis decis.* 309 *sub n.* 1, *Gratian. decis. March.* 107 *n.* 4, *Mastrill. decis.* 108 *n.* 1 *et seq. lib.* 2.

3. Quod non ea ratione receptum esse existimo, quod universitas et collegium habeantur loco unius, ut videtur sentire *Angel. in L. si quis cum procuratorio* § *unius n.* 3 *ff de procur.*, et dicit *Mastrill. d. decis.* 108 *n.* 25, quin potius ob dictam rationem videtur eo casu ferendum esse, ut plures procuratores possent constitui prout constitui possunt in causis et judiciis, atque negociis particularium personarum, *d. L. plures* 32 *ff de procur.* sed illa videtur ratio, quam *post Rom.* afferunt *Alex.*, *Ripa et Vinc. de Franch.* in locis supra allegatis, quia scilicet esset maximi tedii, si ad quemlibet actum qui pro universitate vel collegio geri deberet, omnes de universitate vel collegio, vel plures procuratores a singulis de universitate vel collegio forte constituti, essent citandi, quod non leve incommodum afferre animadvertit *JC. in L. jam tamen* § *ita tamen ff judic. solut. et in L. ne in plures ff de exercit. action.*

4. Propter quam rationem esse idem servandum in pluribus reis debendi conventis, dicit *Vinc. de Franch. d. decis.* 309 *sub d. n.* 1 *ad fin.*, et sequitur *Mastrill. d. decis.* 108 *n.* 7.

5. Unde si plures vasalli conveniantur a suo domino, debet ab illis creari unus procurator, qui pro omnibus compareat, *Chassan. ad consuetud. Burgund. rubr.* 13 § 6 *in Tex. ou passer procuration.*, *et in ultim. addit. fecit Tex. in auth. de quaestor.* § *si vero aliqui.*

6. Similiter si sint plures condomini, quibus a vasallis debeatur annuus census, illi debent creare unum exactorem, qui pro omnibus exigat, ne vasalli graventur solvere singulis dominis particulam, ut notat *Gratian. in addit. ad dictam suam decis. March.* 107. *n.* 4.

7. Quod etiam servandum est in pluribus fidejussoribus in solidum obligatis, sive conveniantur ut se defendant, *Gratian. discept. forens. cap.* 229 *a n.* 14 et infra, sive ipsi agant ut conserventur indemnes, et liberentur, *L. jam tamen* § *ita tamen ff judic. solut.*, *Alciat. de praesumpt. regul.* 2 *praesum.* 33 *n.* 1, post quem *Menoch. praesumpt.* 137 *circa princ. lib.* 3.

8. Prout quoque si plures haeredes unius conveniantur debitores, non quilibet potest suum procuratorem constituere, sed omnes conjunctim unum facere debent, *L. si familiae ff fam. haercisc.*, *L. licet* § *si plures*, *vers. plane ff de procur.*, *d. L. jam tamen* § *ita tamen*, et ibi *Bart. n.* 3, *Paul. de Castr. in summ. ff judic. solut.*, *Gratian. d. decis.* 107 *n.* 5, *Mastrill. d. decis.* 108 *n.* 5 *et* 6.

9. Secus autem si ipsi non conveniantur, sed agant, *d.* § *ita tamen vers. aliud est in haeredibus actoris*, nam tunc judicium potest dividi.

10. Cum inter haeredes actio dividatur, ut post *Bart.* et alios dicit *Gratian. d. decis.* 107 *n.* 5 *et* 6.

11. Quando autem conveniuntur, non indistinte cogi possunt ut unum tantum procuratorem constituant, sed dumtaxat quando judicium erat coeptum cum defuncto, *Bart. in d.* § *si tamen n.* 3.

12. Alias quilibet potest suum procuratorem facere, *L. si quis cum procuratorio* § *unius ff de procur.*, *Bart. in d.* § *si tamen n.* 3.

13. Nam quilibet tenetur pro sua portione haereditaria, *L. pro haereditariis cod. de haeredit. act.* cum similibus.

Quam distinctionem per alia verba explicavit post alios *Gratian. d. decis.* 107 *n.* 5 et infra, et repetit alios allegans *Mastrill. d. decis.* 108 *n.* 14 *cum seqq.* dum concludunt, quod si causa quae agitur contra plures habet originem in una persona, quia illi plures habentur pro uno, unus pro omnibus est constituendus procurator, *Gloss. in L. quod si nolit* § *si plures*, et ibi *Angel. n.* 1 *ff de edilit. edict.*, *Bald. in L.* 4 *n.* 13 *cod. eod. tit.*, et in his terminis intelligendum esse *Vinc. de Franch. d. decis.* 309 *n.* 1 deducit *Mastrill. d. decis.* 108 *n.* 24. Si autem causa habet originem in pluribus personis quaelibet potest suum procuratorem facere, *d. L. si quis cum procuratorio* § *unius*, et ibi *Gloss. et Bart. ff de procur.*

14. Unde reus conventus pluribus actionibus, cum illae non oriantur ex eodem fonte, poterit plures facere procuratores, secus autem si una tantum actione conveniatur, *Gloss. in d. L. jam tamen* § *si tamen plures in verbo desiderante,* et ibi *Bart. n.* 2 *ff judic. solv.*

15. Prout etiam plures actores possunt ad plures causas contra eamdem personam motas plures procuratores constituere, *Paul. de Castr. in d. L. quod si nolit* § *si plures in summ.*

16. Haec autem omnia sunt generaliter amplianda; ut in iis casibus in quibus non licet plures habere procuratores, hoc etiam negetur respectu temporis, videlicet ut non possit unus constitui usque ad tale tempus, et exinde alter ad eamdem causam, *L.* 3 *cod. de procur.*, per quem *Tex. Alex. et Bart. in d. L. jam tamen* § *si tamen plures sub n.* 2 *post Guidonem de Suzaria ff judic. solv.*

17. Declaranda etiam et intelligenda sunt, ut tam in casu in quo permittitur posse constitui plures procuratores, quam quando hoc est prohibitum, in utroque casu hoc procedat prout natura causae aut qualitas negocii patitur et exigit *Bart. in L.* 4 § *Cato in* 4 *quaest. n.* 27 *ff de verb. oblig. et in d.* § *si tamen plures n.* 4, puta considerando an res quae petitur sit dividua vel individua, *Gratian. discept. forens. cap.* 229 *n.* 16, vel agatur judicio *communi dividundo*, vel *familiae haerciscundae*, in quibus quilibet sustinet partes actoris et rei, in quibus casibus plures habere procuratores necesse est, *d. L. quod si nolit* § *si plures ff de edil. edict.*, *L. licet* § *si plures ff de procur.*, *Mastrill. d. decis.* 108 *n.* 13 *et* 22, *Gratian. d. decis.* 107 *n.* 8 *et* 9, *et d. cap.* 229 *n.* 18. Si qui alii casus autem forte occurrant, eos sub suprascriptis declarationibus facile comprehensas esse dignosci poterit.

18. Sed insurgit non incongrua dubitatio: an in casibus in quibus plures debent unum tantum habere procuratorem, ille possit omnes mandantes in solidum obligare? in qua dubitatione, affirmativa sententia regulariter verior videtur et magis communis, per *Tex. in L. fin.*, et ibi *Gloss. ff quod jussu*, quam amplexus fuit *Bald. in L. pen.* § *duobus ff mand.*, *Bart. in L. eamdem col.* 2 *n.* 5 *vers. quandoque plures ff de duobus reis,* idem *Bart. in auth. hoc ita n.* 9 *post med. cod. eo tit.*, per quem *Tex. Bart.* ibi dicit nihil esse innovatum circa plures mandatores, quem sequitur *Capyc. decis.* 180 *n.* 7, *Sim. de Praet. cons.* 159 *n.* 16 *lib.* 1, et videtur amplexa *Rot. in Romana Casalis Palazzetti*, quae est *decis.* 23 *post Zacchiam de obligat. cameral. n.* 6 *vers. quia Castrens. loquitur.*

« Mandatores plures qui scilicet mandant pro aliis, in solidum tenentur « favore procuratoris seu mandatarii, *Palma Nepos decis.* 395 *n.* 7 *lib.* 4.

« Secus est in pluribus mandantibus pro seipsis, et pro eorum inte- « resse, isti enim in solidum non tenentur *Palma Nepos ibid. n.* 8.

CAPUT XLII.

AN ET QUANDO PLURES PROCURATORES SINT IN SOLIDUM CONSTITUTI.

SUMMARIUM

1. *Quando plures fiunt procuratores non censentur omnes in solidum constituti.*
2. *Unus sine interventu alterius nihil potest facere.*
3. *Licet procuratoris constitutio facta esset verbis multum amplis.*
4. *Contraria* Baldi *opinio refutatur.*
5. *Aliquando plures etiam procuratores censentur in solidum constituti.*
6. *In causis spiritualibus si judex eligat unum ex pluribus procuratoribus in solidum non constitutis, ut magis idoneum, et caeteri acquiescant judicium cum eo factum sustinetur.*
7. *Attamen neque in casibus spiritualibus regulariter intelliguntur plures procuratores in solidum constituti.*
8. *Nisi judex alterum eligat.*
9. *Judex elegisse censetur si aliis non reclamantibus judicium fiat cum uno.*
10. *Idem loco obtinet in causis beneficialibus etiam.*
11. *Similiter plures procuratores in solidum constituti censentur, quando ita fit expresse illorum constitutio;*
12. *Vel tacite, si nempe hoc resultet ex clausulis adhibitis in procuratorio.*
13. *Scilicet si quis constituat plures procuratores, et utrumque eorum.*
14. *Vel constituat talem et talem, et eorum quemlibet.*
15. *Vel constituat cum clausula*, ita ut non sit melior conditio occupantis etc.
16. *Vel cum clausula* absentes etc.
17. *Vel si promittat ratum habere quidquid per alterum ex dictis procuratoribus gestum fuerit.*
18. *Mercatores regulariter solent plures procuratores in solidum constituere.*
19. *Quando plures procuratores sunt in solidum constituti, quilibet eorum negocium demandatum solus explicare potest.*
20. *Melior tamen conditio est praeoccupantis.*

21. *Litem contestans dicitur in judicialibus praeoccupare.*
22. *In eo quod ab eorum altero fuerit coeptum alii se ingerere non possunt.*
23. *Si is qui litem fuit contestatus, vel nolit, vel non possit prosequi judicium, recte poterit perfici ab alio.*
24. *Nisi ipse alium substituerit.*
25. *Si lis fuerit a duobus contestata, quilibet eorum de per se poterit judicium prosequi.*
26. *Quia uterque reprehesentat constituentis personam et eodem nomine agit.*
27. *Potest ab uno ex comprocuratoribus fieri litis contestatio, et ab altero testium inductio.*
28. *Praeoccupatio unius alteri non officit, si dominus in procuratorum constitutione ipsam prohibuerit mediante aliqua clausula.*
29. *Quando plures procuratores non sunt in solidum constituti, unus non tenetur pro facto alterius.*
30. *Secus vero, quando sunt in solidum constituti.*

1. Fuit in praecedenti capite conclusum, posse ad eamdem causam, idemque negocium plures constitui procuratores, ex qua conclusione non vulgaris oritur dubitatio: an omnes in solidum constituti censeantur: in qua sententiam negativam probavit *JC. in L. pluribus* 32 *ff de procurat.*, *Angel. Aret. cons.* 66 *n.* 3, *Rim. Sen. cons.* 475 *n.* 2 *lib.* 3, *Put. decis.* 16 *n.* 2 *lib.* 1 *in correct.*, *Bart. in L.* 1 *n.* 1 *circa princ. vers. sed certe ff de exercit. action.*, *Sylvanus cons.* 35 *n.* 44 *vers. non potuere igitur*, *Vant. de nullitat. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 78, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 17 *n.* 1, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 280 *n.* 3.

2. Ac proinde unus sine interventu alterius nihil poterit facere, *cap. si duo in princ. de procur. in* 6, *Gratian. discept. forens. cap.* 201 *n.* 3.

« Quoties plures adsunt procuratores constituti sub conditione, ut « alter sine altero nil gerere valeat, contrahens cum uno tantum sibi im- « putare debet, *Actolin. resolut.* 28 *n.* 1.

« Contrahens namque cum procuratore mandati formam et conditio- « nes in illo adjectas qualitatemque personae cum qua contrahit investi- « gare tenetur; neque enim ignorare debet, quod ut mandatum obliget « mandantem, diligenter est servandum, non solum quoad ejus substantia- « lia, verum etiam quoad omnes qualitates, quae in ipso reperiuntur adie- « ctae, ut ait idem *Actolin. d. resolut.* 28 *n.* 5 *et seq.*

3. Quod procedit quamvis dicta procuratorum constitutio esset facta verbis multum amplis et praegnantibus, puta *cum libera et plena potestate, facultate et administratione*, quia non propterea procuratores illi censentur in solidum constituti, *Aret. d. cons.* 66 *n.* 4 *sub vers. commodius, Dec. in cap. prudentiam col.* 7 *extr. de offic. deleg. in vers. et praedicta quaestio limitatur, Put. decis.* 67 *in correct., Gratian. d. cap.* 201 *n.* 30, *Rot. coram Sarmient. decis.* 29 *lib.* 1, *Addent. ad Gregorium XV d. decis.* 280 *n.* 9.

4. Quidquid contrarium sentiat *Bald. in rubr. cod. de exercit. act. col. fin.*, quem sequitur *Paul. de Castr. in L. una* § *si plures n. . . . ff eod. tit. et Sylvan. d. cons.* 35 *n.* 53 *vers. quando enim.* De cujus *Bald.* dicto meminerunt DD. ab illius opinione recedentes.

5. Haec tamen principalis conclusio est limitanda, multi enim dantur casus in quibus procuratores plures censentur in solidum constituti.

6. Primus quorum est, quando in causis spiritualibus judex unum ex pluribus procuratoribus, etiam non in solidum constitutis, tamquam magis idoneum elegit, et cum illo tantum fuit factum judicium et litigatum, caeteris non reclamantibus nec se opponentibus; judicium namque cum eo factum legitime et recte factum dicitur, et plenam roboris firmitatem obtinet, *cap. si duo* § *sane*, et ibi *Gemin. n. . . . , et Franch. n.* 2 *de procur. in* 6, *Franc. Marc. decis.* 1184 *n.* 14 *part.* 1, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *cap.* 17 *n.* 10 *vers. septimo.*

7. Licet nec etiam in causis spiritualibus intelligatur regulariter datum mandatum in solidum pluribus procuratoribus ad illas constitutis, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 79.

8. Si judex alterum non eligat, *Mantic. d. n.* 10.

9. Censetur autem judex elegisse, si judicium fiat cum uno aliis comprocuratoribus non reclamantibus et non se opponentibus, ut considerat *Mantic. ibid. n.* 11 *vers. ex hoc autem.*

10. Quod habere etiam locum in causis beneficialibus voluit *Rot. decis.* 107 *quae est* 3 *de procur. in nov., et Mantic. d. vers. ex hoc autem.*

11. Secundus casus est si constituantur plures procuratores in solidum, quod potest contingere vel expresse constituendo illos cum clausula in solidum, *L. pluribus* 32 *ff de procur. cap. si duo in princ. eo tit. lib.* 6, *Pancirol. cons.* 51 *n.* 10.

12. Vel tacite, si hoc resultet ex clausulis in procuratorio adhibitis, *Gemin. in d. cap. si duo in princ. n.* 6 *in fin.*, *Gratian. discept. foren. cap.* 201 *n.* 5.

13. Puta si quis constituat plures procuratores, et utrumque eorum, *Mynsinger. singular. observat. centur.* 1 *observat.* 47 *n.* 1, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *tit.* 17 *n.* 4, *Gratian. d. cap.* 201 *n.* 9, nam illa dictio *utrumque* attribuit actum cuilibet in solidum, *Barbos. de diction. diction.* 384 *n.* 2.

14. Vel constituat talem et talem, et eorum quemlibet, *Mantic. d. tit.* 17 *n.* 6, *Gratian. d. cap.* 201 *n.* 12, etenim illa quoque dictio *quemlibet* attribuit actum cuilibet in solidum, *Tiraq. de retract. lignag.* § 31 *Gloss.* 1 *n.* 11, *Rol. cons.* 70 *n.* 44 *lib.* 3, *Rim. Jun. cons.* 679 *n.* 68 *lib.* 6, *Soc. Sen. cons.* 50 *n.* 1 *lib.* 1, *et cons.* 66 *n.* 24 *lib.* 3, *Soc. Jun. cons.* 109 *n.* 7 *lib.* 1, *Corbul. de jur. emphyteut. in caus. privat. ob lineam finit. n.* 97.

15. Vel cum clausula *ita ut non sit melior conditio occupantis*, sed quod unus incepit, alter prosequi mediare et finire quaeat, *Ruin. cons.* 117 *n.* 15 *et seq. lib.* 5.

16. Vel cum clausula *absentes etc.*, quae extenditur absentes tamquam praesentes, et quemlibet eorum in solidum, *Rot. coram Greg. XV decis.* 280 *n.* 4, ubi licet attestetur hanc extensionem dictae clausulae esse juxta stylum Romanae Curiae, iste tamen stylus observatur etiam extra curiam.

17. Vel si constituens promittat habere ratum et gratum, quidquid per alterum ex dictis procuratoribus gestum fuerit, *Achill. de Grass. decis.* 61, *quae est* 1 *de procur. n.* 1, *Mantic. d. tit.* 17 *n.* 7, ubi testatur ita fuisse decisum in *Rot. coram Puteo*, prout apparet *decis.* 98 *lib.* 3, et ita etiam decisum fuit coram *Gregor. XV d. decis.* 280 *n.* 4 *in fin.*, *Gratian. d. cap.* 201 *n.* 6.

18. Tertius casus potest adnecti inter mercatores, ubi de hoc stylo illorum receptum reperitur, *Put. d. decis.* 16 *n.* 1 *lib.* 1 *in correctis.*

19. In casibus autem in quibus plures procuratores sunt in solidum constituti, licet quilibet eorum possit negocium demandatum solus explicare, quia poenes quemlibet est plena et integra administratio, et quilibet quoad hoc reprehesentat principalem mandantem, *Ruin. d. cons.* 117 *n.* 6 *lib.* 5.

« Et tunc non est dubitandum, quin ex pluribus procuratoribus in « solidum constitutis, unus tantum obligare possit mandantem, *Actolin. re-* « *solut.* 28 *n.* 7.

20. Melior tamen conditio est praeoccupantis, *d. L. pluribus* 32 *ff de procur.*, *d. cap. si duo in princ. eo tit. lib.* 6.

21. Praeoccupare autem dicitur in judicialibus, qui fuit litem contestatus, *d. cap. si duo in princ.*, *Ruin. d. cons.* 117 *n.* 17, *Port. Imol. cons.* 171 *n.* 9.

22. Et in eo quod ab eorum altero coeptum fuerit, non possunt alii se ingerere, *d. L. pluribus cap. non injuste extr. de procurat.*, *et d. cap. si duo* et ubique *Gloss. et DD.*, *Rim. Sen. cons.* 320 *n.* 19 *lib.* 2.

« Procurator unus ex pluribus, quando se intromittit in causa per « alterum incoepta hujus acta non valent, *Palma Nepos decis.* 43 *n.* 28 « *lib.* 1.

« Intellige, si primus procurator, qui praeoccupavit opponat; secus si « non opponat, quia tunc acta substinentur, *idem Palm. Nepos ibid. n.* 29.

23. Quod tamen ultimum limitat duobus modis *Guid. Pap. in d. cap. si duo in princ.*, videlicet si is qui litem contestando praevenit, vel nolit judicium prosequi, vel non possit ex eo, quod infirmetur, absentetur, moriatur, aut aliter impediatur; quibus casibus contingentibus posse alium ex dictis procuratoribus suscipere et perficere judicium, dicit ibi *Pap. in princ. et in fin.*

24. Nisi is qui praevenit in dictis casibus alium substituerit, tunc enim cum substituto erit judicium terminandum, ut subdit ibi *Pap.* in fine principii.

25. Alio modo limitat *Ruin. d. cons.* 117 *n.* 6, scilicet quando ab initio lis fuit contestata a duobus conjunctim, quo casu quod quilibet separatim de per se possit judicium prosequi, dicit ibi *Ruin.* ex mente *Innoc., Jo. Andr. et Gemin. in capit. praesentium de testib. in* 6, et repetit idem *Ruin. ibid. n.* 17.

26. Ea ratione, quia constat, quod uterque reprehesentat personam constituentis et eodem nomine agit, *Ruin. ibi n.* 6, *et Gemin. in d. cap. si duo in princ. n.* 6.

27. An autem si testes inducantur non ab illo procuratore qui fuit litem contestatus, sed ab altero, inductio et depositiones inde sequutae valeant et suffragentur, late discutit *Albericus de Maletis tract. de testib. part.* 1 *cap.* 7 *n.* 21 *et seq.*, et verior videtur pars affirmativa; quia procurator ille, cum quo lis non fuit contestata, non repellitur ipso jure a judicio, sed ope exceptionis si is qui fuit litem contestatus et praeoccupavit se opponat et contradicat, *Rot. decis.* 754 *n.* 3 *part.* 2 *Recent.*

28. Verum si dominus in constitutione horum procuratorum adhibuit aliquam clausulam, per quam dictam praeoccupationem prohibuerit et denegaverit, tunc praeoccupatio unius alterum non excludit; puta si in procuratorio usus fuit clausula: *ita ut non sit melior conditio praeoccupantis*, *Gratian. discept. forens. cap.* 201 *n.* 58, vel clausula: *et quod unus eorum inchoaverit alter prosequi mediare et finire valeat*, *Ruin. d. cons.* 117 *n.* 6 *ante vers. item*, *et tertio et n.* 15 *lib.* 5, *Gratian. d. cap.* 201 *n.* 53 *et seq.* Vel clausula: *promittens* etc., quae extenditur quidquid per dictos procuratores, vel eorum alterum gestum fuerit, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 280 *n.* 4, et importat mandatum in solidum, *Addent. ibi n.* 10.

29. Ubi autem plures procuratores sunt constituti, sed non in solidum unus non tenetur pro facto alterius, nec constituuntur rei debendi in solidum, sed quilibet tenetur dumtaxat pro gestis per semetipsum, non pro gestis per alios.

30. Secus autem si illis data fuerit administratio in solidum, *L. cum*

alicui in fin., et ibi *Bart. n.* 4 *ff de negoc. gest.*, idem *Bart. in L. eamdem in princ. n.* 8, et ibi *Jo. Ronchegallus n.* 239 *et infra usque ad num.* 244 *ff de duobus reis*, *Aret. cons.* 66 *n.* 5 quidquid contrarium defendere conetur *Thom. Doccius cons.* 17 *n.* 5 *et seqq.*

CAPUT XLIII.

PROCURATOR AD LITES AN TENEATUR APPELLARE ET APPELLATIONEM PROSEQUI.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad lites appellare tenetur.*
2. *Appellatio interponi debet coram judice coram quo fuit causa agitata.*
3. *Dicitur de appendiciis primae causae.*
4. *In prosecutione ejusdem causae tenetur appellare.*
5. *Procurator appellare non tenetur, si juste succumbat.*
6. *In dubio semper praesumitur ita succubuisse, cum pro sententiae justitia praesumatur.*
7. *Similiter aliquando appellare non potest etiamsi sit specialiter constitutus ad appellandum.*
8. *Procurator simpliciter constitutus ad lites et causas appellationem prosequi non tenetur.*
9. *Appellationis prosequutio non est de appendiciis primae instantiae, cum fiat coram diverso judice.*
10. *Tenetur vero appellationem prosequi, quando in appellationis causa fuit admissus.*
11. *Vel quando appellatio interposita fuit a decreto seu pronuncia interlocutoria.*
12. *Nisi appellationis instantia esset tractanda in loco remoto.*
13. *Procurator generaliter constitutus ad omnes causas praesentes et futuras non solum debet appellare, sed etiam appellationem prosequi.*
14. *Idem procedit in procuratore cum simili potestate substituto a procuratore, cui talis erat facultas.*
15. *Et in procuratore ad causas constituto cum aliquo tantum signo universali, puta ad omnes causas.*
16. *Nam idem est ac si fuisset etiam ad futuras constitutus.*
17. *Multo magis in procuratore expresse constituto ad prosequendam appellationem.*

18. *Contrarium vero, si priusquam procurator incipiat prosequi appellationem constituens moriatur.*
19. *Alia est instantia causae principalis, alia prosecutionis appellationis.*
20. *Appellatio non est principium judicii super illius prosecutione, sed quoddam praeparatorium ad illud.*
21. *Quamvis procurator per litis contestationem coram primo judice sit effectus dominus litis, jus tamen dicti domini non extenditur ultra primam causam.*

Caput istud duas habet partes: una est an procurator ad lites teneatur appellare: altera an teneatur appellationem prosequi; utramque breviter et resolutive explicabimus.

1. In prima itaque parte constituo conclusionem affirmativam, per *Tex. in L. invitus in* 2 *respons.*, et ibi *Gloss. et DD. communiter cod. de procur.* Procurator namque acceptando mandatum simpliciter, censetur acceptasse illud quoad omnia contenta in procuratorio, alias fidem susceptam non impleret, quod facere non debet, *d. L. invitus in fin.*, et ibi *Paul. De Castr. n.* 5 *in fin.*

« Appellatio interponi debet per ipsum principalem, vel per ejus legiti-
« mum procuratorem, nisi de illis causis agatur quae populares dicuntur,
« quia nempe cuilibet ad defensionem personae cujus interest appellatio-
« nem interponi, agere, vel excipere liceat, dum multo magis licet in-
« terponere appellationem quae species defensionis dicitur; ut ex. gr. sunt
« ecclesia, pupillus, amens et aliae similes personae privilegiatae, quae
« sub legis defensione vel protectione vivunt, *Card. De Luc. de judiciis*
« *disc.* 37 *n.* 11.

« In non privilegiatis autem necessarium non est mandatum speciale,
« cum sufficiat illud generale quod pro causae defensione datum est, etiam
« tacitum, seu praesumptum, quoniam illi qui deputatus est procurator ad
« causae defensionem, fortius data censetur ista facultas appellandi quae
« connaturalis, immo necessaria dicitur, *Card. De Luc. de judiciis d. disc.* 37
« *n.* 12, adeout adversus procuratorem non appellantem concedatur actio
« ad interesse, ut notatur infra *cap. LV ad n.* 2.

2. Nam cum appellatio quia interponi debet coram judice, coram quo causa fuit agitata, *Bald. in L. apertissimi n.* 3 *cod. de judic.*

« Fallit tamen, quoties appellans non potuisset habere accessum ad
« judicem in tempore, aut moetus extitisset, quia tunc appellatio interponi
« posset coram notario vel coram judice ad quem, vel etiam coram honestis
« personis, electione appellanti relicta, *Conciol. et Romaguer. ad statut.*
« *Eugubin. lib.* 3 *rubr.* 1 *n.* 4, 5 *et* 42.

3. Dicatur de appendiciis primae causae, *Laderch. Imol. cons.* 11 *sub n.* 1, *Rot. decis.* 2 *n.* 1 *vers. in contrarium de procur. per Bisignett.*

4. Procurator prosequendo eamdem causam tenetur appellare, *arg. Tex. in L. nam et servus* § *si vivo ff de negoc. gest., Paul. de Castr. in d. L. invitus n.* 4, et ibi *Jas. n.* 3, *Laderch. d. cons.* 11 *n.* 1.

5. Haec autem conclusio est limitanda primo, si procurator juste succubuisset; proindeque eo casu sequendo bonam fidem non tenetur appellare, ut post *Cyn. Rayner. de Forlivio, et Salic. in d. L. invitus cod. de procur.* dicunt ibi *Angelus n.* 4 *in fin. et Alex. pariter n.* 4.

6. In dubio autem praesumitur succubuisse cum pro justitia sententiae praesumatur, *L. Heremnius* § *Cajo ff de evict., cap. in praesentia extr. de renunc., Alciat. in tract. de praesumpt. regul.* 3 *praesumpt.* 9 *n.* 6.

7. Limitatur etiam aliis modis in quibus appellare non potest etiam procurator specialiter constitutus ad appellandum, quos habemus infra *cap. XLV de procuratore ad appellandum.*

8. In secunda parte principali, an procurator ad lites teneatur appellationem prosequi sunt considerandi duo casus principales. Primus est quando procurator fuit constitutus simpliciter et indefinite ad lites et causas. Secundus quando fuit constitutus generaliter ad omnes causas praesentes et futuras, motas et movendas. In primo casu facienda est conclusio negativa, *L. senator cod. de appellat., DD. in d. L. invitus*, et ibi *Bart. n.* 2, *et Salyc.* testatur de communi, *Paul. De Castr. cons.* 12 *n.* 5 *lib.* 1, *Pul. decis.* 265 *post princ. lib.* 1 *in correct., Laderch. d. cons.* 11 *n.* 1 § *si tamen vellet.*

9. Nam cum prosequutio appellationis fiat coram diverso judice, non est de appendiciis primae instantiae, sed sunt diversae instantiae *Castrens. d. cons.* 12 *n.* 5 *et in d. L. invitus n.* 5, et ibi *Bald. n.* 6 *vers. in contrarium, Jas. n.* 3 *cod. de procurat., Laderch. cons.* 55 *sub n.* 1.

10. Limitatur autem haec conclusio: Primo, quando iste procurator fuit admissus in causa appellationis, quia illam potest prosequi, et non potest reiici a procuratione, *L. ita demum* et ibi *DD. cod. de procur., Bertazol. cons. crim.* 402 *n.* 35 *lib.* 2.

11. Limitatur secundo, quoad appellationem interpositam a decreto seu pronuncia interlocutoria, quia tenetur illam prosequi, *Bart. in d. L. invitus n.* 8 *vers. et praefata intellige*, et ibi *Angel. n.* 5, *Paul. De Castr. n.* 5, *Alex. n.* 14 *et Jas. n.* 4.

12. Nisi appellationis instantia esset tractanda in loco remoto, adeo ut si procurator teneretur prosequi hanc appellationem damnum pateretur ex eo quod distraheretur ab aliis suis negociis, *Alex. d. n.* 14 *et Jas. d. n.* 4, qui de communi testatur.

13. In secundo casu est facienda conclusio affirmativa, quod procurator constitutus generaliter ad omnes causas praesentes et futuras, motas et mo-

vendas teneatur non solum appellare, sed etiam appellationem prosequi ex mente omnium scribentium in *d. L. invitus cod. de procurat.* et signanter *Bart. et Angel. n.* 4, *Paul. De Castro n.* 5 *vers. item est verum*, *Alex. n.* 13, *Jas. n.* 4 *vers. secundo*, *Put. d. decis.* 265 *lib.* 1 *in correct.*, *Ruin. cons.* 80 *n.* 3 *vers. et similiter lib.* 5, *Laderch. d. cons.* 55 *n.* 1 *vers. et ob id*, *Rol. cons.* 43 *n.* 10 *lib.* 1, *Rot. decis.* 62 *lib.* 1 *par.* 3 *divers.*

14. Quae conclusio ampliatur primo, ut procedat etiam in procuratore substituto cum simili potestate a procuratore, qui talem potestatem habeat, *Rot. d. decis.* 62.

15. Secundo ampliatur ut habeat locum etiam quando iste procurator fuit constitutus ad lites et causas dumtaxat cum aliquo signo universali, puta ad omnes causas, vel cum similibus verbis praegnantibus, licet in procuratorio non fuerit dictum ad omnes causas praesentes et futuras, motas et movendas, *Jas. in d. L. invitus n.* 4 *vers. secundo*, *Bertazol. d. cons.* 402 *n.* 35 *lib.* 2 *criminal.*

16. Nam perinde est ac si fuisset constitutus etiam ad causas futuras, *Vestr. in sua prax. rom. cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 11, et ibi *Gravat. n.* 38 *vers. verum tamen*, *Addent. ad decis. Rotae* 19 *quae est prima de procur. in nov. n.* 11 *vers. contra tam praedicta*, *Joseph Ludovici decis. Perus.* 37 *n.* 2.

17. Et multo magis tenetur appellationem prosequi, si sit constitutus procurator etiam expresse ad prosequendam appellationem, ut multos referens, et ita omnes convenire post *Bart.* testans, *dicit Laderch. cons.* 11 *n.* 1 *vers. quod si mandatum.*

18. Limitatur autem supradicta conclusio, ut non procedat si constituens moriatur antequam procurator incipiat prosequi appellationem, *Laderch. cons.* 11 *n.* 1 *vers. quod si ad illam, et cons.* 55 *n.* 1 *per tot. lib.* 1.

Tunc enim dominus quoad illud judicium prosecutionis, diceretur mortuus re integra, et proinde mandatum quoad illud judicium et istantiam diceretur expirasse, *L. mandatum*, *cod. mand.* et nos dicemus late infra *cap. CXIX*, dum agemus *quando mandatum morte finiatur.*

19. Nam alia est instantia causae principalis, alia prosequutoria appellationis, *Paul. de Castr. d. cons.* 12 *n.* 5 *lib.* 1, *Magon. decis. Florent.* 52 *n.* 17, *Laderch. d. cons.* 55 *sub n.* 1, et nos supra diximus.

20. Et appellatio non est principium judicii super prosequutione illius sed est quoddam praeparatorium ad illud, *Gloss. in d. L. invitus in verb. extendere in fin.*, et ibi *Bart. n.* 6 *cod. de procur.*

21. Et propterea licet procurator per litis contestationem coram primo judice sit effectus dominus litis, *L. neque tutores, cod. de procur.*, *L. si procuratorem* § *si quis mandaverit ff mand.* Jus tamen dicti dominii non egreditur primam causam, *Bart. in L. si procurator n.* 2 *cod. de procur.*, *et in L. hoc jure n.* 5 *ff de solut.*

CAPUT XLIV.

DE PROCURATORE CONSTITUTO AD CERTAM CAUSAM.

SUMMARIUM

1. *Procurator intelligitur ad certam causam constitutus, quando in procuratorio est expressa causa ad quam illum dominus constituit.*
2. *Ejus facultas non extenditur ultra personam et causam contentam in dicto processu.*
3. *Procurator ad litem constitutus cum certa persona et super certa causa contra aliam personam in eadem causa comparere nequit.*
4. *Procuratorum mandata sunt stricti juris, ideoque non extendenda.*
5. *Mutatio personae causae mutationem inducit.*
6. *Praedictum mandatum neque inserviret inter easdem personas, nisi in causis in procuratorio expressis.*
7. *Procurator ad agendum contra certam personam a domino constitutus non potest illum defendere in judicio reconventionis, si sit rei procurator.*
8. *Si hujusmodi procurator in causa in qua ejus principalis convenitur, aliquid faciat, illud quoad domini praejudicium non valet.*
9. *Secus vero procedit in actoris procuratore.*
10. *Licet sit constitutus ad agendum cum dictione taxativa.*
11. *Non potest tamen agere pro revocatione sequestri.*
12. *Mutatio personae in procuratorio expressae, causae mutationem inducit.*
13. *Procurator constitutus ad certam causam potest a sententia lata contra suum principalem appellare.*
14. *Quamvis sententia sit lata post mortem sui principalis.*
15. *Immo appellare tenetur sive sententia sit definitiva, sive interlocutoria.*
16. *Attamen appellationem a se interpositam prosequi non valet.*
17. *Appellationis prosequutio non est appendix primae causae, sed est causa a prima diversa.*
18. *Prefixio termini hujusmodi procuratori facta ad committendum causam appellationis, et illam prosequendum non valet.*

19. *Procurator ad certam causam appellationem prosequi valet non ut procurator, sed ut sui principalis defensor.*
20. *Similiter appellationem prosequi tenetur, si fuerit interposita appellatio a decreto interlocutorio.*
21. *Interlocutoria liti finem non imponit.*
22. *Non potest justificari nisi ex prioribus actis.*
23. *Appellatio a definitiva potest justificari etiam ex noviter deductis.*
24. *Appellationem etiam ab interlocutoria procurator prosequi non potest, si sit ipsi restricta facultas ad primam instantiam coram primo judice, et appellationis causa ab alio judice sit cognoscenda.*
25. *Appellationis causa est diversa a causa primae instantiae.*
26. *Appellationem pariter ab interlocutoria interpositam prosequi nequit, si ista sit cognoscenda in alia civitate vel loco.*
27. *Vel si coram judice ad quem est devoluta causa appellationis ab interlocutoria, sit tractandum de meritis et negocio principali.*
28. *Procurator ad certam causam appellationem prosequi potest etiam a sententia definitiva, quando ejus principalis multum distaret a loco ubi lata fuit sententia.*
29. *Si in causa per ipsum agitata in prima instantia feratur sententia ad favorem sui principalis, quae transierit in rem judicatam, potest dictae sententiae executionem petere absque novo mandato, si executio coram judice eodem petatur.*
30. *Executio est de appendiciis ejusdem judicii.*
31. *Hujusmodi procurator potest explicare connexa et dependentia causae;*
32. *Jurare tamen non potest.*
33. *Quamvis juramentum sit de appendiciis et dependentibus judicii.*
34. *Praedictam vero executionem petere non potest adversario opponente, si petitio fiat coram alio judice.*
35. *Adversario autem non opponente, sustinetur judicium et executio inde sequuta.*
36. *Sententiae executionem coram alio judice petere non potest, adversario se opponente in iis casibus in quibus procuratori acquiruntur directae actiones, secus in aliis.*
37. *Et nisi habeat facultatem procedendi in causa usque ad sententiae executionem inclusive.*
38. *Vel nisi sit constitutus procurator tam in prima, quam in secunda instantia.*
39. *Aut nisi praestet rati cautionem pro sua principali.*

1. Diximus de procuratore constituto generaliter ad omnes causas, sequitur ut videamus de constituto ad unam causam tantum; qui est quando mandatum concipitur ad causam in procuratorio expressam et specificatam: verb. gr.: ad causam quam constituens habet cum Titio coram tali judice.

2. Qualis etiam procurator constitutus apud acta, cujus facultas non egreditur personam nec causam in dicto processu contentam, de quo diximus supra *cap. XXV de mandato expresso;* alias si mandatum esset indefinitum ad litem et causam, diceretur generale, ut dictum fuit supra *cap. XXXIV*, dum egimus *de procuratore generali ad lites.*

3. Circa hoc mandatum autem de quo acturi sumus, aliquot possunt excitari dubitationes, singillatim resolvendae. Prima est an procurator constitutus ad litem cum certa persona super causa expresse specificata, sit legitimus procurator contra aliam personam super eadem causa, et de eadem re. In qua partem negativam firmant *Bellamer. decis.* 314, *Rot. decis.* 171, *quae est* 13 *de procur. in nov.*, et ibi *Addent. n.* 1, *Vestr. in prax. Rom. Cur. lib.* 4 *cap.* 5 *num.* 13, ubi *Gravat. n.* 39 alios refert.

4. Ratio est quia mandata procuratorum sunt stricti juris, et ideo non extendenda, *Rot. d. decis.* 13, sequitur *Gravat. d. n.* 39.

5. Et mutatio personae inducit mutationem causae, *L. cum a te*, *L. quaeritur cum*, *L. seq. ff de except. rei judic.*, per quae jura *Bellamer. d. decis.* 314.

6. Immo tale mandatum nec inservire posset inter easdem personas nisi pro causis in procuratorio expressis, ut per eamdem rationem concludit *Vestrius* ubi supra *n.* 14.

7. Secundo dubitatur, an procurator constitutus ad agendum contra certam personam proprio nomine expressam, si ejus principalis reconveniatur, possit vigore dicti mandati illum defendere in judicio reconventionis, pro cujus resolutione est distinguendum, an sit procurator actoris, an vero rei. In procuratore rei negative concludit *Rom. sing.* 116 *per Tex. in cap. constitutus extr. de procur.*, quem dicit unicum et legistis penitus incognitum et mirabilem; sequitur *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 81, *et Decian. cons.* 68 *n.* 15 *lib.* 3, quia reus non agit, sed contra ipsum agitur, et ipse se defendit adversus agentem.

8. Unde si talis procurator in causa, in qua ejus principalis convenitur aliquid faceret, illud quoad domini praejudicium non valeret, ut deducit *Vant. d. n.* 81.

9. In procuratore autem actoris affirmative concludit *Vantius d. n.* 81.

10. Quamvis sit constitutus ad agendum cum dictione taxativa, *L. actionem cod. de procur. per quem Tex.*, *et alia jura Decian. d. cons.* 68 *n.* 15.

11. Non tamen posset iste procurator agere pro revocatione sequestri, si ei dum agit opponatur a reo exceptio sequestri, sibi a creditoribus constituentis facti, ut firmat *Decian. d. cons.* 68 *n.* 17.

12. Ea ratione, quia mutata persona in procuratorio nominata, ipsa quoque causa mutatur, ad quam procurator erat constitutus ut considerat ibi *Decian.*, et nos supra diximus.

13. Tertio dubitatur, an iste procurator constitutus ad certam causam, possit prosequi appellationem a se interpositam a sententia lata contra suum principalem in eadem causa: nam quoad facultatem appellandi communis est resolutio, quod non solum possit appellare, *L. invitus cod. de procurat. cap. non injuste*, et ibi *Abb. n ... extr. eo tit.*, *Laderch.* qui alios allegat *cons.* 11 *sub n.* 1 *vers. quod si non illum.*

14. Licet sententia sit lata post mortem sui principalis, si non vigore mandati quod per mortem sui principalis expiraverat, *L. mandatum C. mand.*, saltem ratione dominii, quod ob litis contestationem acquisiverat in dicta causa *L. nulli*, et ibi notant omnes *C. de procur.*

15. Sed etiam quod teneatur appellare, sive sententia sit definitiva, sive interlocutoria, *Andr. Gail. pract. observat. lib.* 1 *observat.* 139 *n.* 9.

16. Sed dubitatio versatur circa prosecutionem appellationis, in qua DD. sunt amplexi partem negativam, *Paul. de Castr. cons.* 12 *n.* 5 *lib.* 1, *Put. decis.* 265 *et decis.* 335 *n.* 1 *lib.* 1 *in correct.*, *Laderch. d. cons.* 11 *n.* 1 *circa princ. vers. si tamen vellet*, qui de communi testatur, *Loffred. cons. feudal.* 20 *n.* 5, qui similiter de communi, *Gaspar. Anton. Thesaur. quaest. forens. lib.* 1 *q.* 75 *sub n.* 3.

17. Moventur ea ratione, quia prosecutio appellationis non est appendix primae causae, sed est causa diversa a prima, *Salic. in L. fin. n.* 6, et ibi *Paul. de Castr. n.* 5 *C. an per ali. caus. appellat.*, quos refert et sequitur *Laderch. d. vers. si tamen vellet*, *Thesaur. d. q.* 75 *n.* 3 *in fin.*, *Paul. de Castr. d. cons.* 12 *n.* 5. Et licet de jure civili hoc posset videri dubitabile, cum non desint qui contrariam sententiam amplectantur, de jure tamen canonico hoc est definitum *in d. cap. non injuste*, ubi *Abb. n.* 5 hoc adnotavit *extr. de procur.*, *Laderch. d. cons.* 11 *sub n.* 1 *vers. tamen hodie.*

18. Atque hinc *Rot. coram Mohedan. dec.* 126 *quae est* 5 *de procur.* resolvit quod praefixio termini huic procuratori facta ad committendum causam appellationis, et illam prosequendum non valuit, quia ista prosecutio est actus secundae instantiae ad quam procurator iste non habet mandatum, et respondet ad *cap. cum sit romana extr. de appellat.*, quod illud procedit quando praefixio termini fit appellanti habenti legitimam personam ad prosequendum appellationem, ut notant *DD. in L. si procuratorem* § *si ignoranter ff mand.*

19. Ista autem negativa et communis conclusio limitatur primo, si iste

procurator vellet prosequi appellationem non tamquam procurator, sed uti defensor sui principalis, nam eo casu non deberet repelli, immo deberet admitti ad prosequendam appellationem *Put. d. dec.* 265 *ad fin. lib.* 1 *in correctis.*

20. Secundo limitatur respectu appellationis interpositae a pronuncia seu decreto interlocutorio, quo casu non solum posset appellationem prosequi, sed deberet, *Capell. Tholos. dec.* 155, *Boer. dec.* 285 *n.* 10, *Andr. Gail. pract. observ. lib.* 1 *observ.* 139 *n.* 11, *Gaspar. Ant. Thesaur. d. quaest.* 75 *n.* 3.

21. Quia dicta interlocutoria non imponit finem liti, ut dicit ibi *Boer.*

22. Et non potest justificari nisi ex prioribus actis.

23. Appellatio autem a definitiva potest justificari etiam ex noviter deductis, ut ait *Gail. d. n.* 11 *vers. et ratio.*

24. Quod tamen est sublimitandum, nisi facultas procuratoris esset restricta ad primam instantiam coram primo judice, nam si causa appellationis etiam ab interlocutoria esset cognoscenda ab alio judice, eo etiam casu procurator diceretur functus officio suo appellando, nec posset vigore sui mandati comparere coram judice ad quem causa appellationis esset devoluta, *Thesaur. d. n.* 3 *ad fin.*, *Addent. Thesaur. dec.* 107.

25. Quia causa appellationis est diversa a causa primae instantiae, *DD. in L. invitus C. de procur.*, *Gail. d. observ.* 139 *n.* 11 *vers. sed definitiva*, *Gaspar. Ant. Thesaur. d. n.* 3 *ad fin.* et nos alibi diximus.

26. Secundo sublimitatur nisi causa appellationis interpositae ab interlocutoria esset cognoscenda in alia civitate vel loco, *Capell. Tholos. d. dec.* 155, *Boer. d. dec.* 285 *n.* 10 *vers. et istud est verum*, *Thesaur. d. quaest.* 75 *n.* 3.

27. Tertio sublimitatur si coram judice ad quem est devoluta causa appellationis ab interlocutoria, sit tractandum de meritis et negocio principali, nam procurator constitutus coram primo judice, non posset comparere coram secundo, ut aliorum auctoritate firmat *Thesaur. d. n.* 3 *vers. verum ad hoc.*

28. Tertio principaliter limitatur conclusio firmata in hac tertia dubitatione, quando dominus principalis multum distaret a loco ubi lata fuit sententia definitiva, nam tunc, ut lites abbrevientur, assignatur terminus peremptorius procuratori ad prosequendum appellationem, quod si fecerit, sententiam non transibit in rem judicatam, ut ex mente *Hostiens.* servari in Curia Romana testatur *Aufrerius ad d. decis.* 155, *Capell. Tholos. in fin.*

29. Quarto dubitari potest, an si in causa per dictum procuratorem agitata in prima instantia feratur sententia ad favorem sui principalis, quae

transiverit in rem judicatam, possit ipse procurator absque novo mandato petere executionem dictae sententiae. In qua pro resolutione est distinguendum: an petatur executio coram eodem judice qui tulit sententiam, et mandatum executivum decrevit, et potest procurator executionem dicti decreti petere.

30. Quia executio est de appendiciis ejusdem judicii, *Rot. coram Puteo dec.* 366 *n.* 7 *lib.* 1 *in correctis.*

31. Nam talis procurator potest explicare connexa et dependentia causae, *Bart. in L. cum procurator in princ. n.* 2, et ibi *Alex. n.* 2 *ff de nov. oper. nunc.*, *Rot. coram Mohedan. dec.* 100, *quae est* 4 *de judic. n.* 2, *Seraph. de privil. juram. privil.* 111 *n.* 2.

« Mandatum non ambigitur ad id quod venit in consequentiam exten-
« di, *Actolin. resolut.* 66 *n.* 17.

« Procurator potest facere non solum ea ad quae fuit constitutus, sed
« etiam illius accessoria atque inseparabilia, *Actolin. resolut.* 110 *n.* 36.

32. Praeterquam jurare.

33. Licet juramentum sit de appendiciis et de dependentibus judicii, ut subdit ibi *Seraph. n.* 3.

34. Aut vero petenda est executio coram alio judice, et tunc procurator non excluditur ipso jure a dicta petitione, sed dumtaxat ipso adversario opponente, et sic ope exceptionis.

35. Illo autem non opponente, judicium et executionem inde sequutam esse validam et legitime factam, vult *Bart. in L. hoc jure n.* 4, *et alii ibidem ff de solut.*, *Put. d. decis.* 366 *n.* 2 *lib.* 1 *in correct.*, *DD. in L. invitus C. de procur.*, *Menoch. cons.* 790 *n.* 1 *et cons.* 792 *in fin. lib.* 8, *Ant. Monach. decis. Bonon.* 15 *n.* 16.

36. Ista tamen conclusio in secundo membro distinctionis debet declarari primo, ut in iis casibus in quibus procuratori acquiruntur directe actiones, secus in aliis, ut post *Paul. de Castr. in d. L. hoc jure* dixit *Rot. coram Puteo d. dec.* 366 *n.* 3.

37. Secundo declaratur ut procedat, nisi huic procuratori esset data facultas procedendi in causa, usque ad sententiae executionem inclusive; nam tunc poterit petere etiam executionem, *Ant. Monachus d. dec. Bonon.* 15 *n.* 28.

38. Vel nisi sit constitutus procurator tam in prima quam in secunda instantia, quo etiam casu poterit sententiae executionem petere, *Thesaur. d. dec.* 107 *n.* 4 *in fin.*

39. Tertio declaratur, ut iste procurator possit etiam petere executionem si praestet cautionem rati pro suo principali, ut post *Paul. de Castr. d. L. hoc jure*, dicit *Marcabr. cons.* 91 *n.* 6.

CAPUT XLV.

DE PROCURATORE CONSTITUTO AD UNUM TANTUM ARTICULUM.

SUMMARIUM

1. *Si procurator ad unum tantum articulum sit constitutus, ejus facultas regulatur a forma mandati.*
2. *Restringitur ad expressa in procuratorio.*
3. *Ultra ea procurator non potest se ingerere in causa.*
4. *Comparens in judicio ad explicandum actum expressum in procuratoria potest reüvi ab adversario.*
5. *Procurator ad contestandam litem constitutus cum aliquo signo arctativo, non potest se ingerere ultra litis contestationem.*
6. *Secus si sit constitutus ad contestandam litem simpliciter, et absque alia dictione taxativa.*
7. *Habens mandatum ad praecedentia, censetur illud habere etiam ad sequentia et consecutiva.*
8. *Immo potest etiam appellare a sententia lata contra suum principalem.*
9. *Postquam cum hujusmodi procuratore fuit lis contestata, et ita est effectus dominus litis, debet ipse, et non dominus ad causam citari.*
10. *Similiter procurator constitutus ad defendendum suum principalem in aliqua causa, nihil potest ultra defensionem facere.*
11. *Si contra suum principalem fuerit executum monitorium super molestationibus et jactationibus, non poterit obtinere causam committi.*
12. *Ille defendere proprie dicitur, qui provocatus venit ad judicium.*
13. *Provocatus per monitorium super molestationibus et jactationibus non potest dici quod vere sit ad judicium provocatus.*
14. *Diffamare est provocare ad judicium ita ut diffamatus se defendere cogatur.*
15. *In mandatis verba sunt proprie et stricte intelligenda.*
16. *Poterit tamen talis procurator obtinere causam committi, si dominus ratam habeat dictam commissionem.*
17. *Exceptiones vero opponere nequit, nisi sit etiam constitutus ad excipiendum.*

18. *Procurator constitutus ad excipiendum, quando possit exceptiones opponere.*

19. *Constitutus ad audiendam prolationem sententiae, non potest a sententia lata contra suum principalem appellare.*

20. *Praesertim si in mandato aliqua particula taxativa fuerit apposita.*

21. *Mandatum videtur comprehendere etiam ea quae sunt dependentia, connexa, atque vicina actui mandato.*

22. *Licet alioquin requirerent mandatum speciale.*

23. *Si tamen connexa et dependentia sint necessaria ad explicandum actum mandatum.*

1. Explicavimus hucusque ea quae sese obviam fecerunt pertinentia ad mandatum generale ad lites et ad judicialia, et ad mandatum ad certam causam, restat ut aliqua dicamus de procuratore constituto ad unum tantum articulum alicujus causae, puta ad contestandum litem, ad defendendum, ad appellandum, ad petendum restitutionem in integrum, ad ponendum et respondendum positionibus, ad subeundum vel referendum juramentum, et faciendum similia. De singulis est singulariter et singillatim agendum. Si statuerimus primo quod hujus procuratoris facultas et potestas a forma mandati est regulanda, *L. generaliter ff mand.*

2. Restringitur enim ad expressa in procuratorio, *Joseph Ludovic. dec. Perusin.* 117 *n.* 1.

3. Ac ultra ea procurator se intromittere et ingerere in causa non potest, *L. si procurator cod. mand., Rom. cons.* 330 *n.* 6.

4. Et comparens in judicio ad explicandum actum in procuratorio expressum potest ab adversario repelli, et nolle cum eo litigare; nam ipsius interest ne actu illo explicato contingat fieri mutationem de alio procuratore, ut adnotat *Ant. de Butrio in cap. petitio, n. . . . extr. de procur., Alex. in L. si procurator n.* 8. *C. eod. tit.*

5. Discurrendo autem super exemplis supra propositis, in primis videndum est de procuratore constituto ad contestandam litem; circa quem dubitatur an possit illam mediare et finire; pro cujus dubitationis resolutione, *Speculator in tit. de procur.* § *ratione autem formae n.* 5 admonet esse spectanda verba mandati; nam si sit constitutus ad litem contestandam cum aliquo signo arctativo et restrictivo, non poterit se ingerere ultra litis contestationem, *Jas. in L. procurator n.* 10 *C. de judic., Franc. Becius cons.* 20 *n.* 22. *lib.* 1.

6. Si autem sit constitutus ad contestandam litem simpliciter absque aliqua dictione taxativa, poterit non solum contestari litem, sed etiam illam mediare et finire.

7. Quia habens mandatum ad praecedentia, censetur habere illud etiam ad sequentia et consecutiva, *Paul. de Castr. in L. ad rem mobilem n. . . . ff de procur., Rim. Jun. cons.* 11 *n.* 8 et 9 *lib.* 1.

8. Immo poterit etiam appellare a sententia lata contra suum principalem, *Jas. in d. L. procurator. n.* 10.

9. Postquam autem cum isto procuratore lis fuit contestata et sic per litis contestationem est effectus dominus litis, ipse et non dominus ad causam citari debet, alias processus et sententia inde sequuta esset nulla, *L. procuratoribus cod. de procur., Bertaz. cons. crimin.* 401 *n.* 13 *lib.* 2, *et cons.* 400 *n.* 15 *eod. lib.*, et nos dicemus *cap. LVIII de procuratore domino litis effecto.*

10. Idem dicendum est de procuratore constituto ad defendendum suum principalem in aliqua causa, quod scilicet ultra defensionem nil possit facere.

11. Unde sequitur, quod si contra suum principalem fuerit executum monitorium super molestationibus et jactationibus juxta terminos *L. diffamari cod. de ingen. et manum.*, iste procurator constitutus ad defendendum, non poterit obtinere committi dictam causam, *Gloss. in cap. constitutus extr. de procur.* quam sequuta fuit, *Rot. cor. Card. Cavaller. dec.* 483 *n.* 6, et antea *cor. Puteo dec.* 413 *ante num.* 1 *lib.* 1 *in correctis.*

12. Nam ille dicitur proprie defendere, qui provocatus venit ad judicium, *L. in tribus ff de judic., L. cum et minores cod. si advers. rem. judicat., Paul. de Castr. in L. de pupillo* § *qui remissionem n. . . . ff nov. oper. nunc., Put. d. dec.* 423 *n.* 3.

13. Sed provocatus mediante monitorio super molestationibus et jactationibus, non potest proprie et vere dici quod veniat ad judicium provocatus, cum potius ipse assertum diffamatorem provocet ad judicium merito non potest dici quod procurator instando committi dictam causam, tractet de sui domini constituentis defensione.

Nec obstat quod in terminis *d. L. diffamari* statuitur quod quis provocat aliquem ad judicium, dum contra illum facit exequi monitorium super molestationibus et jactationibus; quia immo ipse fuit provocatus ob diffamationem ab adversario emanatam, et dici debet sustinere partes provocati, ut dicit *Paul. de Castr. in d.* § *qui remissionem n . . .* , et ibi *Jas. n.* 4 *et alii*, et refert *Caesar. Contardus in d. L. diffamari in quaest. n.* 12 *et* 21.

14. Et in hoc judicio diffamator tacite se adstringit ad agendum, et diffamare est provocare et lacessere ad judicium, ita ut diffamatus se defendere cogatur, *Bald. in d. L. diffamari n.* 6 quem sequitur *Angel. Aret. in rubr. instit. de except. n.* 23, *idem Bald. in L. sed per praetorem* § *ait praetor n.* 2 *vers. item adde ff ex quib. caus. major.*, et proinde procura-

tor constitutus ad defendendum, obtinendo committi dictam causam, bene potest dici, quod excedat fines sui mandati. Licet enim lato modo dici possit, quod is contra quem fuit executum monitorium super molestationibus et jactationibus sit lacessitus, et ad se defendendum adactus, ista tamen defensio non est necessaria necessitate praevisa, ut per canonistas in *cap. intelleximus*, et signanter *Dec. n.* 15 *extr. de judic.*: quin potius vere dici potest, quod ipse provocet adversarium ad judicium mediante diffamatione, et illum ad se defendendum compellat.

15. In mandatis autem verba sunt proprie et stricte intelligenda, *Put. d. decis.* 413 *n.* 2 *lib.* 1 *in correctis.*

16. Ista tamen conclusio debet limitari, si dominus dictam commissionem ratam habeat, ut resolvit *Rot. cor. Cavaller. d. dec.* 483 *n.* 6 *vers. verum responsum fuit.*

17. Praeterea iste procurator constitutus ad defendendum non poterit opponere exceptiones, nisi sit constitutus etiam ad excipiendum, cum reus in suis exceptionibus dicatur agere.

18. Et licet, *Speculator in tit. de procur.* § *ratione autem formae n.* 6 dubitet an possit constitui procurator ad excipiendum, si tamen constituatur, non poterit opponere exceptiones nisi prius fuerit ab actore porrectus libellus, et ipse sit constitutus etiam ad accipiendum copiam libelli, *Speculator d. n.* 6, *Contard. ad L. diffamari, cod. de ingen. et manumiss. in ampliat. n.* 122.

19. Mandatum similiter ad audiendam prolationem sententiae, tamquam factum ad hunc solum articulum, intra illius fines debet contineri, neque ad alium actum extendi, et propterea quatenus sententia feratur contra mandantem, non poterit procurator cum tali mandato appellare, *Alex. in d. L. invitus n.* 5 *et* 13, et ibi *Jas. n.* 3 *ad fin. cod. de procur.*, *Abb. in cap. non injuste in fin. extr. eod. tit.*

20. Multoque minus si mandato sit adiecta particula taxativa, *tantum, dumtaxat* vel similis, *Rot. dec.* 5 *eo tit. in antiq.*, et licet eadem *Rot. cor. Bisignett. dec.* 2 *de rescript.* contrarium tenuerit, et haec opinio videatur posse confirmari, quia quamvis mandatum sit stricti juris et stricte intelligendum, ut sepe dictum fuit;

21. Videtur tamen comprehendere ea quae sunt dependentia et connexa actui mandato, et quae illi sunt vicina, *Rot. cor. Mohedan. dec.* 100, *quae est* 4 *de judic. n.* 2, *Vestr. in sua prax. rom. cur. lib.* 4 *cap.* 5 *num.* 14.

22. Quamvis alioquin mandatum speciale requirerent, *Vestr. d. n.* 14, auctoritate *Ant. de Butr. in cap. nonnulli* § *sunt et alii, vers. quaero extr. de rescript.* Non tamen existimo esse recedendum ab opinione *Alex. et aliorum.*

23. Neque obstat quod mandatum comprehendat connexa et dependentia, quia hoc procedit dumtaxat in connexis et dependentibus necessariis, sine quibus actus mandatus explicari non potest, ut dicemus latius infra *cap. IIC. procurator non servans fines mandati, quando dicatur illos egredi.*

CAPUT XLVI.

DE PROCURATORE AD APPELLANDUM.

SUMMARIUM

1. *Procuratoris facultas ex forma ipsius mandati est inspicienda.*
2. *Procurator constitutus ad appellandum tenetur appellare.*
3. *Priusquam appellet debet exhibere instrumentum mandati in publicam et authenticam formam, et illud apud acta dimittere.*
4. *Alias si pars adversa, ad cujus favorem fuit lata sententia illam exequi faciat non committit attentata.*
5. *Immo hujusmodi procurator tam prima quam secunda vice appellare tenetur.*
6. *Per primam appellationem constituentis intentioni non satisfacit.*
7. *Verum a sententia nulla appellare non debet.*
8. *Appellando ratificaret sententiam.*
9. *Nisi tamen sententia esset nulla ex defectu jurisditionis, vel ex alio defectu in ipsa existente.*
10. *Stante nullitate sententiae ex tali capite appellatio non tenet.*
11. *Privatorum pacto sententia ipso jure nulla validari non potest.*
12. *Neque potest appellare a sententia lata ex remedio* L. fin. cod. de edict. Divi Adriani tollen., *per quam fuit pronunciatum aliquem in possessionem esse immittendum.*
13. *Appellans a tali sententia incidit in poenam* L. quisquis, cod. quor. appell. non recip.
14. *De jure canonico appellare licet a quocumque gravamine.*
15. *Similiter appellare nequit ab executione.*
16. *Ad talem appellationem interponendam requiritur mandatum speciale.*
17. *Quamvis procurator haberet mandatum ad appellandum a quacumque sententia definitiva, vel interlocutoria, et faciendum omnia alia quae requirerent speciale mandatum.*
18. *Attamen licet hujusmodi appellatio non subsistat, validatur per subsequentem domini ratificationem.*

19. *Quando appellatio tendit in praejudicium ratificantis, ratificatio potest fieri quandocumque.*
20. *Dummodo non fiat per errorem.*
21. *Ratificatio juris et facti scientiam requirit.*
22. *Et qualitatem actus ratificandi.*
23. *Cum distinctione tamen* Bart. in L. Pomponius, 2 ff de negoc. gest.
24. *Si appellatio tendat in praejudicium adversarii ratificatio fieri debet intra tempora intra quae erat appellandum.*
25. *Si tamen huic tertio esset jam quaesitum jus, alias secus.*

1. Procurator quoque constitutus ad appellandum dicitur constitutus ad certum articulum, et quod possit appellare non est dubitandum, cum hoc habeat in mandatis, nam facultas procuratoris ex forma ipsius mandati spectanda est, *Rim. Sen. cons.* 55 *n.* 9 *lib.* 1, *Joseph Ludovici dec. Perus.* 117 *n.* 14, et nos alibi diximus.

2. Sed difficultas potest in eo versari, an teneatur appellare, quae affirmative est resolvenda, *Rot. cor. Coccin. dec.* 319 *n.* 3, cum enim mandatum acceptaverit, tenetur illud exequi et adimplere, ut diximus *cap. XXIV num.* 31 *et* 32.

3. Verum antequam appellet tenetur instrumentum mandati realiter et cum effectu in publicam et authenticam formam exhibere, et illud apud acta dimittere, *Put. dec.* 405 *n.* 2, 5 *et seqq. lib.* 3.

4. Alias si pars adversa, quae pro se sententiam reportavit, illam exequi faciat, non committit attentata, *Rot. cor. Achill. dec.* 9 *n.* 1 *de appellat., et dec.* 17 *n.* 12 *par.* 2 *divers.*

5. Ampliatur principalis conclusio, ut iste procurator teneatur appellare non solum prima vice, sed etiam secunda, *Bald. in L. invitus n.* 8 *cod. de procur.*, quem sequitur *Rim. Jun. cons.* 21 *n.* 38 *ad fin. lib.* 1, *Magon. decis. Florent.* 52 *n.* 17 *in fin., Rot. dec.* 867 *n.* 3 *lib.* 3 *part.* 3 *divers.*

6. Nam per primam appellationem non est satisfactum menti et intentioni constituentis, ut praefati DD. dicunt. Quando autem per primum actum non satisfit intentioni disponentis, non habet locum regula *L. boves* § *hoc sermone ff de verb. signif.*, uti in puncto declarat *Bald. d. num.* 8, et dicit *Tiraq. in d.* § *hoc sermone in* 6 *limit. n.* 6.

7. Limitatur etiam dicta conclusio, primo ut iste procurator non teneatur appellare a sententia nulla quia hoc tenderet ad praejudicium sui principalis, cui praejudicare non potest, *Paris. cons.* 108 *n.* 49 *lib.* 4.

8. Nam appellando ratificaret sententiam praefatam *L.* 3. § *falsus ff rem. rat. haber.*

9. Quod tamen non procederet in sententia nulla ex defectu jurisditionis, vel ex alio defectu in ipsamet sententia existente et apparente.

10. Quia per appellationem non possit confirmari sententia quae poenitus caret juris fundamento; nam stante nullitate sententiae, ex dicto *cap.* non tenuit appellatio, *Bart. in L. si expressim n.* 4 *ad fin. sub vers. in prima ergo ff de appell.*, et ita intelligit *Paris. d. cons.* 108 *n.* 46 *et seqq.*

11. Pacto enim privatorum non potest validari sententia, quae est ipso jure nulla, *L. privatorum cod. de jurisdit. omn. judic.*

12. Limitatur secundo principaliter, ut non possit appellare a sententia lata, *ex remed. L. fin. cod. de edict. Divi Adriani tollend.*, per quam fuit pronunciatum, quem esse immittendum in possessionem, *Rol. cons.* 26 *n.* 24 *lib.* 2, *Ubertinus Zuchardus in d. L. fin. n.* 288, quos refert et sequitur *Caesar Contard. de moment. possess. in ampliat. n.* 115.

13. Ea scilicet ratione, quia appellans ab hujusmodi sententia incidit in poenam comminatam in *L. quisquis cod. quor. appell. non recip.*

14. Quod tamen non procedit de jure canonico, quo licet appellare a quocumque gravamine, ut dicunt *Zuchar. ubi supra n.* 249, *Contard. d. tract. limitat.* 19 *n.* 37, *Sebastian. Medic. dec. March.* 29 *n.* 10.

15. Limitatur tertio, ut iste procurator non possit appellare ab executione, quia faceret incidere mandantem in poenam quinquaginta aureorum, comminatam in *L. ab executione in fin cod. quorum appellat. non recip.*

16. Ac propterea ad interponendam hujusmodi appellationem opus est mandato speciali, *Soc. Sen. cons.* 120 *n.* 7 *lib.* 1 cum aliis congestis per nos infra *cap. LXXXXIV* de mandato circa ea ex quibus dominus potest incidere in poenam in *tertia illat. n.* 19.

« Quando est appellandum a pronuntia de exequendo ratione excessus, « requiritur mandatum speciale et individuum, *Conciol. ad Stat. Eugubin.* « *lib.* 3 *rubr.* 12 *n.* 6.

17. Quae limitatio amplianda est, ut procedat etiam si iste procurator haberet mandatum ad appellandum a quacumque sententia definitiva vel interlocutoria et faciendum omnia alia quae requirunt mandatum speciale, *Angel. Aret. in* § *praeterea n.* 28 *sub vers. tertio principaliter in illis verbis ac etiam si est causa executionis instit. de except.*, *Beroius cons.* 25 *n.* 10 *lib.* 3, *Rol. cons.* 43 *n.* 11 *lib.* 1, *Surd.*, qui alios allegat, *cons.* 358 *sub n.* 8 *lib.* 3.

18. Sublimitari etiam debet, quod licet hujusmodi appellatio non subsistat, validatur tamen per subsequentem domini ratificationem, *Jas. in L. si procurator in* 4 *limitat. ff de cond. indeb.*

19. Haec autem ratificatio, quando appellatio tendit ad praejudicium ra-

tificantis, potest quandocumque fieri, *L. Pomponius* 2, et ibi *Bart. n.* 14 *ff de negoc. gest.*, *Beroius d. cons.* 25 *n.* 24 *lib.* 3, *Rim. jun. cons.* 203 *n.* 54 *lib.* 2, *Sim. de Praet. cons.* 116 *n.* 25 *lib.* 1.

20. Dummodo talis ratificatio non fiat per errorem, *Bart. in d. L. Pomponius n.* 19 *vers. si vero.*

21. Ratificatio enim requirit scientiam juris et facti, *Bald. cons.* 322 *n.* 1, *vers. praeterea quod magis pungit lib.* 2.

22. Ac etiam qualitatem actus ratificandi, *Natt. cons.* 162 *n.* 32 *lib.* 1, *Caeph. cons.* 441 *n.* 94 *lib.* 3, *Paris. cons.* 47 *n.* 97 *lib.* 1.

23. Cum distinctione tamen quam affert *Bart. in d. L. Pomponius n.* 21.

24. Quando vero appellatio tendit non ad praejudicium ratificantis, sed illius adversarii, non suffragatur, nisi fiat intra tempora intra quae appellandum erat, *Rim. jun.*, post multos quos congerit, *d. cons.* 203 *n.* 54, *Cacher. dec. Pedemon.* 119 *n.* 25 *et* 28, *Honded. cons.* 38 *n.* 23 *et seqq. lib.* 1.

25. Si tamen huic tertio esset jam quaesitum jus, alias secus, *Thesaur. decis.* 7 *in fin.*, *Rim. Jun. d. cons.* 203 *n.* 55.

CAPUT XLVII.

PROCURATOR AD APPELLANDUM AN POSSIT APPELLATIONEM PROSEQUI.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad appellandum appellationem a se interpositam prosequi non valet.*
2. *Immo nec potest cursum instantiae appellationis suspendere etiam quando talis suspensio est de jure permissa, nisi habeat ad hoc mandatum speciale.*
3. *Nisi ex consuetudine procuratores cum solo generali mandato hujusmodi suspensiones facere solerent.*
4. *In mandato generali comprehenduntur ea omnia quae sunt de consuetudine.*
5. *Neque potest talis procurator appellationi interpositae expressa renunciari.*
6. *Quamvis ipsemet interposuisset appellationem.*
7. *Et licet esset effectus dominus litis.*
8. *Talis renunciatio est species donationis.*
9. *Ideoque sine speciali mandato fieri nequit.*

10. *Potest tamen procurator ipsi tacite renunciare.*
11. *Similiter appellationem a se interpositam adversario intimare non valet quamvis eam intimare possit, si sit a constituente interposita.*
12. *Sicuti nec adversarius appellationem a se interpositam potest ipsi intimare.*
13. *Constituens procuratorem specialiter et expresse ad prosequendam appellationem ab altero interpositam, ipsam approbare censetur.*

1. Firmavimus in praecedenti capite, quod procurator constitutus ad appellandum, tenetur appellationem interponere praeterquam in certis casibus ibi explicatis: dubitatur nunc, an si talis procurator appellet, possit appellationem a se interpositam prosequi. In qua dubitatione est facienda conclusio negativa propter mutationem judicis, *Jas. in L. invitus n. 3 cod. de procur.*, *Bellamer. dec.* 346, *Marcabrun. ab Anguill. cons.* 29 *n.* 10.

2. Quae conclusio amplianda est primo, ut non solum non possit prosequi appellationem, sed nec etiam possit suspendere cursum instantiae appellationis etiam in casibus in quibus hujusmodi suspensio est de jure permissa, nisi ad id habeat speciale mandatum, *Calderinus cons.* 4 *in tit. de appellat. vers. aut dicemus pactum procuratoris*, quem sequitur *Felin. in cap. venerabilis n.* 22 *extr. de judic.*, *Decius in cap. ex ratione n.* 37 *in* 3 *casu extr. de offic. delegat.*, *Gratus cons.* 15 *n.* 10 *lib.* 2, *Barzius dec. Bonon.* 32 *n.* 27. Licet ipse hanc suspensionem appellet (et meo quidem judicio minus proprie) prorogationem; cum hujusmodi instantia non possit prorogari, ut plene per *Felin. in d. cap. venerabilis n.* 20 *et infra*, et dicit magis communiter receptam ipsemet *Barzius d. dec.* 32 *n.* 5, sed bene suspendi, *Beroius cons.* 115 *n.* 1 *lib.* 3, late comprobat *Anton. Ciofus cons.* 52 *n.* 5 *vers. verum his lib.* 2, ubi testatur de communi.

Non desunt tamen qui hanc distinctionem inter suspensionem et prorogationem instantiae appellationis impugnent tamquam verbalem, ut per *Asin. in sua prax. judiciar.* § 2 *cap.* 2 *n.* 5 *et* 6, et *Marant. de ordin. judic. part.* 6 *in tit. de appellat. n.* 236 justa impressionem in quarto foleo: in quibus locis late nituntur deducere suspensionem fatalium, partibus ipsis permissam proprie appellari posse prorogationem: caeterum sive prorogari sive suspendi dicatur ista instantia, seu fatale, actus iste non potest explicari per procuratorem, nisi habeat ad id mandatum speciale, ut dictum est.

3. Quod tamen fallit, si ex consuetudine procuratores cum solo generali mandato essent soliti facere hujusmodi prorogationes, seu mavis suspensiones, quia talis consuetudo deberet attendi, *Purpur. cons.* 176 *n.* 11

vers. quia pro responsione lib. 1, *Bertaz. cons. crimin.* 469 *n.* 17 *vers. postremo, et n.* 18 *lib.* 2.

4. Nam regulare est, quod in mandato generali comprehendantur ea omnia quae sunt de consuetudine, ut dicemus infra *cap. IIC procurator non servans fines mandati, quando dicatur illos egredi in* 2 *casu.*

5. Ampliatur secundo principaliter, ut iste procurator multo minus possit expresse renunciare appellationi interpositae, *Paris. cons.* 108 *n.* 48 *lib.* 4, *Scaccia de appellat. q.* 17 *limit.* 2 *n.* 85, qui alios allegant.

6. Quamvis ipsemet appellationem illam interposuisset, *L. contra juris* § *fin. ff de pact., Paris. d. cons.* 108 *n.* 48, *Scacc. d. limitat.* 2 *n.* 86.

7. Licet esset effectus dominus litis, *Franch. in cap. Nicolao n.* 13 *extr. de appellat.*, auctoritate *Angel. et Imol. in L. ab executore cod. eod. tit., Scacc. d. lim.* 2 *n.* 87.

8. Talis enim renunciatio est species donationis, *Franch. in cap. interposita* § *ille denique n.* 9 *extr. de appellat., Rim. jun. cons.* 387 *n.* 2 *lib.* 4, *Beroius q.* 33 *n.* 2, *Amat. decis. March.* 59 *n.* 9, *Marius Giurba decis. Sicil.* 8 *n.* 35.

9. Proindeque non potest procurator absque speciali mandato appellationi renunciare, ut optime firmat *Alex. cons.* 22 *n.* 10 *lib.* 1, *Franch. in d.* § *illi denique n.* 9, *Paris. d. cons.* 108 *n.* 48 *lib.* 4, *Rim. jun. cons.* 387 *n.* 2 *lib.* 4, *Beroius d. q.* 33 *n.* 2, *Cassiodor. dec.* 3 *n.* 2 *vers. sed dubium in tit. de rescript., Caputaquen. decis.* 29 *n.* 2 *lib.* 1, *Mohedan. dec.* 89 *quae est* 3 *de appellat., Caballin. ad constit. March. lib.* 2 *rubr.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorem n.* 4 *vers.* 33, *Scacc. d. lim.* 2 *n.* 85 *et seq.*

10. Quod tamen intelligendum est de renunciatione expressa ut dictum est, secus de tacita resultante ob lapsum instantiae, ut dicunt supracitati DD., et signanter *Scacc. dict. limit.* 2 *num.* 71.

11. Ampliatur tertio, ut absque speciali mandato iste procurator ad appellandum non possit appellationem a semetipso interpositam adversario intimare, licet possit etiam absque mandato illi intimare appellationem interpositam a constituente, *Bellamer. dec.* 580.

12. Ampliatur quarto, ut nec etiam possit huic procuratori fieri intimatio valida appellationis ab ipsomet adversario interpositae, *Bellamer. d. dec.* 580.

13. Caeterum si quis constituat procuratorem, specialiter et expresse ad prosequendam appellationem ab altero interpositam, censetur appellationem praefatam approbare, ut dicit *Rim. Jun. cons.* 242 *n.* 336 *lib.* 3.

CAPUT XLVIII.

DE PROCURATORE AD PETENDUM RESTITUTIONEM IN INTEGRUM.

SUMMARIUM

1. *Procurator restitutionem in integrum petere non potest, nisi ad hoc habeat speciale mandatum.*
2. *Maxime si petenda esset adversus desertionem instantiae, contingentem ob culpam ipsius petentis.*
3. *Quod in mandato sit exprimenda causa et persona, contra quam peti debeat restitutio.*
4. *Contraria firmatur sententia.*
5. *Talis expressio fieri debet in libello et petitione, dum procurator comparet petendo restitutionem in integrum.*
6. *Mandatum sub generalitate verborum quando dicatur comprehendere facultatem petendi restitutionem in integrum.*
7. *Ut si sit cum libera facultate et administratione.*
8. *Vel cum facultate faciendi omnia et singula quae ipse dominus facere posset, etiamsi requirerent speciale mandatum.*
9. *Procurator restitutionem in integrum petere potest si habeat mandatum a lege.*
10. *Qui dicitur a lege habere mandatum, remissive.*
11. *Vel si sit effectus dominus litis.*
12. *Aut si se opponat restitutioni in integrum ab adversario petitae.*
13. *Vel si restitutio in integrum veniat in necessariam consequentiam actus mandati.*
14. *Vel si non petatur principaliter, sed incidenter.*

1. Procurator similiter ad petendum restitutionem in integrum constitutus, dicitur ad certum articulum constitutus, ut dicebamus supra *Cap. XXXXV in princ.*, quod inde maxime probatur, quia regulariter procurator non potest dictam restitutionem petere, si ad id non habeat mandatum speciale, *L. illud § fin. ff de minor.*, *Alex. in L. fin. n. 4 ff quod quisque jur.*, *Burs. cons.* 61 *n.* 3 *lib.* 1, *Ant. Ciof. cons.* 28 *n.* 24 *lib.* 1, *Decian. cons.* 54 *n.* 14 *lib.* 4, *Sim. de Praet. cons.* 79 *n.* 42 *lib.* 1, *Rol. cons.* 26 *n.* 1 *lib.* 2, *Odd. de restit. in integr. q.* 3 *art.* 11 *n.* 48, *Amat. pro communi decis. March.* 97 *n.* 6, *Magon. decis. Florent.* 70 *n.*

21, *et decis. Lucens.* 77 *n.* 20, *Caballin. ad Constit. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. quartus*, *Boccatius ad easdem constit. Gloss.* 8 *n.* 199, *Rot. cor. Mantic. dec.* 11 *n.* 1, *vide decis.* 82 *n.* 11 *lib.* 7.

« Ad petendam in integrum restitutionem, requiritur mandatum spe-« ciale, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 13 *n.* 426.

« Ad petendum beneficium restitutionis in integrum, requiritur man-« datum speciale, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 8.

2. Maxime si esset petenda adversus desertionem instantiae contingentem ob culpam ipsius petentis, *Amat. d. decis.* 97 *n.* 7.

3. Et adeo est necessarium mandatum speciale, ut non defuerint qui senserint in mandato esse exprimendam causam et personam contra quam peti debeat restitutio, et signanter *Caballin. d. n.* 4 *vers. quartus.*

4. Quam tamen expressionem non esse de necessitate faciendam in procuratorio, firmant *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 58 *et seqq. lib.* 2, *Magon. decis. Lucens.* 77 *n.* 20 *dec.* 204 *n.* 3 *lib.* 6, *Rol. d. cons.* 26 *n.* 3, qui alios allegant, et maxime *Rim.* qui testatur de communi, et ita observari in judiciis.

5. Sed bene est necessaria in libello et petitione, dum procurator comparet petendo in integrum restitutionem ut dicit *Bald. in L. illum* § *si talis ff de minor.*, refert et sequitur *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 3 *vers. in eadem Gloss.* in illis verbis *nec in integrum*, *de procur. lib.* 6.

Stat igitur conclusio, quod ad petendam restitutionem in integrum exigitur mandatum speciale.

6. Et licet aliqui voluerint satis esse, quod mandatum sub generalitate verborum sit aptum comprehendere hanc facultatem petendi restitutionem in integrum, *Cassiod. dec.* 1 *n.* 3 *in tit. de procurat.*, *Covarr. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 6 *n.* 2 *in fin.*, *Rol. d. cons.* 26 *n.* 18 *lib.* 2, *Jo. Petruc. de Montesperell. cons.* 283 *n.* 5 *ad fin.*, *Gratian. decis. March.* 195 *n.* 5, *Rot. coram Mantic. decis.* 11 *n.* 1:

« Similiter non procedit, quando mandatum speciale comprehenditur sub « generali; prout quando quis constituit procuratorem ad transigendum, « seu aliud expressum, quod mandatum speciale requirit, et postea subdit « clausulam generalem, *nec non ad alia omnia faciendum, si talia forent,* « *quae mandatum exigerent speciale*, nam tunc sub dicta clausula generali « comprehenditur mandatum speciale etiam in casibus non expressis in « mandato, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 13 *n.* 429.

7. Puta si procurator habeat mandatum cum libera facultate et administratione, *Covarr. d. n.* 2, *Vincent. de Franch. dec.* 17 *n.* 21.

8. Vel habeat facultatem faciendi omnia et singula quae ipsemet do-

minus facere posset, etiam si talia forent quae requirerent speciale mandatum; etenim eo casu cum tali mandato posset petere restitutionem in integrum, *Cassiodor. d. dec.* 1 *n.* 3, *Bellamer. dec.* 38 *n.* 1, *Rot. cor. Mantic. d. dec.* 11 *n.* 2.

9. Istorum tamen opinio posset procedere in casibus limitationum quae dantur ad conclusionem principalem, quae sunt plures: prima est in eo procuratore qui habet mandatum a lege quem posse petere restitutionem in integrum absque alio mandato, dicit *Mynsinger. singular. observat. centur.* 2 *observat.* 26 *n.* 6, *Boccat. ad constit. March. Gloss.* 8 *n.* 269.

« Pariter non procedit in tutore, curatore et similibus, qui habent « administrationem a lege, prout nec etiam in patre legitimo administra- « tore filii, qui simili modo potest pro filio suo petere restitutionem in « integrum absque speciali mandato, quod non possunt alii conjuncti, *Ri-* « *dolphin. in prax. par.* 1 *cons.* 13 *n.* 430 *et* 431.

« Alias limitationes usque ad sextum tradit *Ond. de restit. in integr.* « *q.* 31, ad quem in facti occurrentia poterit haberi recursus, *idem sub* « *d. n.* 431.

10. Qui autem dicantur habere mandatum a lege diximus supra *cap. III de procuratore constituto a lege.*

11. Secunda limitatio est in procuratore domino litis effecto, de quo dicemus *cap. LVIII*, is enim potest petere restitutionem in integrum absque speciali mandato, *Capell. Tholos. dec.* 55.

12. Tertia est limitatio in eo qui se opponit restitutioni in integrum ab adversario petitae, potest enim contradicere et se opponere, quamvis non habeat ad id mandatum speciale, *Cassiodor. decis.* 2 *n.* 2 *vers. facit etiam Lex in tit. de procur.*

13. Quarta affertur limitatio, quando restitutio in integrum venit in necessariam consequentiam actus mandati, *Rim. Jun. cons.* 11 *n.* 11 *lib.* 1, *auctoritate Decii in L.* 2 *n.* 27 *ff de jurisd. omn. judic.*

14. Quinta adnecti potest limitatio, quando scilicet restitutio non petitur principaliter sed incidenter, *Bart. in L.* 1 *n.* 2 § *etiam per procur.*, et ibi *Ang. n.* . . . . , *Rol. d. cons.* 26 *n.* 1 *lib.* 2, *Jacobus Emilianus cons.* 56 *n.* 1, *Rim. Jun. cons.* 546 *n.* 18 *lib.* 5, *Franc. Caldas Pereyra in L. si curatorem in verb. implorandum n.* 4 *paulo post. princ. C. de restit. in integr. fol.* 550, *Vinc. de Franch. d. decis.* 17 *n.* 21, *Magon. decis. Florent.* 70 *in ultimis verbis, et decis. Lucens.* 67 *n.* 12 *vers. aut intendit* et infra, *Boccat. ad Constit. March. Gloss.* 8 *n.* 270, *Cabell. ad dd. constitutiones lib.* 4 *cap.* 11 *in Gloss. in verbo procuratorum n.* 4 *vers. quartus*, *Joseph Ludovici in suis commun. conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers. secundo requiritur, in illis verbis limit. nisi Covarr. var. resolut. lib.* 1 *cap.* 6.

« Alias limitationes refert *Joseph Ludovici d. conclus.* 32 *sub vers.* « *secundo requiritur.*

« Conclusio quod ad petendam restitutionem in integrum sit necessa- « rium mandatum speciale non procedit, quando restitutio in integrum « petitur incidenter, *Ridolph. in prax. part.* 1 *cap.* 18 *n.* 427.

« Nisi procurator peteret restitutionem adversus interlocutoriam super « incidenti latam, post lapsum decem dierum in judicatum transactam, « *Ridolphin. ibidem n.* 428.

CAPUT II.

DE MANDATO AD SUBEUNDUM VEL REFERENDUM JURAMENTUM.

SUMMARIUM

1. *Ad offerendum vel subeundum quodcumque juramentum requiritur speciale mandatum.*
2. *Mandatum ad jurandum censetur datum si procurator constituatur ad lites etc. et compromittendum cum juramento.*
3. *Clausula* cum juramento *in fine posita, debet referri ad omnia praecedentia, et illa aequaliter determinare.*
4. *Praecipue si id suaderet consuetudo.*
5. *Ad jurandum sufficit mandatum etiam cum libera administratione.*
6. *Aliquando procurator, neque cum mandato speciali potest jurare, cum jurandum sit per ipsummet principalem.*
7. *Testis personaliter jurare debet.*
8. *Principalis etiam jurare tenetur, quando statutum formaliter requirit ipsius juramentum.*
9. *Similiter ad offerendum vel subeundum cautionem juratoriam requiritur speciale mandatum.*
10. *Ita pariter ad subeundum vel referendum juramentum litis decisorium.*
11. *Praedicta conclusio quando locum obtineat, remissive.*
12. *Ad subeundum etiam vel offerendum juramentum in litem veritatis speciale mandatum exigitur.*
13. *Quod non sufficiat mandatum speciale, sed requiratur singulare et individuum.*
14. *Contraria refertur sententia.*
15. *A speciali mandato singulare et individuum specie non differunt.*

16. *Est pariter necessarium speciale mandatum ad jurandum debitorem suspectum de fuga.*

17. *Quia est causa famae.*

18. *Atque ad praestandum juramentum fidelitatis.*

In praesenti capite multae sunt faciendae conclusiones, prout multipliciter potest subiri vel referri juramentum.

1. Prima sit conclusio, quod ad offerendum vel subeundum quodcumque juramentum requiritur speciale mandatum, *Speculator in tit. de procur. in princ. n.* 4 *vers. sexto*, *Paris. cons.* 45 *n.* 41 *lib.* 1, *Surd. cons.* 190 *n.* 2 *lib.* 2, *Seraphin. de privileg. juram. privil.* 111 *n.* 3 *et n.* 8 *vers. et dicta conclusio*, qui multos allegant.

« Ad quamlibet juramenti speciem praestandam, requiritur mandatum « speciale, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 8.

2. Censetur autem datum mandatum ad jurandum, si constituatur procurator ad lites, et ad compromittendum *cum juramento:* illa enim facultas jurandi tributa in mandato ad compromittendum, extenditur ad omnia praecedentia, *Gratus cons.* 104 *n.* 19 *et seq. lib.* 2.

3. Ea scilicet ratione, quia illa clausula cum juramento, in fine posita debet referri ad omnia praecedentia, et illa aequaliter determinare, vulgata *L. jam hoc jure ff de vulg. et pupill.*, cum similibus.

4. Maxime si id suadeat consuetudo, ut subdit ibi *Grat. n.* 21.

5. Sufficit etiam ad hunc effectum mandatum cum libera administratione, *L. jusjurandum quod ex conventione* 17 § *procurator.*, et ibi *Gloss. ff de jure juran.*, *Crav. cons.* 278 *ante n.* 1 *vers. et primo in continenti lib.* 2, *Seraph. d. privil.* 111 *n.* 4 *vers. sed videtur*, ubi respondet *Jasoni* contrarium sentienti, *et n.* 5 *vers. concludo ergo.*

6. Haec autem conclusio limitatur in aliquibus casibus, in quibus procurator etiam cum mandato speciali non potest jurare, sed est jurandum per ipsummet principalem.

7. Unus est in teste qui personaliter debet jurare *cap. licet ex quadam*, in illis verbis *proprio juramento;* et ibi DD. hoc notant, *extr. de tertib.*, *Bart. in L. qui bona fide* § *si alieno n.* 17 *ff de damn. infect.*, *Seraphin. d. privil.* 111 *n.* 12.

8. Alter casus est quando statutum requirit formaliter juramentum principalis, in quo casu ipse principalis personaliter jurare tenetur, *Seraph. d. privil.* 111 *n.* 13 *vers. secundo.*

9. Secunda conclusio: ad offerendum vel subeundum cautionem juratoriam est necessarium mandatum speciale, *Rol. cons.* 43 *n.* 47 *et* 48 *lib.* 2.

10. Tertia conclusio: ad subeundum vel referendum juramentum litis

decisorium, requiritur mandatum speciale *L. jusjurand. quod ex conventione* § *procurator.*, et ibi DD., praecipue *Paul. de Castr.*, *Alex. et Jas. ff de jurejur.*, *Surd. cons.* 190 *n.* 2 *in fin. lib.* 2, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. decimus quartus.*

« Mandatum specialissimum requiritur ad praestandum juramentum « decisivum, *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2. *rub.* 12 *n.* 20.

« Procurator non potest deferre juramentum decisorium, seu decisivum « litis, nisi habeat ad hoc mandatum speciale, vel cum libera vel in rem « suam, *Ridolphin. in prax. par.* 1. *cap.* 10 *n.* 136.

« Procurator et defensor non coguntur subire juramentum litis deci- « sivum, *ibid. n.* 138.

11. Verum circa hanc conclusionem adeundus est *Caroc. in tract. de juram. decisorio . . . quaest.* 13 *quaest. princ.*, ubi per ampliationes et limitationes hunc articulum plene explicat.

12. Quarta conclusio: ad subeundum vel offerendum juramentum in litem veritatis, speciale mandatum exigitur, *Bart. in L. vulgo per illum Tex. n.* 2 *ff de in litem jur.*, *et in L. qui bona fide* § *si alieno n.* 14 *vers. aut vult. ff de damn. infect.*, *Alex. ibi*, *Dec. in lib.* 1 *n.* 31 *de reg. jur.*, *Paris. cons.* 45 *n.* 41 *lib.* 1, *Ciofius cons.* 99 *n.* 7 *lib.* 1, *Burs. cons.* 285 *n.* 22 *et infra lib.* 3, et hanc sententiam, post multos quos allegat, testatur esse communem, *Phanuccius de Phanuccis in tract. de in litem jurando par.* 2 *membr.* 1 *n.* 20 *vers. haec conclusio.*

« Procurator non potest jurare in litem absque speciali mandato, *Con-* « *ciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 11 *n.* 5.

13. Et licet *Jo. Batt. Plotus tract. de lit. juram.* § 32 *n.* 5, et *Surd. d. cons.* 190 *n.* 2 *ad fin.*, dicant non esse sufficiens mandatum speciale, sed esse necessarium mandatum singulare et individuum:

14. Contrariam tamen sententiam defendit *Phanuc. d. n.* 20 *vers. hanc tamen non approbant*, et infra.

15. Vel possumus hanc contrarietatem opinionum tollere per ea quae diximus supra *cap. II*, quod singulare et individuum mandatum non differant specie a mandato speciali, *sub n.* 13.

« Juramentum suppletorium potest deferri procuratori habenti specia- « le mandatum, *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 13 *n.* 22.

« Similiter juramentum de nova notitia instrumentorum repertorum « non potest praestari a procuratore, nisi habeat speciale mandatum, *Ro-* « *maguer. post Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 3 *rubr.* 18 *n.* 11.

16. Quinta conclusio: ad jurandum debitorem suspectum de fuga est necessarium mandatum speciale, *L. non solum* § *fin. ff de procur.*, *Purpur. cons.* 282 *n.* 29 *vers. tum quia lib.* 1.

17. Ratio est quia est causa famae, ut dicit *JC. in d.* § *fin.*

18. Sexta conclusio: ad praestandum juramentum fidelitatis est necessarium mandatum speciale, *Clem.* 1 *de jurejur.*, *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 5 *vers. trigesimo quinto de procur. in* 6, *Afflict. in usib. feud. tit.* 3 *per quos fiat investit.* § *sed utrum n.* 2, *late Jacobinus de S. Georgio in sua investit. in verb. qui quidem n.* 10, *Burs. cons.* 225 *n.* 60 *lib.* 2, *Jo. Petr. Fontanella de pactis nuptialib. tom.* 1 *claus.* 4 *Gloss.* 1 *par.* 1 *n.* 21, *Caballin. d. n.* 4 *vers.* 16.

CAPUT L.

AD JURANDUM DE CALUMNIA AN SIT NECESSARIUM MANDATUM SPECIALE.

SUMMARIUM

1. *Ad subeundum juramentum calumniae, de jure requiritur mandatum speciale.*
2. *In procuratorio est exprimenda causa in qua procurator de calumnia jurare debet.*
3. *Ne procurator non sufficienter instructus neget illud quod forte confiteretur si esset instructus.*
4. *Secundum tamen communem observantiam sufficit mandatum ad lites cum facultate jurandi de calumnia.*
5. *Et ita observatur in Camera Imperiali.*
6. *Ac etiam in Sacra Rota.*
7. *Immo quod de generali consuetudine sufficit mandatum generale ad lites.*
8. *Non datur formaliter judicium sine juramento calumniae.*
9. *Neque reperitur ullo jure disponi quod ad jurandum de calumnia requiratur mandatum speciale.*
10. *Multo magis generale mandatum sufficeret, si esset cum libera administratione.*
11. *Ac si dominus valde distaret.*
12. *Procurator jurare potest in animam propriam.*
13. *Attamen jurare debet in animam constituentis, nisi adversarius eum compellat, ut juret in animam propriam.*
14. *Potest ad hoc illum compellere, nisi sit procurator Fisci.*
15. *Vel nisi datus fuerit ex officio.*

1. Licet de jure ad subeundum juramentum calumniae sit necessarium mandatum speciale, *cap. fin. de jurám. calumn. lib.* 6, *DD. in L.* 2

§ *sin autem cod. eo tit.*, maxime *Bart. n.* 2, *idem Bart. in L. qui bona fid.* § *si alieno n.* 2 *ff de damn. infect.*, *Jo. Petr. de Montesperello cons.* 282 *n.* 2 *ad med.*, *Prosper. Paseth. cons.* 200 *n.* 2, *Andr. Gail. practicar. observat. lib.* 1 *observ.* 83 *n.* 2, *Surd. cons.* 190 *n.* 2 *lib.* 2, *Caballin. ad Const. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers.* 15, *Speculator. in tit. de procur. in princ. n.* 5 *vers.* 19.

« Procurator specialis admittitur ad jurandum pro domino de calum-
« nia, *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 10 *n.* 2.

2. Ac ita ut in procuratorio debeat exprimi causa, in qua procurator jurare debeat de calumnia, *Bart. in d.* § *si alieno n.* 5, *Rol. cons.* 26 *n.* 5 *lib.* 2, *Beroius cons.* 130 *n.* 43 *lib.* 2.

« Procurator vero non dicitur specialis, quoties habet mandatum ad
« jurandum in aliqua certa causa, licet non fuerit expresse concessa facul-
« tas ad jurandum de calumnia, *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 10
« *num.* 4.

3. Quia alias posset contingere, quod procurator tamquam non sufficienter instructus et informatus, negaret illud quod forte confiteretur si esset instructus, *Jo. Andr. in d. cap. fin. de juram. calumn. lib.* 6, quem refert *Franc. March. dec.* 187 *n.* 2 *par.* 2.

4. Communis tamen practica et observantia (quam in hoc servandam esse admonuit *Bart. in d.* § *si alieno n.* 7.) obtinuit, quod sufficiat mandatum ad lites cum facultate jurandi de calumnia, ut dicit *Bart. d. n.* 7, *Capell. Tholos. dec.* 132 *n.* 1, et ibi *Aufrer.*, *et dec.* 225 *n.* 2, *et alii relati a Rol. d. cons.* 26 *n.* 22 *lib.* 2.

5. Et ita observari etiam in Camera Imperiali testatur *Andr. Gail. d. observat.* 83 *n.* 3 *vers. tamen hoc casu.*

6. Fuitque receptum etiam in Sacra Rota, ut coram *Coccin. dec.* 417 *num.* 6.

7. Immo sufficere mandatum generale ad lites, et ita servari de generali consuetudine, dixit *Rot.* in una *Romana seu Bononiensi Census vigintiquinque millium*, 7 *maii* 1601 *cor. Cordub.*, quae est post *Zacchiam de obligat. cameral. dec.* 101 *n.* 3 *et seqq.*, et post nostrum tractatum de Censibus *dec.* 195, ubi aliae decisiones referuntur et alios decisiones cumulantes, dicunt *Addent. ad Gregor. XV decis.* 282 *n.* 8.

« De generali consuetudine ad jurandum de calumnia etiam procu-
« rator generalis ad lites admittitur, *Conciol. ad Stat. Eugub. lib.* 2 *rub.* 10
« *num.* 3.

« Jurare de calumnia tenetur tam procurator quam principalis, *Ri-*
« *dolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 8 *n.* 103.

« Quidquid sit de jure, procurator habens mandatum generale ad lites,
« admittitur ad jurandum de calumnia, *ibidem n.* 107.

8. Et comprobatur quia non datur formaliter judicium sine juramento calumniae, *cap.* 1 *de juram. calumn. lib.* 6, *Vant.*, qui de communi, *in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. process. n.* 29 cum aliis *apud Bursat. cons.* 21 *sub n.* 3, *et Surd. dec.* 38 *n.* 2.

9. Adde quod nullibi reperitur jure dispositum quod ad jurandum de calumnia requiratur mandatum speciale, ut in simili argumentatur *Speculator in tit. de actor. n.* 40 *vers. sed dic quod sufficit generale*, in illis verbis: *nec est jure cautum quod hic exigatur speciale:* quo arguendi genere utitur etiam *Rot. decis.* 375 *quae est* 27 *de procur. in nov. n.* 2 *vers. nam non reperitur.*

10. Et multo magis sufficeret mandatum generale, si esset cum libera administratione, *Seraphin. de privil. juram. privil.* 111 *sub n.* 4, *Rot. cor. Mantic. decis.* 11 *n.* 5.

11. Et absque dubio si dominus valde distaret, ita ut ejus persona haberi non posset, quo casu admitteretur procurator generalis ad lites cum facultate jurandi de calumnia, ut deducit *Bart. d.* § *si alieno n.* 9.

12. Verum hic cadit non incongrua dubitatio: an dictus procurator debeat jurare in animam propriam, an vero in animam constituentis; in qua dubitatione *Bart. in d.* § *si alieno n.* 2 dicit, quod licet iste procurator possit jurare in animam propriam, *Surd. decis.* 18 *n.* 3, *Andr. Gail. practicar. observat. lib.* 1 *observat.* 88 *n.* 1.

13. Debet tamen jurare in animam constituentis, si adversarius non urgeat ut juret in animam propriam.

« Procurator, si habet mandatum speciale a domino, debebit jurare in « animam ipsius domini, alias in animam propriam jurare tenebitur, *Ridol-* « *phin. in prax. par.* 1 *cap.* 8 *n.* 106.

14. Prout illum cogere posse sentit, *Surd. d. decis.* 18, *et Gail. d. observat.* 88 *n.* 1., Nisi sit procurator fisci, *Surd. d. decis.* 18 *n.* 11 *et* 12.

« Procurator tenetur jurare de calumnia etiam in animam propriam, « *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 10 *n.* 5.

« Advocatus pariter tenetur jurare de calumnia, quod tamen de gene- « rali consuetudine non servatur, *Conciol. ibid. n.* 6 *et* 7.

15. Vel nisi datus fuerit procurator ex officio, *Gail. d. observat.* 88 *n.* 9 *et infra.*

« Potest jurari de calumnia in qualibet parte judicii ante sententiam, « et ob id sufficit quod praestetur hujusmodi juramentum in terminis sub- « stantialibus, *Ridolphin. in prax. cap.* 8 *n.* 104 *et seqq.*

CAPUT LI.

DE MANDATO AD JURANDUM IN ANIMAM CONSTITUENTIS.

SUMMARIUM

1. *Procurator in animam constituentis jurare nequit nisi habeat speciale mandatum.*
2. *Vel saltem generale cum clausula* cum libera.
3. *Per tale juramentum constituens incidere potest in poenam perjurii.*
4. *Ad faciendum actus ex quibus dominus potest incidere in poenam requiritur mandatum speciale.*
5. *Procurator debet esse informatus de veritate, et jurare debet non quod sibi, sed quod domino videtur.*
6. *Atque ideo sine speciali mandato non potest jurare juxta illud quod constituens habet in animo.*
7. *Nec sufficeret mandatum cum facultate jurandi affirmative vel negative, prout melius videretur procuratori.*
8. *Speciale requiritur mandatum, etiamsi procurator deberet jurare pro persona conjuncta.*
9. *Procurator, etiam cum mandato speciali, in constituentis animam jurare non posset si statutum disponeret quod juramentum ab ipsomet principali praestandum esset.*
10. *Nisi statutum aliter fuisset interpretatum ab usu et observantia.*
11. *Observantia est optima statutorum interpres.*
12. *Similiter procurator constitutus a teste, neque cum mandato speciali pro eo jurare potest, cum jurandum sit ab ipsomet teste.*
13. *Nisi testes sint nobiles ac in dignitate constituti.*
14. *Procurator quando potest jurare in animam constituentis, potest etiam in propriam, praesertim quando adversarius id requirat.*
15. *In constituentis animam quomodo jurare debeat.*
16. *Principalis quando contraveniendo incidat in perjurium, si procurator juraverit in ejus animam.*

1. Cum juramentum in animam constituentis propter magnum animae dispendium sit maximi momenti, ideo receptum est ut procurator ad subeundum tale juramentum non admittatur sine speciali mandato:

2. Vel ad minus cum generali cum clausula « *cum libera* » ut dixit *Rot. cor. Mantic. decis.* 11 *n.* 4 *et* 5, *et in Recentior. decis.* 696 *n.* 6 *par.* 2. Ac ita ut multi dixerint non sufficere mandatum speciale, sed opus esse mandato singulari et individuo, ex theorica *Bart. in L. filiusfamilias n.* 11 *ff de donat.*, et hanc sententiam videtur amplexus idem *Bart. in L. qui bona fide* § *si alieno n.* 5 *vers. respondeo ff de damn. infect.*, *Covarr. practic. quaest. cap.* 20 *n.* 8 *vers. est tamen hac in re*, *Seraphin. de privileg. juram. privil.* 111 *n.* 9. Sed quia ut pluries diximus mandatum speciale non differt specie ab individuo et singulari, et scribentes promiscue istis terminis utuntur, vere dici potest, quod ad jurandum in animam constituentis procurator non admittitur absque mandato speciali, quod duplici ratione confirmari posse videtur.

3. Una est, quia per dictum juramentum agitur de faciendo incidere constituentem in poenam perjurii, et illaqueando illius animam, et sic de poena spirituali, quae quam sit gravior quam temporalis non est qui non cognoscat.

4. Proindeque mirum non est si ad hunc effectum sit necessarium mandatum speciale, quale ad faciendum actus ex quibus dominus potest in poenam incidere requiri dicemus *cap. LXXXXV de mandato circa ea ex quibus dominus potest incidere in poenam.*

5. Altera potest esse ratio, quia procurator debet esse informatus de veritate, et debet jurare id quod domino videtur, non autem id quod videtur sibi procuratori juranti, ut post *Innoc. in cap. fin. extr. de juram. calumn.*, *et Bald. in sua Margarita in verb. jurans in animam*, dicit *Catelianus Cotta in memoriali in verb. procurator potest.*

6. Ac proinde debet jurare juxta illud quod constituens habet in animo, et in illius animo consistit; quo etiam casu requiri mandatum speciale demonstrabitur *cap. LXXXXI de mandato circa ea quae in animo consistunt.* Et propterea ad hoc ut procurator hoc juramentum praestare possit, mentem animumque constituentis perspectum habere debet, ut sciat quid et quomodo jurare debeat.

7. Nec sufficeret si procuratori daretur facultas jurandi affirmative vel negative prout sibi melius videbitur, immo tale mandatum esse insufficiens et invalidum, prout in contingentia facti fuisse declaratum nullum et inefficax in civitate Mediolani, testatur *Cotta* ubi supra, et refert *Seraphin. d. privil.* 111 *n.* 9 *vers. notandum tamen.*

8. Conclusio autem ista ut supra firmata procedit etiam si procurator deberet jurare pro persona conjuncta, ut per *Seraphin. d. privil.* 111 *n.* 3 *ad fin.*

Non tamen est simpliciter indistincteque verum quod procurator possit constitui ad jurandum in animam constituentis, sed patitur duas restrictiones quas tetigimus capite praecedenti in prima conclusione.

9. Quarum prima est, si statuto caveatur quod juramentum sit praestandum ab ipsomet principali: eo enim casu non admitteretur procurator etiam cum mandato speciali, *Osasch. decis.* 113 *n.* 2, *Thesaur.*, qui alios allegat, *decis.* 17 *n.* 2, *Seraphin. d. privil.* 111 *n.* 14.

10. Nisi tale statutum aliam habuisset interpretationem ab usu et observantia, *Seraphin.* post alios *d. n.* 14.

11. Observantia enim est optima statutorum interpres, late *Mascard. de general. statut. interpret. concl.* 2 *a n.* 139 *usque ad n.* 175.

12. Altera est limitatio in procuratore constituto a teste, nam per semetipsum testis, et non per procuratorem etiam habentem mandatum speciale, jurare debet, *cap. licet ex quadam*, in illis verbis *proprio juramento*, et ibi communiter scribentes, *extr. de testib.*, *Bart. in L. qui bona fide* § *si alieno n.* 17 *ff de damn. infect.*; et de communi testatur *Seraphin. d. privil.* 111 *n.* 12.

13. Nisi testes sint personae egregiae et dignitate et nobilitate pollentes, quibus conceditur jurare mediante persona procuratoris, ut dicit *Seraphin. d. privil. n.* 13 *vers. quae ratio cessat.*

14. In casibus autem in quibus procurator habet facultatem jurandi in animam constituentis, potest etiam jurare in animam propriam, *Capell. Tholosan. decis.* 225 *n.* 3, et ibi *Aufrer.*, maxime si adversarius hoc velit, ut diximus capite praecedenti in fine, ubi hoc declaravimus.

15. Quando autem vult jurare in animam sui principalis debet concipere juramentum per haec verba « ego juro per animam domini mei » vel « dominus meus jurat per me » vel « me mediante », *Alex. cons.* 149 *n.* 14 *in fin. lib.* 5, auctoritate *Gloss. in can. tibi domino* 63 *distinct.*, *Seraphin. de privil. privil.* 111 *n.* 8, qui alios referens de communi testatur.

16. Sed posset in dubium revocari, an si procurator juraverit in animam sui principalis, contraveniendo, principalis incidat in perjurium. Pro cujus dubitationis resolutione sunt consideranda verba mandati. Si enim sit factum ad sic et sic jurandum, ubique dominus contraveniens incidit in perjurium, *arg. tex.* et ibi *Gloss. in verb. express. in cap. fin. de jurejuran. lib.* 6, ad quem se remittit *Gloss. in Clemen. non potest de procurat.* Si autem sit factum mandatum simpliciter ad jurandum in animam constituentis, non expressa forma qua jurandum sit, eo casu si principalis contraveniat non incidit in perjurium, ut ita distinguendo concludit *Gerard. Mazoll. cons.* 110 *n.* 90 *et seqq.*

CAPUT LII.

DE MANDATO AD PONENDUM ET RESPONDENDUM POSITIONIBUS.

SUMMARIUM

1. *Positiones fiunt ut ex responsionibus adversarii ponens relevetur ab onere probandi.*
2. *Procurator an adhiberi possit tam ad ponendum quam ad respondendum positionibus.*
3. *Positiones per procuratorem exhibitae procuratorio nomine non debent admitti nisi ipse habeat mandatum ad sic et sic ponendum.*
4. *Articulos producens non censetur fateri quae in ipsis continentur.*
5. *Ponens tamen fateri censetur.*
6. *Praedictum expressum mandatum ad ponendum requiritur ab evitandum praejudicium mandantis.*
7. *Non esset tamen necessarium ad exhibendum articulos et capitula.*
8. *Procurator habens sufficiens mandatum ad ponendum potest ad adversario cogi, etiam medio juramento, ad declarandum esse vera contenta in positionibus.*
9. *Neque potest adversarii positionibus respondere, nisi habeat speciale mandatum ad sic et sic respondendum.*
10. *Respondens positionibus debet praestare juramentum veritatis.*
11. *Quod procurator monere debeat suum principalem ut ipse tamquam melius informatus veniat ad respondendum positionibus.*
12. *Procurator diceretur habere sufficiens mandatum si fuisset constitutus ad videndum sibi dari quodcumque genus juramenti.*
13. *Vel ad praestandum calumniae, et cujusvis generis licitum et honestum juramentum in animam ipsius constituentis, ac etiam ad subeundum quodcumque juramentum sibi oblatum.*
14. *Quod per praedictas clausulas videatur non posse dari talis negocii informatio, ut procurator respondere possit de veritate.*
15. *Sufficit quod ipse juret se responsurum prout veritatem esse crediderit.*

16. *Habens sufficiens mandatum ad respondendum, respondere valet etiam si adversarius vellet jurari, et responderi per ipsummet principalem.*
17. *Nisi aliter statutum disponeret.*
18. *Si procurator habeat speciale mandatum ad sic et sic respondendum, confessio ab eo facta domino praejudicat.*
19. *Non habens tale mandatum, an confitendo domino praejudicet; remissive.*

1. Quoniam sepe contingit quod in judiciis sint faciendae positiones ad effectum ut ex responsionibus adversarii ponens relevetur ab onere probandi, *L. eum qui in* 1 *respons. ff de jurejuran., cap. statuimus de confess. lib.* 6, *Speculator in tit. de position.* § 1, et alii passim:

« Positiones sunt inventae ut ponens relevetur per confessionem « partis ab onere probandi, *Thomat. decis.* 70 *n.* 7 *par.* 1.

2. Et similiter positionibus adversarii saepius est respondendum, et posset dubitari, an quis valeat uti ministerio procuratoris, tam ad ponendum, quam ad respondendum, non abs re me facturum existimavi si hoc capite videamus quale mandatum sit necessarium ad hoc ut procurator possit efficaciter ponere, vel positionibus respondere.

3. Quoad primam partem dubii, scribentes in eam iverunt sententiam, quod non sunt admittendae positiones per procuratorem procuratorio nomine in judicio exhibitae, nisi habeat mandatum ad sic et sic ponendum, *Neviz. cons.* 7 *n.* 12 *et infra, Rot. decis.* 779 *n.* 3 *par.* 2 *Recent., Addent. ad Gregor. XV decis.* 282 *n.* 9 *vers. ita etiam, Seraphin. de privileg. juram. privil.* 111 *n.* 6, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. quadragesimusprimus, Cornaz. decis. Lucens.* 215 *n.* 1 *et Magon.* similiter *decis. Lucens.* 13 *n.* 34. Licet aliqui dicant requiri mandatum speciale, aliqui vero mandatum singulare et individuum, confundentes istos terminos, ut diximus supra *cap. II sub n.* 13.

« Ad ponendum requiritur specialissimum et individuum mandatum, « *Thomat. decis.* 70 *n.* 5 *par.* 1.

« Ad ponendum in procuratore requiritur mandatum specialissimum « sic et sic, ita ut alias quis ad respondendum non teneatur, *Conciol. ad* « *statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 6 *n.* 5.

« Contrarium tamen, quando scilicet principalis est praesens in loco, « ita ut de contentis in positionibus possit procuratorem instruere tenet « *Michalor. de position. cap.* 24 *n.* 7 *et seq.*, et sensit *Rot. apud Buratt.* « *decis.* 556 *n.* 11, ut advertit idem *Conciol. ibidem n.* 6.

« Procurator praesumitur produxisse articulos et positiones cum scientia

« et mandato principalis, non solum vigore statuti Lucensis *lib.* 1 *cap.* 25 « *et cap.* 49, sed etiam vigore juris communis: dum procurator id fecisse « praesumitur instructus a principali, *Palma Nepos decis.* 222 *n.* 5 *lib.* 3.

« Procurator habens mandatum generale etiam ad ponendum et juran- « dum de calumnia, saltem de stylo et consuetudine, satis est ut possit etiam « facere positiones, licet praejudiciales principali, *Palma Nepos ibidem* « *n.* 6.

« Quod praesertim procedit quoties procurator vigore statuti habet « facultatem respondendi positionibus etiam sine specialissimo mandato, quo « casu multo magis censetur habere facultatem ponendi, *Palma Nepos ibid.* « *n.* 7.

4. Cujus conclusionis eam esse rationem existimo, quia licet is qui producit articulos non censeatur fateri contenta in illis, *Alex. cons.* 73 *n.* 3 *in fin. lib.* 1, *et cons.* 89 *n.* 10 *lib.* 2, *Ant. Gabriell. in tit. de confess. concl.* 4 *n.* 20, *Marant. in suo specul. par.* 6 *act.* 4 *n.* 7.

5. Attamen ponens censetur fateri, *Alex. cons.* 172 *in princ. lib.* 6, *Jeronim. Gabr. cons.* 29 *n.* 55 *lib.* 1, *Onded. cons.* 19 *n.* 28 *et cons.* 79 *n.* 55 *lib.* 1, *Ant. Gabr. d. concl.* 4 *n.* 24, *Marant. d. act.* 4 *n.* 6, ubi demonstrat quibus verbis concipiantur articuli, et quibus positiones, et in quo differant.

6. Proindeque ne forte ex confessione procuratoris resultante ex positionibus, praejudicium aliquod fiat mandanti, et ne possit praefatam confessionem in praejudicium adversarii revocare, et ne sit ludibrio judicium, optima ratione factum videtur ne procurator admittatur ad ponendum nisi cum mandato expresso ad sic et sic ponendum, quo casu, non procurator, sed principalis ponere censeretur.

7. Unde contrarium crederem, quoad articulos et capitula ex quibus, ut dictum est, non resultat confessio, et consequenter ex illis non potest considerari praejudicium praefatum, ac proinde procurator admitteretur cum generali mandato, ut forensis usus et communis judiciorum observantia admittit.

8. Quatenus autem procurator habeat sufficiens mandatum ad ponendum non videtur dubitandum quin, petente adversario, cogi possit etiam medio juramento declarare contenta in positionibus esse vera, prout principalis ipse cogi posset, *Vestr. in sua prax. roman. curiae lib.* 6 *cap.* 2 *n.* 19.

9. Quoad secundam partem dubii, est similiter firmanda conclusio quod procurator non admittatur ad respondendum positionibus adversarii sine speciali mandato ad sic et sic respondendum, *Soc. Sen. cons.* 55 *n.* 8 *lib.* 1, *Menoch. cons.* 80 *n.* 64 *lib.* 1, *et de arbitr. judic. casu* 315 *n.* 23 *et seqq.*, *Honded. cons.* 66 *n.* 72 *lib.* 1, *Rot. decis.* 779 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*, alias

referunt decisiones *Addent. ad Gregor. XV decis.* 282 *n.* 9, vide *Gratum cons.* 37 *n.* 27 *lib.* 2.

« Ad respondendum positionibus, ubi illarum datur copia, requiri « mandatum specialissimum ad respondendum sic et sic, nulla inter DD. adest « controversia, ut testatur *Conciol. ad stat. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 6 *n.* 7.

« Sic etiam ad respondendum interrogatorio adversarii, quod vigore « statuti Lucensis *cap.* 22 *lib.* 1 in actione reali solet apponi in calce libelli, « requiritur mandatum speciale, *Palma Nepos decis.* 39 *n.* 12 *lib.* 1.

« Similiter ad respondendum positionibus requiritur mandatum specia- « lissimum ad sic et sic respondendum, *Thomat. d. decis.* 70 *n.* 6 *par.* 1.

10. Ea ratione fortasse, quia in respondendo positionibus debet praestari juramentum veritatis, proindeque si procurator non habeat expresse in mandato quod debeat sic et sic respondere, non potest praestare juramentum veritatis, et de veritate respondere, ut considerat *Bursat. cons.* 285 *n.* 27 *lib.* 3.

« Ad jurandum in productione positionum, vel in responsione ad illas, « requiritur mandatum speciale, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 8.

11. Atque hinc *Benintend. decis. Bonon.* 25 testatur, in dicta Rota fuisse resolutum quod procurator teneatur ad instantiam adversarii notificare suis expensis suo principali ut tamquam melius informatus veniat responsurus positionibus, et illum praesentare ad respondendum, et ita practici et experti causidici observant, maxime in iis curiis in quibus positiones et articuli non exhibentur adversario, nisi in illo actu faciendae responsionis, prout observari semper vidi in hac curia Perusina, quando articulans, vel ponens vult habere responsiones ab adversario.

« Procuratori generali super responsione facienda positionibus datur « dilatio ad consulendum dominum, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 10 *n.* 56.

« Quando procurator absentis, requisiti ut compareat ad respondendum « positionibus, comparet ad allegandum ejus absentiam, tenetur procurare « quod positiones ad eum transmittantur sumptibus ejusdem sui principalis; « sed hoc procedit de jure communi, secus videtur ex dispositione statuti « urbis, nam est observanda distinctio et forma ab eo tradita, ut per « *Fenzon. ad idem statut. urb. cap.* 68 *n.* 124 *lib.* 1, *Ridolphin. in prax.* « *par.* 1 *cap.* 10 *n.* 74.

12. Diceretur autem procurator habere sufficiens mandatum ad hoc, si fuisset constitutus ad videndum sibi dari et praestari quodcumque genus juramenti, *Rim. Jun. cons.* 11 *n.* 8 *lib.* 1: qui movetur ea ratione, quia juramentum est quoddam praeambulum ad responsionem positionibus: responsio vero est consequens ad illud juramentum; procurator autem habens mandatum ad praecedentia, censetur etiam illud habere ad consequentia, ut diximus *cap. XXXIV de mandato generali.*

13. Vel si fuisset constitutus ad dandum et praestandum calumniae et cujuscumque generis licitum et honestum juramentum in animam ipsius constituentis, nec non ad subeundum quodcumque juramentum sibi oblatum, ut late deducit *Rim. jun. d. cons.* 11 *n.* 5 *cum duobus sequent. lib.* 1.

14. Caeterum dictis per *Rim. jun. d. cons.* 11 *n.* 5 *et* 8 videtur repugnare id quod supra diximus ex *Bursat. cons.* 285 *n.* 27 *lib.* 3, quod hoc juramentum est veritatis, ac proinde quod non videatur quod per hanc formam clausularum possit dari procuratori talis informatio negocii, ut possit de veritate respondere.

15. Nisi dicamus quod licet procurator teneatur jurare se de veritate responsurum, sufficit tamen si juret de respondendo prout crediderit esse veritatem, ut adnotat *Rim. Jun. d. cons.* 11 *n.* 6 *ex L.* 2 § *quod observari, cum ibi notat., cod. de juram. calumn.*

16. Ubi autem procurator haberet sufficiens mandatum ad respondendum posset respondere etiam quod is qui fecit et exhibuit positiones vellet jurari et responderi per principalem ipsum, *Bart.*, quem alii communiter sequuntur, in *L. qui bona fid.* § *si alieno n.* 15 *ff de damn. infect.*, *Osasch. decis. Pedemont.* 113 *n.* 1., sequitur *Seraph. de privileg. juram. privil.* 111 *num.* 15.

17. Nisi statuto disponeretur, quod ipse principalis respondere teneatur, *Osasch. d. decis. n.* 13., et nos supra diximus in aliis capitibus.

18. Caeterum quando procurator habet mandatum speciale ad sic et sic respondendum, utique confessio ab eo facta in responsionibus domino constituenti praejudicat, *Bart. in L. certum* § *sed an ipsos n.* 2 *ff de confess.*, *Paul. de Castr. in L. non solum n.* 2 *ff de procur.*, *Berotius*, qui de communi testatur, *cons.* 44 *n.* 18 *et cons.* 196 *n.* 3 *lib.* 3, *Rip. respons.* 3 *in tit. de procur.*, *Rim. Jun. cons.* 345 *n.* 8 *et seqq.*, et signanter *n.* 14 *lib.* 3, *Menoch. cons.* 80 *n.* 64 *lib.* 1, *Rot. decis.* 779 *n.* 8 *par.* 2 *Recent.*

« Quando principalis litigat per procuratorem, poterit etiam procura-
« tor respondere positionibus, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 10 *n.* 69.

« Requiritur tamen ad respondendum positionibus mandatum specia-
« lissimum ad respondendum sic et sic, sicut etiam ad ponendum, alias
« procurator respondendo, vel ponendo, domino non praejudicat; et multo
« minus illi nocere potest, si nullum habeat mandatum, *Ridolphin. ibid.*
« *num.* 70.

« Sed hoc primo non procedit in confessione facta a procuratore sciente
« domino, nam illa domino praejudicat, nisi ab eo revocetur et de errore
« procuratoris doceatur, *ibidem n.* 71.

« Secundo non procedit in iis quae procurator scit tamquam extra-
« neus; nam ipse licet non teneatur pandere secreta causae, nec se subii-
« cere examini in iis quae scit uti procurator, potest tamen cogi ad re-

« spondendum positionibus, licet mandatum sufficiens non habeat in iis quae « scit ut extraneus, et domino in hoc casu praejudicare potest, *Ridolphin.* « *ibid. n.* 72.

19. An autem procurator non habens tale mandatum ad sic et sic respondendum et confitendum, per suam confessionem praejudicet domino, in sequenti capite discutiemus.

« Nisi procurator habeat dictum mandatum ad sic et sic responden- « dum, principalis potest semper revocare confessionem sui procuratoris, « *Thomat. decis.* 70 *n.* 8 *par.* 1.

« Rusticus potest respondere positionibus cum praesentia procuratoris « vel advocati, nisi esset valde sagax, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 10 « *num.* 82.

CAPUT LIII.

PROCURATOR CONFITENDO AN PRAEJUDICET DOMINO.

SUMMARIUM

1. *Procurator confitendo tam in judicialibus quam in extrajudicialibus domino non praejudicat.*
2. *Censetur male informatus.*
3. *Ideoque confessio tamquam erronea domino non praejudicat.*
4. *Procurator conditionem sui principalis meliorem, non vero deteriorem facere potest.*
5. *Confessio facta a procuratore non est vera confessio sui principalis, sed ficta.*
6. *Confessio ficta filii, patri non nocet, sicuti neque auctoris ejus haeredi.*
7. *Sindicus etiam et procurator alicujus conventus ei confitendo non praejudicat.*
8. *Ita pariter sindicus alicujus communitatis et universitatis.*
9. *Maxime si circa ea versetur confessio quae non dependent ex solo confitentis animo.*
10. *Similiter neque confessio de recepto, domino praejudicat, facta a procuratore constituto ad exigendum.*
11. *Quamvis confessio procuratoris domino plenum non inferat praejudicium, attamen contra eum inservit pro adminiculo.*
12. *Plenum vero praejudicium etiam inferret si procurator esset cum libera constitutus.*

13. *Vel si haberet mandatum generale, et faceret ea quae dominus facere solet.*
14. *Vel si confessio esset etiam per dominum tacite approbata.*
15. *Vel si praesente et sciente domino fuit facta confessio.*
16. *Praesumitur etiam domini scientia ob gravitatem negocii, in quo confessio emanavit.*
17. *Aut si dominus usus fuerit dicta confessione.*
18. *Si procurator, qui confessus fuit, efficiatur haeres mandantis, propriam confessionem nec ipse, nec ejus haeredes valent impugnare.*
19. *Procuratoris pariter confessio praejudicat domino, si fuerit facta in judicio contentioso.*
20. *Quando procuratoris confessio domino nocet, intelligitur id procedere si non fuerit ab ipso domino revocata.*
21. *Dominus illam revocare potest.*
22. *Praesertim si facta fuerit in alio judicio per verba enunciativa.*
23. *Dominus procuratoris confessionem revocare potest, quamvis esset facta medio juramento.*
24. *Et licet esset geminata.*
25. *Et etiam in secunda instantia post sententiam.*
26. *Similiter etiam non docto de errore.*
27. *Praecipue si emanaverit a procuratore male informato, et sit erronea.*
28. *Praedictam vero confessionem dominus revocare nequit, si illa sit adminiculata.*
29. *Aut si procurator habeat mandatum speciale ad ita confitendum.*
30. *Neque revocari potest a cessionario mandantis.*
31. *Neque a domino, si per ipsum fuerit ratificata per usum.*
32. *Atque si dominus vigore dictae confessionis obtinuisset sententiam favorabilem, quo casu illam revocare non posset, nisi docto de errore.*
33. *Si dicta confessio sit verisimilis, licet revocetur, attamen deservit pro adminiculo.*

1. In hoc articulo, an procurator confitendo praejudicet domino, constituo conclusionem negativam tam in judicialibus quam in extrajudicialibus, quam firmat *Bald. in L. certum § sed an ipsos n. . . ,* et ibi *Paul. de Castr. ff de confess., Bald. cons.* 131 *n.* 1 *lib.* 3, *Paul. de Castr. in L. Imperat. n.* 4 *cod. de pact., Alex. cons.* 86 *n. . . , et cons.* 222 *n.* 16

lib. 2, *Rip. respons.* 12 *n.* 14 *in tit. de divers. rescript.*, *Dec. cons.* 149 *n.* 15, *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 22 *lib.* 2, *Paris. cons.* 111 *n.* 21 *lib.* 1, *Nevizan. cons.* 17 *n.* 29, *Menoch. cons.* 2 *n.* 368 *lib.* 1, *Honded. cons.* 66 *n.* 72 *lib.* 1, *Mascard. de probat. vol.* 1 *concl.* 348 *n.* 11, *Amat. dec. March.* 61 *n.* 64, *et decis. Ferrariens.* 46 *n.* 41, *Rot. coram Greg. XV decis.* 467 *n.* 6.

« Ex procuratoris confessione dominus non tenetur, etiamsi juraverit « in mandato, se ratum habiturum, *Thomat. dec.* 290 *n.* 11 *et* 12 *par.* 2.

« Ampliatur praedicta conclusio ut procedat, quamvis procuratoris con- « fessio sit jurata; quia procuratoris juramentum non extenditur nisi quous- « que in mandato sibi concessum est, *Thomat. d. dec.* 290 *n.* 13 *par.* 2.

« Assertiones advocatorum et procuratorum in informationibus sunt « actus extrajudiciales absque mandato principalis ad ita asserendum, ideo- « que juxta quotidianam receptam praxim, juridice in nulla consideratione « habentur in ratione confessionis praejudicialis; bene tamen sunt conside- « rabiles pro aliquo adminiculo, sive pro illuminanda mente judicis ad in- « dagandam aliunde veritatem, *Card. de Luc. de foeud. disc.* 123 *n.* 14.

2. Cujus conclusionis multiplex redditur ratio; una est, quia dicta confessio praesumitur emanasse a procuratore tamquam male informato, ut dicit *Rot. cor. Verall. dec.* 198 *par.* 1, sequitur *Viv. decis.* 384 *n.* 2, *Amat. d. decis. March.* 61 *n.* 63.

3. Unde tamquam erronea domino non praejudicat, *Bart. in L. de aetate* § *qui justo in princ. et* § *ex causa n. . . . ff de interrogat. action.*, et ibi alii, *Cephalus cons.* 683 *n.* 20 *lib.* 5, *Menoch. cons.* 86 *n.* 94 *lib.* 1, *Honded. d. cons.* 66 *n.* 66 *lib.* 1, *Rot. dec.* 85 *par.* 1, *et dec.* 726 *n.* 5 *et* 6 *par.* 4 *divers.*, *et in Recent. dec.* 200 *n.* 12 *par.* 2.

4. Altera consideratur ratio a *Vivio d. dec.* 384 *n.* 3, quia procurator potest quidem facere conditionem sui principalis meliorem, non autem deteriorem, *L. ignoranter*, et ibi *Gloss.*, *et communiter DD. ff de procur.* et nos alibi diximus.

5. Tertiam rationem affert idem *Vivius d. dec. n.* 4 *et seq.*, quia confessio facta a procuratore non est vera confessio sui principalis, sed ficta, *Dec. in L. conditioni n.* 8 *ff de instit. et substit.*, *Speculator in tit. de procur. vers. in criminalibus*, quem refert *Loffred. cons. foeudal.* 20 *n.* 21, *Beroius cons.* 196 *n.* 29 *lib.* 3, quem sequitur *Amat. d. dec. Ferrarien.* 46 *num.* 45.

Proindeque non potest domino praejudicare, juxta notata per *Bart. in L. cum filius n.* 4 *ff de verb. oblig.*, *et in L. ejus qui delatorem n.* 1 *ff de jur. Fisc.*,

6. Ubi firmat, quod confessio ficta filii non nocet patri, nec confessio ficta auctoris nocet ejus haeredi, *Decius d. n.* 8, *Gabr. in tit. de confess. conclus.* 4 *n.* 32, *Honded. d. cons.* 68 *n.* 58 *lib.* 1.

7. Quae conclusio principalis ampliatur primo, ut procedat etiam in sindico et procuratore alicujus conventus, *Card. Albanus cons.* 7 *n.* 6 *et seq.*

8. Ac etiam in confessione facta a sindico alicujus communitatis et universitatis, *Alex. cons.* 68 *col.* 2 *in fin. lib.* 2, *Dec. cons.* 297 *col.* 2, quorum auctoritate, *Mandell. Alb. cons.* 162 *n.* 12 *lib.* 2, *Menoch. cons.* 80 *n.* 64 *lib.* 1, qui alios allegat.

9. Ampliatur secundo, ut procedat maxime in confessione emanata in iis quae a solo confitentis animo non dependent, quia non potest quis facere ex sola sua confessione, quod id quod non est ita revera sit, *Bart. in L. decem n.* 6 *ff de verb. oblig.*, *Jo. Hieronym. Cardinal. Albanus d. cons.* 7 *num.* 6.

10. Ampliatur tertio, ut nec praejudicet domino confessio de recepto, facta a procuratore constituto ad exigendum, ut late dicemus infra *cap. LXXXV de mandato ad recipiendum solutiones.*

11. Limitatur etiam dicta principalis conclusio multipliciter: et primo, quod licet confessio procuratoris non afferat domino plenum praejudicium, deserviat tamen contra illum pro adminiculo, *Rot. dec.* 496 *par.* 1 *divers.*, *et dec.* 277 *n.* 3 *post secund. volum. Consil. Farinacc.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 278 *n.* 8, qui plures congerit.

12. Limitatur secundo, in confessione emanata a procuratore constituto cum libera, *Viv. dec.* 384 *n.* 8, qui plures allegat.

13. Vel quando habet mandatum generale, et facit ea quae dominus est solitus facere, *Roman. sing.* 10, et ibi *Addent.*, *Amat. dec. March.* 28 *num.* 10.

« Procuratoris confessio contra dominum probat, eique praejudicat, « non solum ubi cum speciali, verum etiam ubi cum generali mandato ille « est constitutus, sive confessio sit vera, sive ficta, ex procuratoris contu- « macia atque negligentia resultans, et quamvis dominus illam ignoraverit; « quia nimirum scientia procuratoris habetur pro scientia domini, quoad « ea quae sui officii exercitium respiciunt, *Actolin. resolut.* 70 *n.* 1, 2, 3, « 5, 6 *et* 7.

14. Limitatur tertio, quando dicta confessio fuit per dominum etiam tacite approbata, *Decian. cons.* 18 *n.* 288 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 593 *n.* 39 *lib.* 5, *Menoch. cons.* 100 *n.* 289 *lib.* 1.

« Ratificatio obtinet vires veree et realis confessionis, etiam in iis in « quibus requiritur speciale mandatum, *Palma Nepos decis.* 112 *n.* 7 *lib.* 2.

15. Puta, si confessio fuit facta domino praesente et sciente, quia, si non contradicat incontinenti, illi praejudicat, *Gloss. in cap. cum olim in verb. potius extr. de offic. deleg.*, *Dec. in cap. caeterum n.* 7 *extr. de judic.*, *et cons.* 437 *n.* 7, *Alex. cons.* 80 *n.* 12 *lib.* 4, *Cornazan. dec. Lucens.* 215 *n.* 3.

16. Scientia etiam domini praesumitur ob gravitatem negocii in quo confessio emanavit, nam propter illam praesumitur quod procurator certioraverit dominum, *Cornazan. d. dec.* 215 *n.* 4, *Mascard. de probat. vol.* 1 *conclus.* 879 *n.* 48.

17. Vel quia dominus dicta confessione usus fuerit, *Alex. in L.* 2 *n. . . . , et ibi Decius n. . . . cod. de eden.*, *Put. dec.* 386 *in princ. et n.* 2 *lib.* 2 *in correct.*

18. Limitatur quarto, si procurator qui fuit confessus efficiatur haeres mandantis, quia esto quod confessio praefata non posset domino praejudicare; ipsi tamen confitenti praejudicat, quia nec ipse, nec ejus haeredes possunt illam impugnare, nec contra eam venire, *Ruin. cons.* 53 *n.* 18 *lib.* 2, ea ratione quia ipsemet non potest allegare suam turpitudinem, nec ejus haeres potest allegare turpitudinem sui auctoris.

19. Limitatur quinto, in confessione facta in judicio contentioso, quam domino praejudicare voluit, *Gloss. et ibi Imol. n.* 17 *vers. item adde, et Felin. n.* 15 *vers. prima declaratio extr. ut lite non contestat.*, *Capell. Tholos.* ubi *Aufrer. dec.* 192 *n.* 2, *Rim. Jun. cons.* 593 *n.* 73 *lib.* 5, *Osasch. dec.* 19 *n.* 3, *Roland. cons.* 70 *n.* 3 *lib.* 1, *Bursat. cons.* 74 *n.* 77 *lib.* 1, *et cons.* 143 *n.* 30 *lib.* 2, *Anton. Monach. dec. florent.* 67 *n.* 3, *Gravat. ad Vestr. in prax. rom. cur. lib.* 5 *cap. antepen. n.* 18, *Mandell. Alb. cons.* 162 *n.* 17 *lib.* 2, *Magon. decis. Lucens.* 13 *n.* 8. De qua tamen limitatione latius agemus capite sequenti, cum egeat discussione.

« Quod confessio facta a procuratore in judicio contentioso, et conse-
« quenter ex necessitate, semper domino praejudicet, tradit quoque *Acto-*
« *lin. resolut.* 70 *n.* 4, ubi *n.* 9 rationem assignat, quia nempe in quo-
« cumque procurator circa judicium delinquat, semper domino praejudicat.

20. Declaratur etiam generaliter suprafirmata conclusio, ut in casibus in quibus confessio procuratoris nocet domino, hoc procedat si illa a domino revocata non fuerit.

21. Prout ab eo revocari posse firmat *Paul. de Castr. in L. imperator n.* 4 *cod. de pact.*, *Alex. cons.* 86 *n. . . . lib.* 2, *Rip. respons.* 12 *n.* 14 *in tit. de divers. rescript.*, *Rim. Sen. cons.* 557 *n.* 5 *lib.* 2, *Paris. cons.* 45 *n.* 22 *lib.* 1, *Paseth. cons.* 77 *n.* 10, *Card. Alban. cons.* 7 *n.* 10, *Viv. dec.* 384 *n. . . .*, *Rot. cor. Verall. dec.* 198 *par.* 1, *cor. Gregor. XV dec.* 270 *n.* 9; *dec.* 613 *n.* 1, *et dec.* 884 *n.* 3 *par.* 4 *divers.*, *et in Recentior. dec.* 198 *n.* 2 *par.* 1.

22. Maxime si sit facta in alio judicio per verba enunciativa, *Boer. dec.* 281 *n.* 5 *et* 8, *Rot. cor. Mohedan. dec.* 271, *et in Recentior. dec.* 1 *n.* 2 *par.* 1.

23. Ista autem declaratio debet nonnullis modis ampliari, et aliquot restringi et limitari. Ampliatur autem primo, ut dominus possit revocare

confessionem sui procuratoris, etiamsi esset facta medio juramento, *Decian. cons.* 10 *n.* 82 *lib.* 3, *Viv. d. dec.* 384 *n.* . . .

24. Ampliatur secundo, etiam si esset geminata, *Verall. d. dec.* 198 *n.* . . . *par.* 1, *Decian. d. cons.* 10 *n.* 82, *Viv. d. dec.* 384 *n.* 2, *Rot. dec.* 768 *n.* 5 *in fin. par.* 2 *Recent.*

25. Ampliatur tertio, ut possit etiam revocari in secunda instantia, etiam post sententiam, *Rot. dec.* 2 *de confess. in nov.*, *et coram Put. decis.* 79 *sub n.* 2 *lib.* 2 *in correct.*

26. Ampliatur quarto, ut possit revocare dictam confessionem etiam non docto de errore, *Paul. de Castr. in d. L. Imperator n.* 4 *cod. de pact.*, *Alex. cons.* 86 *n.* . . . *lib.* 2, *Rip. d. respons.* 12 *n.* 14, *Rim. Jun. cons.* 557 *n.* 5 *lib.* 5, *Rot. coram Coccin. decis.* 186 *n.* 1, *et post addit. ad nostrum tract. de Censibus decis.* 51 *n.* 7.

« Licet procuratoris confessio tamquam erronea revocari valeat, debet « tamen de errore plene et per concludentes probationes apparere, cum « confessio in dubio erronea non praesumatur, *Actolin. resolut.* 70 *n.* 14 « *cum duobus seqq.*

« Confitenti se spoliatum denegatur manutensio, dum constat eum « deposuisse animum possidendi etiam civiliter, *Ridolphin. in prax. par.* 2 « *cap.* 12 *n.* 210.

« Sed hoc non procedit in confessione procuratoris, quando illa fuit a « domino revocata, quod fieri potest de stylo Rotae etiam non docto de « errore, *Ridolphin. ibidem n.* 211.

27. Quidquid contrarium sentiat *Ant. Monach. decis. florent.* 67 *n.* 4, maxime si emanaverit a procuratore male informato, et illa sit erronea, *Amat. decis. March.* 61 *n.* 63.

28. Limitatur autem primo: si dicta confessio sit adminiculata, quo casu illam non posse revocari, resolvit *Rot. coram Gregor. XV decis.* 506 *n.* 6.

29. Limitatur secundo: si procurator habebat mandatum speciale ad ita confitendum, *Castrens. in d. L. Imperator n.* 4, *Alex.*, *Rip. et Rot. in locis allegatis supra in quarta ampliatione.*

« Licet confitenti, ut supra, se spoliatum denegetur manutensio, id « tamen non procedit in confessione procuratoris, ad hoc mandatum speciale « non habentis, *Ridolphin. in prax. par.* 2 *cap.* 12 *n.* 212.

« Confessio procuratoris, qua principalem spoliatum fatetur et adver- « sarium possessorem facit, ipsi principali nocere nequit, nisi de legitimo « speciali mandato procurae doceatur, *Rot. coram Crispo decis.* 39 *n.* 8 « *tom.* 1.

« Super procuratoris, vel alterius administratoris confessione, quaestio « cadere solet, an praejudicet, sive an sit revocabilis, et quomodo? Atque « regula est ut non praejudicet sive quod revocari valeat, etiam non docto

« de errore, quoties mandatum speciale ad confitendum non accedat, nisi « conjecturis ac vehementibus adminiculis confessio suffulta sit. Verum de- « super certa regula statui non potest, cum ex facti qualitate et circum- « stantiis totum pendeat; ideoque in singulis casibus, diversum est ac par- « ticulare judicium, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 23 *n.* 29.

30. Limitatur tertio: ut non possit revocari a cessionario mandantis, *Put. d. decis.* 79 *per tot. lib.* 2.

31. Limitatur quarto: si per dominum fuit ratificata per usum, ut dictum est supra in tertia limitatione principali et firmant *Addent. ad Gregorium XV decis.* 270 *sub n.* 12 *in fin.*

32. Quae limitatio multo magis haberet locum si dominus vigore dictae confessionis obtinuisset sententiam favorabilem, nam eo casu non posset illam revocare nisi docto de errore, ut fuisse resolutum in *Rot.* testantur *Addent. ad d. decis.* 270 *sub n.* 12 *coram Gregor. XV.*

33. Limitatur quinto: quod si dicta confessio sit verisimilis, quantumvis revocetur, deserviat pro adminiculo, *Decius cons.* 96 *n.* 3 *vers. nec obstat.*, *Crav. cons.* 202 *n.* 48, *Rot. d. decis.* 298 *n.* 2 *par.* 1 *Recentior.*, *et decis.* 652 *n.* 5 *par.* 2 *Recent.*

CAPUT LIV.

CONFESSIO JUDICIALIS PROCURATORIS AN DOMINO PRAEJUDICET.

SUMMARIUM

1. *An confessio procuratoris in judicio emanata domino praejudicet?*
2. *Confessio necessaria est, quae fit a procuratore judicis jussu coacto.*
3. *Talis confessio domino praejudicat.*
4. *Quamvis facta esset a procuratore revocato, si judex vel adversarius dictam revocationem ignoraverit.*
5. *Dummodo praedicta confessio sit verisimilis.*
6. *Et fuerit acceptata vel ab judice, vel a parte.*
7. *Et fuerit facta a vero procuratore et non a falso.*
8. *Et praejudicat solum in eadem causa, et inter easdem personas.*
9. *In diversa causa et judicio, atque inter diversas personas non praejudicat.*
10. *Diversum judicium dicitur in proposito, quando fit ad diversum finem.*

11. *Et quando mutantur personae.*
12. *Confessio procuratoris facta in judicio inter diversas personas domino non praejudicat.*
13. *Persona intelligitur mutata, non solum quando fit judicium inter diversas personas, sed etiam quando fit inter easdem, si altera de actione evadat rea.*
14. *Procuratoris confessio domino non praejudicat, si ipse dominus illam probet erroneam.*
15. *Quomodo possit a domino revocari; remissive.*
16. *Confessio voluntaria procuratoris domino non praejudicat.*
17. *Talis confessio ad instar donationis se habet.*
18. *Procurator sine speciali mandato donare non potest.*
19. *Procuratoris confessio in supplicatione, atque in commissione causae domino non nocet.*
20. *Similiter nec confessio facta in exceptionibus et protestationibus.*
21. *Nisi esset explicita.*
22. *Tunc debet a domino revocari, probando rem aliter se habere.*
23. *Confessio pariter facta a procuratore in positionibus domino non praejudicat.*
24. *Neque confessio facta respondendo positionibus adversarii.*
25. *Nec facta in libello vel petitione.*
26. *Vel obtinendo praeceptum et monitorium.*
27. *Neque confessio resultans ex productione jurium.*
28. *Et multo minus si produceret instrumenta falsa.*

1. Fuit in praecedenti capite limitata quinto loco illa conclusio, quod confessio procuratoris non praejudicet domino, ut non habeat locum, si illa confessio emanasset in judicio. Verum quia limitatio praefata egit discussione, illam ad hunc locum rejecimus. Pro clariori igitur et faciliori dictae limitationis dilucidatione, duo sunt considerandi casus principales. Unus est quando confessio illa fuit facta ex necessitate, alter quando emanavit ex mera procuratoris voluntate.

2. Circa primum casum sciendum est, illam dici confessionem necessariam quae fit a procuratore coacto jussu judicis, et illius imperio, puta respondendo libello, vel positionibus adversarii; nam extra istos casus procurator non compellitur respondere, ut post *Paulum de Castro in L.* 2 § *sed an ipsos n. . . . ff de confess.*, notat *Rim. Jun. cons.* 297 *n.* 19 *lib.* 3.

3. Et ista confessio domino praejudicat, *Ruin. cons.* 83 *n.* 4 *et seqq. lib.* 4, *Rim. jun. d. cons.* 297 *n.* 19, *Barzius decis.* 106 *n.* 16, *Bellamer.*

decis. 694 *n.* 3. Licet non admittat *Corneus cons.* 186 *n.* 6 *lib.* 3, neque *Surd. cons.* 345 *n.* 1 *lib.* 3.

4. Sed amplectendo partem affirmativam, illa est amplianda, ut talis confessio praejudicet domino, quamvis esset facta a procuratore revocato, si judex vel adversarius dictam revocationem ignoraverit, *Bellamer. decis.* 164.

5. Declaratur etiam primo: dummodo talis confessio sit verisimilis, *Crav. cons.* 202 *n.* 43, *Amat. decis. March.* 28 *n.* 10, *Rot. decis.* 651 *n.* 5 *par.* 2 *Recent., coram Gregor. XV decis.* 275 *n.* 6, *et coram Cavaller. decis.* 470 *n.* 2, ubi aliae decisiones referuntur.

6. Declaratur secundo, ut ita demum ista confessio domino praejudicet si fuit acceptata vel ab judice vel a parte, secus alias, *L. jubemus*, et ibi *Alber. n. . . . cod. de liberal. caus., Jas. in L. qui Romae § cohaeredes n.* 4 *ff de verb. oblig.*

7. Declaratur tertio; ut praejudicet dumtaxat confessio facta a vero procuratore, secus si fiat a procuratore falso, *Osasch. decis.* 30 *n.* 35.

8. Declaratur quarto; ut praejudicet tantum in eadem causa et inter easdem personas, *Burs. cons.* 74 *n.* 76 *lib.* 1, *Mandos. in tract. de commiss. in prima forma, in quarto praemisso.*

9. Secus autem si adsit diversitas causae et judicii, vel diversitas personarum, nam his casibus non praejudicaret, uti in confessione facta in diversa causa et diverso judicio, *Abb. in cap. per inquisitionem n.* 12 *vers. sed bene extr. de elect., Felin. in cap.* 1 *in princ. n. . . . extr. ut lite non contest., Decius in L.* 15, *apud quem n.* 63 *cod. de eden., et in cap. ad haec n. . . . extr. de postulat. praelat., Honded. cons.* 66 *n.* 74 *lib.* 1, *Ceph. cons.* 377 *n.* 72 *et* 86 *lib.* 3, *Cardin. Alban. cons.* 7 *n.* 5, *Afflict. decis.* 14 *n.* 10, *Aufrer. ad Capell. Tholos. decis.* 392, *Beroius cons.* 196 *n.* 29 *lib.* 3, *Angel. Aret. cons.* 13 *sub n.* 23, *Rim. Sen. cons.* 506 *n.* 8 *lib.* 3, *Rim. jun. cons.* 213 *n.* 21 *et* 22, qui de communi, *lib.* 2, *Gravat. ad Vestr. in prax. Roman. Cur. lib.* 5 *cap.* 16 *n.* 19, qui pariter de communi testatur, *Amat. decis. Ferrarien.* 46 *n.* 44, *Rot. decis.* 276 *n.* 6 *par.* 4 *divers.*

10. Dicitur autem in proposito diversum judicium, vel quando fit ad diversum finem, *Honded. cons.* 69 *n.* 72 *lib.* 2, *Rot. decis.* 724 *n.* 2 *par.* 4 *divers.*

11. Vel quando mutantur personae, *Guid. Pap. decis.* 21, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 86.

12. Quod etiam confessio procuratoris facta in judicio inter diversas personas domino non praejudicet, volunt *DD. in cap. causam quae extr. de testib., Dec. in d. L. is apud quem n.* 44 *cod. de edend.*

13. Persona autem mutari dicitur, non solum quando judicium fit inter diversas personas, sed etiam quando fit inter easdem, sed altera de actrice evadit rea, ut declarat *Rot. decis.* 12 *de rescript. in nov.*

14. Hoc autem praejudicium, quod dominus ex necessaria confessione procuratoris incurrit, poterit dominus evitare probando confessionem illam erroneam, et rem aliter se habere quam confessus fuit procurator, ut admonet *Amat. d. decis. March.* 28 *n.* 10, *vers. probat tamen.*

15. An autem, et quando possit dominus se a dicto praejudicio eximere, revocando confessionem a procuratore emanatam, diximus supra capite praecedenti ad finem, ubi declaravimus quando dominus possit procuratoris confessionem revocare.

« Procuratoris confessio, probato errore, revocari potest, sicuti con-
« fessio principalis, *Gob. de permissis foeud., et emphyt. alienat. quest.* 11
« *n.* 75.

16. Secundus casus principalis erat in confessione facta in judicio, non praecedente jussu et imperio judicis, quae propterea dicitur voluntaria, *Alex. cons.* 222 *n.* 16 *lib.* 2, *Honded. cons.* 66 *n.* 72 *lib.* 1, *Rot. decis.* 768 *n.* 5, *et decis.* 779 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

In quo firmata est conclusio negativa quod domino non praejudicet, *L. proinde* § 1 *ff ad L. Aquil.*, *Bald. in L.* 1 *n.* 38 *cod. de confess.*, *Bart. in L. certum* § *sed an ipsos n.* 1 *ff eod. tit.*, *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 22 *lib.* 2, *Rim. jun. cons.* 297 *n.* 10, *et cons.* 345 *n.* 14 *lib.* 3, *et cons.* 593 *n.* 37 *et* 72 *lib.* 5, *Aufr. ad Capell. Tholos. decis.* 391, *Paris. cons.* 47 *n.* 92, *et cons.* 115 *n.* 21 *lib.* 1, *Menoch. cons.* 31 *n.* 40, *et cons.* 70 *n.* 64 *lib.* 1, *Bellamer. decis.* 119, *Alex. de Nevo cons.* 1 *n.* 7, *Scacc. de judic. lib.* 2 *cap.* 7 *n.* 487 *in fin.*, *Amat. decis. March.* 61 *n.* 64, *Soc. Sen. cons.* 55 *col. fin. n. . . . lib.* 1, *Rot. decis.* 768 *n.* 5 *par.* 2 *Recent.*, *et coram Gregorio XV decis.* 375 *n.* 3, *decis.* 460 *n.* 4, *et decis.* 467 *n.* 1.

« Confessio a procuratore emissa ejus principali nocere non potest,
« *Saminiat. controv.* 8 *n.* 20 *lib.* 1.

« Maxime si non fuerit confessio judicialis coacta, sed voluntaria,
« *Saminiat. ibid. n.* 21.

« Fallit tamen si confessio fuerit adminiculata, quia tunc licet volun-
« taria domino nocet, et probat etiam contra Ecclesiam, *Saminiat. controv.* 10
« *n.* 12 *et seq. lib.* 1.

« Confessio voluntaria procuratoris domino non nocet, *Thomat. decis.* 59
« *n.* 34 *par.* 1.

17. Cujus conclusionis esse eam rationem dicunt DD., quia talis confessio habet se ad instar donationis, *d. L. certum* § *sed an ipsos ff de confess.*, *Felin. in cap.* 1 *n.* 29 *extr. ut lite non contestat.*, *Corneus cons.* 348 *n.* 3 *lib.* 1, *et cons.* 144 *n.* 8 *lib.* 4, *Paris. cons.* 47 *n.* 2 *lib.* 1, *Jo. Michelius Patrocin.* 3 *n.* 8, *Amat. d. decis. March.* 61 *n.* 64.

18. Procurator autem non potest donare absque speciali mandato, ut dicetur infra *cap. LXXVI de mandato ad donandum.*

19. Ex qua conclusione infertur, quod confessio facta a procuratore in supplicatione, et in commissione causae, cum id faciat non jussu judicis, sed ex mera voluntate, domino non praejudicat, *Menoch. cons.* 260 *n.* 7 *lib.* 3, *Angel. Aret. cons.* 13 *circa tertium dubium*, *Rot. d. decis.* 768 *n.* 6 *par.* 2 *Recent.* Declarando tamen, ut per *Amat. decis. Ferrarien.* 46 *n.* 47 *vers. quoniam.*

20. Infertur secundo: quod similiter confessio procuratoris facta in exceptionibus et protestationibus, domino non nocet, *Rot. d. decis.* 768 *n.* 6.

21. Verum si talis confessio esset explicita domino noceret, ut ex communi dicit *Amat. d. decis. March.* 28 *n.* 12.

22. Et contra illum probaret, nisi eam revocet probando rem aliter se habere, ut per *Amat. ibi n.* 10 post multos quos allegat, et nos supra diximus.

23. Infertur tertio; quod confessio a procuratore facta in positionibus, similiter non affert domino praejudicium, quia nec ipse, nec ejus principalis cogitur ponere, *Rim. jun. cons.* 145 *n.* 14 *lib.* 3, *Rot. decis.* 779 *num.* 2 *par.* 2 *Recent.*

24. Ubi idem disponitur in confessione facta a procuratore, respondendo positionibus adversarii, cum sit actus voluntarius, ad quem procurator cogi non potest.

25. Prout nec facta in libello, vel petitione propter eamdem rationem, *Menoch. cons.* 260 *n.* 7 *et* 8 *lib.* 3.

26. Infertur quarto: quod ob eamdem rationem non praejudicat domino confessio facta a procuratore obtinendo praeceptum et monitorium, *Soc. Sen. cons.* 122 *n.* 8 *lib.* 4, *Ceph. cons.* 377 *n.* 70 *lib.* 4.

27. Infertur quinto; quod simili ratione non est praejudicialis domino confessio procuratoris resultans ex productione jurium, *Purpur. cons.* 166 *n.* 10 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 213 *n.* 20 *lib.* 2, *Crav. cons.* 678 *n.* 4 *lib.* 5, *Gabriell. in tit. de confess. conclus.* 4 *n.* 34, *Dec. in L. conditionis n.* 8 *cod. de institut. et substitut.*, *Honded. cons.* 66 *n.* 58 *lib.* 1, *Bald. in L. si quis testes col.* 2 *n. . . . cod. de testib.*, *Felin. in cap. cum venerabilis col.* 8 *vers. secundo ex dictis extr. de except.*, *Rot. coram Verall. decis.* 193 *n.* 3 *vers. sicut autem lib.* 1, *Paulus Granutius theorem.* 20 *n.* 16.

« Productio jurium facta in judicio a procuratore absque speciali man-
« dato ad illam faciendam, non praejudicat principali ex ea potissima ra-
« tione, quod non potest plus operari tacitum, quam expressum, unde
« quemadmodum expressa voluntaria confessio procuratoris ad litem genera-
« liter deputati non praejudicat principali, ita minus tacita ex productione
« resultans, *Card. de Luc. de regal. disc.* 47 *n.* 5.

« Intellige tamen id procedere quando ab alio, quam a principali pro-
« curator habere potuit jura producta; nam alias productio nocet eidem

« principali, quando verisimiliter ab eo tantum jura producta procurator « habere potuit, *Card. de Luc. de regal. d. disc.* 47 *sub n.* 5.

« Productio facta absque mandato procurae non praejudicat principali, « *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de jur. patronat. lib.* 13 *decis.* 30 « *n.* 9 *tom.* 4.

« Mandans vero utendo juribus productis a suo procuratore, censetur « ea approbare, *Rot. decis.* 360 *n.* 6 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

« Declara tamen hanc conclusionem, ut procedat minime quoad pro- « curae mandatum, quod si producatur a procuratore, atque in eo pars « fateatur adversarium possidere, probat illius possessionem, *Rot. decis.* 214 « *n.* 2 *par.* 8 *Recent.*

28. Et multo minus si produceret instrumenta falsa, *Bellamer. decis.* 694 *num.* 3.

CAPUT LV.

CONTUMACIA ET NEGLIGENTIA PROCURATORIS AN PRAEJUDICET DOMINO.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad lites et causas domino per suam contumaciam praejudicat.*
2. *Ut si sit contumax in respondendo positionibus adversarii, si ad hoc habeat speciale mandatum.*
3. *Aut in respondendo interrogationibus sibi a causae judice factis.*
4. *Per negligentiam quoque domino praejudicat si non explicet ea quae sunt comprehensa in ejus mandato.*
5. *Si non opponat exceptiones.*
6. *Immo nisi talem oppositionem repetat in quolibet actu.*
7. *Vel si simpliciter et absque protestatione et oppositione causam appellationis a sententia lata contra falsum procuratorem prosequatur.*
8. *Nec postea posset de nullitate dictae sententiae opponere.*
9. *Domino quoque praejudicat si non appellat a sententia contra ipsum lata.*
10. *Praecipue si praesens fuit prolationi sententiae.*
11. *Et sufficit, quod habeat mandatum generale cum libera administratione.*
12. *Si tamen procuratoris negligentia provenit ex dolo.*

13. *Similiter praejudicat, si appellationem interpositam non sequatur.*
14. *Contumacia et negligentia procuratoris domino non nocet, si procurator impeditus fuit justo impedimento.*
15. *Secus vero si impedimentum praevideri et removeri potuit, et non fuit sublatum.*
16. *Procuratoris contumacia domino pariter non nocet, si ipse dominus fuit personaliter citatus.*
17. *Vel si dominus procuratoris contumaciam rescivit illamque purgare non curavit.*
18. *Si sit absens ex causa justa et necessaria, illam purgare potest absentiae causa cessante.*
19. *Dominus per propriam comparitionem purgans procuratoris contumaciam nullum ex ea sentit praejudicium.*
20. *Procuratoris etiam contumacia domino non praejudicat quando ficta non sufficit sed requiritur vera contumacia.*
21. *Ficta dicitur respectu domini contumacia procuratoris.*
22. *Nec praejudicat quando procurator est solvendo.*
23. *Tunc datur domino contra ipsum actio de dolo ad damna et interesse.*
24. *Obtenta tamen prius in integrum restitutione.*

1. Postquam in praecedenti capite fuit explicatum, quando confessio procuratoris praejudicet domino in judicialibus, non ab re me facturum existimavi si subnecterem indagationem an et quando procurator praejudicet domino per suam contumaciam et negligentiam, in qua firmanda est conclusio affirmativa, quod procurator ad lites et causas potest domino suo praejudicare per suam contumaciam, *Osasch. decis.* 9 *n.* 1.

« Certi juris est procuratoris contumaciam et negligentiam domino « praejudicare, *Actolin. resolut.* 70 *n.* 5.

2. Puta si sit contumax in respondendo positionibus partis adversae, quando tamen habet mandatum speciale ad id, quale requiri diximus supra *cap. LII, cap. post praestitum de confess. lib.* 6, *Jas. in L.* 1 § *si procurator n.* 14 *ff si quis jus dicenti non obtemperar.*, *Osasch. d. decis.* 9 *n.* 1.

3. Vel si in respondendo interrogationibus sibi a judice causae factis, nam cum eo casu habeatur pro confesso, domino praejudicat, *Fulvius Pacianus tract. cui incumbat onus probandi lib.* 1 *cap.* 3 *n.* 3.

4. Praejudicat similiter negligendo, puta si omittat implere et explicare ea quae in mandato sibi facto comprehenduntur, *Franch. in cap. interposita* § *illo denique n.* 9 *extr. de appellat.*, *Riminal. Sen. cons.* 33

n. 6 *et seq.* ubi reddit rationem, *et cons.* 87 *n.* 21 *lib.* 1, *Ruin. cons.* 106 *n.* 6 *lib.* 1, *Marsil. singul.* 186 *vers. sed quid et singul.* 290 *in fin.*, *Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observat.* 45 *n.* 1, *Surd. decis.* 181 *n.* 3, 13 *et* 15, *Rot. cor. Verall. decis.* 415 *n.* 5 *lib.* 2, *Gratian. discept. forens. cap.* 957 *n.* 2.

« Procurator non potest praejudicare in omittendo; sed curator etiam « ad lites potest praejudicare in committendo, *Ridolphin. in prax. par.* 1 « *cap.* 5 *n.* 114.

« Quoties ex parte mandantis contenditur, an procurator sibi praeju- « dicare potuerit, praesertim cum ejus negligentia, vel alio facto culposo, « super hoc regulariter procedi solet cum distinctione inter actus qui con- « sistunt in committendo et alios qui consistunt in omittendo, ut primo « casu sine mandato speciali notabile praejudicium facere non possit, secus « autem in altero, ut praesertim frequens et quotidiana praxis docet in « omissione appellationis intra legitima tempora, pro transitu sententiae in « rem judicatam, sive in negligentia, committendo causam intra illum ter- « minum intra quem de stylo committenda est, aut prosequendo appella- « tionem intra fatalia, ut propterea appellationis desertio resultet, cum si- « milibus negligentiis praejudicialibus quae in omittendo consistunt; in « his enim negligentia procuratoris regulariter praejudicat, non autem ubi « agatur de actibus positivis praejudicialibus qui, ut supra, in committendo « consistant, *Cardin. De Luca de judiciis disc.* 6 *n.* 9.

5. Unde si non opponat exceptiones, puta si ad instantiam adversarii sui principalis fuerit obtentum rescriptum cum clausula « *parito judicato* » et procurator patiatur procedi in causa, et non opponat nec protestetur non procedi ad ulteriora, quia non fuit per adversarium paritum judicato, utique haec procuratoris negligentia domino praejudicat respectu rei judicatae, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 87 *n.* 37.

6. Immo praejudicaret si talem oppositionem et protestationem non repeteret in quolibet actu, prout opus est in judicialibus, ad conservationem suorum jurium, ut dixit ibi *Marescott.*, et nos alibi notabimus.

7. Praejudicat similiter domino negligentia procuratoris, si simpliciter et absque protestatione et oppositione, causam appellationis a sententia lata contra falsum procuratorem prosequeretur; prosequendo enim sine protestatione nullitatis videtur in praejudicium sui principalis acta gesta per falsum procuratorem firmare, *Vant. in tract. de nullit. in tit. quib. mod. sentent. null. reparet.*, quem sequitur *Rot. cor. Cardin. Cavaller. decis.* 4 *n.* 1.

8. Nec posset postea de nullitate dictae sententiae opponere et excipere, *Rot. cor. Caesar. De Grass. decis.* 9 *de caus. possess. et proprietat.*, *et decis.* 11 *n.* 3 *de judic.*, *et cor. Cavaller. d. decis.* 4 *n.* 1.

9. Negligentia procuratoris praejudicat etiam suo principali, non solum

si non appellat a sententia contra illum lata, *Franch. in cap. Nicolao n.* 14, *et in cap. exposita* § *ille denique n.* 9 *extr. de appellat.*, *Riminal. sen. cons.* 90 *n.* 12 *lib.* 1, *Capell. Tolosan. decis.* 101, et ibi *Aufrer. in addition.*, *Bellamer. decis.* 292, *Peregrin. cons.* 110 *n.* 8 *et* 11 *lib.* 5, *Andr. Gail. practit. observat. lib.* 1 *observat.* 45, *n.* 7, *Jacob. Ant. Marta vot.* 100 *n.* 4, *Amat. decis. March.* 59 *n.* 9 *vers. nam respondetur*, *Scacc. in tract. de appellat. quaest.* 12 *n.* 118, *Gratian. decis. March.* 79 *n.* 3, *et discept. foren. cap.* 364 *n.* 17 *et* 18, *Rot. dècis.* 439 *n.* 1 *par.* 3 *lib.* 3 *divers.*

« Negligentia procuratoris in non appellando praejudicat principali ex « regula, quod in iis quae consistunt in omittendo, sive in negligentia, pro- « curator praejudicat principali, quamvis secus sit in iis quae consistunt « in committendo, sine mandato speciali, quoties ex qualitate actus non « urgeat ejus praesumptio, *Card. De Luc. de judic. disc.* 6 *n.* 9 *et disc.* 37 « *n.* 13.

10. Maxime si procurator fuit praesens prolationi sententiae, *Cephal. cons.* 185 *n.* 34 *lib.* 2.

11. Et ad hunc effectum satis esset, quod procurator haberet mandatum generale cum libera administratione, nec esset necessarium mandatum speciale, *Alciat. cons.* 428 *n.* 2, *Horatius Carpanus ad Statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 131 *n.* 529, *Giurba decis. Siciliae* 35 *in fin.*

12. Dummodo tamen negligentia procuratoris proveniat ex dolo, secus si dolus non interveniat, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 86 *n.* 15.

13. Sed praejudicaret domino etiam negligentia procuratoris, si appellationem interpositam non prosequeretur, *Rimin. Sen.*, post alios quos allegat, *cons.* 90 *n.* 15 *lib.* 1, *Scacc. de appellat. quaest.* 17 *limit.* 2 *n.* 71, *Rot. decis.* 27 *de appellat.*, *Cassiodor. decis.* 5 *n.* 3 *eod. tit.*, *Paulus Emilius Verall. decis.* 67 *lib.* 1, *Gabriel Paleottus decis.* 27.

« Omissio spontanea prosecutionis appellationis domino nocet, licet ex « negligentia procuratoris procedat, cum quisque sibi imputare debeat quod « negligentem illum constituerit, *Thomat. decis.* 215 *n.* 6 *par.* 2, cum « sua voluntate et negligentia laesus dicatur, idem *Thomat. ibid. n.* 7.

14. Non tamen simpliciter et indistincte contumacia et negligentia procuratoris praejudicat suo principali, sed dantur aliquot casus in quibus hujusmodi conclusio non habet locum.

Primus est, si procurator fuerit impeditus justo impedimento, *Rimin. Sen. cons.* 33 *n.* 9 *lib.* 1, *Osasch. d. decis.* 9. *n.* 7, *Odd. in suo tract. de restitut. in integrum quaest.* 13 *art.* 8. *n.* 32.

« Procuratori infirmo succurritur per aliquam supersessoriam, *Thomat.* « *decis.* 232 n. 17 *par.* 2.

15. Non tamen praestaret excusationem impedimentum quod potuit praevideri et removeri, et non fuit sublatum, *Rimin. Sen. d. cons.* 33 *n.* 10.

16. Secundus casus in quo contumacia procuratoris non nocet domino, est quando ipse dominus fuit personaliter citatus, *Bellamer. decis.* 109 *n.* 1.

17. Tertius est si dominus contumaciam procuratoris rescivit, et illam purgare non curavit.

18. Potest autem dominus si sit absens ex justa et necessaria causa, puta pestis vel belli, cessante causa absentiae contumaciam procuratoris purgare, *Alex. cons.* 95 *n.* 12 *lib.* 2, *Burs. cons.* 260 *n.* 57 *lib.* 2.

19. Nam si dominus per propriam comparitionem procuratoris contumaciam purgavit, nullum potest ex illa damnum vel praejudicium sentire, *cap.* 1 *in princ. extr. ut lit. non contest.*, *Bellamer. d. decis.* 109 *n.* 1.

20. Quarto, contumacia procuratoris domino non praejudicat in casibus in quibus ficta contumacia non sufficit, sed requiritur vera.

21. Nam cum contumacia procuratoris respectu domini sit ficta, illi nocere non potest, *Osasch. d. decis.* 9 *n.* 1.

22. Quintus est casus, quando procurator est solvendo, *Alex. cons.* 95 *n.* 10 *lib.* 2, *Afflict. decis.* 344 *n.* 3, *Veronens. cautel.* 53 *n.* 5, *Jas. in L.* 1 § *si procurator n.* 13 *vers. secundo limit. ff si quis jusdicen. non obtemperav.*

23. Datur enim tunc domino contra procuratorem actio de dolo ad damna et interesse, *Cephal. cons.* 185 *n.* 34 *lib.* 2, *Jas. d. vers. secundo limit.*, *Amat. decis. March.* 37 *n.* 14.

24. Obtenta tamen prius in integrum restitutione, *Cephal.*, *Jas. et Amat.*, in locis citatis. An autem et quando detur domino restitutio in integrum adversus negligentiam procuratoris, maxime in appellando, dicetur mox in capite sequenti.

CAPUT LVI.

DOMINUS AN RESTITUATUR ADVERSUS NEGLIGENTIAM PROCURATORIS, MAXIME IN APPELLANDO.

SUMMARIUM

1. *Negligentia procuratoris in non appellando a sententia lata contra suum principalem, adeo ipsi praejudicat ut neque restitutio in integrum ei concedatur.*
2. *Dominus agere potest contra procuratorem pro suo interesse.*
3. *Vel actione de dolo.*
4. *Principali non conceditur restitutio in integrum.*
5. *Multo magis dicta restitutio in integrum ei negaretur si ipse fuisset praesens prolationi sententiae.*

6. *Vel si fuisset absens, absentia non contingente ex causa necessaria.*
7. *Sibi imputare debet si non elegit idoneum et diligentem procuratorem.*
8. *Praesertim si adversarius ageret de damno vitando, ipse vero de lucro captando.*
9. *Restitutio in integrum adversus procuratoris negligentiam conceditur domino, si procurator bona fide justam credens sententiam non appellavit:*
10. *Vel si procurator aliqua justa causa fuit impeditus toto temporis spatio quod conceditur ad appellandum:*
11. *Dummodo per tale impedimentum succurratur de jure communi, non vero ex privilegio personae procuratoris.*
12. *Vel si tanta fuit procuratoris negligentia ut transiverit in dolum, vel cum adversario colluserit.*
13. *Facilius datur restitutio contra dolum, quam contra negligentiam.*
14. *Procuratoris dolus et malitia domino nocere non debet.*
15. *Sive procurator sit solvendo, sive non.*
16. *Idem procedit in minore quamvis praesente, cujus procurator fuit negligens in appellando, vel aliud rite in judicio explicando.*
17. *Nec distinguitur an procurator sit solvendo, nec ne, dummodo ex capite minoris aetatis restitutio petatur.*
18. *Idem pariter procedit si ipse dominus fuit juste impeditus, et procuratori nulla potest imputari negligentia cur non appellaverit.*
19. *Vel si procurator non sit solvendo.*
20. *Quando procurator dicatur non solvendo; remissive.*
21. *Opinio Laderchii quod praedicta conclusio solum procedat favore minoris.*
22. *Quod eadem conclusio procedat attenta juris dispositione, sed locum non obtineat in praxi.*
23. *Vel quod procedat quando dominus ex necessitate procuratore usus fuit.*
24. *Vel quando ultra procuratoris paupertatem, etiam ob aliquam justam causam judex moveri potuit ad concedendam restitutionem in integrum.*
25. *Vel quando dominus ignoravit sententiam vel ejus tenorem.*
26. *Si dominus habuit sententiae notitiam et non appellavit, sibi imputari debet.*

27. *Scientia procuratoris non nocet domino ignoranti.*

28. *Praesumitur quod procurator notificaverit domino sententiam contra ipsum latam, atque ejus tenorem:*

29. *Praecipue si sententia lata fuerit super negotio gravi et valde ipsi domino praejudiciali.*

30. *Ut dominus ob negligentiam procuratoris appellare non valeat, requiritur ipsius scientia certa et vera, non autem praesumpta.*

31. *Et multo magis si sententia fuisset lata cum procuratore generali.*

1. Negligentia procuratoris maxime in non appellando a sententia contra suum principalem lata, adeo est domino nociva et praejudicialis ut nec etiam audiatur ope restitutionis in integrum, *Bald. cons.* 453 *n.* . . . *lib.* 4, *Franch. in cap. ex ratione col.* 2 *n.* . . . *vers. si autem, si occurrent. extr. de appellat., Cassieder. decis.* 5 *de appellat., Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observ.* 45 *n.* 3, *Benintend. decis.* 26 *n.* 3, *Rot. decis.* 439 *n.* 2 *et* 3 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

« Quando quis habet procuratorem, sive sit vir, sive mulier, quae « etiam minor sit, illi non datur restitutio in integrum ob non interpositam « appellationem vel illam non prosequutam adversus rem judicatam, *Tho-* « *mat. decis.* 215 *n.* 26 *par.* 2.

2. Cum enim dominus habeat remedium ordinarium contra procuratorem, vel ut agat contra illum pro suo interesse, *Beninten. d. decis.* 26 *n.* 3 *circa med.*

« Adversus procuratorem non appellantem conceditur actio ad interesse, « quam tamen nunquam vidisse practicari ait *Card. De Luc. de judic.* « *disc.* 37 *n.* 12.

3. Vel actione de dolo, *Cephal. cons.* 185 *n.* 37 *lib.* 2, cum aliis allegatis in praecedenti capite in *quinto casu vers. datur enim n.* 23.

4. Non debet illi concedi remedium extraordinarium restitutionis in integrum, *Odd. in suo tract. de restit. in integr. quaest.* 17 *art.* 2 *n.* 13 *et seqq.*

5. Et multo minus si ipse dominus vel fuit praesens prolationi sententiae, quia tunc non sentiset damnum ex procuratoris, sed ex propria negligentia et omissione, *Oldrad. cons.* 157 *n.* . . ., *Alex. cons.* 195 *n.* . . . *lib.* 5, quos allegat *Laderch. Imolen. cons.* 63 *n.* 4 *lib.* 1, *Felin. in cap.* 1 *n.* 7 *extr. ut lite non contest.*

« Est autem hic advertendum quod decem dies ad appellandum, « quando pars aut procurator fuerunt praesentes, non cuvrunt a die inti-

« mationis, sed a die prolationis ejusdem sententiae, *Romaguerr. post Con-* « *ciol. ad statut. Eugubin. lib.* 3 *rub.* 1 *n.* 35.

6. Vel si fuit absens absentia non contingenti ex causa necessaria, sed ex propria et mera ejus voluntate; proindeque voluntarie per procuratorem litigavit, *Odd. d. tract. de restit. in integr. quaest.* 29 *n.* 18.

7. Sibi enim debet imputare si non idoneum et diligentem procuratorem elegit, *L.* 3 § *fin.*, *L.* 4, *et L. cum mandato in fin. ff de minor.*, *Cepoll. cautel.* 57; *Cephal. d. cons.* 185 *n.* 35, *Odd. d. quaest.* 29 *n.* 18, *Laderch. d. cons.* 63 *n.* 3 *et* 4.

8. Et sine dubio si adversarius ageret de damno vitando, ipse autem de lucro captando, *Socin. Sen. in L. fin. n. . . . ff de eo per quem fact. erit.*, *Laderch. d. cons.* 63 *n.* 3.

Non tamen simpliciter et indistincte excluditur dominus a beneficio restitutionis in integrum adversus negligentiam procuratoris, sed illi conceditur in aliquibus casibus.

9. Primus est, quando procurator qui omittit appellare, id fecit bona fide credens sententiam esse justam, ut pro veriori et magis communi firmat *Odd. d. tract. quaest.* 69 *n.* 25 *vers. sed contra*, *Scacc. in tract. de appellat. quaest.* 12 *n.* 138 *vers. contra istam.*

10. Secundus, si iste procurator fuit legitime impeditus toto illo decem dierum spatio, quod conceditur ad appellandum, puta ob infirmitatem, absentiam, vel aliam justam causam, *Bart. in L. si procurator n.* 9 *ff de condit. indeb.*, *Ruin. cons.* 172 *n.* 8 *et seq. lib.* 4, *Osasch. decis.* 9 *num.* 3, *Odd. d. tract. quaest.* 13 *art.* 8 *n.* 32, *et quaest.* 69 *n.* 19 *post Joannem Mauritium in tract. de restitut. in integr. n.* 173, quem allegat.

11. Quod tamen *Jason. in d. L. si procurator n.* 17 *vers. quod ultimum*, intelligit procedere, quando per tale impedimentum succurritur de jure communi, secus si ex privilegio personae procuratoris, *per tex. in L. commodato in princ. ff mandat.*, et auctoritate *Bart. in L. cum filius* § *in hac*, *circa med.*, *ff de verb. obligat.*

12. Tertius, si procuratoris negligentia fuit adeo dissoluta ut transiverit in dolum, vel colluserit cum adversario.

« Negligentia procuratoris in non appellando reputatur justa causa re- « stitutionis in integrum, *Card. De Luc. de judic. disc.* 37 *n.* 13 *et disc.* 38 « *sub n.* 19.

13. Nam facilius datur restitutio contra dolum, quam contra negligentiam, *Gloss.*, et ibi *Abb. n.* 19 *in cap. cum venissent extr. de restitut. in integr.*, *Rim. Sen. cons.* 90 *n.* 19 *lib.* 1, *Burs. cons.* 412 *n.* 3 *lib.* 4, *Laderch. d. cons.* 63 *n.* 2, *Scacc. de appellat. q.* 12 *n.* 129 *et n.* 133, *Rot. decis.* 27 *de appellat. in antiq. et decis.* 439 *n.* 4 *lib.* 3 *part.* 3 *divers.*

14. Nam procuratoris dolus et malitia domino nocere et praejudicare

non debet, *Aufrer. ad Capell. Tholos. decis.* 446 *n.* 2, *Barzius decis.* 107 *n.* 7, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 86 *n.* 15.

15. Et hoc procedit sive procurator sit solvendo, sive non, *Odd. d. quaest.* 69 *n.* 22 *vers. sed videtur*, qui ita respondet *ad L. arbitrio* § *dolo cujus ff de dol.*, quae videtur contrarium probare.

16. Quartus, est in minore quamvis praesente, cujus procurator fuit negligens in appellando, vel aliud rite in judicio explicando, *Burs. post Maurit. de restit. in integr. cons.* 412 *n.* 31 *vers. verum lib.* 4, *Laderch. d. cons.* 63 *n.* 19 *vers. prima ergo.*

17. Nulla habita distinctione an procurator sit solvendo vel non, dummodo restitutio petatur ex capite minoris aetatis, *Joseph Ludovici decis. Perusin.* 55 *n.* 21 *cum seq.*

18. Quintus casus est, si ipsemet dominus fuit impeditus, puta propter infirmitatem vel justam absentiam, et procuratori nulla potest imputari negligentia, cur non appellaverit, uti in casu *Benintend. decis.* 26 *n.* 7 *vers. tamen tutius.*

19. Sextus est casus, si procurator non sit solvendo; ita ut domino non possit succurri remedio ordinario, nec possit consequi suum interesse a procuratore propter ejus inopiam, *Innoc. in cap. ex ratione de appellat., Oldrad. cons.* 157 *n.* 3, et communiter tenere DD. testatur *Gail. practicar. observat. lib.* 1 *observat.* 45 *n.* 6, *Rim. Sen. cons.* 87 *n.* 22, *et cons.* 90 *n.* 18 *lib.* 1, *Cassiodor. decis.* 5 *in tit. de appellat., Jas. in L.* 1 § *si procurator n.* 73 *ff si quis jusdicent. non obtemper., Ceph. cons.* 185 *n.* 36 *lib.* 2, *Benintend. d. decis.* 26 *n.* 6, *Burs. d. cons.* 412 *n.* 25 *lib.* 4, *Amat. decis. March.* 37 *n.* 13 *et seq., Scacc. de appellat. quaest.* 12 *n.* 125 *et n.* 127, *Odd.*, qui de communi testatur, *d. quaest.* 69 *n.* 24 *vers. sed vera, Gratian. discept. forens. cap.* 364 *n.* 17 *et* 18, et diximus aliquid supra in principio hujus capitis.

20. Quando autem procurator dicatur non solvendo, declarat *Aufrer. ad Capell. Tholos. decis.* 107.

21. Verum quia *Laderchius d. cons.* 63 *n.* 1 *vers. primo*, contra conclusionem factam in hoc sexto casu asserit illam procedere dumtaxat in domino minore, *per Tex. in L. cum mandato* § *si autem ff mand.*, ut diximus supra in 4 casu; et cum hoc ipsum sentiant alii multi, quos congerit *Scacc. d. quaest.* 12 *n.* 128, idcirco ope distinctionis aliquo modo istae contrariae opiniones conciliandae erunt.

22. Vel considerandum nobis est itaque, quod conclusio supra firmata posset procedere inspecta juris dispositione; sed quod illa non recipiatur in actu practico, ut videtur sentire *Vestr. in sua praxi Rom. Cur. lib.* 7 *cap.* 3 *n.* 24 *vers. final.*, et innuit *Scacc. d. quaest.* 12 *n.* 128, *et Odd. d. quaest.* 29 *n.* 17.

23. Vel quod illa procedat quando dominus non ex propria voluntate, sed ex necessitate litigavit mediante persona procuratoris, puta quando fuit coactus abesse a loco judicii, ac proinde ex necessitate procuratorem adhibuit, qui causam ageret, ut considerat *Odd. d. q.* 29 *n.* 18.

24. Vel quando ultra paupertatem procuratoris, adest etiam aliqua justa causa ob quam moveri possit judex ad concedendam petitam restitutionem in integrum, *arg. L.* 1 *ff ex quib. caus. major.*, et ita respondet *Cassiodor. decis.* 5 *in tit. de appellat.*, et sequitur *Odd. d. q.* 29 *n.* 17.

25. Vel demum quando dominus ignoravit sententiam, vel ejus tenorem, namque si scivisset forte de procuratore non fuisset confisus, et ita considerat *Odd. d. q.* 69 *n.* 24 *vers. sed vera in fin.*, et sic respondet ad *d. L. cum mandato si ejus* § *de procur.*

26. Si autem dominus habuit notitiam sententiae, et non appellavit, tunc sibi nocet sua propria, non procuratoris negligentia et desidia, *Felin. in cap.* 1 *n.* 7 *extr. ut lit. non contestat.*, *Laderch. d. cons.* 63 *num.* 3 *lib.* 1.

27. Licet enim scientia procuratoris non noceat domino ignoranti, *Surd. decis.* 187 *n.* 17.

28. Nocet tamen illi sua propria quam praesumitur habuisse, cum praesumi debeat, quod procurator illi sententiam contra se latam notificaverit, et quod illum etiam de dictae sententiae tenore certiorem fecerit intra legitima tempora, *Rot. cor. Put. decis.* 100 *n.* 4, *vers. non obstat quod lib.* 2 *in correctis coram Gregorio XV decis.* 227 *n.* 4, *et decis.* 131 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

29. Maxime si sententia fuerit lata super negocio gravi et valde praejudiciali ipsi domino, *Bertaz. cons. criminal.* 270 *n.* 23 *et n.* 32, *et cons.* 405 *n.* 13 *lib.* 2, *Surd. cons.* 55 *n.* 54 *lib.* 1, *Mascard. de probat. vol.* 1 *conclus.* 554 *n.* 8.

30. Caeterum ad effectum ut dominus privetur facultate appellandi ob negligentiam procuratoris, non sufficit illius scientia praesumpta, sed est necessaria scientia certa et vera, *Rot. coram Seraph. decis.* 1239, *et in Recent. decis.* 507 *n.* 8 *par.* 1, quas referunt *Addent. ad Gregorium XV dec.* 227 *n.* 11 *vers. declara quarto.*

31. Et multo minus posset domino nocere ista praesumpta scientia, si sententia fuisset lata cum procuratore generali, *Robertus Lancellottus tract. de attentatis par.* 2 *cap.* 1 *n.* 101, *Honded. cons.* 55 *n.* 55 *lib.* . . . ., *Mascard. de probat. d. conclus.* 554 *n.* 9.

CAPUT LVII.

PROCURATOR AN POSSIT ESSE TESTIS IN CAUSA IN QUA EST PROCURATOR.

SUMMARIUM

1. *Procurator non potest esse testis in causa quem procurat ob affectionem quam praesumitur habere ad illam causam.*
2. *Cum concipiat verba in propriam personam, et teneatur actione mandati, videretur ferre testimonium in causa propria.*
3. *Quamvis acceptaverit mandatum solum ad effectum substituendi alium in locum suum.*
4. *Etiam si sit advocatus.*
5. *Vel sollicitator.*
6. *Ratione affectionis advocatus, procurator et sollicitator aequiparantur.*
7. *Immo sollicitator majorem affectionem habet ad causam, quam procurator.*
8. *Restringitur ad sollicitatorem, cui pro sollicitatione est constitutum salarium.*
9. *Procurator repellitur etiam a testificando, licet post litem contestatam fuerit revocatus.*
10. *Idem procedit in asserto mandatario ad delinquendum, qui nullam facit probationem, immo nec judicium ad torturam contra mandantem, nisi cum tortura.*
11. *Procurator neque pro alio admittitur ad testificandum in causa quae sit similis illi quam ipse procurat.*
12. *Neque admittitur, postquam desiit esse procurator.*
13. *Contraria refertur sententia.*
14. *Praedicta conclusio quando procedat.*
15. *Item quando procedat conclusio praedicta.*
16. *Procurator non rejicitur a testificando, si non acceptavit mandatum, nec causam agere coepit.*
17. *Aut si sit clericus in causis suae Ecclesiae.*
18. *Vel si non repugnet adversarius.*
19. *Dummodo expresse consentiat.*
20. *Potest esse similiter testis in alia causa in qua non fuit procurator.*

21. *Procurator ad unum tantum articulum, illo excepto, in aliis causis testificari potest.*
22. *Procurator in causa possessoria potest esse testis in judicio proprietatis.*
23. *Et debet admitti etiam invito adversario.*
24. *Nisi ex eadem causa commodum vel incommodum ad eum spectare possit.*
25. *Procurator ad negocia potest pariter pro suo principali esse testis, si nullum ad ipsum commodum spectet.*
26. *Tamen non admittitur in negocio in quo est procurator, sed in alio.*
27. *Procurator potest etiam esse testis in iis quae facile per alios probari non possunt.*
28. *Et contra eum pro quo fuit procurator.*
29. *Procurator appellati potest esse testis in causa appellantis.*
30. *Et potest tali casu veritatem deponere pro utraque parte.*
31. *Maxime si inducatur ad deponendum super iis, quae scivit antequam esset constitutus procurator.*
32. *Immo in dicto casu potest etiam invitus compelli ad deponendum.*
33. *Sicuti compelli potest in omnibus casibus in quibus potest principalis compelli.*
34. *Procedit tamen in iis quae ipse non scit tamquam procurator, sed tamquam testis.*
35. *Ac etiam postquam causa est finita, vel quando is qui fuit procurator in prima instantia, non est procurator in causa appellationis.*
36. *Durante causa, non debet admitti, ne sit pars et testis in eadem causa.*
37. *Quod immo neque finita causa possit esse testis.*
38. *Declaratur.*

Fuit aliquando dubitatum an procurator sit admittendus in testem in causa in qua procuratoris officium exercet: in qua dubitatione, omissa disputatione, ex dictis per DD. facio unam conclusionem cum nonnullis ampliationibus et restrictionibus.

1. Conclusio itaque est negativa, quod procurator non sit idoneus testis in causa quam procurat, sed debeat a testificando repelli propter affectionem, quam verisimiliter habet ad illam causam. Quae conclusio probatur *ex L. fin. ff de testib. cap. fin. eod. tit. lib.* 6, *can. in primis* §

quia Stephanus 29 *q.* 1 *Cap. Romana*, *quod est ultimum*, et ibi *Gloss. in verb. appellavit. de testib. lib.* 6, et illam amplectuntur DD. communiter in *L. dictanctibus*, et signanter *Angel. n.* 3 *vers. scias etiam*, *Jas. n.* 17 *cod. de testam.*, *Bart. in L. deferre n.* 2 *vers. tu dic breviter ff de jure fisc.*, *Abb. in cap. insuper col. fin. n. . . . , extr. de testib.*, *Rim. Sen. cons.* 392 *n.* 10 *lib.* 2.

« Procurator non potest testificare in causa quam tuetur, *Rot. in* « *Mantiss. ad Card. de Luc. de jure patronat. lib.* 13 *decis.* 50 *n.* 5 *tom.* 4.

« Et testis qui deponit de auditu a procuratore, non probat, *ibid. n.* 6.

2. Qui eam reddit rationem, quia procurator concipit verba in personam suam, et tenetur actione mandati, unde videretur ferre testimonium in causa propria, idem *Rim. cons.* 415 *n.* 17 *lib.* 3, *Dynus cons.* 46 *n.* 11, *Paris. cons.* 58 *n.* 17 *et* 84, *et cons.* 74 *n.* 5 *lib.* 4, *Franc. Marc. decis.* 1312 *n.* 4 *par.* 1, *Marant. cons.* 27 *n.* 4, *Gratus cons.* 51 *n.* 8 *lib.* 2, *Franc. Monaldus cons.* 118 *n.* 23 *lib.* 2, *Marius Giurba*, qui multos allegat, *decis. Sicil.* 85 *n.* 10, *Rim. Jun. cons.* 213 *n.* 117 *lib.* 2, *Menoch. de arbitrar. judic. lib.* 1 *q.* 73 *n.* 5, *DD.* qui tractatus de testibus conscripserunt, et signanter *Crottus n.* 154, *Aufrer. n.* 83 *in princ.*, *Nepos de Monte Albano n.* 145, *Nellus de S. Geminiano n.* 31, *Farinacc. de testib. q.* 60 *n.* 196, *Rot. decis.* 154 *quae est* 12 *de testib. in nov.*, et firmat pro regula coram *Coccin. decis.* 403 *n.* 1.

3. Quae conclusio ampliatur primo, ut procedat etiam si acceptaverit mandatum dumtaxat ad effectum substituendi et ponendi alium in locum suum, *Rot. decis.* 59 *lib.* 1 *par.* 3 *divers.*

4. Ampliatur secundo, etiam in advocato, *L. fin. ff de testib.*, *cap. fin. eod. tit. lib.* 6, ad quem textum se remittit *Bart. in d. L. deferre n.* 3, *Rim. jun. in addit. ad Rim. Sen. cons.* 415 *in litera C*, *Paris. cons.* 70 *n.* 21 *lib.* 4.

5. Et in sollicitatore, *Lanfrancus de Oriano in tract. de testib. n.* 88 *vers. sed quaero*, et ibi *Addent.*, *Rot. decis.* 154 *quae est* 12 *de testib. in nov.*, et de utroque *Jodocus Damhouderius in tract. de reprobat. testium n.* 11.

6. Quia in hac materia ratione affectionis aequiparantur advocatus, procurator et sollicitator, *Paris. d. cons.* 70 *n.* 12 *lib.* 4, et fere omnes supracitati DD.

7. Immo quod majorem affectionem ad causam habeat sollicitator quam procurator, dixit *Rot. d. decis.* 12 *de testib. in nov.*, *Rom. cons.* 429 *n.* 1.

8. Qui hoc restringit ad sollicitatorem, qui salarium recipit pro sollicitatione, quem refert et sequitur *Crott. in tract. de testibus par.* 4 *n.* 135.

9. Ampliatur tertio, etiam in procuratore revocato post litem conte-

statam, praesumitur enim quod fuerit revocatus per fraudem, et dolose ut possit in dicta causa testimonium ferre, *Paris. d. cons.* 70 *n.* 14 *lib.* 4, *Purpur. cons.* 467 *n.* 17 *lib.* 2, *Aufrer. de testib. n.* 83 *circa princ.*, *Rot. decis.* 126 *quae est* 11 *de testib in nov.*

10. Ampliatur quarto, in asserto mandatario ad delinquendum, qui nullam facit probationem, immo nec indicium ad torturam contra mandantem, nisi cum tortura, *Simon de Praetis*, multos allegans, *cons.* 15 *n.* 41 *lib.* 1.

11. Ampliatur quinto, ut non admittatur etiam pro alio in causa quae sit similis illi, in qua ipse est procurator, *Rot. decis.* 52 *de appellat. in nov. sub n.* 1, *Aufrer. de testib. d. n.* 83 *ad fin.* Praesumitur enim subesse eadem affectio in dicta causa, quae subest in causa in qua est procurator ratione earum similitudinis.

12. Ampliatur sexto, ut nec etiam possit testis esse in dicta causa postquam deposuit, et finitum est officium procuratoris, *Rot. d. decis.* 52 *de appellat. in nov. n.* 2, *et cor. Coccin. decis.* 403, *Mascard.*, qui multos allegat, *de probat. vol.* 3 *concl.* 1233 *n.* 1, *Bart. in d. L. deferre sub n.* 2 *vers. fin. vers. si vero.*

13. Verum quia contrarium sentiunt, *Rot. cor. Peutinger decis.* 348 *n.* 21, *Alex. cons.* 88 *col.* 3 *lib.* 1, *et Rom. cons.* 186 *n.* . . . . ,

14. Crederem hanc controversiam posse conciliari distinguendo: aut, iste procurator est continuo salariatus a domino pro quacumque causa, aut non est continuo salariatus: primo casu crederem procedere ampliationem, quia adhuc remanet procurator ejusdem domini in aliis causis, ac proinde videtur etiam affectio durare.

15. Secundo vero casu, finita causa in qua erat procurator, est etiam finitum illius officium, et consequenter censetur etiam cessare praesumpta affectio, unde non videtur repellendus a testificando in dicta causa, et ita videtur esse de mente *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 568 *n.* 5, et ibi *Addent. n.* 5.

Vel dicas cum *Bart. in d. L. deferre d. vers. si vero ad eum*, quod utroque casu admittitur in testem si utraque pars consentiat, secus alias.

16. Limitatur autem supra firmata conclusio, primo: ut non procedat si talis procurator non acceptavit mandatum nec coepit causam agere, *Gloss.* 1 *in leg. fin. ff de testib.*, *Gloss. in cap. fin. in verb. fuerat eod. tit. lib.* 6, *Innocent. in cap. insuper n.* . . . *extr. eod. tit.*, *Alberic. de Malet. in trac. de testib. par.* 1 *cap.* 4 *n.* 14 *circa princ.*

17. Limitatur secundo, in clerico in causis suae Ecclesiae, *d. cap. insuper extr. de test.*, *Aufrer. de testib. d. n.* 83 *circa med.*, vide *Peutinger decis.* 348 *n.* 22.

18. Limitatur tertio, consentiente adversario, *Paris. d. cons.* 70 *n.* 10

lib. 4, *Nellus de S. Geminiano de testib. n.* 31 *in fin.*, *Aufrer. eod. tract. d. n.* 83 *ad fin.*, *Giurba decis. Sicil.* 85 *n.* 10 *vers. sed si advocatus quispiam.*

19. Quod intelligendum esse existimo si consensus fuit liber et explicitus, secus si adversarius consentiat illum examinari, sed illius depositionem poni ad partes, *Rot. decis.* 59 *in fin. lib.* 1 *par.* 3 *divers.*, et in his terminis loquitur *Gloss. in d. L. fin. ff de testib.*

20. Limitatur quarto, in alia causa in qua non fuit procurator, *L. deferre* § *idem decreverunt ff de jure fisci*, *Rot. decis.* 106 *n.* 4 *par.* 4 *tom.* 2 *Recent.*, *Alberic. de Malet. d. cap.* 4 *n.* 19.

21. Hinc is qui non est procurator generalis ad omnes causas, sed specialis ad unum tantum articulum, de quo diximus supra *cap. XLV*, potest in aliis causis, excepto illo articulo, testificari, *Bald. in L. omnibus n. . . . cod. de testib.*, *Paris. d. cons.* 70 *n.* 13 *lib.* 4, *Aufrer. de testib. d. n.* 83 *in fin.*

22. Et similiter is qui fuit procurator in causa possessoria potest esse testis in judicio in quo agitur de proprietate, *Butr. in cap. cum a nobis n.* 12, et ibi *Imol. n. . .*, *et Felin. n.* 14 *extr. de testib.*, *Alberic. de Malet. d. cap.* 4 *n.* 20, *Aufrer. d. n.* 83 *circa med.*

23. Et haec quarta limitatio in tantum procedit, ut hoc casu procurator admitti debeat ad examen etiam invito et reluctante adversario, *Gloss. in d. cap. fin. de testib. lib.* 6.

24. Intelligenda tamen est si addictum procuratorem non possit spectare commodum vel incommodum ex eadem causa, *d. L. deferre* § *idem decreverunt*, *Lanfranc. de Orian. de testib. n.* 67 *vers. dic si nondum.*

25. Prout in simili procurator ad negocia si ad eum nullum spectat commodum, potest esse testis pro suo principali, *d. Lanfranc. d. n.* 67 *ad fin.*, *Gloss. in d. cap. fin. de testib. lib.* 6, *Alex. cons.* 64 *n. . . . lib.* 2, *cons.* 19 *n. . . . lib.* 4 *et cons.* 43 *n.* 3 *lib.* 7, *Raphael Fulgosius cons.* 174 *et cons.* 219, *Aufrer. d. n.* 83 *in fin.*

26. Hoc autem de procuratore ad negocia intelligendum est procedere, non in negocio ad quod peragendum habet mandatum, sed in alio, *Bald. in cap.* 2 *n. . . . de leg.*, *Lancellot. Conradus in usib. feudor.*, *Gloss. in d. cap. fin. de testib. lib.* 6, *Aufrer. d. n.* 83 *in fin.*

27. Limitatur quinto, in iis quae facile per alios probari non possunt, *Cravett. cons.* 56 *n.* 13 *lib.* 1, quem sequitur *Riminal. jun. in addiction. ad Riminal. Sen. cons.* 215 *lib.* 3 *in litera C in fin.*, *Alex. cons.* 43 *n.* 2 *vers. tamen ad hoc lib.* 7.

28. Limitatur sexto, ut admittatur contra eum pro quo procuratoris officium exercuit, *Gloss. in* § 2 *auth. de fide instrum.*, *DD. in L. fin. ff de testib. et in L. omnibus cod. eod. tit.*, facit tex. *in can. item in criminali*

§ *item testès* 4 *quaest.* 3, *Henricus Boich. in cap. insuper n.* 1 *extr. de testib.*, *Guid. Pap. quaest.* 45 *n.* . . . , *Paris. d. cons.* 70 *n.* 3 *lib.* 4, *Aufrer. d. n.* 83 *circa med.*, *Surd. decis.* 190 *n.* 1 *et* 2, ubi testatur de communi, *Rot. cor. Coccin. decis.* 403 *n.* 2.

29. Unde procurator appellati potest esse testis in causa appellantis, *Gloss. in d. cap. fin. in verb. in testem de testib. lib.* 6.

30. Quo casu iste procurator poterit deponere veritatem pro utraque parte, ut dicit *Gloss. in d. verb. in testem*, et sequitur post alios *Paris. d. cons.* 70 *n.* 9 *in fin.*, *et infra lib.* 4.

31. Maxime quando inducitur ad deponendum super iis quae scivit antequam esset constitutus procurator, *Paris d. cons.* 70 *n.* 13.

32. Quae sexta limitatio est adeo vera, ut iste procurator in dicto casu possit etiam invitus compelli ad deponendum, *Gloss. in d. L. fin. ff de testib.*, *Bart. in d. L. deferre n.* 2 *in fin. ff de jure fisci*, *Afflict. decis.* 92, et ibi *Ursill. n.* 5, *Paris. d. cons.* 70 *n.* 6 *et seqq.*, *Surd. d. decis.* 190 *n.* 5.

33. Prout compelli potest in omnibus casibus in quibus potest compelli principalis, *Paris. d. cons.* 70 *n.* 15, *ex Bart. in d. L. deferre*, *et ex Bald. et Angel. in L. non solum ff de procurat.*

34. Ista autem limitatio intelligi debet primo: ut procedat respectu eorum quae ipse sciret non tamquam procurator, sed tamquam testis, *Gloss. in d. L. fin. ff de testib.*, *et in d. cap. fin. eod. tit. lib.* 6, cum aliis apud *Giurb. decis. Sicil.* 85 *sub n.* 4 *vers. nisi ex Rot. cor. Coccin. decis.* 403 *n.* 6.

« Si procurator interpellatur uti principalis, tenetur in hoc casu testi-
« ficari contra eumdem principalem suum, quod tamen procedit in iis quae
« fecit aut sciebat ut tertius ante motam litem, non uti procurator, *Ri-*
« *dolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 2 *n.* 214.

« Et ubicumque non agitur de negocio aut re concernente secreta
« causae in qua est procurator, nec ipse argui potest de fide rupta, tenetur
« etiam uti testis subiicere se examini contra suum principalem, quod
« procedit etiam in advocato et sollicitatore, *Ridolphin. ibid. n.* 215 *et seq.*

35. Intelligi debet secundo, ut sit vera postquam causa est finita, vel is qui fuit procurator in prima instantia non est procurator in causa appellationis, in quibus terminis esse intelligendam *Gloss. in cap. fin. de testib. in* 6, dixit *Puteus decis.* 288 *lib.* 2 *in correctis.*

36. Nam durante causa non debet admitti, ne in eadem causa sit pars et testis, quod non admittitur ne, eodem tempore, officio tam diverso fungatur, et ita sensit *Rot. cor. Coccin. d. decis.* 403 *n.* 3 *et* 4 ubi alios allegat.

37. Sed immo quod nec etiam possit procurator esse testis finita causa

videntur sentire DD. qui loquuntur de eo qui fuit procurator in causa, *Riminal. Sen. d. cons.* 415 *n.* 37 *lib.* 3.

« Procurator a testificando repellitur etiam causa terminata, *Rot. cor.* « *Crispo decis.* 166 *n.* 4 *tom.* 1.

38. Nisi dicamus quod isti loquuntur ut non possit esse testis pro suo principali, *Rot.* autem *cor Puteo et Coccino* loquitur quando inducitur contra suum principalem.

CAPUT LVIII.

DE PROCURATORE DOMINO LITIS EFFECTO.

SUMMARIUM

1. *Licet procurator dicatur dominus litis, attamen potius quasi dominus appellari deberet.*
2. *Procurator actoris dominus litis efficitur quando litem contestatur.*
3. *Vel per primum actum contradictorium, quem post litis contestationem facit in judicio.*
4. *Vel quando lis non contestatur per primum actum in quo agitur de meritis et de negocio principali.*
5. *Vel per primum actum quem faceret post litem contestatam, si requireretur contestatio.*
6. *Rei procurator per satisdationem dominus litis efficitur.*
7. *Tam actoris quam rei procurator efficitur dominus litis, quando constitutus fuit procurator cum cautione de rato.*
8. *Constitutus absque tali cautione, non litis, sed instantiae dominus efficitur.*
9. *Instantia differt a lite.*
10. *Procurator dominus litis non efficitur quando processus fuit nulliter fabricatus, quamvis judex pronunciasset illum esse procuratorem et dominum litis.*
11. *Judex per suam sententiam eum qui non est, procuratorem facere nequit.*
12. *Procurator dominus litis effectus, si fuerit constitutus ad unam tantum causam, non potest nisi in ipsa comparere.*
13. *Nec in alia instantia in gradu appellationis.*
14. *Secus vero procedit si sit constitutus procurator ad provocandum, quo casu in quacumque instantia durat mandatum.*
15. *Vel si sit constitutus cum clausula* « relevans ».

16. *Aut si defendat suum principalem, si petatur restitutio in integrum adversus sententiam pro suo principali ipso procurante latam.*
17. *In incidentibus non est opus speciali mandato.*
18. *Procurator censetur constitutus ad omnia connexa et dependentia.*
19. *Judicium restitutionis in integrum est prosequutio prioris judicii, et dicitur eadem causa.*
20. *Procurator constitutus generaliter ad omnes causas et in quacumque instantia, non solum potest judicium inchoare, sed etiam in secunda instantia illud prosequi.*
21. *Lite durante debet citari procurator dominus litis effectus, et non principalis.*
22. *Nec sufficit citare solum principalem, nisi cum illo citetur et procurator.*
23. *Immo si dominus absque procuratore fuerit citatus, et non compareat, contumax reputari non valet.*
24. *Et si fiat aliquod decretum contra ipsum, non tenet.*
25. *Et si compareat, acta gesta cum ipso, et subsequens decretum est similiter nullum, tamquam factum nulla praecedente citatione.*
26. *Hoc tamen procedit, quoad acta ordinatoria, secus in iis quae respiciunt decisoria.*
27. *Et non procedit de jure canonico, quo sufficit citare dominum absque procuratore.*
28. *An in testium productione sufficiat citare dominum, vel debeat citari procurator dominus litis effectus; remissive.*
29. *Procurator comparens et allegans impedimenta, illa probare tenetur.*
30. *Si comparuit procurator dominus litis effectus, et processus cum eo fuit fabricatus, sive dominus sit vivus, sive decesserit, de jure civili sententia est ferenda cum ipso procuratore.*
31. *Et concipi debet in personam ipsius procuratoris, non autem domini.*
32. *Prout concipitur contra personam tutoris, non autem pupilli.*
33. *Exceptis casibus in quibus sententia in domini personam concipi debet.*
34. *Secus est de jure canonico, si dominus vivat.*
35. *Si vero mortuus fuerit, utroque jure sententia concipi debet in personam procuratoris domini litis effecti.*
36. *Sententia lata pro mortuo vel contra mortuum est ipso jure nulla.*

37. *Mortuo domino, quomodo concipi debeat sententia in procuratoris personam.*

38. *Quando possit revocari procurator dominus litis effectus, vel illius mandatum expiret; remissive.*

Quoniam supra saepius fuit facta mentio de procuratore domino litis effecto, et infra continget de eo rursus mentionem fieri, ne in obscuris ambulemus contra praeceptum *Antonii Caii in L. 1 ff de orig. jur.*, hic explicabimus, quando procurator dicatur effici dominus litis, et quam potestatem per litis contestationem consequatur.

1. Circa primum adnotandum praecipue est, quod licet a plerisque dicatur procuratorem effici dominum litis, quia tamen non proprio sed alieno nomine intercedit, non vere et proprie dici potest dominus litis, sed improprie; et aptius dici deberet quasi dominus, ut animadvertit *Port. Imol. cons.* 3 *n.* 33.

Et cum procurator non semper eodem tempore, et per eumdem actum litis dominium, vel quasi, nanciscatur, pro faciliori terminorum declaratione in proposito procuratorem actoris, a procuratore rei distinguendum et separandum esse censui.

2. Procurator itaque actoris dicitur effici dominus litis, vel quando litem contestatur, *L. neque tutores cod. de procurat.*, *L. procuratorem § si quis mandaverit*, et ibi *Bart. n.* 5 *ff mandat.*, *Riminal. jun. cons.* 203 *n.* 28 *lib.* 2, *Purpur. cons.* 127 *n.* 9 *lib.* 1, *Bursat. cons.* 412 *n.* 1 *lib.* 4, *Surd. decis.* 89 *n.* 17, *Rot. cor. Mantic. decis.* 204 *n.* 1.

« Procurator dominus litis efficitur per litis contestationem, *Ridolphin.* « *in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 48.

« Procurator non intelligitur factus dominus litis, nisi cum eo lis sit « contestata, *Thomat. decis.* 52 *n.* 1 *par.* 1.

Quod tamen procedit in causis in quibus litis contestatio est necessaria, *Thomat. d. decis.* 52 *n.* 7 *par.* 1.

« In aliis autem causis procurator intelligitur factus dominus litis cum « primum coeperit tractari de meritis causae, et negocium principale di- « scutitur, *Ibid. n.* 8; Cujus generis sunt causae executivae et summariae, « in quibus non requiritur litis contestatio, sed primus actus qui solet fieri « post litem contestatam aequipollet litis contestationi, *idem Thomat. ibidem* « *n.* 9. *et* 10.

3. Vel per primum actum contradictorium quem procurator facit in judicio postquam lis fuit contestata cum principali, *Jaffredus Lanfrancus Balbus decis.* 485, qui de communi testatur, post *Petrum Cynum et Bald. in L. nihil, et in L. nulla cod. de procurat.*, *Magon. decis. florent.* 48 *n.* 25, *Burs. d. cons.* 412 *n.* 1, *Mantic. d. decis.* 204 *n.* 2.

4. Vel si simus in iis casibus in quibus lis non contestatur, procurator fit dominus litis per primum actum in quo agitur de meritis et de negocio principali, *Bart. in d. L. nulli in princ. cod. de procurat.*, et ibi *Bald. n.* 3, *Paul. de Castr. n.* 4, *Alex. n.* 2 *et Jas. n.* 2, qui testatur de communi, *idem Bart. in L. ab executore* § *si procurator n.* 2 *ff de appellat.*, *Bald. in L. ante litem n.* 2 *in fin. ff de procurat.*, *Rom. cons.* 174 *n.* 5, *Angel. Aret. cons.* 30 *n.* 10 *vers. sed posito*, *Corn. cons.* 89 *n.* 4 *lib.* 1, *Riminal. jun.*, qui similiter de communi, *cons.* 720 *n.* 3 *lib.* 6, *Burs. d. cons.* 412 *n.* 1, *Mantic. d. decis.* 204 *n.* 2.

5. Vel per primum actum qui a procuratore fieret post litis contestationem, si contestatione opus esset, *Put. decis.* 215 *in ultim. verb. lib.* 2 *in correct.*, *Carocc. de locat. in tit. de jure sublocand. quaest.* 33 *n.* 24, post multos quos allegat.

6. Procurator autem rei conventi dicitur effici dominus litis per satisdationem, *Bart. in L. mandatum quaest.* 2. *n.* . . . *cod. mandati*, *Burs. d. cons.* 412 *n.* 2 *lib.* 4, *Bertachin. in suo repertor. in verb. procurator est.*

7. Commune autem est inter procuratorem actoris et rei, quod dicatur effici dominus litis quando fuit constitutus procurator cum cautione de rato, *Rot. cor. Seraphin. decis.* 1180 *n.* 2, *Addent. ad Gregor. XV decis.* 548 *num.* 12.

8. Si autem constituatur absque dicta cautione efficitur non dominus litis, sed dominus instantiae, *Pic. ad statut. urb. Gloss.* 7 *n.* 162 *cum seqq.*, *Rot. cor. Achill. de Grass. decis.* 13 *in tit. de procurat.*, non obscure, *cor. Seraphin. d. decis.* 1180 *n.* 2, *cor. Gregor. XV d. decis.* 548 *n.* 3, et ibi *Addent. n.* 18 *et in Recent. decis.* 386 *n.* 2 *par.* 1.

9. Differre autem instantiam a lite, dixit *Alex. in L. causas cod. de transact.*, *Geminian. in cap.* 1 § *si quis col.* 1 *de sentent. excomm. lib.* 6, et horum auctoritate, *Rot. cor. Put. d. decis.* 215 *n.* 2 *lib.* 2 *in correctis.*

10. Non autem diceretur procurator effici dominus litis, quando processus fuit nulliter fabricatus, quamvis judex pronunciasset illum esse procuratorem et dominum litis, quia cum fuerit nulla etiam dicta pronunciatio, non potest facere jus inter partes, *Bart. in L. licet col.* 2 *vers. secundus casus cod. de procur.*

11. Adde quod non potest judex per suam sententiam facere procuratorem illum qui non est, *Bart. in L.* 1 § *idem Pomponius ff quod fals. tutor.*, *Brun. cons.* 21 *n.* 14 *et* 15, cum sit contractus qui partium consensu perficitur, *instit. de obligat. ex consens. in princip.*, et alibi dictum fuit.

12. Circa secundum, de potestate et facultate procuratoris effecti domini litis, sunt considerandi duo casus. Primus est, quando procurator fuit constitutus dumtaxat ad aliquam certam causam, et hoc casu iste procurator non potest comparere nisi in dicta causa, non autem in alia, *Surd.*

dec. 89 *n.* 17, *Rot. cor. Gregor. XV d. decis.* 548 *n.* 3, *et in Recent. dec.* 386.

13. Nec in alia instantia in gradu appellationis, *Achill. d. decis.* 13 *n.* 1 *de procur.*, *Addent. ad Gregor. XV d. decis.* 548 *n.* 12.

« Hinc assignatio termini facta per judicem procuratori ad prosequen « dam appellationem, non praejudicat domino; ea potissimum ratione, quia « procurator tenetur appellare, non autem prosequi appellationem; et prae- « fixio termini ad prosequendam appellationem est actus secundae instan- « tiae ad quem procurator non habet mandatum, *Thomat. decis.* 66 *n.* 10, « 11 *et* 12 *par.* 1.

« Procurator in prima instantia non tenetur causam prosequi, et esse « in secunda, *Card. de Luc. de jurisdict. et for. compet. disc.* 72 *sub n.* 12.

14. Quod tamen fallit primo; si sit constitutus procurator ad provocandum, quo casu mandatum durat in quacumque instantia, ut in puncto dixit *Rot. cor. Coccin. dec.* 319 *n.* 6.

15. Fallit secundo; si sit constitutus cum clausula « *relevans ec.* » quae operatur ut procurator efficiatur non solum dominus instantiae, sed etiam dominus totius litis, *Rot. cor. Seraph. d. decis.* 1180 *n.* 2, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 62 *n.* 7 *et* 8.

16. Fallit tertio; quoad facultatem defendendi suum principalem si petatur restitutio in integrum adversus sententiam pro suo principali ipso procurante latam; nam licet non sit dominus totius litis, sed tantum instantiae, potest tamen, immo tenetur, suum principalem in isto judicio absque novo et speciali mandato defendere, *L. qui proprio* 46 § *item quaeritur*, et ibi *DD. ff de procur. per quem Tex. Bellamer. dec.* 283, *Cassiodor. dec. n.* 1 *de procur.*

17. Ubi *n.* 2 dicit eam esse rationem, quia restitutio contra sententiam quodammodo venit incidenter ex antea actitatis, in incidentibus autem non est opus mandato speciali, *L. fin. cod. ubi, et apud quem cogn. restit. in integr. agit. sit.*, cum aliis allegatis ibi per eum; eamdem sententiam firmavit, *Rot. cor. Moehed. dec.* 4 *n.* 1 *de procur.*

18. Nam procurator censetur constitutus ad omnia connexa et dependentia, *Decian. cons.* 53 *n.* 12 *lib.* 3.

19. Vel potest esse ratio, quia judicium restitutionis in integrum est prosequutio prioris judicii, et dicitur eadem causa, ut dicit *Jas. in L. invitus n.* 17 *n.* 4, *vers. quarto limit. in fin. cod. de procur.*, et hanc rationem reddit *Put. decis.* 52 *n.* 3 *lib.* 2. *in correctis.*

20. Secundus casus principalis est, quando procurator est constitutus generaliter ad omnes causas et in quacumque instantia, et hoc casu potest non solum inchoare judicium, sed etiam illud prosequi in secunda instantia, *Seraphin. dec.* 1180 *n.* 2, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 62 *n.* 7.

21. Durante autem lite, debet procurator, dominus litis effectus citare absque eo quod citetur principalis, *Mynsing. singul. observ. centur.* 1 *observat.* 39 *n.* 1, *Bertaz. cons. crimin.* 400 *n.* 15, *et cons.* 401 *n.* 13 *lib.* 2, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 430 *n.* 2.

« Citationes legitimae fiunt procuratori qui comparuit in causa et fuit « factus dominus litis, immo non deficiunt DD. dicentes tunc citationes fieri « domino non sufficere, *Romaguer. post Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 « *rubr.* 2 *n.* 10 *et* 11.

« Procurator dominus litis effectus est citandus, non autem principalis, « *Thomat. decis.* 13 *n.* 21 *par.* 1.

22. Nec sufficit citare solum principalem, nisi cum illo citetur etiam procurator, *Addent. ad decis.* 2 *n.* 4 *de procur. in nov.*, *Rot. cor. Cavaller. decis.* 288 *n.* 2.

23. Immo si fuerit citatus dominus absque procuratore, si non compareat, non potest reputari contumax, proindeque cessat ficta praesentia quae resultat ex contumacia.

24. Unde si fiat aliquod decretum contra ipsum, erit nullum, *Bart. in L.* 1 *n.* 9 *vers. item quaero*, *Bald. n.* 9 *vers. sed pone*, *et Paul. de Castr. n.* 3 *vers. ex quo sequitur cod. de sentent. et interloc. omn. judic.*, *Abbas in cap. quaerelam* 24 *n.* 11 *vers. ex iis infertur extr. de elect.*

25. At si compareat acta gesta cum ipso, et subsequens decretum est similiter nullum, tamquam emanatum nulla praecedente citatione, ut post *Bart.*, *Bald.*, *Salicet. et Paul. de Castr. in L. procuratoribus cod. de procur. et alios multos*, firmat *Surd. cons.* 99 *n.* 34 *et seqq. lib.* 1.

26. Quod tamen intelligendum est primo, quoad acta ordinatoria, secus in iis quae respiciunt decisoria, *Capell. Tholos. decis.* 102 *n.* 1, *Alberic. de Malet. in tract. de testib. par.* 1 *cap.* 7 *n.* 12.

27. Secundo, intelligitur hoc non procedere de jure canonico, juxta quod sufficit citare dominum absque eo quod citetur procurator, *Gloss. in cap. licet causam in ultim.*, *Gloss. extr. de probat.*, *Bellamer. in cap.* 1 *n.* 7 *et* 8 *vers. aeconomi vestri ex tract. de elect.*, et ita servari in Statu Ecclesiastico maxime textatur *Angel. cons.* 98 *in fin.*, quem refert *Rot. cor. Cavaller. decis.* 353 *n.* 2, *Scacc. de judic. lib.* 2 *cap.* 8 *n.* 683 *in* 2 *ampliat.*, *et in tract. de sentent. et re judic.*, *Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 30.

28. An autem in productione testium sufficiat citare dominum vel sit necesse citare procuratorem dominum litis effectum late discutit *Alber. de Malet. d. cap.* 7 *n.* 10 *cum seqq.*

« Procurator dominus litis effectus habet facultatem praejudicandi suo « principali in productionibus, *Palma Nepos decis.* 2 *n.* 37 *lib.* 1.

29. Si autem procurator comparens alleget impedimenta, illa probare tenetur, *Rot. decis.* 206 *n.* 5 *lib.* 2 *par.* 3 *divers.*

30. Quando autem comparuit procurator iste dominus litis effectus, et cum eo fuit fabricatus processus, sive dominus sit vivus, sive decesserit, de jure civili sententia est ferenda cum ipso procuratore, ut firmant scribentes in *L. nulli cod. de procur.*, *Purpur. cons.* 12 *n.* 10 *lib.* 1, *Surd. cons.* 99 *n.* 5 *lib.* 1, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 62 *n.* 6.

31. Et concipi debet in personam ipsius procuratoris, non autem domini constituentis, *Becius cons.* 110 *n.* 3 *vers. non omitto lib.* 1., *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. jurisdition. n.* 106, *Surd. d. cons.* 99 *n.* 24 *et* 36, *Rot. coram Seraph. decis.* 824 *n.* 4, *et cor. Gregor. XV dec.* 396, et ibi *Addent.*

32. Prout concipitur contra personam tutoris, non autem contra personam pupilli, *L.* 1 *ubi Bald. n.* 13 *cod. de sentent.*, *Bart. in L.* 1 § 1 *n.* 8 *ff de admin. tutor.*

33. Exceptis tamen quibusdam casibus in quibus sententia debet concipi in personam domini, quos congerit *Scacc. d. Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 43 *cum multis seqq.*

34. Secus autem esse de jure canonico, si dominus sit vivus, multorum auctoritate firmat *Scaccia d. quaest.* 25 *n.* 38 *et seqq.*

35. Si autem sententia sit ferenda post mortem constituentis, utroque jure concipienda est in personam procuratoris domini litis effecti.

36. Nam sententia pro mortuo, vel contra mortuum lata esset ipso jure nulla, *L. in summa* 59 § *fin.*, et ibi *Bart. n.* . . . *ff de re judic.*, *Vant. d. tract. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 106 *cum aliis per Scacc. d. quaest.* 25 *n.* 74 *et infra.*

37. Concipi autem debet in personam procuratoris procuratorio nomine haeredum constituentis, si mortuus sit cum haerede qui illius haereditatem adiverit, *Vant. d. n.* 106 refert *Bec. d. cons.* 110 *n.* 3 *vers. non omitto*, qui licet dicat eo casu posse concipi sententiam contra personam procuratoris, procuratorio nomine talis constituentis mortui, hoc tamen *Becij* dictum repraehendit *Surd. d. cons.* 99 *n.* 22., et contrariam sententiam multorum auctoritate confirmat, et respondet contrariis.

Ultra praedictos, formam concipiendi dicto casu sententiam, tradit *Alex. in d. L. nulli n.* 4 *cod. de procur.*, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *d. cap.* 62 *n.* 6, ad quos et ad *Scacc. d. quaest.* 25 *n.* 95 in contingentia facti posset recurri.

38. An autem, et in quibus casibus iste procurator effectus dominus litis revocari possit, vel illius mandatum expiret, dicemus infra *cap. CXVI n.* 24, *et cap. CXX n.* 83 *et* 84, *et cap. CXXI n.* 54.

CAPUT LIX.

PROCURATORIS OFFICIUM AD LITES AN SIT HONORIFICUM.

SUMMARIUM

1. *Quod procuratoris officium ad lites et causas non videatur honorificum, sed potius vile et mercenarium.*
2. *Etiam personae infames possunt esse in judiciis procuratores.*
3. *Contraria firmatur opinio, quod hujusmodi scilicet officium sit honorificum.*
4. *Praecipue quoad illos procuratores qui inserviunt ipsi Principi, ut procurator Fisci.*
5. *Fisci procurator dicitur habere dignitatem.*
6. *Et quoad eos qui hoc officium exercent pro privatis personis in curiis principum et in supremis tribunalibus, quo casu retinent eorum dignitatem.*
7. *Atque etiam in aliis curiis et civitatibus in quibus admittuntur ad officia et munera publica.*
8. *Collegium procuratorum Perusii laudatar.*
9. *Perhonorificum est amicorum ac affinium causas uti proprias tueri, et defendere absentes.*
10. *Praecipue si id fiat ex officio, non vero ex praemio ac mercede: et si praemia sint constituta, assignantur uti honorarium.*
11. *Et pro quadam laborum remuneratione, quos procurator assidue suscipit pro suis clientibus.*
12. *Atque hujusmodi procuratoris officium est honorificum, praesertim si exerceatur in causis magnatum et illustrium personarum.*
13. *Et multo magis si exerceatur de superiorum mandato.*
14. *Decuriones, ob eorum dignitatem, procuratoris officium exercere prohibentur.*
15. *Leges extendere non possumus.*
16. *Infames personae quomodo dicantur ad procuratoris officium admitti.*
17. *Infamis non admittitur simpliciter et indistincte ad exercendum officium procuratoris, sed cum distinctione.*

1. Quamvis procuratorum officium sit non solum utile, sed etiam necessarium, ut fuit demonstratum supra *cap. I*, fuit tamen aliquando du-

bitatum an, cum illud versatur in judiciis circa lites et causas, sit honorificum; et illud esse vile et mercenarium sentit *Gloss. in L. si quis procurationem*, ubi affert concordantes, et ibi *Bart. n.* 1 *cod. de decurion. lib.* 10, *Guid. Pap. decis.* 89, et *Addent.* ad eum tam ibi quam in *decis.* 399, *Caballin. ad constitut. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 2, *Honded. cons.* 81 *n.* 55 *lib.* 1.

2. Quod maxime videtur comprobari, quia officium procuratoris in judiciis potest etiam a personis infamibus exerceri, § *fin. instit. de exception.*, et ibi *Jas. n.* 2, *Franc. Marc. decis.* 314 *n.* 3 *par.* 1.

3. Caeterum hac nostra tempestate contrarium videtur concludendum, ut dicit *Philipp. Pascal. de virib. patr. potest par.* 4 *cap.* 2 *n.* 57.

4. Maxime quoad eos procuratores, qui vel inserviunt ipsi principi, qualis et procurator Fisci:

5. Qui dicitur habere dignitatem, *Chassan. in Catalog. Glor. Mund. par.* 7 *considerat.* 34 *vers. ideo maxime*, *Peregrin. de jure Fisci lib.* 7 *tit.* 2 *n.* 15 *in fin.:*

6. Vel officium istud exerceant pro privatis personis non solum in curiis principum et in supremis tribunalibus, quo casu retinent eorum nobilitatem, *Tiraq. in tract. de nobilit. cap.* 30 *n.* 7, quem et alios refert *Pereg. cons.* 111 *n.* 3 *lib.* 3, *Andr. Gail. practicar. observat. lib.* 1 *cap.* 43 *n.* 6.

« Nobile est in curia romana procuratoris officium, cuicumque insigni « jurisconsulto, etiam nobilium natalium congruum, ut quotidiana praxis « docet, dum plures procuratoris munus exercent, qui etiam advocati « primi ordinis esse possent; ideoque eis non congruunt ea quae ab ali- « quibus de isto procuratoris officio dicuntur, cum intelligenda veniant de « illis procuratoribus mere mecanicis, qui vacant solum actibus mecanicis « in compilatione processus. Siquidem procuratores curiae romanae sunt « vere causarum patroni, qui more advocatorum, se non ingerunt in acti- « bus inferioribus et mecanicis, quos explicant per sollicitatores, vel per « eorum juvenes et auditores, dum eorum partes sunt componendi com- « missiones vel monitoria, seu libellos, nec non articulos, instructoque « processu illum videndi, atque exinde conficiendi discursum pro congres- « sibus fieri solitis pro directione causarum, ita instruendo advocatos de « illarum statu, atque promovendo motiva etiam juris; efformando quoque « informationem facti et juris, pro cujus majori comprobatione superaddi « solent informationes advocatorum; verum adhuc tam motivis quam au- « ctoritatibus, more jurisconsulti, illa bene referta est, adeo ut revera « gerant ea quae in aliis tribunalibus et regionibus gerunt advocati, ubi « non habeatur ille usus advocatorum qui habetur in urbe; ideoque apud « antiquos scriptores communis est traditio, quod procuratores curiae

« romanae exaequati sunt advocatis aliarum curiarum, *Card. de Luc. in* « *relat. Rom. Cur. disc.* 46 *n.* 97 *et* 98.

7. Sed etiam in aliis curiis et civitatibus in quibus tales procuratores admittuntur ad officia et munera publica, *Covarr. pract. quaest. cap.* 19 *sub n.* 4 *vers. iis tandem praenotatis, et sub n.* 6 *vers. sed et idem respondendum est;* refert et sequitur *Borgnin. Cavalcan. de usufruct. mulier. relict. n.* 232 *vers. et ideo, et decis.* 41 *n.* 24.

8. Prout admittuntur Perusiae, patria mea, in qua reperitur collegium procuratorum jam ab immemorabili tempore erectum et a Summorum Pontificum auctoritate confirmatum et comprobatum, ad quod non admittuntur nisi viri probi et honesti ac, ut plurimum, doctorali dignitate in utroque jure insigniti et decorati in quo semper floruerunt, et de praesenti existunt et florent viri insignes et de legali facultate optime meriti, qui summa cum eorum laude ac civium et provincialium utilitate honorifice et cum eximia integritate procuratoris officium in hac Perusina curia exercuerunt et exercent.

9. Et proinde officium istud fuit semper habitum et reputatum non minus honorificum quam utile: causas enim amicorum et affinium tueri tamquam proprias, et absentes defendere perhonorificum esse dicebat, *Francis. Connanus in comment. jur. civil. lib.* 5 *cap.* 5 *n.* 5 *post med. vers. litem.*

10. Ac licet addat hoc maxime procedere si id fiat ex officio, non autem mercede et praemio, non tamen excludit quin officium illud sit laudabile, quamvis procurationes non ex charitate et amicitia sed recepta mercede et praemio, ut plurimum exerceatur. Hoc enim non videtur reprehensibile cum hujusmodi praemia recipiantur a procuratoribus tamquam honorarium, prout conceditur advocatis, quibus procuratores in multis per nostros DD. assimilantur, *L.* 1 § *advocatos ff de var. et extraord. cognit., Gloss. fin. in fin. in L.* 1 *cod. commod.*

11. Atque propterea licite et honeste recipiunt ratione cujusdam remunerationis ob labores quos pro suis clientibus assidue suscipiunt, *L. si remunerandi in princ., L. salarium in prim. respons. ff mandati*, late *Connanus d. cap.* 5 *n.* 5 *et lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 5, et nos dicemus infra *cap. LX* dum agemus *an procuratori ad lites debeatur salarium.*

12. Quamobrem concludendum existimo, procuratorum officium etiam ad lites et in judicialibus esse laudabile et honorificum, maxime si illud exercesat in causis magnatum et illustrium personarum, ut notat *Bald. in L. Cassius col.* 2 *sub n.* 6 *vers. interdum est honorabile ff de senatorib.*

13. Multoque magis si procuratorum officium exercesant de mandato superiorum, ut considerat *Rom. in suo singul.* 814.

14. Non obstant ea quae supra in contrarium adducta sunt. Nam ad

tex. in L. procurationem cod. de decurion. lib. 10, super qua est fundata contraria opinio, notandum quod ibi sermo est de decurionibus, qui ratione dignitatis in qua existunt prohibentur procuratoris officium exercere, prout illum *tex.* explicat *Joan. Fabr. in § fin. in fin. instit. de exception.*, et sequitur *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in d. Gloss. in verb. procuratorum n.* 2 *in fin.*, atque ita intelligendam esse dictam legem suadet ratio quia est posita sub rubrica *de decurionibus*, *arg. L. Imperator ff de in diem addit.* cum aliis per *Surd. cons.* 302 *n.* 18 *lib.* 3, *Riminal. jun. cons.* 52 *n.* 59 *lib.* 1.

15. Ac propterea non est extendenda ad alias personas quae non sunt in dignitate constitutae, cum ad nos minime spectet leges extendere, *L. si vero § de viro ff sol. matrim.*, cum aliis apud *Roland. cons.* 51 *n.* 19 *lib.* 2.

16. Nec etiam obstat quod ad hoc officium admittantur etiam personae infames, *d. § fin. instit. de except.*, quoniam hoc procedit de jure civili, secus autem de jure canonico et pontificio, ut respondet *Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *cap.* 48 *n.* 8 *vers. et licet.*

17. Vel dicas infamem non admitti simpliciter et indistincte ad exercendum officium procurationis, sed cum distinctione, quam affert *Bald. in L. reum n. . . . cod. de procur.*, quem refert et sequitur *Angel. Aret. d. § fin. in fin.*

CAPUT LX.

PROCURATORI AD LITES AN CONSTITUI POSSIT SALARIUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum debet esse gratuitum.*
2. *Oritur ex officio et amicitia.*
3. *Quod procuratoribus ad lites non reddatur jus pro salario constituendo.*
4. *Contrarium quod immo debeatur eis salarium etiam non conventum.*
5. *Saltem cujusdam remunerationis ratione pro suis laboribus.*
6. *Praesertim si talis sit consuetudo curiae in qua procurator officium exercet.*
7. *Procuratori conducto pro certo tempore debetur salarium conventum etiam pro tempore in quo nihil egit in causa, si erat paratus praestare operas suas adveniente occasione.*

8. *Si tamen causa indecisa permansit, secus si fuit finita per sententiam vel per transactionem, aliove modo.*
9. *Idem procedit si occurreret impedimentum ob casum fortuitum.*
10. *Nisi esset restricta conventio inter procuratorem et mandantem ad tempus quo servitium praestaretur.*
11. *Procuratori duplex debetur salarium si ob ejus peritiam procuratoris et advocati officio fungatur.*
12. *Consequitur salarium etiam si fuerit revocatus.*
13. *Nisi fuerit revocatus ob culpam et factum proprium.*
14. *Atque etiam si fuerit absens a loco judicii cum licentia domini mandantis.*
15. *Si tamen agatur de solo praejudicio mandantis qui dedit licentiam, secus si de alterius praejudicio.*
16. *Procuratori quoque substituto debetur salarium.*
17. *Ei pariter qui solet locare operas suas, et dominus constituens solet illas praetio conducere.*
18. *Procurator defendens in judicio filium amici sui non potest petere salarium nec impensam, quia praesumitur amicitiae causa donasse.*
19. *Secus si talis procurator sit solitus esse in curiis.*
20. *Nisi forte cum amicitia concurreret etiam pia causa.*
21. *Similiter salarium petere nequit procurator pauperum, et miserabilium personarum.*
22. *Idem procedit in advocatis.*
23. *Maxime in illis locis in quibus procuratoribus qui talium personarum causas tuentur salarium de publico est constitutum.*
24. *Id Perusiae quoque servari solet.*
25. *Salarium pariter procuratori non debetur si intervenerit in judicio agendo vel defendendo causam propriam.*
26. *Nisi causa fuerit communis inter ipsum et alios litis consortes, qui quidem tenentur pro rata.*
27. *Procurator quamvis agendo vel defendendo causam propriam non possit aliquid petere sub nomine salarii, potest tamen petere ratione interesse.*
28. *Immo potest etiam salarium petere si in causa propria fuerit usus opera alterius procuratoris.*
29. *Salarium vero et impensae tali casu refici debent non juxta rigorem sed secundum aequitatem.*
30. *Procuratori non debetur salarium nisi finita causa.*
31. *In prima instantia ei non debetur majus salarium pro causa magna quam pro parva.*

32. *Procurator constitutus a majori parte Capituli ad litem quae vertitur inter ipsum capitulum et aliquas certas personas de capitulo super juribus ad capitulum spectantibus, a quo salarium consequi debeat?*

33. *Ut salarium debeatur ex conventione debet esse saltem certum reipsa, licet sit incertum in genere.*

34. *Procurator pro suo salario non potest retinere processum et scripturas.*

35. *Quamvis illas retinere possit donec sibi reficiantur expensae per se ipsum in lite factae.*

1. Cum mandatum debeat esse gratuitum, *L.* 1 § *fin. ff mand.*, *Gloss.* 1 *in princ. instit. de mand.*, et ibi *Jo. de Platea n.* 2,

2. Utpote quod ex officio et amicitia originem trahit, ut dictum fuit supra *cap. I*, idcirco potest dubitari, an procuratori ad lites possit constitui salarium? Quae quaestio, tribus est explicanda inspectionibus, in tribus separatis capitibus. Prima erit, an hujusmodi procuratori possit constitui salarium in pecunia numerata; de qua agemus in praesenti capite. Secunda, quatenus licite possit cum illo de certo salario conveniri, qua actione illud sit petendum; et de hac videbimus in sequenti capite. Tertia, an possit cum procuratore conveniri de salario solvendo in parte quotitativa rei in judicium deductae; quae explicabitur capite ab hoc secundo.

3. Circa primam inspectionem, licet *Gloss. in L.* 1 § *advocatos in verb. quoquo ff de variar. extraordin. cognit.*, dicat procuratoribus non reddi jus pro salario constituendo, quam sequuti sunt aliqui, quos refert *Joseph. Ludovici decis. Perusin.* 111 *n.* 1, *et Rot. decis.* 291 *n.* 1 *par.* 1 *Recent.*, ubi multi in hanc sententiam allegantur, et *Ant. Gabr. de procurat. concl.* 5,

4. Doctores tamen communiter tenent, quod procuratori ad lites debeatur salarium etiam non conventum, *Natt. cons.* 376 *n.* 2 *et* 6 *lib.* 2, *Granut. theor.* 12 *n.* 9 *vers. si vero*, ubi multos citat, *Joseph. Ludovici d. decis.* 111 *n.* 1 *vers. secunda*, *et n.* 14 *ad fin.*, ubi testatur de communi, *Rot. decis.* 238 *n.* 2 *part.* 1 *Recent.*, ubi alias decisiones refert.

5. Saltem ratione cujusdam remunerationis pro suis laboribus, *L. si remunerandi* 6 *in princ.*, *L. salarium* 7 *ff mand.*, late *Franc. Connan. commentar. jur. lib.* 5 *cap.* 5 *n.* 5, *et lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 5, *Scacc. de sentent. et re judicat.*, *Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 112, ubi multos congerit, *Cornelius Benincasius in tract. de paupertate et ejus privileg. special.* 1 *in judiciis quaest.* 7 *n.* 13.

6. Et absque dubio si talis sit consuetudo curiae in qua procurator officium exercet, *Rot. coram Cavaller. dec.* 416 *n.* 1, *et cor. Coccin. decis.* 256 *n.* 2, *et d. decis.* 291 *n.* 1 *par.* 1 *Recentior.*

« Procuratoribus ad lites salarium non conventum non debetur, nisi « adsit consuetudo quod debeatur, *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 « *rub.* 26 *n.* 6.

7. Quae conclusio ampliatur primo: ut si talis procurator sit conductus pro certo tempore, debeatur illi salarium conventum etiam pro tempore in quo nihil in causa egit, si erat paratus praestare operas suas adveniente occasione, *L.* 1 § *divus ff de var. et extraord. cognit.*, *Scacc. d. quaest.* 25 *n.* 114 *in fin.*, *Rot. decis.* 265 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

8. Puta si supervenerint feriae, vel aliud legitimum impedimentum ob quod causa siluit seu indecisa permansit, secus si nihil fecit in causa, quia fuit finita per sententiam vel per transactionem, vel alio modo, *Rot. d. decis.* 291 *n.* 3 *in fin. par.* 1 *Recent.*, *Surd. cons.* 42 *n.* 9 *et* 10 *lib.* 1.

« Salarium debetur procuratori etiam si cliens transegerit cum adver- « sario, *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 8.

9. Quod procedit etiam si impedimentum contingeret ob casum fortuitum, *Natt. cons.* 452 *per tot. lib.* 2.

10. Nisi conventio inter procuratorem et mandantem esset restricta ad tempus quo servitium praestaretur, nam si casus fortuitus contingeret ob quem procurator servitium praestare non posset, illi salarium pro eo tempore non deberetur, ut deducit *Natt. d. cons.* 10. Non obstat *Surd. d. cons.* 42 *n.* 9 *et seqq.*, quia in casu illius concurrebant particulares rationes ob quas contrarium consuluit, ut apud eum videri possunt.

11. Ampliatur secundo; quod si procurator ob ejus peritiam fungatur officio procuratoris et advocati, debeat consequi duplex salarium et tamquam procurator et tamquam advocatus, *L. his scholaribus*, et ibi *Jo. de Platea n.* 1 *cod. de erogat. militar. annon. lib.* 12, *Gail. practicar. observat. lib.* 1 *observat.* 44 *n.* 8, quos et alios refert *Granut. d. theorem.* 12 *n.* 9 *vers. quin immo sequitur*, *Carocc. de locat. in tit. de fructib., et lit. expens. quaest.* 8 *n.* 56.

« Advocato fungenti etiam procuratoris officio debetur duplex salarium, « *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 16.

12. Ampliatur tertio: etiam si procurator fuerit revocatus, *L.* 1 § *divus ff de var. et extraordin. cognit.*, *L. qui operas ff locat.*, *Carocc. d. quaest.* 8 *n.* 89.

13. *Bartolus* autem *in L. post litem n.* 2 *vers. adverte adhuc ff de procur.*, intelligit dicta jura procedere, si procurator revocaretur absque sua culpa et facto proprio, secus autem si revocaretur ob culpam et factum proprium, *Gloss. in L. si uno* § *quidam in verb. personis vers. cum autem quis ff locat.*, sentit *Rot. cor. Coccin. decis.* 256 *n.* 1 *vers. quantum attinet*, et clarius, *decis.* 288 *n.* 3, *quae est decis.* 172 *n.* 1 *in fin. par.* 2 *Recent.*

14. Ampliatur quarto: etiam si talis procurator abfuisset a loco judicii

cum licentia domini mandantis, quia tunc haberetur pro praesente, et deberet consequi salarium conventum, *Bart. in L. hac lege n.* 2 *cod. de prox. sacro scrin. lib.* 12, *Gloss. in L. desertorem* § *si ad diem ff de re milit., cum aliis apud Surd. cons.* 42 *n.* 1 *lib.* 1, *et de alimen. tit.* 8 *privileg.* 7 *n.* 8.

15. *Surdus* tamen *d. cons.* 42 *n.* 19 *vers. tertio respondetur*, declarat hoc procedere, ubi de solo praejudicio ageretur domini mandantis qui dedit licentiam: nam quoad eum habetur pro praesente et consequi debet salarium, secus autem si ageretur de alterius praejudicio, cui non potuit constituens per suam licentiam praejudicare, *per regul. L. non debet alteri ff de regul. jur.*

« Advocatis et procuratoribus debetur salarium, quamvis lites bonum « exitum non habuerint, et licet reportaverint sententiam contrariam, *Con-* « *ciol. ad Romaguerr. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 11 *et* 50.

16. Ampliatur quinto; ut salarium debeatur etiam procuratori substituto, *L. Titio*, et per illum *Tex. Bart. ibi n.* 2 *ff ad municip., Rot. coram Cavaller. decis.* 416 *n.* 2. *et coram Coccin. decis.* 256 *n.* 1 *in fin.*

17. Ampliatur sexto; ut si procurator sit solitus locare operas suas, et dominus constituens sit solitus illas praetio conducere, debeatur salarium etiam non conventum, *Rot. coram Seraphin. decis.* 1322 *n.* 1 *vers. verum domini, et d. decis.* 291 *n.* 1 *par.* 1 *Recent.*

« Salaria debentur advocatis et procuratoribus solitis operas suas locare, « etiam non conventa, *Romaguer. post Conciol. ibid. n.* 34.

18. Limitatur etiam suprafirmata conclusio, primo: quando procurator defendit in judicio filium amici sui; non potest enim petere salarium nec impensam, sed illam praesumitur donasse amicitiae causa, *Bart. in L.* 2 *n.* 4 *cod. de negoc. gest., Menoch. de arbitr. judic. cas.* 88 *n.* 60, *Mascard. de probat. vol.* 1 *conclus.* 554 *n.* 56, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 110 *n.* 35, *Joseph. Ludovici decis. Perusin.* 111 *n.* 6 *et* 7.

19. Quod tamen est sublimitandum nisi talis procurator esset solitus esse in curiis, ut sentit *Bart. d. n.* 4.

20. Sed forte si cum amicitia concurreret etiam pia causa procederet limitatio indistincte, prout indistincte loquitur *Mascard. d. conclus.* 554 *n.* 57, *et Marescott. d. cap.* 110 *n.* 36.

21. Limitatur secundo: ut non procedat quando procurator agit causam pauperum et miserabilium personarum, ex quo tenetur, pro illis intervenire gratis et amore Dei, et intuitu pietatis, *Rol. cons.* 87 *n.* 25 *lib.* 2, sequitur *Joseph Ludovic. d. decis. Perus.* 111 *n.* 9, alias cumulat *Benincas. de paupert. in special. in judic. quaest.* 7 *n.* 14.

22. Quod procedit etiam in advocatis quod teneantur pauperum et miserabilium personarum gratis causas patrocinari, ut late comprobat ibi *Benincas. n.* 9.

« Salarium advocati et procuratores consequi non possunt a pauperibus, « etiam sponte dantibus cum eis teneantur patrocinari gratis, *Conciol. et « Romaguerr. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 12 *et* 30.

« Taliter quod si illud reciperent vel nollent patrocinare, peccarent, et « acceptum deberent restituere, *Romaguerr. ibid. n.* 31.

« Non tamen tenentur gratis patrocinium praestare personis misera- « bilibus si sint divites, *Conciol. ibidem n.* 13.

23. Et multo magis hoc procedit in iis locis et civitatibus in quibus est procuratoribus constitutum salarium de publico, ut pauperibus et personis miserabilibus absque alio privato honorario patrocinium praestare teneantur, justa *Gloss. in L.* 1 § *ait praetor d.* 1 *in verb. non habebunt ante fin. ff de postul., Cyn. in L. providendum cod. eod. tit., Dec. in cap. ex aepistolae n.* 222 *extr. de probat.*

24. Prout in pluribus locis consuetum esse testatur *Boer. decis.* 325 *n.* 1, et in Camera Imperiali esse usu receptum dicit *Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observat.* 43 *n.* 11.

Sicuti etiam in hac Perusina civitate ex vetustissima et jam praescripta consuetudine observatur, quod singulis trienniis, dum conficitur et revocatur sacculus omnium magistratuum et officialium civitatis, eligantur duodecim causidici ex eorum collegio, quorum duo in principio cujuslibet semestris sorte extrahantur ex dicto sacculo, qui pro sex mensibus tunc proxime sequentibus, cum valde exiguo honorario ex Camerae Apostolicae aerario illis constituto, debeant in causis pauperum et miserabilium personarum, tam agendo quam defendendo in judiciis intervenire, qui propterea procuratores pauperum nuncupantur. Quod institutum est valde laudabile et maximam habet aequitatem; nam peracque satisfit tam procuratoribus qui suorum laborum praemium licet exiguum consequuntur, quam pauperibus et miserabilibus personis, quae non sunt patrocinio destitutae, *argum. Tex. in cap. ex parte, et in cap. olim in fin. extr. de accusat.*

25. Limitatur tertio principalis conclusio, ut non procedat quando procurator intervenit in judicio, agendo vel defendendo causam propriam, *Mynsing. singul. observat. centur.* 1 *observat.* 2 *n.* 1, *Joseph. Ludovic. d. decis. Perus.* 111 *per tot.*

26. Haec tamen limitatio sublimitatur primo: si interveniat in causa communi inter ipsummet et alios consortes ejusdem litis, nam pro rata et portione aliorum potest licite salarium petere, *Mynsing. d. observat.* 2 *n.* 3, *arg. Tex. in L.* 1 § *in propria causa, vers. et si in partem ff quando appelland. sit, Boer. decis.* 210 *n.* 4 *vers. sed alii.* Qui licet loquatur in advocato, idem tamen procedit in procuratore, quem advocati appellatione dicit venire, *J. C. in L.* 1 § *advocatos ff de var. et extraord. cognition., Gloss. fin. in fin. in L.* 1 *cod. mandat.*

27. Sublimitatur secundo: quod licet procurator quando agit vel defendit causam propriam non possit aliquid petere sub nomine salarii, possit tamen petere ratione interesse, quia scilicet interim alias causas et alia negocia neglexit et deseruit, *Bart. in L. stipulatus es n.* 3 *vers. sed deterior ff de fideiussor.*, *Jas. in L. properandum* § *sin autem alterutra cod. de judic.*, *Mynsing. d. observat.* 2 *n.* 2, *Burs. cons.* 294 *n.* 18 *lib.* 3.

« Similiter salarium debetur advocato etiamsi in causa propria sit pa-
« trocinatus, ac si advocatum pro altero egisset, saltem ratione damni et
« interesse quod passus esset, *Conciol. ibid. n.* 9.

« Procuratoribus atque advocatis qui in propriis causis patrocinarunt,
« salarium non debetur, licet adversarii in expensis fuerint condemnati, nisi
« pro ratione damni et lucri cessantis, *Romaguer. ibid. n.* 35.

28. Sublimitatur tertio: si procurator in causa propria fuit usus opera alterius procuratoris; nam licet ipse huic procuratori nihil solvit, debebit tamen in taxatione expensarum haberi ratio etiam salarii pro illo procuratore qui intervenit, *Grat. cons.* 108 *n.* 6, 7 *et* 9 *lib.* 1., *Burs.* in puncto *d. cons.* 294 *n.* 17 *lib.* 3, *Joseph. Ludovic. d. decis. Perusin.* 111 *n.* 14: ea scilicet ratione quia iste procurator qui aliena opera usus fuit remansit illi obligatus ad antidora, quae obligatio illum cogit ut benefacienti benefaciat, *L. veluti ff de justit. et jur.*, *L. sed et si lege* § *consuluit ff de petit. haered.*, proindeque juste potest petere ut in taxatione expensarum habeatur ratio salarii illius, et hanc opinionem per istam rationem tenent multi quos congerit, *Asin. in sua prax. judic.* § 32 *cap.* 2 *ampliat.* 66 *n.* 4 *vers. contrarium, et n.* 5 *per tot.*

Licet non desint qui contrariam sententiam sint amplexi, quorum aliquot recenset *Benincas. d.* 1 *special. in judiciis quaest.* 1 *n.* 24 *et infra*, ubi tandem ex mente *Specul.*, *Abb.*, *Jas.*, *Boer. et Rot.* declarat procedere dictam primam opinionem, quando advocatus vel procurator emisit expensas animo remunerandi clientulum pro aliquo speciali beneficio ab illo prius recepto, secus autem si illas remisit simpliciter animo donandi, et hanc esse communem sententiam testatur *ibidem n.* 28 *in fin.*

29. Quando autem expensae illae sunt reficiendae, non esse habendam rationem dictarum expensarum et salarii ut reficiantur juxta rigorem sed secundum aequitatem, admonet *Joseph. Ludovic. d. decis.* 111 *n.* 15 *et* 16.

30. Declaratur praeterea principalis conclusio, ut huic procuratori non prius sit solvendum salarium quam sit finita causa, *Mynsing. singul. observat. centur.* 3 *observat.* 7 *n.* 4., *auctoritate Cyn. et Bald. in L.* 1 *cod. mandat. Gloss. in L. unic. verb. consequatur in prima responsione cod. de suffrag.*

31. Declaratur secundo, quod procuratori in prima instantia non debetur pro causa magna majus salarium, quam debeatur pro causa laevi et parva, *Bellamer. decis.* 523.

« Salarium procuratoris vel advocati non augetur ob exceptiones quae « opponuntur per reum contra petitionem actoris, *Conciol. ibid. n.* 15.

« Salarium pro causa conventum cum advocato et procuratore intelli- « gitur de prima instantia, et in secunda novum debetur, tamquam in di- « versa, *Card. de Luc. de jurisdit. et for. compet. disc.* 72 *sub n.* 12.

32. Declaratur tertio: quod procurator constitutus a majori parte Capituli ad litem quae vertitur inter ipsum capitulum et aliquas certas personas de capitulo super juribus tamen spectantibus ad capitulum, debeat consequi salarium et expensas ab ipso capitulo, *Gloss. in cap. cum inter canonicos, in verb. capituli in fin. extr. de elect.*, quem sequitur ibi *Abb. n.* 6, et alii communiter *teste Vivio decis.* 42 *n.* 4 *lib.* 1, *Rot. decis.* 138 *n.* 3 *par.* 1 *Recent.*

33. Declaratur quarto: ut ad effectum, ut ex conventione debeatur salarium, opus est ut sit certum saltem re ipsa, licet esset incertum in genere; nam si esset incertum utraque incertitudine non deberetur; salarium enim incertae pollicitationis, nec extra ordinem recte petitur, neque judicio mandati, ut salarium sibi constituatur, *L. salarium*, et ibi *Gloss. cod. mand.*, *L. qui mutuam* § *salarium*, et ibi *Gloss. ff eod. tit.*, *Gloss. in L.* 1 § *fin. cod. eo tit.*

34. Declaratur quinto: ut procurator pro suo salario non possit retinere litem, idest scripturas et processum, donec sibi satisfiat de suo salario, *Boer. decis.* 15 *n.* 1 *cum seq.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 56 *n.* 14 *et* 15, et latius *cap.* 618 *n.* 1 *et seqq.*, *Rot. cor. Coccin. decis.* 288 *n.* 6, *et decis.* 341 *n.* 2, et nos dicemus infra *cap. IC n.* 31 *de actione mandati directa.*

35. Licet possit illas retinere donec sibi reficiantur expensae per semetipsum in lite factae, *Boer. d. decis.* 15, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 112 *n.* 3, et admittit *Gratian. d. cap.* 618 *n.* 6 *et seq.*, qui alios allegant; et placuit *Rot. cor Coccin.* in decisionibus allegatis.

« Advocati non possunt pro salario, instrumenta et scripturas partis « retinere, licet bene possint pro sumptibus per eos solutis, *Romaguer.* « *ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *d. rubr.* 26 *n.* 32.

« Advocati et procuratores pro eorum salariis tacitam habent hypo- « thecam cum privilegio praelationis, maxime in re super qua patrocinium « praestarunt, *Conciol. et Romaguer. ibid. n.* 14 *et* 47.

« Advocatis et procuratoribus competit ipsa tacita hypotheca pro suis « salariis cum praelatione respectu quarumcumque hypothecarum anterio- « rum expressarum, super re suo labore et patrocinio acquisita, seu con- « servata, *Romaguer. ibid. n.* 48.

« In aliis autem rebus ipsis competit hypotheca, quemadmodum doti « et Fisco; quae dos et fiscus vires suas non extendunt contra tales credi-

« tores, expressam et anteriorem hypothecam habentes; atque ita advocati « et procuratores ipsis non praeferuntur, *Romaguer. ibid. n.* 49.

« Advocatis et procuratoribus extra urbem euntibus pro aliqua causa « defendenda, sive negocio tractando, praeter victum et vecturas animalium, « debetur salarium, etiam pro illis diebus, quibus sunt in itinere, tam in « eundo, quam in redeundo, *Romaguer. ibid. n.* 53.

CAPUT LXI.

PROCURATOR QUA ACTIONE POSSIT CONSEQUI SALARIUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum consideratur vel respectu procuratoris, et ejus contra quem quis fuit constitutus procurator, vel respectu mandantis et ipsius procuratoris.*
2. *Primo respectu semper oritur actio mandati.*
3. *Secundo respectu oritur actio mandati contraria, si fuit salarium conventum.*
4. *Si vero non fuerit conventum non potest agere actione mandati.*
5. *Sed actione locati:*
6. *Vel actione praescriptis verbis.*
7. *Vel officium judicis erit ab eo implorandum.*
8. *Judex tenebitur constituere salarium correspectivum ad labores, et juxta regionis consuetudinem.*
9. *Non potest tamen excedere taxam statuti, vel particularium loci constitutionum.*
10. *Salarium licet in majori summa conventum, non debet solvi nisi in summa a statuto taxata.*
11. *Nec fidejussores pro dicti salarii solutione praestiti ad aliud tenentur.*
12. *Judex in taxando salarium non potest excedere illud praescriptum et limitatum a legibus et statutis.*
13. *Secus in causis criminalibus; et quare.*

Sequitur secunda indagatio in qua in praecedenti capite dicebamus esse discutiendum, qua actione possit procurator consequi salarium, nam nulla alia ratione, nec ad alium finem fuit supra discussum, an procurator in judicialibus exhibere debeat officium suum gratis, an vero possit illi constitui salarium, nisi ut cognoscamus inter mandantem et procuratorem,

ab eo ad lites et causas constitutum, pro consequendo salario proponi debeat, ut considerat *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 2 *n.* 7.

1. Cum autem mandatum considerari possit duplici respectu, uno quidem respectu procuratoris et ejus contra quem fuit illi datum mandatum, altero vero respectu mandantis et ipsiusmet procuratoris constituti, ut dixit *Bart. in L.* 1 § 1 *n.* 3 *ff mand.*

2. Primo respectu semper oritur actio mandati, sive mandatum sit gratuitum, sive procuratori fuerit constitutum certum salarium, nam sufficit quod procurator habeat domini voluntatem, sive per pecuniam, sive alio modo, ut concludit ibi *Bart. n.* 3.

3. Secundo vero respectu, si mandatum non est gratuitum, sed tempore dati mandati fuit de certo salario ei praestando conventum, et secundum *Bart. d. n.* 3 non dicitur inter mandantem et mandatarium initus contractus mandati ad effectum ut pariat actionem mandati, intelligendo tamen de directa, oritur enim actio mandati contraria ad favorem procuratoris tam ad negocia quam ad lites constituti contra dominum et constituentem pro consequendo salario convento, *L.* 1 *in fin.*, et ibi *Gloss. fin. cod. mand.*, *Gloss. in L. salarium in verb. si extra ordinem ff eo tit.*

4. Si vero tempore facti mandati non fuit conventum de certo salario procuratori praestando, sed procurator egit litem in loco in quo procuratoribus solent salaria praestari, et ipse est solitus salarium recipere, et dominus litis est solitus salarium procuratori praestare, hoc casu, licet iste procurator pro consequendo salario non possit intentare actionem mandati, *L. salarium, cod. mand.*, *L. qui mutuam* § *salarium ff eo tit.*, et deducit *Franc. Connan. commentar. jur. lib.* 7 *cap.* 14 *sub n.* 5 *vers. sed eo deventum est*,

5. Non est tamen destitutus actione, sed illi subvenitur vel actione locati, quasi locaverit operas suas juxta consuetudinem suae personae et regionis, *Gloss.* 1 *in princ. instit. de mand.*, *Scribentes in L. excepto cod. locat.*, *Bart. in L.* 1 § *Juli quoque in fin. ff de variis et extraordin. cognit.*, *Marant. cons.* 34 *n.* 16.

« Pro iis salariis consequendis proprie non competit actio locati, pro-
« pter excellentiam harum operarum, cum magis beneficii loco habeantur,
« ideoque honorarium appellantur, tamquam praetio nummario non exti-
« mandae; quapropter advocati distinguuntur ab iis qui locant operas suas
« pro mercede, prout eos ita distinguit, *J. C. in L. qui operas* 41 *ff lo-*
« *cati*, et tradit *Julius Capone discept.* 109 *n.* 16, *Romaguerr. ad Statut.*
« *Eugub. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 36.

6. Vel actione praescriptis verbis, *L. naturalis* § *sed si facio ff de praescr. verb.*, *Bart. in L. si remunerandi* § *fin. in fin. ff mandat.*, *Marant. sub d. n.* 16.

7. Vel debebit implorare officium judicis, qui ex quadam naturali aequitate illi salarium constituat, *L.* 1 et ibi *Cyn., et Bald. in* 5 *opposit. in fin. cod. mand.*, *Marant. d. n.* 16.

« Advocati et procuratores possunt pro recuperatione suorum sala-
« riorum attrahere clientulum ad forum in quo ipsum defenderunt, et
« causa fuit actitata; limitando id tamen, ut non procedat in clerico qui
« litigavit coram judice laico, *Romaguer. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 26
« *num.* 33.

« Pro dicto salario, seu honorario consequendo, proprie competit certi
« conditio si quid certum promissum, vel ex stipulatu, si afficit stipulatio
« aut conditio ex lege, si adfuit tantum pactum nudum, vel officium ju-
« dicis, *idem Romaguer. ibid. n.* 38.

« Actio vero competens advocatis et procuratoribus pro exactione suo-
« rum salariorum est privilegiata et executiva, sicut pro dote, *Romaguer.*
« *ibid. n.* 43.

« Et dicta actio uti proveniens a debito reali, competit eorum haere-
« dibus, et ita ad dictos haeredes transmittitur, *Romaguer. ibid. n.* 45.

« Et a condemnatione solvendi hujusmodi salaria maxime advocato seu
« procuratori pauperi non appellatur suspensive, *Romaguer. ibid. n.* 46.

« Advocati autem et procuratores pro suis honorariis graduati in causa
« concursus creditorum, non tenentur praestare cautionem de restituendo,
« si apparuerint anteriores creditores; quia cautio ista non exigitur ab eo
« qui vere constat, quod aliis sit praeferendus in exactione, *idem Roma-*
« *guer. ibid. n.* 51.

« Notariis pro solutione mercedis officium judicis competit; nec non
« etiam procuratoribus et sollicitatoribus datur officium judicis pro eorum
« mercede, licet non conventa, non obstante quod *Paulus V* in reforma-
« tione tribunalium urbis, quae est ejus *constit.* 71 *Universi agri sub tit.*
« *de advocat. et procur. et sollic. vers. procuratores* 13, disposuerit eos non
« posse petere salarium nisi conventum; nam, sublata actione, remanet of-
« ficium judicis, quod non est sublatum, *Ridolphin. in prax. par.* 2 *cap.* 4
« *num.* 66.

8. Quo casu judex debebit constituere salarium correspectivum ad labores, habita ratione ad consuetudinem personae quae operas praestitit, et regionis, ut dictum est, *Mancin.*, qui multos allegat, *in tract. de jurament. par.* 4 *effect.* 256 *n.* 7, *Rot. cor. Coccin. decis.* 556 *n.* 2 *et* 3, *et decis.* 416 *n.* 1, *et in Recent. dec.* 291 *n.* 2 *par.* 1.

« Salarium potest augeri per judicem ratione laboris, *Conciol. ad*
« *Statut. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 26 *n.* 10.

« Sicuti etiam potest reformari, licet sit conventum, *Romaguer. post*
« *Conciol. ibid. n.* 39.

9. Dummodo tamen non excedat salarium taxatum per statutum vel per constitutiones particulares loci vel civitatis in qua operae per procuratorem praestitae fuerunt.

10. Nam judex, quando inter mandantem et procuratorem fuit expresse conventum de salario majori, quam sit taxatum per statutum vel constitutiones, non debet judicare juxta stipulationem, sed dumtaxat prout in statuto vel in constitutionibus reperitur dispositum, et illud plus habetur perinde ac si promissum non fuisset, tamquam promissum contra legis dispositionem, *L. non dubium cod. de legib., L. si non sortem in 2 respons. ff de condit. indeb., L. contra juris ff de pact.*

« Statuto determinanti quantitatem salarii pro advocatis et procurato-
« ribus omnino est standum, *Conciol. ibidem sub n.* 9.

11. Ita ut nec fidejussores pro dicti salarii solutione praestiti, teneantur, *L. cum Lex ff de fidejussor.;* nec poena promissa debeatur, *Afflict. ad constitut. Regn. Siciliae in tit. de salario advocator. cap. hac edictali n.* 7 *in fin.*

12. Ergo multo minus in taxando salarium non expressum, poterit judex praescriptum et limitatum ex legibus, statutis vel constitutionibus excedere, *L.* 1 § *in honorariis ff de var. et extraord. cognit., Guid. Pap. decis.* 190 *n.* 1.

13. In causis autem criminalibus, quod taxatio salarii procuratorum possit excedere summam praescriptam et taxatam in *L.* 1 § *licita autem quantitas ff de var. et extraord. cognit.*, quae est quantitas centum aureorum, dixit *Cur. Jun. cons.* 6 *n.* 21 *vers. et ideo dixit;* ea ratione quia in illis agitur de vita et salute hominis, quae est inextimabilis; sequitur alios referens *Mancin. de juramen. par.* 4 *effect.* 253 *n.* 6.

CAPUT LXII.

DE PACTO QUOTAE LITIS.

SUMMARIUM

1. *Pactum quotae litis est omni jure prohibitum.*
2. *Prohibitionis causa.*
3. *Quando factum dicatur.*
4. *Idem procedit sive lis sit de dimidia, sive de quacumque parte quotativa.*
5. *Etiamsi lis esset de minima parte.*
6. *Sive etiam fiat super aliqua re particulari de qua lis penderet.*

7. *Immo etiam si lis esset de certa quantitate pecuniarum.*
8. *An dicatur factum si aliquid fuerit promissum, super quo lis non pendet.*
9. *Affirmatur si fuerit promissum aliquid certum in casu victoriae.*
10. *Quamvis procurator teneatur de proprio facere impensas.*
11. *Secus si fuerit facta promissio sive lis vincatur, sive non.*
12. *Licet in casu victoriae fuerit quid modicum promissum ultra salarium.*
13. *Ac etiam nomine palmarii.*
14. *Redditur ratio.*
15. *Pactum quotae litis est illicitum, sive fiat ante motam litem.*
16. *Sive post.*
17. *Sicuti etiam si fiat pactum de solvendo post litem finitam.*
18. *Id quomodo intelligendum.*
19. *Pactum quotae litis non est cum omnibus prohibitum, sed solum cum procuratoribus, advocatis, et similibus.*
20. *Etiam cum procuratore fisci.*
21. *Non est illicitum cum cessionario.*
22. *Dummodo cessio sit valida et non simulata.*
23. *Neque cum eo qui est consors ejusdem litis.*
24. *Quod ubi est illicitum firmari tamen possit per juramentum, et de ratione.*
25. *Contraria approbatur opinio.*
26. Guid. Pap. decis. 190 n. 2 et seq. *declaratur.*
27. *Poenae contra paciscentes de quota litis statutae.*
28. *Non debent puniri simul omnibus poenis, sed altera earum tantum.*

1. Dictum fuit supra de salario procuratoribus constituendo in pecunia numerata, sequitur ut aggrediendo tertiam inspectionem dicamus de salario in aliqua parte quotativa rei in judicium deductae procuratori in casum victoriae praestanda, quod injure dicitur pactum quotae litis, quod est omni jure, tam civili quam canonico prohibitum ac reprobatum. De jure quidem civili, *L. litem cod. de procurat.*, *L. si contra cod. mandat.*, *L. sumptus ff de pact.*, *L. si remunerandi § Maurus ff mandat.*, *L.* 1 § *si cui cautum ff de var. et extraordin. cognit.*, *L. si qui advocatorum cod. de postulando.* De jure vero canonico, *Can.* 2 § *arcentur, et ibi Scribentes* 3 *quaest.* 7, *Boccat. in tract. de pact. par.* 3 *n.* 30 *ad fin.*,

« Quamvis super pactis quotae litis a lege prohibitis DD. plures tri-
« buant hujus prohibitionis moderationes, et praesertim ubi participatio
« proportionata sit mercedi alias praestandae, cujus loco succedat, adeo ut

« conventio bona fide potius inita dicatur ad levamen ac majorem commo-
« ditatem clientis, sive quod alias ex facti circumstantiis cesset ratio, cui
« haec legis prohibitio est innixa: adhuc tamen in curia romana pro fre-
« quentiori praxi (cum nulla detur regula ab aliqua limitatione immunis)
« hujusmodi conventiones non audiuntur, et praesertim in advocatis, ac
« etiam in classicis et qualificatis procuratoribus, tum quia per bannimenta
« particularia juris prohibitio magis ampliata est, ita tollendo illas licentias
« quas desuper tribuunt DD. subtilitates vel declarationes, tum fortius ob
« communem existimationem dum speciem infamiae de facto id redolet;
« si enim damnabile atque existimationi praejudiciale reputatur petere etiam
« extra judicium, fortius autem in judicio honorarium ac mercedem alias
« licitam et debitam, multo magis quando hujusmodi conventiones fiant,
« *Card. de Luc. in relat. Rom. Cur. disc.* 46 *n.* 47.

« Promissiones, illicitam quotae litis pactionem redolentes procurator
« a clientibus reportare non potest, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc.*
« *de credit. et debit. lib.* 8 *decis.* 39 *n.* 10 *tom.* 3.

2. Causa prohibitionis est ne salariis in spem victoriae constitutis, non ex bona fide, sed calumniis et malis artibus litem procurent, et per fas et nefas victoriam reportare satagant, *Bart. in d. L. si qui advocatorum n. . . . cod. de postulan.*, *Afflict. ad constit. Regn. Sicil. lib.* 1 *rub.* 81 *n.* 14 *vers. octavo*, *Francis. Connan. in comment. jur. lib.* 5 *cap.* 5 *n.* 5, *Plot. de in lit. juran.* § 6 *n.* 8 *et seqq.*; qui hanc conclusionem declarant et exornant, quibus addi possunt *Mancin. in tract. de juram. par.* 4 *effect.* 253 *n.* 4, *Vinc. de Franch. decis.* 265 *n.* 2, *Rolan. a Valle cons.* 36 *sub n.* 21 *lib.* 3, *Franc. Becius cons.* 49 *n.* 2 *lib.* 2, *Marcabr. cons.* 45 *n.* 6, *Cavalcan. decis.* 41 *n.* 43 *par.* 1.

3. Hoc autem pactum tunc fieri dicitur, quando in casum victoriae certa pars quotativa rei in judicium deductae, et super qua lis versatur, procuratori promittitur, ut litis defensionem suscipiat, *d. L. si qui advocatorum*, ubi *Bart. et alii communiter cod. de postulan.*, *d. L. si remunerandi* § *Maurus ff mandat.*, *L. litem*, et ibi *Alex. n. . . . et Jas. n. . . . cod. de procurat.*, *Rol. d. cons.* 36 *n.* 21 *lib.* 3, *Plot. de in lit. juran.* § 16 *n.* 9, *Boccat. in tract. de pact. par.* 3 *n.* 28.

4. Quod procedit sive lis sit de dimidia, sive de quacumque parte quotativa, *Gloss. in d. L. sumptus ff de pact.*, cum qua videtur transire etiam *Bart. in d. L. si qui advocatorum*, dum opinionem dictae *Gloss.* refert ultimo loco, *Plot. d.* § 16 *n.* 9.

5. Etiamsi lis esset de parte minima, *Imol. in cap. cum ab homine n.* 10 *vers. in eadem Gloss. extr. de vita et honestate clericorum*, *Cavalcan. decis.* 41 *n.* 43 *par.* 1, sequitur *Carpan. ad Statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 429 *n.* 19.

6. Sive etiam fiat super aliqua re particulari de qua penderet lis, *Azo*, *Bart. et communiter alii in d. L. si qui advocatorum*, *Franc. Marc. decis.* 479 *n.* 2 *et* 3 *par.* 2.

7. Immo etiam si lis esset de certa quantitate pecuniarum, puta de centum, et promitterentur, puta sexaginta, etiam quod non fieret promissio sub nomine quotitativo, sed numerali, *Gloss. in d. L. sumptus ff de pact. per tex. in L. si remunerandi* § *Maurus qui est final. ff mandat.*

8. Sed dubitatur, an si promittatur aliquid certum extra id de quo pendet lis, talis promissio et conventio sit licita. In qua dubitatione non bene inter se conveniunt Scribentes, nam *Guid. Pap. decis.* 102 *n.* 2 tuetur partem affirmativam; *Afflict.* autem *ad constit. Regn. Sicil. lib.* 1 *rub.* 81 *n.* 15, *et Mancin. in d. tract. de juram. part.* 4 *effect.* 253 *n.* 4 *circa med.* amplectuntur partem negativam.

9. Ego vero, conciliando has contrarias opiniones, animadverti quod Scribentes considerant formam conceptionis dictae promissionis et conventionis; aut enim promittitur aliquid certum in casum victoriae, et tunc tenenda est pars negativa, quod scilicet hujusmodi pactum sit illicitum, *Alex. in L. litem ad fin. cod. de procurat.*, *Gozad. cons.* 3 *n.* 25, *Marcabr. cons.* 45 *n.* 1, *Carpan. ad Statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 431 *n.* 4, *Mancin. d. effect.* 253 *n.* 8, *Boecat. de pact. par.* 3 *n.* 27 *vers. nam ubicumque.*

10. Etiam si procurator ex pacto teneatur facere expensas litis de suo proprio absque spe recuperationis, *Afflict. d. rub.* 81 *n.* 15, *Ursill. ad Afflict. decis.* 126 *n.* 6, *Carpan. ad statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 429 *n.* 22.

11. Aut vero est pactum simplex, sive lis vincatur sive non, et eo casu est licitum et non insurgit pactum quotae litis, et in iis terminis loquitur *Guid. Pap. d. decis.* 102, *Rol. cons.* 36 *n.* 21 *lib.* 3, *Plot. de in lit. juran. d.* § 16 *n.* 10, *Mancin. d. effect.* 253 *n.* 8.

12. Quamvis promitteretur aliquid modicum ultra salarium in casum victoriae, *L.* 1 § *et si nomine palmarii ff de var. et extraordin. cognit.*

13. Ac etiam nomine palmarii, uti ex *tex.* allato inferunt *Castr. et Alex.*, quos allegat *Marcabr. d. cons.* 45 *sub n.* 7.

14. Ex quo enim iste procurator est certus de salario pro recognitione suorum laborum, videtur quod cesset omnis suspicio calumniae, et quod per fas et nefas velit curare victoriam stante maxima modicitate summae promissae pro palmario et victoria, ut considerat ibi *Marcabr.*

15. Istud autem pactum super quota litis dicitur illicitum et reprobum, sive fiat ante motam litem, *Cavalcan. d. decis.* 41 *n.* 43, *Afflict. ad constit. Regn. Sicil. d. rub.* 81 *n.* 23;

16. Sive etiam fiat post motam litem, judicioque jam inchoato, *L.* 1 § *si cui cautum*, et ibi *Gloss. in verb. suspensa ff de var. et extraord. cognit.*, *Gloss. in L. quisquis* § *praeterea in verb. conjunctum cod. de po-*

stulan., *Arius Pinellus ad L.* 2 *par.* 2 *cap.* 2 *n.* 33 *cod. de rescind. vendit.*, *Addent. ad Guid. Pap. decis.* 190 *in litera S.*

17. Sive fiat pactum de solvendo post litem finitam, *Gloss. in L. si remunerandi* § *Maurus in verb. certam ff mandat. per tex. in d. L.* 1 § *si cui cautum* in illis verbis, *suspensa lite*, et ibi *Gloss. ff de var. et extraord. cognit.*

18. Hoc tamen ultimum non esse intelligendum de promissione et pacto quotae litis, sed de honorario constituto in quantitate, dicit *Connan. in comment. jur. lib.* 5 *cap.* 5 *n.* 5 *vers. palmarium enim.*

19. Pactum autem istud, licet secundum *Connan. d. n.* 5 *vers. quod tametsi*, sit reprobatum et illicitum cuilibet redemptori alienae litis, attamen ex mente plurium non est simpliciter et indistincte prohibitum cum omnibus, sed dumtaxat indistincte cum advocatis, procuratoribus, sollicitatoribus et similibus personis, quae in judiciis solent operas suas praestare, *arg. L.* 1 § *si cui litem ff de var. et extraord. cognit.*, *L. si qui advocaterum cod. de postulan.*, *juncta L. litem* et ibi communiter Scribentes *cod. de procurat.*, facit *L. quisquis* § *praeterea cod. de postulan.*, *Becius cons.* 49 *n.* 2 *lib.* 1, *Natta cons.* 145 *n.* 15 *vers. praeterea*, *Paris. de Puteo in tract. de sindicatu in tit. de excessib. advocat. n.* 13, *Cavalcan. d. decis.* 41 *n.* 44 *lib.* 1, *Surd. cons.* 306 *n.* 9 *in fin. lib.* 3, *Marcabr. d. cons.* 45 *n.* 1 *in fin.*, *Carocc. de locat. et conduct. in tit. de fruct. et lit. expens. quaest.* 8 *n.* 85., sequitur *Peregrin. de jure fisci lib.* 4 *tit.* 7 *n.* 16 *in fin.*

20. Et respectu procuratorum, pactum istud prohibetur etiam procuratori fisci, cum quo tale pactum est illicitum si accipiat defensionem promittentis qui habeat litem contra alium, *L.* 2, *et L. fin. cod. ne fisci vel resp.*, *Peregrin. d. tit.* 7 *n.* 17, *Boccat. in tract. de pact. par.* 3 *n.* 63.

21. Caeterum si hujusmodi pactum fiat non cum simplici procuratore, sed cum eo qui fuit constitutus procurator tamquam in rem propriam, et litigaret tamquam cessionarius, non reputatur prohibitum nec illicitum, *Paul. de Castr. in L. per diversas col.* 2 *cod. mandat.*, *Paris. cons.* 19 *n.* 53 *et* 54 *lib.* 3, *Carocc. d. quaest.* 8 *n.* 82, *Plot. de in lit. juran.* § 16 *n.* 11, *Mancin. de juram. par.* 4 *effect.* 253 *n.* 11, licet consulant etiam inter istos esse ab hoc pacto abstinendum.

22. Et quatenus inter eos pro licito recipiatur, hoc esse intelligendum dummodo cessio hujusmodi sit valida et non simulata, dicunt *Plot. d. n.* 11 *et Carocc. d. quaest.* 8 *n.* 83.

23. Similiter non esse illicitum cum eo qui est ejusdem litis consors, et in illa habet proprium et particulare interesse, late comprobat per integrum *Cons. Marcabr. d. cons.* 45.

24. Sed rursus dubitatur an si hoc pactum fiat in casu illicito et prohibito, firmetur saltem juramento, et partem affirmativam sunt amplexi

Guid. Pap. decis. 190 *n.* 2 *et seq.*, *Mancin. de juram. d. effect.* 253 *n.* 2, *Seraphin. de privil. juram. privil.* 170, ea ratione quod pactum istud non reprobatum est et prohititum propter publicam utilitatem principaliter, sed quod illius prohibitio respiciat utilitatem publicam secundario.

25. Verum cum per leges fuerit declaratum illud esse contra bonos mores, *d. L.* 1 § *si cui cautum* in illis verbis « malo more » *et ibi Gloss. ff de var. et extraord. cognit.*, *L. salarium cod. mandat.*, *L. litem cod. de procurat.*, *Seraphin. d. privil.* 170 *n.* 1 *in fin.*, et prohibeatur non solum de jure civili sed etiam de jure canonico, ut dictum est in principio hujus capitis, non firmari juramento defendit *Boccat. d. tract. de pact. par.* 3 *n.* 60, ubi respondet rationibus contrarium sentientium.

26. Et *Guid. Pap. d. decis.* 190 non loquitur de pacto quotae litis, sed de conventione salarii in pecunia numerata ultra summam a legibus taxatam solvendi.

27. Paciscentes autem de quota litis praeterquam quod priventur eorum officio, *L. si qui advocatorum cod. de postulan.*, *L. si remunerandi* § *Maurus ff mandat.*, *Bertazol. cons.* 91 *n.* 28 *lib.* 1 *crimin.*, tenentur etiam poena falsi procuratoris, *Rol. cons.* 36 *n.* 20 *lib.* 3, et puniuntur aliis poenis ut per DD. supra allegatos, *Tiraquel. in tract. de nobilit. cap.* 29 *n.* 49, *Peregrin. de jure fisci lib.* 4 *cap.* 7 *n.* 16, et latius omnibus *Boccat. d. par.* 3 *n.* 46 *cum pluribus sequentibus.*

28. Non tamen debent puniri omnibus poenis simul, sed altera earum est illis infligenda, *Franc. Marc. decis.* 29 *n.* 3 *et* 4, *et decis.* 479 *n.* 3 *vers. verumtamen*, *et n. seq. part.* 2 *repetit.*, *Carocc. d. quaest.* 8 *n.* 86.

CAPUT LXIII.

PROCURATOR IN CRIMINALIBUS QUANDO INTERVENIRE POSSIT.

SUMMARIUM

1. *Quinam hujus capitis materiam pertractent.*

1. Quoniam iste articulus fuit ex professo adeo late et plene explicatus et enucleatus a *Menochio de arbitr. judic. quaest. lib.* 1 *quaest.* 80, et a *Prospero Farinaccio in sua pract. crimin. quaest.* 99, ut nullum reliquerint addendi locum, ideo ne videatur actum agere, satius esse existimavi ab illius tractatione abstinere, quam illorum dicta simpliciter referre, cum

apud eos in contingentia facti quilibet possit occurrentes casus discussos reperire.

« Procurator non admittitur in criminalibus pro reo in causis capita-
« libus, et in iis in quibus imponitur poena a relegatione supra, et si-
« gnanter numquam admittitur pro reo absente in tribus casibus, nempe
« ad contestationem litis, ad actum torturae, et ad sententiam condemna-
« toriam, *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 4 *rub.* 8 *n.* 1.

« In practica inconcusse observatur, quod quando publicantur inqui-
« sitiones reis, conceditur ipsis terminus ad se defendendos et licentia
« advocati et procuratoris, *Romaguer. post. Conciol. ibid. n.* 3.

« Nil autem mirum si ita practicatur, quia judex ex officio pro de-
« fensione rei laborare debet, *idem Romaguer. ibid. n.* 4.

« Hujus capitis materiam ultra DD. ab auctore hic allegatos etiam
« pertractant, *Joannes Maria Vermigliolus de Vermigliolis cons. crim.* 117
« *n.* 7, *Octavianus Vulpellus resp. crimin.* 57 *per tot., Sebastianus Guaz-*
« *zinus tract. ad defens. inquisit. carcerat., defens.* 12 *cap.* 1 *a n.* 1
« *ad n.* 57, *Caball. resol. crim. casu* 23 *n.* 3 *et pluribus sequentibus,*
« *Conciol. resolut. crim. in verb. procurator. resol.* 1 *et* 2 *per tot., Rai-*
« *naldus observat. crim. cap.* 24 § 33 *usque ad* 46 *a n.* 17 *ad n.* 26 *fol.*
« *mihi* 30 *tom.* 3, *Jo. Franc. San-Felicius decis.* 237 *per tot. tom.* 2, a
« quibus quamplurimi alii DD. de eademmet materia disserentes reperiuntur
« adducti.

CAPUT LXIV.

DE SATISDATIONE PRAESTANDA A PROCURATORE AD LITES.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad lites multoties sine cautione non admittitur.*
2. *Si comparens nullum habeat mandatum, vel invalidum, non admittitur neque cum cautione de rato.*
3. *Comparens alieno nomine debet legitimare suam personam.*
4. *Judex non debet admittere procuratorem comparentem nisi doceat de mandato.*
5. *Si habeat mandatum, et quidem validum, admittitur sine cautione.*
6. *Secus si de illius revocatione dubitetur.*
7. *Hoc tamen intelligendum de procuratore actoris, nam rei procurator semper admittitur cum cautione de rato.*

8. *Si comparens habeat mandatum, sed de illius validitate dubitetur, non est admittendus sine cautione.*
9. *Sive dubitetur de validitate mandati generalis sive specialis.*
10. *Dummodo ab adversario petatur.*
11. *Procurator actoris ac rei diversimode cavere debent.*
12. *Rei procurator vel habeat mandatum, vel non, cavere debet de judicatum solvendo.*
13. *Ista satisdatio etiam in ditissimis requiritur.*
14. *Adducitur ratio.*
15. *Hujusmodi cautio habet relationem ad sententiam ferendam, unde fidejussor tenetur solvere quidquid in illa fuerit judicatum.*
16. *Dummodo a dicta sententia non fuerit appellatum, sed in judicatum transiverit.*
17. *Cautio praedicta ad quid obliget procuratorem.*
18. *Si procurator judicatum solverit, potest repetere a principali absque novo processu.*
19. *Procurator actoris habens mandatum ambiguum, vel de cujus revocatione dubitetur, admittitur cum cautione de rato.*
20. *Non sufficit oblatio mandati, sed realiter est producendum, ut de illius relevantia cognosci possit.*
21. *Procurator ad agendum in causa reconventionis potest defendere suum principalem.*
22. *Nisi sit constitutus cum dictione taxativa* « tantum ».
23. *Debet tamen praestare cautionem, quod dominus per eum gesta erit rata habiturus.*
24. *Ac etiam cautionem de ipsum dominum defendendo.*
25. *Et de solvendo quoque judicatum.*
26. *Quia in hoc judicio rei gerit personam.*
27. *Nemo nisi satisdet de judicatum solvendo, est legitimus alienae litis defensor.*
28. *Si tamen ab adversario dicta cautio petatur.*
29. *Alias illam praestare non tenetur.*
30. *Cautio praedicta in illis tantum casibus est ab actoris procuratore praestanda, in quibus tenetur invitus defendere suum principalem.*
31. *Debet praestari ante litis contestationem.*
32. *Per contestationem litis censetur legitima persona comparentis.*
33. *Non relevat dicta cautio, nisi sequatur domini comparitio.*
34. *Procurator tamen tenetur ad interesse lucri cessantis et damni emergentis.*

35. *Consors litis, si compareat pro consorte tam agendo, quam defendendo, debet cavere non secus ac procurator.*
36. *Ita pariter conjuncta persona, licet habeat mandatum a lege.*
37. *Et cautio debet praestari a conjuncto cum fidejussoribus.*
38. *Nec admittitur cum cautione juratoria.*
39. *Si compareat agendo vel defendendo, quam cautionem praestare teneatur.*
40. *Procurator, vel conjuncta persona neque cum cautione admittuntur, quando principalis ratihabitio nihil potest operari.*
41. *Frustra fit quod factum non relevat.*
42. *Nec admittuntur, ubi agitur de crimine capitali, nisi cum cautione de reum praesentando in casum succumbentiae.*
43. *Nisi poena sanguinis non esset imponenda.*
44. *Similiter neque cum cautione debent admitti in causis non recipientibus aestimationem.*
45. *Et in causis arduis, in quibus agatur de alio interesse quam pecuniario.*
46. *Atque ubi per cautionem non esset adversario plene consultum.*
47. *Quomodo id contingere valeat.*
48. *Multoties neque procurator, neque conjuncta persona tenentur cavere.*
49. *Cessat necessitas cavendi si cautio non fuerit petita.*
50. *Procurator non debet cavere de judicatum solvendo, si in mandato adsit clausula* « relevans ».
51. *Hujus clausulae effectus.*
52. *Hujusmodi satisdatio intelligitur praestita pro omnibus instantiis.*
53. *Similiter per procuratorem non est cavendum, ubi constituens pro eo fidejubeat cum hypotheca suorum bonorum.*
54. *Dummodo sit solvendo constituens, et possideat immobilia in loco judicii, alias secus.*
55. *An procurator ad negocia teneatur cavere; remissive.*

1. Quoniam multi sunt casus in quibus procurator ad lites et ad judicialia non admittitur absque cautione, ideo operae praetium esse duxi, ut aliqua de hac satisdatione subiicerem. Circa quam tres casus considerandi sunt.

Primus est, quando constat comparentem nullum habere mandatum, vel si illud ostendit, apparet expresse illud esse invalidum et inefficax.

Secundus casus est, quando comparens mandatum habet, et illud est validum et efficax.

Tertius est casus, quando habet quidem mandatum, sed illud vel est dubium et ambiguum, de quo diximus *cap. XXVIII*, vel est praesumptum, de quo dictum est *cap. XXXI*, vel apparet quidem mandatum clarum et expressum, sed dubitatur de illius revocatione.

2. In primo casu est conclusio, quod non sit admittendus etiam cum cautione de rato, *L. unic. in fin. cod. de satisdan. cap.* 1 *de procur.*, *Bellam. decis.* 681 *n.* 2.

3. Nam comparens alieno nomine tenetur legitimare suam personam, *Gloss.*, *Bart.*, *et communiter alii in L.* 2 *cod. de edict. Divi Adriani tollen.*, *Bald. in L. fin. col.* 11 *vers. octavo stude*, *cod. eod. tit.*

4. Et judex, si comparens non doceat de mandato, non debet illum admittere, *Gloss. in cap.* 1 *in verb. absentia de elect. lib.* 6, *Gloss. et DD. communiter in L. Pomponius* § *rati ff de procur.*, *Alex. in L. ita demum col.* 2 *vers. octavo fallit*, et ibi communiter alii, *cod. eodem tit.*

5. In secundo casu non est necessaria cautio, sed comparens debet admitti absque illa, *d. L. unic. in princ. cod. de satisdan.* § *sin autem instit. eo tit.*, *Bart. in L. non solum* § *qui alieno ante n.* 1 *ff de procur.*, *Cacheran. cons.* 1 *n.* 66 *et* 67.

6. Praeterquam si dubitetur de illius revocatione, *Bart. in L. vulgo in* 2 *quaest. n.* 2 *ff de admin. tutor.*, vel aliter mandatum redderetur dubium, *Bart. in d.* § *qui alieno sub n.* 1.

7. Haec tamen conclusio in hoc secundo casu procedit in procuratore actoris, procurator autem rei conventi semper admitti debet cum cautione de rato, *Bart. in d.* § *qui alieno n.* 1 *vers. praedicta.*

8. In tertio denique casu, communis est conclusio, quod si mandatum comparentis est dubium et ambiguum, vel dubitatur de illius efficacia, non debeat admitti absque cautione, *L.* 1 *cod. de procur.*, *Bart. in L. si sine* § *cum autem n.* 1 *ff rem rat. haber.*, *Bald. cons.* 118 *n.* 4 *lib.* 3, *Bellam. d. decis.* 681 *n.* 2, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 26 *cum multis seqq.*

9. Sive dubitetur de efficacia mandati generalis, sive mandati specialis, *Bald. d. cons.* 118 *n.* 5, *Paul. de Castr. in d. L. non solum* § *item ait n.* 4 *ff de procur.*, *Jaffred. Lanfranc. Balb. decis.* 54 *centur.* 1.

10. Dummodo ab adversario petatur, *Gloss. in L. universa cod. de praecib. imperat. offeren.*, *Jas. in L.* 1 *vers. septimo intellige cod. de procur.*

11. Diversimode autem cavere debet procurator actoris, quam procurator rei conventi.

12. Nam procurator rei, sive habeat mandatum, sive non, puta quia sit constitutus simpliciter ad agendum cum tale mandatum sit inefficax, et procurator non sit recte constitutus, quoniam reus non agit, sed contra

eum agitur, *cap. constitutus extr. de procur.*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 81 *vers. quod intellige*, qui allegat *Rom. in* terminis loquentem *singul.* 115 *incip. secundo debet satisdare*, non quod dominus sit habiturus rata gesta per ipsum (nisi in certis casibus, quos recenset *Specul. in tit. de satisdat. in rubr. procurat. rei qualit. habeat satisd. n.* 3) sed de solvendo judicatum, *L. unic. in fin. cod. de satisd.*, *L. qui proprio § qui alium*, et ibi *Gloss. L. minor in fin. cum duab. LL. seqq. ff de procur.*, *L. exigendi*, ubi *Gloss. et Bart. in* 2 *notab.*, *Jas. n.* 1 *et* 2 *cod. eod. tit.*, *L. nemo*, et ibi *Dec. et Cagnol. ff de reg. jur.*, *Specul. ubi supra n.* 1, *Alex. in L. filius familias n....*, et ibi *Jas. n.* 1 *ff qui satisd. cogant.*, *Scacc. de sentent. et re judic. Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 17 *vers. et procurator rei.*

13. Et sine ista satisdatione, etiam ditissimus nemo admittitur, *Jas. in L. de pupillo § qui remissionem n.* 4 *ff de nov. oper. nunciat.*

14. Ratio autem propter quam procurator rei tenetur satisdare de judicato solvendo est, quia potest contingere aliquando, quod reus contra quem fieri debet executio non esset solvendo, et tunc fidejussor supplebit defectum rei, qui non est solvendo, ut dicit *Angel. Aret. cons.* 134 *n.* 2.

15. Et cum ista cautio habeat relationem ad sententiam ferendam contra suum principalem, non tenetur ad solvendum nisi id quod per sententiam fuit judicatum, *Boer. decis.* 314 *et seq. per tot.*, proindeque si sententia contineat condemnationem etiam in expensis, iste procurator tenetur ad solvendum ipsas quoque, tamquam augmentum, et accessiones provenientes ex meritis vel demeritis causae principalis, ut post multos firmat, *Io. Bernardin. Muscatellus in sua practica fidejussoria modo* 12 *n.* 13 *et* 14.

16. Dummodo dicta sententia non fuerit suspensa per appellationem, sed transiverit in judicatum, *L.* 1 et ibi *Paul. de Castr. et alii ff judic. solv.*

17. Ista autem cautio de solvendo judicatum ad tria obligat procuratorem, videlicet ad defendendum suum principalem usque ad finem litis; quod dolum non adhibebit; et quod solvet judicatum, est *Tex.* expressus *in L. judicatum solv. ff judic. solu.*, *Boerius d. decis.* 314 *n.* 4, *Crav. cons.* 273 *n.* 1 *lib.* 2, et repetit *Specul.* ubi supra *n.* 3.

18. Si autem procurator iste vigore suae promissionis et cautionis solverit judicatum, potest repetere a suo principali absque novo processu, *Bart. in L.* 1 *n.* 5 *ff jud. solu.*, *Boerius d. decis.* 277 *n.* 3 *et* 4.

19. Procurator autem actoris, si ejus mandatum sit ambiguum, vel dubitetur de illius efficacia aut revocatione, admittitur cum cautione de rato, *L.* 1, *L. Pomponius § rati ff de procur.*, *L. illud § quod si de speciali ff de minor.*, *Bart.*, *Bald.*, *Alex.*, *Jmol. et alii in L.* 1 *cod. de procur.*, *Bald.*

in L. exigendi n. 12 *cod. de procur.*, *Alex. cons.* 47 *n.* 2 *lib.* 7, *Felin. in cap. coram n.* 4 *extr. de offic. deleg.*, *Grav. n.* 7 *in fin.*, *Franc. Viv. decis.* 31 *n.* 6, *et decis.* 245 *n.* 6, ubi alios allegat, *Joseph Ludovici decis. Perus.* 49 *num.* 1, *Scacc. de judic. lib.* 1 *cap.* 101 *n.* 48 *et seq.*

20. Non tamen sufficit sola illius oblatio, sed debet realiter et cum effectu producere instrumentum mandati ad effectum ut cognoscatur de relevantia illius; nam si reperiatur clare inefficax, procurator omnino repelletur, ut dictum fuit supra in primo casu; si autem de illius relevantia dubitari contingat propter exceptiones adversarii, tunc admittetur cum cautione,

21. Verum si sit constitutus procurator ad agendum simpliciter, et dubitetur an possit comparere in causa reconventionis pro defensione sui principalis, tunc licet iste procurator possit in dicto judicio defendere suum principalem.

22. Nisi sit constitutus ad agendum cum dictione taxativa « *tantum* » ut post *Gloss.*, *Bart.*, *Abb. et Angel. Aret.* quos allegat, dicit *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inabilit. n.* 84.

23. Non tamen debet admitti nisi cum cautione, non solum dominum habiturum rata gesta per eum, *L. servum* § *ait praetor ff de procurat.*, *L. si is a quo* § 1 *ff ut in possess. legat.*, per quae et alia jura *Speculat. in d. tit. de satisdat. in rubr. procur. actor. qualit. satisd. hab. n.* 1.

24. Sed etiam praestare debet cautionem de illum defendendo, *L.* 1 *cod. de procur.*, per quem *tex.* et alias leges, *Specul. d. n.* 1, *Alex. in L. filiusfamilias n.* 10 *ff qui satisdar. cogant.*, *Gloss. fin. in L. si defunctus*, et ibi *Bart.* § 1 *n.* 1 *ff de procurat.*

25. Nec non etiam de solvendo judicatum, *Gloss. in d. L. servum* § *ait praetor*, *Put. decis.* 265 *in fin. lib.* 1 *in correctis.*

26. Cum enim in dicto judicio reconventionis procurator sustineat partes rei conventi, debet hanc cautionem praestare, sicuti illam praestare tenetur procurator rei, *Specul. d. n.* 1.

27. Nemo enim est legitimus defensor alienae litis, nisi satisdet de solvendo judicatum, *L. qui proprio* § *qui alium*, *L. minor* § *fin. cum duabus LL. seqq. ff de procurat.*

« Defendere est id facere quod dominus in litem faceret, et cavere « idonee, nec debet durior conditio procuratoris fieri, quam sit domini, praeterquam in satisdando, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 14 *n.* 330.

28. Dummodo tamen fuerit ab adversario dicta cautio petita *L.* 1 § 1 *cod. de satisdat.*

29. Nam cautio ista non debet praestari nisi quando expostulatur, *Gloss. in L. non solum* § *qui alieno ff de procurat.*, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 35 *et* 36 cum aliis allegatis a *Jas. in L.* 1 *in* 5 *fallent. cod. de procurat.*

30. In iis autem casibus in quibus procurator actoris tenetur invitus ad suscipiendam defensionem sui principalis, tenetur indistincte praestare cautionem praefatam, secus in aliis, *Surd. cons.* 322 *n.* 18 *lib.* 3.

31. Ista vero cautio debet a procuratore praestari ante litis contestationem.

32. Quia per contestationem litis censetur legitimata persona comparentis, *L. Pomponius* § *ratihabitio ff de procurat.*, *Paul. De Castro in L. fin. n.* 3 *cod. de consort. ejusd. lit. et in L. de die* § *si servus n.* 2 *ff qui satisd. cogant.*

33. Nec tamen relevat hujusmodi cautio si non sequatur realis et effectualis ratificatio domini, sine qua comparitio procuratoris et cautio ab eo praestita illi praejudicare non potest, *Riminal. jun. cons.* 670 *n.* 28 *et seq. lib.* 6, *Cephal. cons.* 576 *n.* 22 *et infra lib.* 4.

34. Procurator tamen eo casu teneretur ad interesse tam lucri cessantis quam damni emergentis, *Sylvan. cons.* 10 *n.* 50, cum declaratione tamen quam ipse dat *n.* 33 *circa princ.*

35. Quae autem dicta sunt de cautione praestanda a procuratore, tam pro actore, quam pro reo comparente, procedunt etiam in consortibus ejusdem litis; nam si consors compareat pro consorte vel agendo vel defendendo, debet cavere prout teneri procuratorem diximus, *L.* 2 *cod. de consort. ejusd. tit.*, *Angel. Aret. in* § *praeterea D.* 2 *n.* 60, *instit. de except.*

36. Similiter conjuncta persona licet habeat mandatum a lege ut possit pro conjuncto comparere, ut late diximus supra *cap. IV*, non tamen admittitur sine satisdatione, *L. sed et hae personae ff de procurat.*, *L.* 2 § *fin. ff solut. matrim.*, *L.* 3 § *sed et si forte in fin. ff judic. sol.*, *L. exigendi*, et ibi *Alex. n.* 3 *cod. de procurat.*, *Angel. Aret. d.* § *praeterea n.* 65, *L. maritus ff de procurat.*, *Alex. cons.* 47 *n.* 2 *lib.* 1, *Socin. sen. cons.* 120 *n.* 5 *et* 6 *lib.* 1, *Magon. decis. lucens.* 6 *n.* 11.

37. Cautio autem praefata debet a conjuncto praestari cum fidejussoribus, *Gloss.*, *Bald.* et alii in *L.* 1 *cod. de procurat.*, *L. praetoriae ff de praet. stipul.*, *L.* 3 § 1 *ff judic. sol.*, per quae jura *Socin. sen. cons.* 120 *n.* 2 *in fin.*, *Bertazol. cons.* 526 *n.* 2 *lib.* 2 *crimin.*

38. Neque admittitur conjunctus cum cautione juratoria, late *Socin. sen. d. cons.* 120 *n.* 3 *et infra.*

39. Et si compareat agendo debet cavere quod is pro quo comparet rata habebit gesta cum ipso, si autem compareat pro defensione conjuncti, cautio debet esse de solvendo judicatum, per ea quae dicta et allegata fuerunt supra, et absque dicta cautione non admitteretur ad defendendum conjunctum absentem, *Gloss. in L. qui proprio* § *qui alium ff de procurat.*

40. Caeterum multi dantur casus in quibus nec procurator, nec co-

njuncta persona admitti debet etiam cum dicta cautione: et primus est ubi ratihabitio principalis nihil posset operari, *L. haec stipulatio § divus ff ut legat. nom. caveat;* puta si extet statutum quod nemo audiatur absque legitimo mandato, nam sub dicta generali prohibitione respiciente personam comparentis includitur etiam conjuncta persona, ac proinde etiam quod conjunctus vel quivis alius compareret cum cautione de rato vel de solvendo judicatum respective, quia ista cautio nihil posset operari, non esset admittendus, *Petrus Antonius Anguissola cons.* 45 *n.* 5 *lib.* 2.

41. Per regulam quod frustra fit, quod factum non relevat, *L. ad probationem cod. de probat.*, cum aliis apud *Decian. cons.* 18 *n.* 155 *lib.* 1.

42. Secundus casus est, quando quis comparet ad defendendum absentem de crimine capitali inculpatum, nam non debet pro plena illius defensione audiri, etiam praestita cautione de reprehesentando eum in casum succumbentiae, *Alex. cons.* 116 *n.* . . . *lib.* 2, qui de communi testatur, *Purpur. cons.* 67 *n.* 7 *lib.* 1, *Albertus Gandinus in tract. de maleficiis in rubr. utrum procurator col.* 2 *vers. sed quaeritur utrum ille.*

43. Praeter quam quando non veniret imponenda poena sanguinis *Gandin. d. rubr. col.* 3 *vers. item pone quod filius*, quem ita intelligit et declarat *Purpur. d. cons.* 67 *n.* 7.

44. Tertius potest afferri casus in iis quae non recipiunt extimationem, qualia sunt spiritualia et iis similia, *Rot. decis.* 420 *quae est* 75 *de procur. in nov. n.* 3 *in fin.*, nam in iis procurator non admittitur etiam cum cautione, *cap.* 1 *de procur.*, *cap. cum pridem extr. de pact.*, *Can. quam pio* 1 *quaest.* 1, *Bellamer. decis.* 681 *n.* 3, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 130, *Natt. cons.* 143 *n.* 6 *lib.* 2, *Viv. decis.* 249 *n.* 5 *lib.* 2, *Rot. decis.* 142 *quae est* 6 *de procur. in nov.*

45. Quartus adnecti potest casus in causa ardua, in qua ageretur de alio interesse quam pecuniario, puta in judicio famoso, vel quando ageretur de statu hominis, vel de matrimonio, vel simili, *Bart. in L. non solum § qui alieno n.* 1 *ff de procur.*, *Jas. in L.* 1 *n.* 2 *in* 5 *fallent. cod. eod. tit.*, *et in L. jusjurandum quod ex conventione § fin. in* 4 *notabil. n.* 6 *ff de jurejur.*, *Felin. in cap. coram n.* 7 *in* 1 *fallent. extr. de offic. delegat.*, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 48 *cum multis seqq.*

46. Quintus casus est, quando per dictam cautionem non esset plene consultum adversario, *Bart. in d. § qui alieno n.* 1 *vers. tertius casus*, *Felin. in d. cap. coram n.* 7 *vers. fallit primo.*

47. Qui declarant tunc non dici plene consultum adversario, quando remaneret implicitus litibus, quod placuit etiam *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 41 *n.* 9 *lib.* 2.

48. Dantur etiam casus, in quibus dicta cautio non est necessaria, tam quoad procuratorem, quam quoad conjunctum pro conjuncto compa-

rentem, quos recenset *Alex. in L. exigendi n. 3*, et *Jas. n. 2 cod. de procur.*

49. Et ultra casus per eos relatos cessat necessitas cavendi, si dicta cautio petita non fuerit, ut dictum fuit supra, et in terminis conjunctae personae firmat *Sim. de Praet. cons. 54 n. 33 et 34 lib. 1.*

50. Relevatur etiam procurator ab onere et necessitate satisdandi de solvendo judicatum, si in procuratorio apposita fuerit clausula « *relevans* ».

« Clausula « *relevans* » posita in mandato operatur satisdationem de ju-
« dicio sisti et solvi judicatum, *Rot. decis. 172 n. 18 par. 7 Recent.*

« Atque operatur, ut nedum autoris mandatum expiret post primam
« sententiam, sed nec etiam mandatum rei, *Rot. d. decis. 172 n. 17 par. 7*
« *Recent.*, quod adnotatur etiam *cap. 120 ad n. 22.*

51. Haec enim clausula operatur satisdationem de judicio sisti et judicatum solvendo, *Marescott. variar. resolut. lib. 2 cap. 62 n. 8*, *Rot. coram Coccin. decis. 319 n. 4.*

52. Et ista satisdatio intelligitur praestita pro omnibus instantiis, ut pluribus comprobat ibi *Rot. d. n. 4.*

53. Vel si constituens in instrumento mandati, aut apud acta, seu extra pro procuratore fidejubeat cum hypotheca suorum bonorum, § *si vero aliquis instit. de satisdat.*, *Specul. in tit. de satisdat. in rubr. procurat. rei qualit. satisd. habe n. 2*; *Bart. in L. unic. n. 17 et seq. cod. de satisd.*

54. Dummodo tamen constituens sit solvendo, et sit idoneus fidejussor ac possideat immobilia in loco judicii, secus alias, *Bart. in rubr. ff judic. solut. n. 6*, *et in L. si defunctus* § 1 *n. 2 ff de procur.*, quem sequitur *Angel. Areti in d.* § *si vero aliquis n. 3 inst. de satisd.*, *DD. in L. filius fam. ff qui satisd. cogam.*, maxime *Angel. n. 4*, *Paul. de Castr. n. 3*, *Alex. n. 10*, *Jas. n. 7*, *Aret. cons. 134 n. 1 vers. tertio principaliter*, et infra.

55. An autem procurator ad negocia teneatur cavere, dicemus infra, *cap. LXXXV de mandato ad recipiendum solutiones.*

CAPUT LXV.

DE PROCURATORE CONSTITUTO AD NEGOCIA ET AD QUID TENEATUR.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad negocia a quibus constituatur.*
2. *Quomodo, et an per literas credentiales valeat constitui; ce-*
missive.

3. *Procurator habens facultatem gerendi ea tantum quae sunt constituenti utilia, non dicitur habere efficax mandatum.*
4. *Ratio.*
5. *Habens facultatem faciendi quidquid sibi videbitur, intelligitur arbitrio boni viri.*
6. *Et si addatur verbum* « expedire » *dicta generalis facultas restringitur ad utilia pro ipso constituente.*
7. *Verbum* « expedire » *utilitatem significat.*
8. *Mandatum quamvis universalibus verbis et clausulis conceptum, restringitur ad ea quae pertinent ad negocium commissum.*
9. *Et ut illud procurator explicet bona fide.*
10. *Unde tenetur de dolo et de lata culpa.*
11. *Non tamen de levissima.*
12. *Nemo potest compelli ad suscipiendum mandatum.*
13. *Si tamen quis illud suscipiat tenetur negocium demandatum perficere.*
14. *Et periculum spectat ad ipsum, si, cum potuerit, illud non perfecit.*
15. *Nisi doceat de adhibita diligentia.*
16. *Priusquam ad negocii explicationem accedat debet exhibere mandatum, alias actus per ipsum gestus esset nullus.*
17. *Et reprehesentat domini personam.*
18. *Et per eum gesta censentur gesta ab ipso domino.*
19. *In negociis explicandis debet concipere verba in personam propriam non vero domini.*
20. *Nuntius concipit verba in domini personam.*
21. *Quilibet aliena negocia gerens de illis rationem reddere debet.*
22. *Unde et procurator ad negocia constitutus.*
23. *Quid, ubi plures sunt procuratores?*
24. *Qua actione procurator teneatur ad reddendam rationem.*
25. *In reddenda ratione non tenetur de eo quod ex domini re fuit lucratus, nisi id cum illius praejudicio evenerit.*
26. *Procuratori ejus industria culpae adscribi non debet.*
27. *Tenetur tamen in redditione rationis domino reddere actiones ac restituere instrumenta.*
28. *Repetit expensas in peragendis negociis factas, ac etiam usuras.*
29. *Quamvis negocium non perfecerit.*
30. *An procurator ad negocia possit alium substituere; remissive.*
31. *Quomodo illius mandatum expiret.*
32. *Res quando non sit amplius integra.*

1. Procurator ad negocia constituitur, ut plurimum, ab iis qui nolunt vel non valent propriis negociis superesse ut dicit *JC. L.* 1 *ff de procurat.*

2. Quomodo autem constituatur diximus late supra *cap. XVIII de procuratoris constitutione.* An autem per literas credentiales intelligatur datum hujusmodi mandatum, videndi sunt DD. allegati a *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 139 *vers. numquid autem.*

3. Hoc autem est advertendum, quod si procuratori sit data facultas gerendi ea tantum quae constituenti sunt utilia, cum promissione habendi ratum quidquid per procuratorem fuerit legitime factum, mandatum non censetur efficax, et procurator volens negocium commissum vigore dicti mandati explicare, potest repelli tamquam non habens mandatum sufficiens, *Alex.* post multos in *L. si procurator n.* 5 *cod. de procurat.*

4. Quia semper constituens dicere posset quod gesta per dictum procuratorem non sunt legitime gesta, nec sibi utilia, ut considerat *Rom. cons.* 60 *sub n.* 1.

5. Similiter si procuratori sit data facultas faciendi quidquid sibi videbitur, intelligitur arbitrio boni viri *L. si sic ff de legat.* 1, *L. fideicommiss. § quamquam ff de legat.* 3, *Angel. cons.* 388 *n.* 2, *Bursat. cons.* 259 *n.* 8 *lib.* 3, *et cons.* 395 *n.* 37 *lib.* 4, *Socin. jun. cons.* 59 *n.* 9 *lib.* 1.

6. Et si facultati faciendi prout procuratori videbitur addatur verbum « *expedire* », dicta generalis facultas restringitur dumtaxat ad ea quae utilitatem constituentis respiciunt.

7. Cum secundum subiectam materiam illud verbum « *expedire* » utilitatem significet, *L.* 2 *in fin. ff mandat., Dec. cons.* 493 *n.* 16, *Ursill. ad Afflict. decis.* 505 *n.* 5.

8. Mandatum autem quantumvis generalibus, immo universalibus verbis et clausulis conceptum, restringitur ad expressa in procuratorio, et ad ea quae pertinent ad negocium commissum, *Gloss. in L. si mandato Titii § fin. ff mandat., Bart. in L. ambitiosa n.* 17 *cum seq. ff de decret. ab ordin. facien., Burs. d. cons.* 395 *n.* 37 *lib.* 4, *et cons.* 259 *n.* 8 *lib.* 3.

« Mandatum expressum ad unam causam, non potest ad alias non « expressas extendi, *Rot. decis.* 312 *n.* 4 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Rota tamen, *decis.* 149 *n.* 10 *par.* 14 *Recent.*, voluit, quod mandatum « procurae verbis amplissimis conceptum, excludat restrictionem ad nego- « cium particulare, et extendatur generaliter ad omnia peragenda: ubi « namque verba et clausulae sint pregnantes et inculcatae, sine illarum « injuria restringi non possunt, *Rot. decis.* 58 *n.* 6 *par.* 16 *Recent.*

« Et sic mandatum continens facultatem confitendi debitum, quod- « cumque juramentum praestandi, cum facultate non contraveniendi, et

« habendi ratum, importat mandatum cum libera, et facultatem transigendi, « *Rot. decis.* 300 *n.* 23 *par.* 11 *Recent.* Atque haec conclusio adnotatur etiam « *cap.* 82 *ad n.* 2, *et cap.* 100 *ad n.* 10.

« Mandatum ad certas res factum, intelligitur tantum de specificatis, « neque potest ad alia extendi, *Rot. decis.* 18 *n.* 2 *par.* 3, *decis.* 374 *n.* 24 « *par.* 5 *tom.* 1, *decis.* 73 *n.* 14, *decis.* 304 *n.* 9 *par.* 15 *et decis.* 64 *n.* 16 « *par.* 17 *Recent.*

« Et clausulae in mandato appositae licet amplae et pregnantes restrin- « guntur ad expressas facultates in ipso mandato contentas, nec estenduntur « ad diversa, et ad ea quae speciale mandatum requirunt, *Rot. decis.* 13 « *n.* 2 *par.* 4 *tom.* 1, *decis.* 145 *n.* 23 *par.* 9 *tom.* 1, *decis.* 202 *n.* 16 « *par.* 12, *decis.* 27 *n.* 14, *decis.* 394 *n.* 8 *par.* 13, *et decis.* 75 *n.* 8 *par.* 15 « *Recent.*, atque haec conclusio adnotatur etiam *cap. LXVI ad n.* 18.

9. Et ut procurator negocia mandata bona fide explicet, *L. creditor* § *Lucius ff mand.*

10. Ac propterea tenetur tam de dolo quam de lata culpa, *L. procuratorem cod. mand.*

« Periculum rerum existentium poenes mandatarium non est ipsius sed « mandantis; unde si mandantis pecuniae per mandatarium retentae, fue- « rint furto subtractae, hujusmodi casus cedere debet damno domini pecu- « niae ac mandantis, non autem mandatarii, quoties agatur de mandato « in solam ejus gratiam. Ideoque mandatarius nonnisi dolum, vel ad sum- « mum, latam culpam praestare tenetur, cum alias in furto de quo agitur, « neque levis, immo levissima culpa concurrat, *Card. de Luc. de tutor. et* « *administrator. disc.* 16 *n.* 12.

« Mandatarius dicitur in culpa si non facit id quod facere tenetur, « *Rot. decis.* 246 *n.* 4 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

« Illique imputandum est si non cogitavit, quod de facili poterat eve- « nire, *Rot. decis.* 373 *sub n.* 94 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Procurator de culpa et negligentia magna tenetur, *Palma Nepos* « *decis.* 91 *n.* 24 *et* 25 *lib.* 1.

« Mandatarius tenetur de culpa lata et levi erga mandantem, et, juxta « aliquos, etiam de levissima, *Card. de Luc. de regal. disc.* 117 *n.* 21.

« Mandatarius, tamquam mandantis administrator et fiduciarius sequi « debet bonam fidem, adeo ut nedum latam et levem, sed etiam, juxta « unam opinionem, levissimam culpam praestare teneatur, *Card. de Luc.* « *de cambiis disc.* 1 *n.* 25, *et disc.* 26 *n.* 8.

« Licet vero mandatarius bonam fidem adhibere debeat pro mandante, « praesertim in eligendo viam minus damnosam more probi et diligentis « administratoris, ista tamen conclusio procedit in eo puro et simplici « mandatario, qui in rem et gratiam mandantis tamquam purus minister

« et fiduciarius negocium explicare debet; secus autem, ubi est in rem et « utilitatem propriam, et pro ejus relevatione ab interesse lucri, quod alias « reportare potuisset ex pecunia pro mandante soluta, quoniam tunc « proprium, non autem mandantis negocium facere dicitur, et consequenter « pro se ipso tenetur esse diligens paterfamilias, *Card. de Luc. ibid. n.* 26 « *disc.* 1.

« Mandatarius nedum de culpa levi, verum etiam de levissima, juxta « unam opinionem, tenetur erga mandantem; *Card. de Luc. de tutor. et* « *administrator. disc.* 16 *n.* 4.

« Quando tamen agitur de mandato in solam gratiam mandantis, alia « non intrat culpa, nisi lata, atque ad summum rigorem, juxta unam « sententiam, levis, *Card. de Luc. ibid. n.* 8.

11. Non tamen de culpa levissima, *Bart. in L. quod Nerva quaest.* 9 *n.* 31 *ff de posit., Bald. in L. quae fortuitis col.* 6 *n. . . . ff. de pignorat. action.*, et nos dicemus latius infra *cap. XCVIV*, dum *de actione mandati* disseremus.

« Quapropter mandato procurae censetur satisfactum, quamvis fuerit « omissum facere diligentias superfluas, *Rot. decis.* 313 *n.* 11 *par.* 11 « *Recent.*

12. Et licet nemo compelli possit ut mandatum suscipiat, cum procuratoris officium sit voluntarium, ut diximus supra *cap. XXIV*,

« Mandatum de administrando, nisi probetur effectuatum, ita ut illius « vigore administratio fuerit assumpta, aptum minime erit, procuratorem « ipsius constituentis debitorem constituere, *Rot. coram Crispo decis.* 120 « *n.* 8 *tom.* 1.

13. Attamen si illud suscipiat, tenetur negocium demandatum explicare, et pro posse executioni demandare, *Ruin. cons.* 44 *lib.* 1, *Paris. cons.* 91 *n.* 10 *lib.* 1, *Benvenut. Stracca de mercatur. in tit. de mand.*, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 5 *et* 6, *et decis.* 68 *n.* 5, quos refert *Surd. decis.* 300 *n.* 5.

« Procurator qui susceptum mandatum non exequitur, tenetur domino « ad damna et interesse, *Actolin. resolut.* 118 *n.* 4.

« Procurator qui acceptavit mandatum, tenetur ad interesse si non « adimplet, *Palma Nepos decis.* 290 *n.* 18 *lib.* 3.

« Acceptans mandatum alterius, etiamsi fecerit negocium tam pro se, « quam pro mandante, nihil sibi acquirit, sed totum cedit in commodum « sui principalis, *Saminiat. controv.* 33 *n.* 114 *lib.* 1.

« Procurator susceptum mandatum dedet consummare, alias dicitur « in dolo, *Thomat. decis.* 29 *n.* 21 *par.* 1.

« Et mandanti datur actio mandati contra mandatarium, *ibidem n.* 22.

« Et mandatarius tenetur ad damna et interesse, *ibid. n.* 23.

« Procurator susceptum mandatum exequi, et ad finem perducere « debet, *Thomat. decis.* 137 *n.* 7, *et decis.* 140 *n.* 3 *par.* 2, alias dicitur « esse in dolo, *Thomat. d. decis.* 137 *n.* 9, et mandanti datur actio contra « mandatarium ad damna scilicet et interesse, *Thomat. d. decis.* 137 *n.* 10 « *par.* 2.

« Mandatum datum creditori ad cambiandum, tamquam cumulativum, et « ad majorem ejus cautelam, non liberat debitorem a cura atque ab onere « cambiandi, quod in se suscepit, *Card. de Luc. de cambiis disc.* 10 *n.* 4.

« Quod tamen procedit, ubi creditor illo non utitur, secus in casu « usus, quoniam haec duo sunt alternativa, in quibus unius electio alterum « cessare facit; cum implicet eamdem pecuniam per duos in solidum girari, « atque duplex cambium super eadem re, eodem tempore exerceri, *Card.* « *de Luc. de cambiis d. disc.* 10, *eod. n.* 4.

« An vero creditor eligendo mercatorem, dicatur usus dicto mandato, « tradit idem *Card. de Luc. ibidem n.* 5.

14. Et postquam mandatum acceptavit, periculum spectat ad ipsum, si negocium perficere potuit, et non perfecit, *L. tutores* 40 § *fin.*, et ibi *Bart. ff de admin. tutor. n. . . . Leander Galganettus de tutela et curat. lib.* 2 *tit.* 4 *n.* 13.

« Suscipiens mandatum, si non adimpleat promissa, tenetur ad damna « et interesse, *Rot. decis.* 85 *n.* 3 *et* 4 *par.* 4 *tom.* 2, *et decis.* 56 *n.* 13 « *par.* 12 *Recent.*, quod etiam adnotatur *cap. XCVII ad n.* 9.

15. Nisi doceat de diligentia per se adhibita, in perficiendo negocium mandatum, *Rot. coram Seraphin. decis.* 759 *n.* 3 *et decis.* 786.

16. Iste autem procurator antequam ad explicationem negocii commissi accedat, tenetur exhibere mandati sui instrumentum, alias actus quem gereret esset nullus, ut dixit *Bald. in rubr. cod. depos. in* 4 *quaest.*, et nos dicemus *cap. CII* agentes *de mandati productione.*

17. Et procurator iste tamquam pica et organum constituentis personam domini reprehesentat, *Franc. a Ponte cons.* 54 *n.* 7 *et seqq.*

18. Nam gesta per ipsum censentur gesta ab ipsomet domino constituente, *Franc. a Ponte d. cons.* 54 *n.* 14, *Rot. Genuen. decis.* 67 *n.* 2, et nos alibi diximus.

19. In negociis tamen peragendis debet semper concipere verba in personam suam, non autem in personam domini, *Rim. Sen. cons.* 391 *n.* 10 *lib.* 2.

20. Ut differat a nuntio, qui concipit verba in personam domini, *L. qui autem ff de constitut. pecun.*, *Rim. Sen. cons.* 151 *n.* 15 *post med. lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 641 *n.* 90 *lib.* 6.

21. Cum autem quilibet qui aliena negocia gerit et administrat, teneatur de illis rationem reddere, *Soc. Sen. cons.* 24 *n.* 27 *lib.* 1, *Dec. cons.*

178 *in princ.*, *Ceph. cons.* 466 *n.* 8 *et seqq. lib.* 4, *Plot. de in litem juran.* § 13 *n.* 11, latissime *Rol. cons.* 49 *per tot. lib.* 1.

22. Iste quoque procurator tenetur de sua gestione rationem reddere, *L. idemque* § 1, *L. ex mandato ff mand.*, *L. quaedam ff de procur.*, *Bart. in L. si pupilli* § *videamus n.* 1 *ff de negoc. gest.*, *Magon. decis. florent.* 42 *n.* 2, *et decis. Lucens.* 2 *n.* 2, *Rot. Genuen. decis.* 53 *n.* 1 *et* 2.

« Procurator potest pro certa summa conveniri, non expectata reddi-
« tione rationis, quando non agitur de administratore generali, sed certi
« tantum proventus, in quo non cadit nisi liquidatio per calculum aritme-
« ticum, *Palma Nepos decis.* 290 *n.* 11 *lib.* 3.

23. Et si plures sint procuratores, singuli in solidum tenentur, sed uno solvente caeteri liberantur, *L. creditor* § *duobus ff mandat.*

24. Licet quoad hoc ultimum aliter sit dispositum jure novo, *authent. de duob. reis in princ.*, *Gloss. in* § *duobus, in verb. pro solido in fin.* Tenetur autem non actione negociorum gestorum quia gessit, sed actione mandati, quia mandatum suscepit, quamvis non gesserit, *L. si remunerandi* § 1 *ff mand.*, *Gloss. in L. procuratorem, in verb. suscepit cod. eod. tit.*

25. In reddenda autem ratione non tenetur de eo quod forte ex re domini fuit lucratus, dummodo id fecerit citra domini praejudicium, *L. qui proprio* § *procurator ff de procur.*, *L. si vero* § *item qui ff sol. matr.*

26. Quia tantum abest ut procuratori debeat ad culpam abscribi ejus propria industria, ut potius laudem mereatur, nec ad alterius, quod ad propriam ipsius utilitatem trahi debet, *L.* 3 *in princ. ff ad L. falcid.*, *L. fin. in princ.*, et ibi *notat ff mandat.*, per quae jura, *Burs. cons.* 325 *num.* 16 *lib.* 3.

« Potest pro se mandatarius retinere fructus propriae industriae et la-
« boris, *decis.* 157 *n.* 21 *par.* 12.

« Quod tamen intelligitur procedere quando praetium est taxatum,
« secus e contra, *Rot. ibidem.*

« Quia tali casu, sicuti detrimentum pertinet ad mandantem, ita com-
« modum ad eum spectare debet, *Rot. ibid. n.* 22.

« Non tamen tenetur ad fructus pecuniae penes se existentis, nisi
« doceatur de mora per interpellationem illi factam, *decis.* 161 *n.* 11
« *par.* 17 *Recent.*

27. Tenetur tamen in reddenda ratione cedere actiones domino et illi restituere instrumenta, *Decius cons.* 533 *col.* 2, *Rot. cor. Verall. decis.* 179 *n.* 1, 4 *et* 6 *vers. ideo tenetur, et decis.* 180 *n.* 3 *par.* 2.

28. Si quid autem procurator iste in peragendis negociis sibi demandatis de suo impendit, repetit non solum expensum sed etiam usuras, *L. si vero non remunerandi* § *si mihi*, *et* § *simili modo*, *L. idemque* § *idem Labeo* § *sed et si ad vecturas ff mandat.*, *L.* 1 *cod. eod. tit.*

« Mandatarius regulariter declarari solet creditor mandantis per apo-
« cam absque interventu personae, *Rot. decis.* 368 *prima n.* 3 *par.* 13
« *Recent.*

« Quamvis regulariter expensarum refectio non fiat nisi de illis judi-
« cialibus quas in curia practici « *vivas* » appellant, non autem de extra-
« judicialibus quas dicunt « *mortuas* », ut sunt illae advocatorum, procu-
« ratorum, sollicitatorum, copistarum ac similes, attamen id procedit circa
« eam refectionem quae per succumbentem, vel in poenam temerariae litis,
« vel ob condemnationem in curia generaliter de stylo fieri solitam facien-
« da est, non autem ubi agitur de illa refectione quae venit sub obliga-
« tione damnorum et interesse, prout est illa mandantis respectu manda-
« tarii, quoniam tunc omnes quomodocumque passae veniunt, solumque at-
« tenditur naturalis veritas, et in quo de facto ille damnificatus fuerit, ut
« praxis frequens docet in refectionibus faciendis per attentantes seu violentos
« spoliatores ac similes, in quibus cadat obligatio refectionis damnorum et
« interesse sub quorum genere omnes indefinite veniunt, *Card. de Luc. de*
« *tutor. et administrator. disc.* 16 *n.* 11.

29. Ita ut repetat sumptus necessarios bona fide factos, etiam quod negocium non perfecerit, *L. qui mutuum* § *fin. ff mandat.*

30. An autem procurator iste ad negocia possit alium in sui locum ponere diximus supra *cap. XXXIX.*

31. Expirat autem hoc mandatum per revocationem a domino factam, dummodo fiat re integra, *Bald. in L.* 1 *quaest.* 2 *cod. de action. et obligat., et in L. sicut* § *procurator ff quibus modis pignus vel hypotec. solv., Cels. Hug. cons.* 99 *n.* 5.

« Procuratoris mandatum expirat terminato negocio ad quod fuit con-
« stitutus, *Palma Nepos decis.* 90 *n.* 7 *lib.* 1.

32. Ubi subdit quod res in proposito desinit esse integra, etiam si sint facta sola praeparamenta ad negocium explicandum, ex *Bart. in L. si pecuniam ff de condit. ob causs.*, et aliis. Cessat etiam aliis modis ut videbimus ad finem tractatus.

CAPUT LXVI.

DE POTESTATE PROCURATORIS GENERALIS AD NEGOCIA.

SUMMARIUM

1. *In mandato generali ad negocia non solum comprehenduntur in illo expressa, sed etiam ea quae actus mandati explicationem praecedere debent.*

2. *Atque consecutiva et consequentia ad ipsum actum.*
3. *Unde vigore talis mandati potest quoque res in judicium deduci.*
4. *Limita, si esset factum mercatori.*
5. *Nisi negocium a mercatore explicandum incidenter traheretur ad judicium.*
6. *Praedictum mandatum comprehendit etiam emergentia atque incidentia.*
7. *Intellige tamen quatenus haec omnia sint necessaria ad explicationem actus mandati.*
8. *Sic pariter censentur comprehensa quae de consuetudine fieri solent.*
9. *Licet in mandato non essent expressa.*
10. *Et quamvis in illo adesset aliqua ditio restrictiva.*
11. *Quod est solitum fieri habetur pro expresso.*
12. *Etiamsi ex tali actu mandans posset incidere in poenam.*
13. *Hinc ea quoque comprehenduntur quae ipse mandans facere solebat, licet indigerent speciali mandato.*
14. *Atque ea quae sunt similia expressis dummodo sint minora.*
15. *Secus si majora.*
16. *Sicuti etiam ea quae veniunt in executionem actus mandati.*
17. *Et ea quae dominus potest vel de jure aut consuetudine debet facere.*
18. *In dicto tamen generali non sunt comprehensa ea quae requirunt speciale mandatum.*
19. *Quamvis requirerent speciale mandatum legis.*
20. *Exceptis casibus in quibus speciale in generali mandato continetur.*
21. *Procurator habens generale mandatum non potest per clausulam* constituti *possessionem transferre.*
22. *Nec petere decretum super alienatione bonorum minoris.*
23. *Neque ea explere quae pro forma sunt requisita.*
24. *Neque ea quae sunt conditionalia.*
25. *Non potest domino placita mutare.*
26. *Licet haberet mandatum* cum libera.
27. *Nisi emergeret nova causa a Domino ignorata.*
28. *Aut nisi per factum procuratoris fieret reditus ad jus commune.*
29. *Non potest pariter actum facere domino praejudicialem, atque poenalem.*
30. *Id quomodo intelligatur.*
31. *Nec potest obligare bona mandantis, licet sit constitutus procurator ad alienandum.*

32. *Hujusmodi generale mandatum non comprehendit iniqua, inhonesta, ac illicita.*
33. *Quamvis esset factum a principe.*
34. *Et licet constituens jurasset non venire contra factum procuratoris.*
35. *Juramentum ad licita atque honesta est restringendum.*
36. *Similiter dictum mandatum non comprehendit insolita.*
37. *Et quae dominus facere non posset.*
38. *Et quae ignorabat.*
39. *Dummodo ignoraverit in genere; secus in specie.*
40. *Et quae constituens in specie non mandasset.*
41. *Dominus non potest contravenire gestis per procuratorem juxta formam mandati.*
42. *Sed illa debet in totum vel acceptare vel reprobare.*
43. *Contraveniens tamen excusaretur sub praetextu ignorantiae.*
44. *Nisi factum esset adeo grave ut posset praesumi a procuratore certioratus de eo.*

Viso quomodo constituatur procurator generalis ad negocia et ad quae teneatur, sequitur ut videamus quae in hoc generali mandato comprehendantur.

1. In hoc itaque mandato comprehenduntur non solum expressa in procuratorio, sed etiam ea quae praecedere debent explicationem actus mandati, *Rom. cons.* 461 *n.* 4 *in fin.*, *Riminal. jun. cons.* 11 *n.* 6 *et seq. lib.* 1. Nam dato mandato ad unum, censetur etiam datum ad ea quae sunt praeparatoria ad illud, *L. ad rem mobilem*, *L. ad legatum*, *L. si defunctus* § *fin. ff de procur.*, *Riminal. Sen. cons.* 574 *n.* 8 *lib.* 3.

« In mandatis qui vult consequens, velle etiam dicitur necessarium an-
« tecedens, *Rot. decis.* 463 *sub n.* 2 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

2. Nec non etiam ea quae sunt consecutiva et consequentia ad negocium mandatum, *L. quicumque* § *si ei ff de exercit. action.*, *Socin. jun. cons.* 27 *n.* 5 *lib.* 1.

« Mandatum non ambigitur ad id quod venit in consequentiam extendi, *Actolin. resol.* 66 *n.* 17.

« Procurator potest facere non solum ea ad quae fuit constitutus, sed
« etiam illius accessoria, atque inseparabilia, *Actolin. resol.* 110 *n.* 36.

« Mandatum semper extenditur ad ea quae sunt de natura actus
« eique annexa, et sine quibus perfici non potest negocium demandatum,
« *Saminiat. controv.* 33 *n.* 61 *lib.* 1.

« Mandatum continere dicitur etiam ea omnia quae veniunt in neces-
« sariam consequentiam illius, *Rot. decis.* 344 *n.* 7 *par.* 10 *Recent.*

« Regulariter mandatum semper intelligitur concessum ad ea quae
« sunt connexa, et de natura contractus, dependentia, antecedentia, subse-
« quentia, et consecutiva, etiam si in mandato non sint expressa, *Rot.*
« *decis.* 374 *n.* 18 *par.* 5 *tom.* 1, *decis.* 428 *n.* 15 *par.* 5 *tom.* 2, *decis.* 64
« *n.* 7 *par.* 6, *decis.* 461 *n.* 12 *par.* 14, *et decis.* 234 *n.* 5 *par.* 8 *Recent.*

« Et hoc procedit in quacumque materia, *Rot. ibid.*

« Et mandatum, quantumvis simplex, continet ea quae sunt utilia man-
« danti, *Rot. decis.* 92 *n.* 15 *par.* 10 *Recent.*

3. Ac propterea poterit etiam rem in judicium deducere, *L. nam et docere ff de procurat., Jas. in L. rescriptum § fin. n.* 4 *ff de pact., Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 5.

4. Praeterquam si tale mandatum esset factum mercatori, quia ad litigandum solent fieri procuratores non mercatores sed personae peritae, puta advocati, causidici, notarii et similes, *Alciat. cons.* 67 *n.* 15 *lib.* 8, a quo non dissentit *Mantic. d. n.* 5.

5. Nisi negocium quod agitur a mercatore incidenter ad judicium trahatur, puta, si velit credita a se nomine domini contracta exigere, et judicis auctoritas sit necessaria, hoc enim illi esse permittendum tamquam proximum mandato, et negocio commisso concludit *Mantic. d. n.* 5. *in fin.*

6. Comprehendit etiam emergentia et incidentia ad negocium commissum, *Felin. in cap. cum olim col.* 4 *n.* 10, *vers. fallit quarto extr. de offic. deleg., Riminal. Jun. d. cons.* 11 *n.* 8 *et seqq. lib.* 1.

7. Haec tamen intelligenda sunt de iis emergentibus, incidentibus, antecedentibus et consequentibus quae sunt necessaria ad explicationem actus mandati et sine quibus actus ille effectum suum sortiri non posset, secus autem de iis quae deserviunt ad commodius et utilius actum explicandum, *L.* 1 § *igitur vers. quare ff de exercit. act., Gloss. in cap. solet in verb. superiorem de sentent. excommunicat. lib.* 6, quam communiter approbari dicit *Sylvan. cons.* 35 *n.* 48, ubi alios allegat, *Curt. Jun. in L.* 2 *n.* 43, qui similiter testatur de communi, *ff de jurisdit. omn. judic., Rom. d. cons.* 461 *n.* 4 *in fin. et n.* 5, *Seraphin. de privileg. jurament. privil.* 111 *n.* 7 *ad fin., Paul. de Castr. cons.* 12 *n.* 4 *lib.* 1, est bonus *Text. in L. fin. in fin. ff de offic. ejus cui mandata est jurisdit.*

8. Comprehenduntur similiter ea quae sunt consueta fieri, *Angel. in L. qui semisses § quaesitum ff de usur., Ruin. cons.* 93 *n.* 6 *lib.* 5, *Franc. a Pont. cons.* 54 *n.* 18, *Menoch. cons.* 121 *n.* 12 *lib.* 2, *Decian. cons.* 61 *n.* 5 *lib.* 2, *Grat. cons.* 159 *n.* 24 *lib.* 2, *Peregrin. cons.* 72 *n.* 6 *lib.* 6, *Franc. Vivius decis.* 329 *n.* 28 *lib.* 2.

9. Et censetur mandatum id quod in actu explicando de consuetudine

servari solet, licet in procuratorio non sit expressum, *Bart. in L. si fraudatur in princ. n.* 1 *vers. praeterea ff de iis quae in fraud. credit., Purpur. cons.* 176 *n.* 12 *lib.* 1, *Bertazol. cons. crimin.* 334 *n.* 17 *et cons.* 469 *n.* 18 *lib.* 2, *Benvenut. Stracc. de mercatur. in tit. de mandat. n.* 41.

10. Quamvis mandatum haberet aliquam ditionem restrictivam, et arctativam ad praemissa, vel expressa, vel circa ea, *Felin. in cap. cum. Mar. Ferrariensis sub n.* 14 *extr. de constitut., Ruin. cons.* 93 *n.* 4 *vers. et subdit lib.* 5, *Decian. cons.* 61 *n.* 6 *lib.* 2, ubi multos allegat.

« In mandato facultas generaliter tributa non restringitur per verba « apposita gratia majoris declarationis, *Rot. decis.* 367 *n.* 1 *et* 2 *par.* 9 « *tom.* 2 *Recent.*

11. Nam quod est solitum fieri habetur pro expresso, *Bart. in L. si procurator n.* 2 *ff de jur. fisc., Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 4, qui alios refert.

12. Etiamsi ex tali actu mandans posset incidere in poenam, *Alex. in L. si quis iniquum* § *si procurator n.* 6 *ff quod quisque juris, Purpur. cons.* 176 *n.* 12 *in fin.*

13. Et multo magis in hoc generali mandato comprehenduntur ea quae mandans ipse erat solitus facere, etiamsi ad illud faciendum esset necessarium mandatum speciale, *L. vel universorum ff de pignorat. act., Dec. cons.* 441 *n.* 9, *Riminal. Sen. cons.* 556 *n.* 11 *lib.* 3 , alios congerit *Cornazan. decis. lucen.* 1 *n.* 24.

14. Comprehenduntur praeterea ea quae sunt similia expressis, si sint minora, *Grat. cons.* 159 *n.* 10 *lib.* 2, *Jo. Petruc. de Montesperell. cons.* 163 *n.* 2, nam qui mandat quod est plus et majoris praejudicii, videtur etiam mandare quod est minus, et minoris praejudicii, *L. si quis mihi bona* § *coram ff de acquir. haeredit.* per quem text. *Riminal. Sen. cons.* 567 *num.* 5 *lib.* 3.

15. Non tamen comprehenduntur si sint majora expressis, *Bart.* et communiter alii , *in L.* 2 *ff de jurisdit. omn. judic., et in L. fin.* § *illo cod. de necessit. serv. haered. instit., Sylvan. cons.* 35 *sub n.* 48 *vers. et eo maxime,* est text. *in Clement.* 2 *de procurat., Alciat. cons.* 67 *n.* 21 *lib.* 8 *vers. non obstat, Mantic. d. tit.* 16 *n.* 25.

« Clausulae licet amplissimae in mandato appositae non possunt extendi « ad ea quae sunt majora expressis, *Rot. decis.* 748 *n.* 4 *par.* 3 *Recent.*

16. Comprehenduntur quoque ea quae veniunt in executionem actus mandati, *L. indebitam ff de condit. indebit., Riminal. jun. cons.* 341 *n.* 19 *lib* 4, qui dicit in dicta lege esse casum ad hoc.

« Quoties in mandato reperitur addita clausula « *occasione praedi-* « *ctorum* » demonstratur causa etiam remotissima ita ut restringi non « possit mandatum ad formaliter expressa, sed extendatur ad ea quae pro-

« veniunt occasione expressorum etiam remote, *Rot. decis.* 202 *n.* 18 *et* 19
« *par.* 12 *Recent.*

« Quod procedit etiam stantibus clausulis « *insuper et in aliis qui-*
« *buscumque etc.* », quae mandatum ampliant ultra loca et casus specifica-
« tos, et indicant constituentes ultra expressa novam potestatem velle su-
« biungere, *Rot. decis.* 680 *n.* 3 *part.* 2, *et decis.* 149 *n.* 11 *part.* 14
« *Recent.*

« Sicuti clausula « *ad faciendum omnia quae principalis facere pos-*
« *set, etiamsi mandatum magis speciale requirerent* », *Rot. decis.* 476 *n.* 5
« 6 *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

17. Comprehenduntur tandem, ut uno verbo multa complectar, non solum ea quae dominus constituens facere potest, sed etiam ea ad quae de jure vel de consuetudine compelli potest ut faciat, *Ruin. cons.* 116 *n.* 5 *lib.* 1, *et cons.* 93 *n.* 2 *lib.* 5, *Benintend. decis. Bonon.* 21 *n.* 2.

« Hinc mandatum procurae generale dicitur continere facultatem substi-
« tuendi, etiam si fuerit electa industria personae, *dec.* 813 *n.* 20 *par.* 18
« *tom.* 2 *Recent.*, quod etiam adnotatur *cap. XL ad num.* 39.

« Circa quaestionem an recte distrahatur cum eo cum quo contractum
« est, et an census bene extinguatur cum eo procuratore cum quo est
« constitutus, plures casus sunt distinguendi, quorum primus est ubi agitur
« de illo procuratore qui, principali praesente vel modica distantia absente,
« ad unum negocium explicandum deputatus est, puta, ad creandum censum,
« alia successiva facultate sibi non attributa; sive ubi ejus deputatio con-
« cernit nudum factum exactionis fructuum censuum allorumque redditiuum,
« et effectuum prout sunt illi quos vulgo dicimus « *exactores* », et isto
« casu ex hujusmodi facultate non infertur ad illam recipiendi sortem prin-
« cipalem, ac extinguendi censum. Alter casus est ubi quis, absque mandato
« redacto in scripturam, censum pro alio acquisivit, quia nempe habens sui
« principalis pecuniam in manibus, ex ejusdem commissione oretenus data
« in census acquisitionem eam investierit; tunc enim quia haec persona
« expresse a creditore approbata non fuit, neque suorum bonorum admini-
« strationi praeposita, dum non constat nec justificari potest actum gestum
« esse de praecedenti mandato quod solum ex ratihabitione desumitur, hinc
« proinde cessat illa praesumpta voluntas mandantis ex qua desumi solet
« quod illi cui commissus est contractus censeatur etiam commissus distra-
« ctus. Tertius demum casus est, ubi agitur de illo procuratore qui, prin-
« cipali longa distantia absente, omnia ejus negocia gerere, totumque patri-
« monium seu assem in loco possessum administrare solet, tam circa ea
« quae concernunt contractum vel distractum sortis, quam circa exactio-
« nem fructuum, ita ut talis mandati exercitium generalis institoriae, ac
« negociorum gestionem importare dicatur; et tunc cum hujusmodi pro-

« curatore recte census extinctionem fieri posse non est ambigendum, *Card.* « *de Luc. de censib. disc.* 24 *n.* 3.

18. Licet autem mandatum hoc generale ad supradicta et forte alia extendatur, non tamen est tam late interpretandum ut comprehendat ea quae exigunt mandatum speciale, *Jo. Petruc. de Montesperell. cons.* 163 *n.* 2, *Paseth. cons.* 200 *n.* 4, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 152, *Mantic. de tacit. d. tit.* 16 *n.* 20 *vers. quin imo.*

« Procurator ad negocia, habens a principali duo mandata, generale « scilicet et particulare, stipulando actum illum particularem censetur usum « fuisse mandato particulari non autem generali, *Rot. cor. Crispo decis.* 120 « *n.* 9 *tom.* 1.

« An vero mandatum generale procurae cum clausulis amplissimis tri- « buat facultatem praesentandi, sub dubitatione relinquitur a *Rot. decis.* 30 « *n.* 8 *par.* 19 *tom.* 1 *Recent.*

« Hinc mandatum quantumvis generale non intelligitur tribuere facul- « tatem donandi et remittendi, praecipue si in mandato sint exceptuata, « *decis.* 696 *n.* 4 *par.* 2 *Recent.*

19. Quamvis requirerent mandatum speciale legis, *L. qui proprio* § *item quaeritur ff de procurat., Celsus Hug. cons.* 7 *n.* 1 *vers. accedat.*

20. Exceptis tamen iis casibus in quibus speciale mandatum sub generali comprehendi dicemus infra *cap. LXVIII de mandato speciali.*

21. Proindeque non potest procurator vigore dicti mandati generalis, per clausulam constituti transferre possessionem, *Sim. de Praetis cons.* 204 *n.* 7 *lib.* 1.

22. Nec petere decretum super alienatione bonorum minoris, *Boccat. ad constit. March. Gloss.* 3 *n.* 36.

23. Nec explicare ea quae requiruntur pro forma, *Baccat. d. Gloss.* 3 *n.* 40.

24. Neque peragere ea quae sunt conditionalia, maxime si conditio consistat in facto, quae per alium impleri non potest, *L. fin. ff de cond. instit., L. statu libera* § *fin. ff de statu liber.*, et sine dubio quando ex tali facto non insurgeret aliquod factum permanens, *Gloss. fin. in L. Arethusa ff. de stat. homin.*, et ibi *Bart.* et alii, *Imol. in d. L. fin. ff de cond. instit.* Et multo minus si dicta conditio requireretur a statuto in explicatione ipsius actus, *Laderch. cons.* 8 *n.* 17 *lib.* 1.

25. Prout similiter non potest mutare ea quae domino constituenti placita fuerunt, *Rim. Sen. cons.* 193 *n.* 12 *lib.* 1, *et cons.* 348 *n.* 73 *lib.* 3, *Ruin. cons.* 196 *n.* 4 *lib.* 1, *et cons.* 87 *n.* 9 *lib.* 3, *Magon. decis. Lucens.* 25 *n.* 73, *Hector Felic. de societat. cap.* 35 *n.* 6.

26. Etiamsi esset procurator cum libera, *L. hominem ff mand., Bart. in L. ambitiosa n. . . . ff de decret. ab ord. faciend., Rim. Sen. d. cons.* 348 *n.* 17 *cum seqq., Gratian. discept. forens. cap.* 224 *n.* 21.

27. Praeterquam in casu quo emergeret aliqua nova causa quam constituens ignorabat, nec illam quando fecit mandatum potuit praevidere, *Ruin. cons.* 23 *n.* 12 *vers. nec obstat dum lib.* 1, *Hector Felic. de societat. cap.* 35 *n.* 6.

28. Vel nisi ex facto procuratoris fieret reditus ad jus commune, quasi tunc dicatur subesse causa justa mutandi ea quae constituens disposuerat, *Ruin. cons.* 116 *n.* 8 *vers. nec obstat lib.* 5.

29. Similiter non poterit facere actum domino praejudicialem et poenalem, *Grat. cons.* 99 *n.* 1 *lib.* 1, *Barz. decis.* 76 *n.* 13, *Seraph. de privileg. juram. privil.* 111 *n.* 11 *circa med.*, *Rot. decis.* 58 *n.* 1 *par.* 4 *divers.*, *et in Recentior. decis.* 95 *n.* 1, *et decis.* 696 *n.* 5 *par.* 2.

« Mandatum numquam extenditur ad actum laesivum mandantis, *Sa-* « *miniat. controv.* 33 *n.* 63 *lib.* 1.

« Regularitar mandatum procurae, quamtumvis generale, non compre- « hendit actus praejudiciales, et causam in qua privilegiis renunciatur, *Rot.* « *decis.* 39 *n.* 14 *par.* 8 *Recent.*

30. Scilicet circa non expressa in mandato, nam circa expressa videtur data facultas faciendi etiam praejudicialia domino, *Barz. decis.* 68 *n.* 14 *et* 21.

« Procurator ad negocia, et recognoscere scripturas, et testificari contra « ejus principalem indistincte tenetur, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 2 « *n.* 217.

31. Praeterea non poterit obligare bona mandantis, licet sit constitutus procurator ad alienandum, quia ad pignorandum bona requiritur mandatum speciale, *L. solutum* § *fin. ff de pignorat. action.*, *Ant. Negusantius tract. de pignorib. et hypothecis par.* 3 *membr.* 1 *n.* 36, quem sequitur *Caesar. Manent. decis.* 22 *n.* 37.

« Est tamen advertendum, quod generale mandatum procurae a patre confectum in personam filii, cum clausulis amplissimis, continere dicitur facultatem assecurandi dotem a filio receptam, etiam super bonis patris, *Rot. decis.* 436 *n.* 21 *et seqq. par.* 19 *tom.* 2 *Recent.*

32. Neque etiam in dicto mandato generali comprehenduntur iniqua, inhonesta et illicita, *Gloss. in L.* 3 § *si procurator*, *in verb. non solum*, in illis verbis *Item quia si ff quod quisq. jur.*, *Paseth. cons.* 46 *n.* 1, *Osasch. cons.* 64 *n.* 33, *Mandell. Alb. cons.* 376 *n.* 36 *lib.* 2, *Seraph. de privileg. juram. privil.* 117 *n.* 6.

« Clausulae licet amplissimae in mandato contentae, numquam possunt « extendi ad facultatem delinquendi et ad illicita, neque ad ea per quae « constituens in aliquam poenam incideret, *Rot. decis.* 292 *sub n.* 2 *par.* 4 « *tom.* 1, *decis.* 276 *n.* 13, *et decis.* 278 *n.* 29 *et* 30 *par.* 9 *tom.* 1 *Re-* « *cent.* Mandatum enim rei turpis et prohibitae est nullum, *decis.* 392 « *n.* 13 *et* 17 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

33. Etiam si mandatum esset factum a principe, *L. si procurator.*, et ibi *Scribentes ff de cond. indebit.*, per quem tex. *Franc. Viv. decis.* 339 *n.* 29 *lib.* 2, *Lap. alleg.* 127 *n.* 5 et ibi *Addent.*

34. Etiam si constituens jurasset non venire contra factum procuratoris, *Bald. in cap.* 1 *n.* 17 *in fin. extr. ut lit. non contest.*, *Jas. in d. L. si procurator n.* 4 *vers. secundo amplia.*

35. Nam juramentum debet restringi ad licita et honesta, *Gloss. in cap. non videtur data* § *qui jussu in verb. nec obstat quod jurent*, *de regul. jur. in* 6, *Mantic. d. tit.* 16 *n.* 18 *et seq.*

36. Neque etiam includuntur ea quae sunt insolita, *Decian. cons.* 73 *n.* 40 *lib.* 2, *Barz. decis.* 125 *n.* 19.

37. Neque ea quae mandans facere non posset, *Grat. cons.* 96 *n.* 5 *lib.* 1.

38. Neque ea quae dominus ignorabat, *Grat. d. cons.* 96 *n.* 9.

« Mandatum, licet amplissimis clausulis fulcitum, non extenditur ad ea « quae sunt ignota de tempore mandati, *Rot. decis.* 278 *n.* 31 *et seqq.* « *par.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

« Hinc mandatum ad certas res factum, intelligitur tantum de specificatis, « nec potest ad alia extendi, *decis.* 18 *n.* 2 *par.* 3, *decis.* 374 *n.* 24 *par.* 5 « *tom.* 1, *decis.* 73 *n.* 14, *decis.* 304 *n.* 9 *par.* 15, *et decis.* 64 *n.* 16 « *par.* 17 *Recent.*

« Et clausulae praedictae restringuntur ad expressas facultates in ipso « mandato contentas, nec extenduntur ad diversa et ad ea quae speciale « mandatum requirunt, *decis.* 13 *n.* 2 *par.* 4 *tom.* 1, *decis.* 145 *n.* 23 « *par.* 9 *tom.* 1, *decis.* 202 *n.* 16 *par.* 12, *decis.* 27 *n.* 14, *decis.* 394 « *n.* 8 *par.* 13, *et decis.* 75 *n.* 8 *par.* 15 *Recent.*

« Et non possunt extendi nisi ad ea quae sunt de natura actus, vel « ad ea quae caepta sunt exprimi, non autem ad ea quorum saltem prin- « cipium non est expressum, *decis.* 142 *n.* 4 *par.* 1 *Recent.*

« Quare concludendum est, clausulam « *cum libera* » et similes, appo- « sitas mandato procurae non ampliare mandatum ad alias causas, sed au- « gere potestatem procuratoris super speciali causa in mandato expressa, « *decis.* 754 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

39. Intelligendo de iis quae illi erant incognita etiam in genere, secus si essent incognita tantum in specie, *Grat. ibi n.* 20.

40. Nec ea quae constituens non fuisset in specie mandaturus, *Decian. cons.* 5 *n.* 36 *lib.* 5, *Cels. Hug. cons.* 7 *sub n.* 1.

41. Verum si procurator explicando actum commissum exequatur juxta formam mandati sibi facti, non posset constituens gestis per procuratorem contravenire, *Rot. Genuen. decis.* 173 *n.* 6.

42. Sed illa sunt tam ab ipso domino quam ab aliis, vel in totum ac-

ceptanda, vel in totum reprobanda, nec possunt scindi, ita ut pro parte acceptentur, et pro parte reprobentur, *Rot. Genuen. decis.* 64 *n.* 15, *et decis.* 67 *n.* 3.

43. Posset tamen dominus, si contraveniat, excusari sub praetextu quod ignoraverit ita fuisse gestum a procuratore, cum gesta per illum non praesumantur devenisse ad notitiam domini, *Natt. cons.* 630 *n.* 19 *lib.* 4, *Sim. de Praet. cons.* 30 *n.* 39 *lib.* 1, *Surd. cons.* 28 *n.* 102 *lib.* 1.

44. Nisi sit factum et negocium grave, de quo praesumitur quod procurator certiorem fecerit dominum, *Bertaz. cons. crim.* 270 *n.* 23 *et* 32, *et cons.* 405 *n.* 13 *lib.* 2, et nos alibi diximus.

CAPUT LXVII.

PROCURATOR AN PRAEJUDICET DOMINO, FACIENDO.

SUMMARIUM

1. *Procurator, faciendo, non potest domino praejudicare nisi habeat speciale mandatum.*
2. *Quod procedit tam respectu procuratoris ad lites, quam ad negocia.*
3. *Procurator ad lites non potest domino praejudicare paciscendo cum adversario in illius praejudicium.*
4. *Neque cum eo colludendo.*
5. *Colludens quibus poenis teneatur.*
6. *Quid sit collusio.*
7. *Dolus et malitia procuratoris domino nocere non debet.*
8. *Neque praejudicat renunciando exceptionibus domino competentibus.*
9. *Praesertim peremptoriis.*
10. *Ratio.*
11. *Dummodo renunciatio sit expressa, secus si tacita.*
12. *Et dummodo non habeat speciale mandatum ad renunciandum.*
13. *Ita non praejudicat renunciando juribus domino competentibus.*
14. *Vel appellationi etiam per ipsum interpositae.*
15. *Vel si compareat pro illo uti alicujus haerede.*
16. *Aut acceptando depositiones testium nulliter examinatorum absque speciali mandato.*
17. *Aut appellando a sententia nulla.*
18. *Aut redeundo ad judicem gravantem post appellationem interpositam.*

19. *Potest tamen praejudicare petendo ab eo debitum, qui fuit a domino liberatus cum pacto de amplius non petendo.*
20. *Maxime si illius debiti petitionem ei specialiter dominus mandasset.*
21. *Si tamen ipsam petitionem dominus ratam habeat.*
22. *Cauthela* Rebuff.
23. *Praejudicat quoque delinquendo circa causam post litem contestatam.*
24. *Contra dominum tamen non competit actio, sed exceptio.*
25. *Procurator succumbens in lite calumniosa est condemnandus in expensis, non vero dominus.*
26. *Procurator recipiens canonem ab emphytheuta post incursam caducitatem domino non praejudicat.*
27. *Nec faciendo temere expensas.*
28. *Neque excedendo fines mandati, quamvis dominus utatur ejus facto.*
29. *Neque in iis quae sunt magni praejudicii.*
30. *Vel in quibus requiritur speciale mandatum.*
31. *Praejudicat tamen in iis quae sunt modici praejudicii.*
32. *Ac etiam liberando debitorem mandantis.*
33. *Liberatio est magis favorabilis quam obligatio.*
34. *Veram liberationem debitor non consequitur nisi a procuratore habente speciale mandatum.*

1. In proposita dubitatione est firmanda conclusio negativa quod procurator faciendo non possit domino constituenti praejudicare, nec facere actus illi praejudiciales nisi habeat ad id speciale mandatum, *Surd. decis.* 181 *n.* 16.

« Procurator quamvis in committendo, domino praejudicare non valeat, « in omittendo tamen illi praejudicat, *Actolin. resol.* 70 *n.* 8.

« Procurator potest praejudicare principali in omittendo, non vero « in committendo absque speciali mandato, *Rot. cor. Crisp. decis.* 72 *n.* 9 « *tom.* 1.

« Procurator seu mandatarius sine speciali mandato non potest ejus « principali praejudicare suumque jus tollere per actum consistentem in « committendo, cum attendatur solum praejudicium resultans omittendo, « *Card. de Luc. de cambiis disc.* 29 *n.* 9.

2. Quam conclusionem procedere, tam respectu procuratoris ad lites et ad judicialia, quam respectu procuratoris ad negocia et extrajudicialia, ex infra dicendis apparebit.

3. In judicialibus quidem non potest procurator praejudicare suo principali paciscendo in illius praejudicium cum ejus adversario, *Rot. decis.* 512 *n.* 5 *par.* 1 *Recent.*

4. Et multo minus cum eo colludendo, *Paul. De Castr. cons.* 32 *n.* 4 *lib.* 2, *Beroius quaest.* 33 *n.* 6, *Plot. de in lit. jurand.* § 16 *n.* 5 est text. *in L. si procuratorem in princ. ff mandat., in L. eleganter* § *pen. ff de dolo*, *Bertazol. cons.* 407 *n.* 16 *lib.* 2 *crimin.*, *Franc. Vivius decis.* 296 *n.* 5.

5. Et colludendo tenetur non solum poena stellionatus, *Paseth. cons.* 77 *sub n.* 5, *Burs. cons.* 99 *n.* 21 *lib.* 1,

Sed etiam poena falsi, cum aliud agat, aliud simulet, *Natt. cons.* 53 *n.* 30 post quem et alios, *Bertazol. d. cons.* 407 *n.* 18, *et cons.* 457 *n.* 33.

Nec non poena etiam amissionis causae, *Bart. in L. in fraudem* § *quoties n.* 1 *ff de jure fisci*, *Jas. in L. Divus n.* 16 *ff de re judicat.*, *Burs. d. cons.* 99 *n.* 1 *lib.* 1 qui de communi.

6. Collusio autem est inter procuratorem et adversarium latens et fraudolenta conventio, *Socin. in rub. extr. de collusion. detegen.*, *Bertazol. cons.* 407 *n.* 17 *et seqq.*, *et cons.* 435 *n.* 32 *lib.* 2 *crimin.*

7. Dolus autem et malitia procuratoris mandanti nocere non debet, *Barz. decis.* 107 *n.* 7, *Aufrer. ad capell. Tholosan. decis.* 446 *n.* 7, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 86 *n.* 15.

8. Prout etiam non praejudicat domino, renunciando exceptionibus illi competentibus, *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 23 *lib.* 2, *Magon. decis Lucens.* 13 *n.* 25, *Calcan. cons.* 25 *n.* 15, *Dec. cons.* 402 *n.* 9 *circa med.*, *Bart. in L. fin. ff quae in fraud. credit.*

9. Maxime renunciando exceptionibus peremptoriis, *Bart. in L. si quis delegaverit n. . . . ff de novat.*

10. Reddunt rationem, quia ista renunciatio est species donationis, procurator autem absque speciali mandato donare non potest, ut dicemus infra *cap. LXXVI de mandato ad donandum.*

11. Quod tamen intelligendum est de expressa renunciatione, secus autem respectu tacitae, si procurator sinat labi tempus opponendi dictas exceptiones, absque eo quod illas opponat, juxta ea quae diximus supra *cap. LV.*

12. Vel si habeat mandatum speciale ad renunciandum dictis exceptionibus, *Scacc. de appell. quaest.* 17 *limit.* 2 *n.* 90 *vers. primus casus.* Hoc tamen casu insurgit domino praejudicium non ex facto procuratoris, sed ex proprio consensu, qui dedit procuratori mandatum speciale ad renunciandum.

13. Eadem ratione, quod renunciare est species donationis, non potest

procurator praejudicare mandanti, renunciando juribus illi competentibus, *Imol. in L. ab executore § fin. in fin. ff de appellat.*, *Marcabrun. cons.* 42 *num.* 5.

14. Prout etiam renunciando expresse appellationi etiam per semetipsum interpositae, *L. contra juris § fin. ff de pact.*, *Paris.* post alios *cons.* 108 *n.* 8 *lib.* 1.

15. Procurator similiter domino nullum praejudicium affert si compareat pro illo tamquam haerede alicujus, nam non propterea constituit illum haeredem, *Corn. cons.* 346 *n.* 8 *lib.* 1. Nam absurdum esset, quod ex hujusmodi comparitione mandans remaneret obligatus creditoribus haereditariis, ut considerat *Bursat. cons.* 443 *n.* 8 *lib.* 4.

« Procuratori destituto speciali mandato procurae nullomodo licitum « et permissum esse constat, ut in committendo possit principali damnum « irrogare, et praecipue in materia aditionis haereditatis, eumdem haere- « dem simplicem canonizando, *Rot. cor. Crispo decis.* 103 *n.* 9 *tom.* 1.

16. Prout etiam mandanti non praejudicat procurator acceptando depositiones testium nulliter examinatorum, si non habeat speciale mandatum, *Bertachin. in suo repert. in verb. procurator n.* 30.

17. Nec appellando a sententia nulla, quia licet per appellationem videatur ratificata sententia, *L.* 3 § *falsus ff rem rat. haber.* Quando tamen sententia est nulla ex defectu jurisditionis, vel alterius defectus existentis in ipsa sententia, per appellationem procuratoris non confirmatur in praejudicium domini constituentis, *Paris. cons.* 108 *n.* 46 *et* 49 *lib.* 4.

18. Nec similiter domino praejudicaret procurator redeundo ad judicem gravantem post appellationem interpositam, *Gratian. in addition. ad suas decis. March.*, *decis.* 144 *n.* 6.

19. Dantur tamen casus in quibus procurator ad lites potest domino praejudicare, puta si peteret debitum a debitore, quem dominus liberaverat, adjecto pacto de amplius non petendo. Nam dominus debebat denunciare procuratori ne ab illo peteret, *L. facere non oportere* 189 *in fin. ff de verb. signif. L. fidejussor.* 1 § 1 *ff mand.*, *Bart. in L. in illa* 2 *n* .... *ff de verb. oblig.*

20. Et multo magis petendo praejudicaret domino si constituens dedisset illi specialiter in mandatis, quod debitum illud peteret, *Alex. in d. L. in illa n.* .... *ff de verb. oblig.*, *Rebuff. in d. L. facere non oportere.*

21. Quod tamen procedit si dominus hanc petitionem ratam habeat, ut declarat *Rebuff. in d. L. facere non oportere.*

22. Ubi propterea admonet debitorem, ut eo casu curet citari dominum, et requiri ad declarandum an velit habere ratam dictam petitionem a procuratore factam, nam si ratam non habeat evitat poenae incursum, et

procurator tenetur nomine proprio ad impensas, dummodo faciat interim cessare judicium a procuratore incohatum, ut ibi dicit *Rebuff.*

23. Praejudicat etiam domino procurator delinquendo circa causam post litem contestatam, puta calumniando, *Ruin. cons.* 138 *n.* 35 *lib.* 5, *Capyc. decis.* 67 *n.* 3 *et seq.*

24. Hoc tamen delictum procuratoris in eo noceret domino, quia contra eum competeret exceptio, non autem ut detur contra dominum actio, ut declarat *Bart. in L. unic.* § *si procurator. n.* 4, et ibi alii communiter *ff si quis jus dicent. non obtemper.*

25. Et ideo secundum *Bartolum* si procurator egit litem calumniosam et succubuit, non potest dominus in expensis condemnari, sed procurator et pro expensis non contra dominum, sed contra procuratorem agendum erit, ut ex mente *Bart. dicit Ruin. d. cons.* 138 *n.* 35 *lib.* 5.

26. In extrajudicialibus pariter procurator non praejudicat mandanti, unde recipiendo canonem ab emphitheuta post incursam caducitatem non nocet domino quominus possit dictam caducitatem acceptare et declarare, *Surd. decis.* 221 *n.* 17.

27. Prout nec faciendo temere expensas, scilicet ob propriam ipsiusmet temeritatem, *Surd. cons.* 64 *lib.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 806 *n.* 6.

28. Nec etiam excedendo fines mandati, etiam quod dominus utatur facto quod gessit procurator, praesumitur enim quod facto illo ideo usus fuerit, quia credidit non aliter procuratorem contraxisse, quam esset illi mandatum, ut in simili comprobat *Bertaz. cons.* 47 *n.* 75 *et seq. lib.* 1.

29. Et generaliter procurator non praejudicat domino in iis quae sunt magni praejudicii, *Rim. Sen. cons.* 33 *n.* 40 *lib.* 1.

30. Nec in iis quae requirunt mandatum speciale, respectu quorum procurator nullum potest mandanti afferre praejudicium, ut dicemus infra *cap. XCIV de mandato ad faciendum actus domino praejudiciales*, ubi habentur alia exempla in quibus procurator, faciendo, non potest domino praejudicare.

31. Potest tamen in aliquibus procurator domino praejudicare, et maxime in iis quae sunt modici praejudicii, *L.* 3, cum ibi notatis, *cod. de procur., cap.* 1 *ad fin. extr. ut lite non contest*, per quae jura *Rim. sen. cons.* 173 *n.* 11 *lib.* 1.

32. Prout etiam liberando debitorem mandantis, *Burs. cons.* 193 *n.* 33 *lib.* 2.

33. Ea ratione quia liberatio est favorabilior quam sit obligatio, *Paul. de Castr. cons.* 24 *lib.* 2, *Natt. cons.* 543 *n.* 8.

34. Dummodo tamen habeat ad id mandatum speciale, cum alioquin debitor liberationem consequi non possit, ut dicetur infra *cap. ab hinc secundo*, (*LXIX*) *n.* 17 *vers. XIV ad liberandum debitorem.*

CAPUT LXVIII.

DE MANDATO SPECIALI.

SUMMARIUM

1. *Tertia species mandati, scilicet individuum et singulare.*
2. *Quomodo differat a speciali.*
3. *Speciale quando proprie factum dicatur.*
4. *In eo sufficit in genere exprimere causam ex qua requiritur.*
5. *Individuum quomodo fiat.*
6. *Singulare dicitur quod omnem a se pluralitatem excludit.*
7. *Auctor de utroque, scilicet tam de speciali, quam de individuo simul pertractat.*
8. *Mandatum speciale datur tacite et expresse.*
9. *Tacite, si mandatum generale sit juramento vallatum quod habet vim specialis expressionis.*
10. *Expresse, si in illo detur expressa facultas explicandi actum qui tale mandatum requirat.*
11. *Vel ubi sit tributa libera potestas vel administratio alicujus negocii.*
12. *Quamvis tale mandatum fiat ad lites.*
13. *Est efficacius mandatum generale cum libera, quam mandatum speciale pariter cum libera.*
14. *Istud censetur pariter datum; ubi in ipso casu speciale mandatum requirens fuerit expressus, et postea adjecta clausula* « et generaliter ad omnia et singula faciendum ».
15. *An ex dicta sola clausula inducatur mandatum speciale.*
16. *Intellectus* Bart. in L. procurator cui n. 3 ff de procur., *et in* L. creditor § Lucius pariter n. 3 ff mandat. *allatus* a Paul. de Castr. cons. 336 n. 4 lib. 1, *reïcitur.*
17. *Datum quoque intelligitur speciale mandatum ubi in generali excipitur aliquis casus qui idem speciale mandatum requirat.*
18. Rim. Jun. cons. 546 n. 16 lib. 6 *reprehenditur.*
19. *Exceptio in terminis mandati operatur ampliationem.*
20. *Ubi tamen esset inutilis vel inepta, nisi dictam ampliationem induceret.*
21. *Hujusmodi vero mandatum, licet ob praedictam exceptionem efficiatur speciale, haud tamen comprehendit omnes casus, sed tantum minores vel aequales expresso.*

22. *Neque comprehendit casus arduos et insolitos.*
23. *Nec illos ex quibus mandans posset incidere in poenam.*
24. *Nisi alter similis casus fuisset expressus.*
25. *Mandatum speciale habens aliquem terminum arctativum restringitur ad casus in eo expressos.*
26. *Mandatum dicitur speciale quoties valet referri ad casum mandatum.*
27. *Notarius habens facultatem adijciendi clausulas solitas et consuetas non potest illas apponere, quae speciale mandatum important.*
28. *Mandatum, licet verbis generalibus conceptum, censetur speciale si mandans unicam habeat causam nec aliam sit habiturus.*
29. *Generalis dispositio quae in una tantum se verificari valet, habetur pro singulari.*
30. *Exhaeredatio liberorum fieri debet expresse, nominatim et singulariter.*
31. *Valet tamen etiam non expresso nomine filii, si testator unicum habeat ad quem possit referri.*
32. *Generi derogatur per speciem.*
33. *Procurator habens speciale mandatum, generale habenti praefertur.*
34. *Delegatus ad certam causam praefertur delegato ad universitatem causarum.*
35. *Non praefertur tamen in casibus a mandante non praevisis in quibus a procuratore generali potest inhiberi.*
36. *Licet ubi requiritur speciale mandatum, generale non sufficiat.*

1. Diximus de mandato generali quae venerunt in mentem, sequitur, ut, juxta praemissum ordinem, de speciali disseramus. Et licet *Bald. cons.* 110 *col.* 2 *circa med. vers. praeterea iste procurator lib.* 1, et nonnulli alii quos retulimus *cap. II* adjungant tertiam speciem, scilicet mandatum individuum et singulare, distinguentes singulare a speciale;

2. Ita ut illa differant inter se ea proportione qua species differt a gerere et individuum a specie, uti in propriis terminis dicit *Jo. Petrucc. a Montesperell. cons.* 283 *n.* 4 *in fin., et n. seq.*, et nos diximus *d. cap. II.*

3. Asserentes mandatum speciale esse, quando in procuratorio exprimitur factum a procuratore explicandum, licet non exprimatur persona cum qua tale factum explicari debeat, nec causa ob quam debeat explicari,

puta si fiat mandatum ad donandum, vendendum, compromittendum, vel quid simile faciendum, ad quod exigatur mandatum speciale; non tamen exprimatur res quae donari vel vendi debeat, nec persona cui donandum vel vendendum sit, nec exprimatur causa super qua debeat fieri compromissum, *Alex. cons.* 189 *n.* 7 *vers. constat autem lib.* 7, *Bart. in L. filiusfam. n.* 9 *ff de donat.*, *Dec. cons.* 20 *n.* 4, *Vant. de nullit. in tit. de nullitat. ex defect. inhabilit. n.* 96, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 57 *et seqq.*, ubi testatur de communi, *lib.* 2, *et cons.* 546 *n.* 22 *cum seqq. lib.* 5, *et cons.* 615 *n.* 24 *lib.* 6, *Menoch. cons.* 260 *n.* 9 *lib.* 3, *Strozz. de vicar. episcop. lib.* 1 *quaest.* 65 *n.* 2.

4. Sufficit enim exprimi in genere causam quae requirit mandatum speciale favore mandantis, ut dicit *Bart. d. n.* 9, et alii mox allegati.

5. Individuum autem et singulare esse quando in procuratorio reperitur expressum non solum factum quod a procuratore est explicandum, sed etiam causa et persona ob quam et cum qua explicandum sit, ita ut mandatum illud non sit aptum comprehendere alium casum praeter specificatum in procuratorio; vide *Rot. decis.* 204 *n.* 2 *lib.* 6 *et Rol. a Valle cons.* 26 *lib.* 2 *n.* 2 *et seqq.* a quo plures afferuntur casus in quibus non sufficit speciale, sed requiritur individuum mandatum.

6. Cum singulare illud dicatur quod omnem pluralitatem a se excludit, *cap.* 1 *de nov. form. fidelitat. in usib. foeudal.*, per quem *Tex. Bald. in d. cons.* 110 *col.* 2 *vers. praeterea iste procurator lib.* 1, ubi concludit quod quando mandatum est aequivocum et potest interpraetari pluribus modis, non est singulare.

7. Ego tamen, omissa hac differentia inter mandatum speciale et singulare, cum Doctores hos terminos saepius promiscue usurpent, ut admonui supra *d. cap. II*, vel ad summum illa verificari possit dumtaxat in iis casibus in quibus propter subiectam materiam ad evitandum periculum, aut magnum praejudicium in mandato major et magis distincta expressio exigitur, ut non obscure colligitur ex *Bart. in d. L. filiusfam. n.* 9, et ibi *Alex. in addit. in verb. in aditione ff de donat.*, dum exemplificant in aditione haereditatis et in matrimonio; quae tamen major expressio non potest inducere specificam differentiam, ut diximus *d. cap. II* sub tractatu mandati specialis, singulare etiam et individuum compraehendam.

In hoc autem tractatu de mandato speciali duas inspectiones, duobus separatis et distinctis capitibus explicabo: in quarum prima agetur quomodo dicatur datum hoc mandatum speciale: in secunda quando et in quibus casibus requiratur: ubi multos casus referemus.

8. Mandatum itaque speciale datur non solum expresse, sed etiam tacite.

9. Tacite quidem, ut ab hoc initium faciam, si mandatum generale sit juris jurandi religione vallatum, atque munitum; nam cum juramentum

habeat vim specialis expressionis, ut multorum auctoritate firmat *Seraph. de privileg. juram. privil.* 26 *et* 70 utrobique *n.* 1, si mandato generali adijciatur juramentum, perinde videtur, ac si in procuratorio essent expressi et specificati casus requirentes mandatum speciale, ut late deducit *Seraph. d. tract. privil.* 111 *n.* 11 *circa princ.*

10. Expresse autem censetur datum mandatum speciale, non solum quando in procuratorio datur expressa facultas explicandi aliquem actum requirentem mandatum speciale, ut paulo supra ostendimus,

11. Sed etiam si procuratori detur libera potestas, vel libera administratio alicujus rei vel negocii, *cap. qui ad agendum in fin. de procur. in* 6, *Grat. cons.* 159 *n.* 7 *lib.* 2, *Ruin. cons.* 93 *n.* 6 *lib.* 5, *Surd. cons.* 1 *n.* 36 *lib.* 1, *Magon. decis. Lucens.* 51 *n.* 7, *Seraph. d. privil.* 111 *n.* 4 *ad med. vers. sed ego respondeo.*

« Mandatum efficitur generale ad omnes actus, nullo specialiter de-
« mandato negocio, nec aliqua praescripta lege, ex clausula *cum libera fa-*
« *cultate*, juncta clausula *rato*, et clausula *quod possit ea omnia face-*
« *re etc.*, *Rot. dec.* 428 *n.* 19 *par.* 5 *tom.* 2 *Recent.*, quod adnotatur
« etiam *cap.* 34 *ad n.* 3.

« Et aequipollet speciali mandato etiam ad effectum jurisditionis, *Rot.*
« *decis.* 36 *n.* 36 *et* 39 *par.* 10 *Recent.*

12. Etiamsi tale mandatum fiat ad lites et ad judicialia, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 13 *n.* 32, *Magon. d. decis. Lucens.* 51 *n.* 9.

13. Immo plus est habere mandatum generale *cum libera*, quam habere mandatum speciale *cum libera:* procurator enim specialis *cum libera* nihil potest ultra specificata in procuratorio, et ultra casus in quibus specialiter est constitutus, ut post alios dicit *Decian. cons.* 91 *n.* 33 *lib.* 3, et referunt *Addent. ad Magon. d. decis. Lucens.* 51 *n.* 7 *in litera B*, sed procurator habens mandatum generale cum libera potest gerere omnia quae speciale mandatum requirunt, quia tale mandatum aequiparatur speciali, ut dicunt omnes mox relati in *vers. sed etiam*, et nos dicemus *cap. CIX* dum *de mandato cum libera* pertractabimus.

« Mandatum speciale ad aliquem actum, eo perfecto, non valet ad
« eumdem actum rescindendum; secus si esset generale, *Card. de Luc. de*
« *regal. disc.* 125 *n.* 15.

14. Dicitur etiam datum mandatum speciale, si in mandato generali exprimatur aliquis casus requirens mandatum speciale, et post dictam expressionem adijciatur clausula generalis, *et generaliter ad omnia et singula faciendum, dicendum et exercendum, quae posset idem constituens, si praesens et personaliter interesset*, *Grat. cons.* 96 *n.* 16 *vers. et quod lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 61 *lib.* 2, *et cons.* 546 *n.* 8 *et* 9 *lib.* 5, *Mart. vot.* 12 *n.* 5, *Seraphin. d. privil.* 111 *n.* 11 *post med. vers. et propterea*, licet

ipse se fundare videatur in juramento per mandantem in instrumento mandati adhibito.

15. An autem sola clausula illa quod procurator possit *explicare omnia quae dominus si esset praesens posset explicare*, absque expressione alicujus casus requirentis mandatum speciale importet speciale mandatum, DD. inter se non conveniunt.

« Clausulam, *et generaliter ad omnia alia etiam majora expressis*, « aequipollere mandato speciali, firmatur per *Rot. in Valentina impressa* « *apud Garz. par.* 5 *cap.* 8 *n.* 72. Respondetur autem per *Card. de Luc.* « *de jure patronat. disc.* 28 *n.* 14, quod clausula generalis vel concessio « aliquarum rerum requirentium mentionem specialem ad id non sufficit; « allegando *decis.* 576 *par.* 1 *divers.*, et alias allegatas per *Addent. ad de-* « *cis.* 46 *n.* 74 *et* 75 *par.* 9 *Recent.*

« Clausula *et generaliter etc.* mandatum speciale in omnibus praeferfert « et tribuit procuratori facultatem explendi ea omnia quae posset consti- « tuens, *Rot. decis.* 463 *n.* 3 *par.* 4 *tom.* 1, *decis.* 15 *n.* 2, *decis.* 19 *n.* 9 « *par.* 13, *decis.* 543 *n.* 11 *par.* 18 *tom.* 2, *et decis.* 374 *n.* 21 *et* 22 « *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

16. Nam *Bartolus in L. procurator cui n.* 3 *ff de procur., et in L. creditor*, § *Lucius n.* 3 *vers. item not. ff mand.*, videtur amplexus partem affirmativam, dum dicit per illam clausulam intelligi concessam procuratori liberam administrationem, et consequenter mandatum speciale, ut supra diximus, et *Bartolum* sequuntur multi, quos refert *Seraphin. dicto privil.* 111 *n.* 11 *vers. quinimo dico*, *Surd. cons.* 1 *n.* 35 *vers. extat etiam et infra lib.* 1, *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 5 qui de communi testatur.

Contrariam tamen sententiam tenuerunt *Jas. in L.* 1 *n.* 24 *ff si quis in jus vocat. non ier.*, *Paul. de Castr. cons.* 336 *n.* 4 *lib.* 1, *Mantic. de tacit. lib.* 2 *tit.* 16 *n.* 34, et lata defendit *Beroius*, post multos quos congerit, *quaest.* 25 *n.* 5, ubi testatur de communi, asserens ab ea in judicando et consulendo non esse recedendum.

Et cum illa transit *Mantica d. n.* 34, etiam quod cum dicta clausula esset adjecta alia clausula, *etiamsi mandatum exigerent magis speciale*. *Paulus* tamen *de Castr. d. cons.* 336 *n.* 4, quem videtur sequi *Seraphin. d. vers. quinimo dico*, intelligunt *Bart.* ubi supra, ut loquatur quando in mandato generali fuit expressus aliquis casus requirens mandatum speciale, et deinde fuit adiecta clausula praefata, quod procurator possit facere ea quae posset mandans si esset praesens. Verum cum *Bart.* loquatur simpliciter intellectus iste *Paul. de Castr.* videtur sane divinativus.

17. Similiter diceretur datur mandatum speciale, si in mandato generali excipiatur aliquis casus requirens mandatum speciale, *Gemin. in cap. qui ad agendum* § 1 *de reg. jur. in* 6, cujus auctoritate *Rim. Sen. cons.*

214 *n.* 29 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 240 *n.* 16 *lib.* 3, *Crot. cons.* 71 *n.* 2, *et cons.* 136 *n.* 29 *lib.* 1, *Surd. cons.* 294 *n.* 19 *lib.* 2, *Rol. cons.* 12 *n.* 15 *lib.* 4, *Seraph. d. privileg.* 111 *n.* 6, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 29, 31 *et seqq.*, ubi testatur de communi, et respondet fundamentis eorum qui contrariam opinionem sunt amplexi.

« Mandatum intelligitur speciale, maxime cum praecesset expressio « casuum qui speciale mandatum requirebant, unde intelligitur tantum « exceptus dolus, ita ut culpa non obliget, cessante fraude, *Rot. decis.* 103 « *n.* 20 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

18. Unde non videtur fidendum de *Rim. Jun. cons.* 546 *n.* 16 *lib.* 6, dum dicit quod tunc per expressionem alicujus casus requirentis mandatum speciale, factam in mandato generali, intelligitur datum mandatum speciale quando casus ille fuit expressus permissive, secus si exprimatur exceptive: quod videtur confirmari per rationem quam ad aliud propositum considerat *Gozad. cons.* 82 *n.* 16, videlicet quod exceptio videtur facta ad diminutionem, non autem ad agendum *L. legata inutiliter ff de legat.* 1.

19. Quia in terminis mandati, exceptio solet etiam operari ampliationem et augmentum, et facere quod in mandato generali per exceptionem unius casus specialis censeatur datum mandatum speciale etiam in aliis casibus requirentibus tale mandatum, ut dicunt supra relati DD., quibus addi potest *Rim. Jun. cons.* 240 *n.* 16 *lib.* 3 sibi contrarius, et *Dec. in L.* 1 *num.* 25 *ff de reg. jur.*

20. Cum hac tamen declaratione, quod hoc procedat quando dicta exceptio redderetur inutilis vel inepta, si non staret ampliative et augmentative, ut declarat *Dec. d. L.* 1 *n.* 27 *et seqq.*, *et Seraph. d. privil.* 111 *n.* 7 *vers. tamen dico;* prout contingeret in casu proposito, ut deducit ibi *Seraph.*

21. Licet autem ob dictam expressionem etiam exceptive factam, mandatum illud dicatur comprehendere alios casus requirentes speciale mandatum, hoc tamen non est ita simpliciter et indistincte intelligendum ut comprehendat omnes casus, sed ut comprehendat dumtaxat minores vel ad summum aequales expresso, non autem majores, *Clem. non potest de procur.*, *Paris. cons.* 45 *n.* 39 *et seqq. lib.* 1, *Beroius cons.* 25 *n.* 13 *ad fin. lib.* 3, *et quaest.* 33 *n.* 11, *Barz. decis. Bonon.* 68 *n.* 18, *Jo. Petrucc. de Montesperell. cons.* 263 *n.* 4 *in fin.*, et infra.

22. Nec etiam comprehenderet casus arduos vel insolites, *Rot. coram Put. decis.* 524 *n.* 2, quae juxta ordinem emendationum est *decis.* 512 *n.* 2 *lib.* 2, *et decis.* 58 *n.* 1 *lib.* 3, juxta utramque impressionem.

23. Neque etiam illos ex quibus mandans posset cadere in poenam, *Beroius cons.* 25 *n.* 13 *lib.* 3.

24. Nisi in mandato esset expressus aliquis casus, per quem mandans

posset in poenam incurrere, ut subdit ibi *Beroius n.* 18 *vers. at si aliqui casus.*

25. Si autem tale mandatum haberet aliquem terminum arctativum et restrictivum, eo casu restringeretur dumtaxat ad casus in eo expressos, *Rot. decis.* 576 *n.* 2 *par.* 1 *Recent.*

26. Ad effectum autem ut dicatur datum mandatum speciale, non est habenda consideratio quibus verbis illud sit conceptum, sed dumtaxat quod referri possit ad illum casum, factum et negocium, quod mandatur, quamvis sit conceptum verbis generalibus aptis comprehendere plures causas, plures casus, vel plura negocia requirentia mandatum speciale.

27. Non tam sufficeret quod in instrumento procuratorii daretur facultas notario apponendi et adjiciendi clausulas solitas et consuetas, nam vigore dictae facultatis non posset apponere clausulas importantes mandatum speciale, *Rim. Jun. cons.* 199 *n.* 16 *lib.* 2, *Cagnol. in L. si qua illustris. n.* 26 *Cod. ad Orphician.*

28. Immo posset forte dici datum mandatum speciale licet verba procuratorii essent generalia, neque ad aliquam certam causam vel negocium relata, si eo tempore constituens unum tantum negocium et unam tantum causam haberet, et esset impossibile quod in futurum aliud negocium vel alia causa constituenti emergeret, quod videtur sentire *Paseth. cons.* 194 *n.* 15.

29. Nam generalis dispositio quae non potest verificari nisi in una re pro singulari habetur etiam in casibus in quibus nominatim et expresse quid specificari et exprimi debet.

30. Sicuti contingit in exhaeredatione filiorum, quae licet fieri debeat expresse, nominatim et singulariter, *L. maximum vitium* § *sancimus itaque cod. de liber. praeter.*,

31. Valet etiam si non exprimatur nomen filii qui exhaeredatur, sed exhaeredatio concipiatur per verbum appellativum filium meum exhaeredem facio, quando testatori unicus tantum extabat filius ad quem dicta exhaeredatio ita concepta referri posset, *L.* 2 *ff de liber. et posthum., instit. de exhaered. liber. in princ.*

32. Cum autem regulare sit quod in toto jure generi per speciem derogetur, *L. in toto jure ff de reg. jur., cap. generi eo tit. lib.* 6.

33. Procurator habens mandatum speciale ad aliquid peragendum circa negocium mandatum prefertur procuratori habenti mandatum generale, ut per multa jura dicit *Decian. cons.* 109 *n.* 19 *lib.* 2, *Franc. a Pont. cons.* 31 *n.* 22.

34. Prout etiam videmus in mandato jurisditionali, quod delegatus ad aliquam certam causam, in illa est superior et praefertur cuicumque judici ordinario vel delegato ad universitatem causarum, *cap. sane d.* 2 *extr. de*

offic. deleg., *Decius in rubr. extr. eo tit. n.* 4 *et seqq.*, cum aliis per *Seacc. de senten. et re judic.*, *Gloss.* 4 *quaest.* 6 *n.* 15.

35. Quod tamen non haberet locum respectu alicujus causae et casus a mandante non praevisi, sed ex improviso emergentis et supervenientis, in quo procurator generalis posset inhibere procuratori habenti speciale mandatum ad peragendum dictum negocium, *L. si hominem ff mand.*, *Port. Imol. cons.* 84 *n.* 24.

36. Quamvis ubi requiritur mandatum speciale, non sufficiat generale, *L. illud in fin. ff de minor.*, cum aliis apud *Simon. de Praetis cons.* 137 *n.* 135 *lib.* 1.

CAPUT LXIX.

MANDATUM SPECIALE QUANDO ET IN QUIBUS CASIBUS REQUIRATUR.

SUMMARIUM

1. *Ad cognoscendum ubi requiratur mandatum speciale*, *traditur Theorica* Bart. in L. filiusfamilias n. 11 ff de donat.
2. *Requiritur ad alienandum.*
3. *Ad donandum.*
4. *Ad remittendum et cedendum jura.*
5. *Ad dividendum.*
6. *Divisio est species alienationis.*
7. *Ad vendendum.*
8. *Ad praesentandum aliquem ad beneficium nomine patroni.*
9. *Hujusmodi praesentatio est donatio.*
10. *Ad resignandum beneficia.*
11. *Ad consentiendum reservationi et constitutioni pensionis.*
12. *Ad acceptandum sententiam nullam.*
13. *Ad emologandum et acceptandum laudum nullum.*
14. *Ad remittendum usuras.*
15. *Ad petendam excarcerationem debitoris sui domini.*
16. *Ad remittendum pignus.*
17. *Ad liberandum debitorem per acceptilationem.*
18. *Nec sufficit generale mandatum* cum libera.
19. *Ad compromittendum.*
20. *Ad prorogandum compromissum.*
21. *Ad offerendum principalem paratum solvere.*
22. *Ad repudiandam haereditatem.*

23. *Ad renunciandum fideicommisso.*
24. *Ad petendam deputationem aeconomi.*
25. *Ad praedictam deputationem faciendam.*
26. *Ad recognoscendam privatam scripturam.*
27. *Ad interveniendum in causis criminalibus.*
28. *Pro reparandis instrumentis vetustate corruptis.*
29. *Pro petenda laudi reductione ad arbitrium boni viri.*
30. *Pro petenda executione rei judicatae.*
31. *Fallit si non fuerit oppositum.*
32. *Fallit in procuratore generali ad lites praesentes et futuras.*
33. *Dummo ei directae actiones sint acquisitae.*
34. *Similiter speciale mandatum requiritur ad defendendum officialem in sindicatu.*
35. *Officialis potest in dicto judicio per procuratorem se defendere.*
36. *Sic quoque requiritur in instructione judicii de libero homine exhibendo.*
37. *Et ut alter ex duobus procuratoribus generalibus ab altero exigat.*
38. *Pro solutionibus recipiendis.*
39. *Ad offerendum campum pro singulari certamine.*
40. *Pro quocumque negocio arduo explicando.*
41. *Atque in eo ex quo diminuitur cultus divinus et Ecclesiae.*
42. *Ad exigendum.*
43. *Pro petenda executione obligationis cameralis.*
44. *Pro auctorizandis donationibus juris patronatus.*
45. *Ad petendam restitutionem in integrum.*
46. *Ad faciendum actus ex quibus mandans remanet obligatus.*
47. *Pro capiendis mutuo pecuniis, vel sub cambiis, vel ad societatem officii.*
48. *Pro acceptando beneficio Ecclesiastico.*
49. *Pro offerendo et suscipiendo quodcumque juramentum.*
50. *Ad ponendum.*
51. *Ad respondendum positionibus.*
52. *Ad emendum pro domino.*
53. *Ad faciendum instrumentum sub alia forma, quam esset a principali factum.*
54. *Ad petendum rescindi factum a domino.*
55. *Vel ad illud mutandum atque alterandum.*
56. *Pro contrahenda societate.*
57. *Pro ipsa revocanda et disdicenda.*
58. *Pro contrahenda societate officii.*

59. *Ad faciendum dominum in poenam incidere.*
60. *Ad impetrandum pro ea capturam.*
61. *Ad appellandum ab executione.*
62. *Pro possessione capienda.*
63. *Ad transigendum*
64. *Ad locandum.*
65. *In materiis et causis feudalibus.*
66. *Ad impetrandum feudum.*
67. *Ad illud concedendum.*
68. *Ad declarandum caducitatis incursum.*
69. *Ad petendam ejusdem caducitatis declarationem.*
70. *Ad remittendam caducitatem incursam.*
71. *Ad solvendum.*
72. *Ad contrahendum matrimonium etiam spirituale.*
73. *Pro faciendis actibus domino praejudicialibus.*
74. *Pro recipienda appellationis intimatione.*
75. *Ad producenda instrumenta vel testes falsos.*
76. *Ad declarandum an velit uti instrumentis et testibus pro veris.*
77. *Ad aliquem sua possessione spoliandum.*
78. *Ad paciscendum.*
79. *Ad faciendum actus ex quibus possit dominus infamia notari.*
80. *Ad abjurandum.*
81. *Ad allegandum judicem suspectum.*
82. *Pro opponenda excommunicationis exceptione.*
83. *Pro accusandis et arguendis testibus.*
84. *Pro injuriarum actione intentanda.*
85. *Pro criminibus objiciendis.*
86. *Pro faciendis consistentibus in animo.*
87. *Pro novo opere nunciando.*
88. *Ad declarandum libellum a domino productum.*
89. *Ad denunciandum et protestandum circa ea quae non possunt esse nota procuratori.*
90. *Pro facienda alterius nomine electione.*
91. *Ad petendum retractum.*
92. *Ad recipiendam illius oblationem.*
93. *Ad petendam cautionem de non offendendo.*
94. *Pro petenda absolutione.*
95. *Absolutio non datur nisi poenitenti.*
96. *Poenitentia et confessio non possunt fieri per alium.*
97. *Pro petenda remotione tutoris uti suspecti.*
98. *Hujusmodi judicium est quasi publicum.*

99. *Quod requiratur speciale mandatum ad excusandum tutorem accusatum uti suspectum.*
100. *Auctoris opinio.*
101. *Tutor ob remotionem efficitur infamis.*
102. *Est pariter necessarium mandatum speciale ad litigandum in Romana Curia.*
103. *Ad revocandum procuratorem a se substitutum.*
104. *Ad declarandum aliquem haeredem.*
105. *Pro adhcunda haereditate.*
106. *Pro petenda universalis fideicommissi restitutione.*
107. *Fideicommissi acquisitio factum requirit.*
108. *Ad confitendum bona esse fideicommisso, vel alteri oneri obnoxia.*
109. *Ad conficiendum inventarium pro haerede vel fideicommissario.*
110. *Pro petenda aetatis venia.*
111. *Pro petenda legitimatione et dispensatione super defectu natalium.*
112. *Quod tamen non servatur in practica.*
113. *Pro petenda dispensatione.*
114. *Pro offerendo credito ut creditor constituatur in mora.*
115. *Ad constituendum in mora non requiritur speciale mandatum.*
116. *Pro intimanda extrajudiciali appellatione.*
117. *Pro intimanda appellatione ab ipso procuratore interposita.*
118. *Secus si fuerit interposita a domino.*
119. *Ad protestandum et intimandum.*
120. *Pro denunciandà muliere praegnante.*
121. *Ad constituendum per interpellationem debitorem in mora.*
122. *Et mandatum ab initio est exhibendum.*
123. *Ad defendendum dominum in causa evictionis,*
124. *Nisi procurator compareat pro suo interesse.*
125. *Requiritur quoque mandatum speciale in causis spiritualibus.*
126. *Ad compenendum inter partes.*
127. *Ad impetrandum rescriptum.*
128. *Ad prorogandam jurisditionem.*
129. *Nisi habeat facultatem comparendi coram quocumque judice.*
130. *Prorogatio tamen fieri poterit de re ad rem, de loco ad locum, et de tempore ad tempus, non vero de persona ad personam.*

1. Sequitur ut juxta promissum ordinem dicamus quando et in quibus casibus requiratur mandatum speciale. In quo articulo reperio *Bart.*

in L. filiusfamilias n. 11 *ff de donat.* ad cognoscendum quando exigatur mandatum speciale, dare hanc theoricam, quod tunc sit necessarium quando opus est mandato principaliter, non favore ipsius mandantis, sed favore adversarii, qui dubitat ne mandans reversus dicat, se de negocio ita explicando prout explicatum fuit non intellexisse, et sic adversarius damnificatus existat et remaneat, et *Bart.* sequuntur *Anch.*, *Paul. de Castr. et Rom.* quos refert *Jas. in L. jusjurandum quod ex conventione n.* 4 *ff de jurejuran.*, *Rom. cons.* 241 *sub n.* 11 *post med.*, *Beroius quaest.* 35 *n.* 10, *Menoch. de arbitr. judic. casu* 315 *n.* 25, *Magon. decis. Lucens.* 51 *n.* 3.

Multi autem sunt casus in quibus tale mandatum est necessarium: aliquos recenset *Gloss. in cap. qui ad agendum*, *in verb. vel pacisci de procur. lib.* 6: alios addit. *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum*, *Franch. in d. cap. qui ad agendum* § *fin.*, *Specul. in tit. de procurat. in princ.*, *Joseph Ludovici in suis commun. conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32, *Camill. Borell. in summa decisionum cap.* 66 *a n.* 160, *et infra*, et alii plures quos infra suis locis referemus.

2. I. Itaque casus est *ad alienandum*, *L. mandato generali ff de procurat.* cum aliis late allegatis infra *cap. LXXVII de mandato ad alienandum.* Unde sequuntur plures alii casus.

3. II. Est *ad donandum*, *L. contra juris* § *si filius ff de pact.*, cum aliis relatis *cap. LXXVI.*

4. III. Est *ad remittendum et cedendum jura*, *L. filius familias in princ.*, et ibi *Bart. ff de donat.*, et nos alios congessimus infra *cap. LXXVII n.* 4 *et seqq.*

« Procurator, quamvis cum libera et amplissima facultate constitutus, « non potest aliquid facere unde inferatur ad remissionem jurium domino « competentium, *Actolin. resolut.* 48 *n.* 38, *et resolut.* 110 *n.* 34.

5. IV. Est *ad dividendum.*

6. Cum divisio sit species alienationis, *L.* 1 *cod. commun. utriusq. judic.*, *L. inter omnes*, *cod. de praed. minor.* cum aliis apud *Redoan. de reb. Eccles. non alienan. rubr.* 1 § *venit quoque divisio, per tot. fol. mihi* 4, et apud *Octavium Simoncellum de decret. tit.* 4. Ad faciendam divisionem requiritur speciale mandatum, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. quadragesimus septimus.*

7. V. Est *ad vendendum*, *L. procuratorem*, *cod. de procurat.* cum aliis congestis *cap. LXXVIII de mandato ad vendendum*, ubi hunc articulum late discutimus.

8. VI. Est *ad praesentandum* aliquem nomine patroni ad beneficium patronatum.

« Mandatum speciale requiritur ad praesentandum, *Thomat. decis.* 107 « *n.* 7 *par.* 1.

« Constitui non potest procurator ad praesentandum ad beneficium « vacaturum, quamvis dicatur pro quando vacabit, quamvis in vim dicti « mandati praesentatio fiat post vere sequutam vacationem; quae sane con- « clusio in eo fundatur, quia nimirum inter caetera valide praesentationis « requisita, enumeratur vacatio beneficii.

« Quod tamen intelligendum venit, quatenus agatur de mandato dato « ad praesentandam certam personam; secus autem ubi agatur de mandato « generali quod concedatur ad praesentandum in beneficio vel beneficiis, « quoties casus vacationis contigerit. Licet enim aliqui credant etiam isto « casu justam causam requiri, puta absentiae vel similis, attamen receptum « est etiam per praesentem fieri posse, quoniam sufficit ut non intret ratio « voti captandae mortis, cui innixa est dicta prohibitio praesentandi ad va- « caturum, seu ad constituendum ad id procuratorem: ideoque ista vide- « tur pariter quaestio facti pro istius qualitate decidenda, an adsit, nec ne « fraus, seu militet ratio cui dicta prohibitio innixa est, atque hunc finem « percutiunt distinctiones quae relatae habentur per *Addent. ad Gregor.* « *decis.* 420, *et ad Buratt. decis.* 22, *et decis.* 61. *et apud Lotter. de re be-* « *neficial. lib.* 2 *q.* 6, an scilicet agatur de mandato dato per habentem « jus praesentandi ad plura beneficia, vel ad unum tantum, cum similibus.

« Si vero constet patronum ex justa credulitate vacationis, et cum ejus « praesupposito dedisse mandatum ad praesentandum, tunc istud validum « remanet, atque, non data revocatione, post vere sequutam vacationem, « praesentatio ab isto procuratore facta valida erit.

« Cessat autem dicta prohibitio, ubi lex de ordinarii consensu in limi- « ne erectionis adjecta pariter disponeret ut supra, vel ubi ageretur de « mandato dato in limine erectionis, ut post quam ista sequuta esset fie- « ret praesentatio; tunc enim non esset dare mandatum ad beneficium per « alterius mortem vacaturum, unde cessat ratio prohibitionis; vel demum « ubi citra fraudem ac bono animo id sequatur, puta ubi imminens sit « vacatio, *Card. de Luc. de jur. patronat. disc.* 64 *n.* 34.

« Quo vero ad concursum praesentationum quarum una facta sit a pro- « curatore, et altera a domino, qui mandatum revocaverit; aut mandatum « non continet juratam obligationem de non revocando, et tunc nulla sup- « petit difficultas, quoties revocatio facta sit re integra, et dum res est in « fieri, ante scilicet admissam praesentationem per ordinarium, vel alterum « ad quem spectet institutio, quamvis revocatio ipsi procuratori notificata « non sit, dummodo innotescat ordinario vel Datariae officialibus cum illis « terminis generalibus quos habemus in materia beneficiali, occasione man- « dati quod datur ad resignandum, etiam circa expensas, juxta ea quae « habentur sub *titulo de Benefic. disc.* 38., quae reperies hic adnotata « *cap. CXV ad n.* 7 *et* 9.

« Si vero mandatum continet juratam promissionem non revocandi, « aut mandans adhibuit cautelam traditam per *Vivian. lib.* 5 *cap.* 6 *n.* 27, « obtinendi absolutionem a juramento, et pariter cessat omnis dubietas ut « principalis, non autem procuratoris praesentatio attendi ac praevalere de- « beat, si vero dicta cautela adhibita non est, et tunc quamvis ille subia- « ciat perjurio, adhuc tamen presentatio patroni praevalet, cum in hujus- « modi juribus spiritualibus, quemadmodum sine consensu ordinarii vel « alterius superioris non datur translatio vel alia dispositio juris patrona- « tus, ita alter actus irrevocabilis dari non debet, tum ob rationem frau- « dis quae simoniae fieri posset, et ne directe prohibitum, ita indirecte « sequatur; tum etiam ex magis generali ratione congrua non solum hu- « jusmodi juribus spiritualibus, sed etiam foeudis, officiis, locis montium, « aliisque juribus regalibus, in libero commercio sine alterius assensu non « existentibus, ut semper actus remaneat imperfectus, et consequenter re- « vocabilis, ac non obligatorius, usque quo superveniat assensus qui illum « perficit, ac animat et informat.

« Quatenus vero ignota revocatione tam procuratori, quam praesen- « tato, ac etiam ordinario acceptata sit praesentatio procuratoris cum sub- « sequuta institutione, tunc cadit dubitatio an in hac materia intrent ea « quae habemus in resignatione Beneficiorum Ecclesiasticorum, sive in ma- « trimonio, vel potius ea quae habemus in profanis indifferentibus, atque « probabilior videtur haec secunda pars, ne ordinarius ac praesentatus « eludantur, cum patronus nihil det spiritualitatis, quamvis actus pro spi- « rituali habeatur ad dictos alios effectus illum praesertim suspicionis si- « moniae. Adhuc tamen occasio non dedit particulariter id disputare, id- « circo maturius judicium reservo, *Card. de Luc. de jure patron. disc.* 62 « *n.* 13.

« Procurator autem praesentans debet exhibere mandatum intra tem- « pus a jure praescriptum, alias praesentatio est nulla. Quod tamen procedit « in praesentatione facta per procuratorem privati patroni absentis, vel « etiam praesentis, ita et taliter quod de ejus voluntate dubitari valeat, « secus autem ubi agitur de corporibus universalibus in quibus dari non « potest explicatio actus per seipsum, sed per necesse id faciendum est per « ministrum, ipso corpore in loco existente, a quo actus explicetur publice « et palam, adeo ut tamquam in actu habente speciem notorii, cadere non « valeat incertitudo voluntatis principalis, cujus ratione dicta conclusio in- « nixa est ad instar eorum quae habemus de necessitate incumbente dele- « gato exhibendi suam delegationem, ut valide procedat, quod cessat in « actibus qui fiant ipso delegante praesente, cum similibus, *Card. De Luc.* « *de jure patron. disc.* 31 *n.* 17.

9. Quia est donatio, unde opus est mandato speciali, *cap. dilecto extr.*

de testib., ubi *Felin. n.* 2 dicit esse casum singularem; nos dicemus infra *cap. LXXVII de mandato ad alienandum.*

10. VII. *Ad resignandum beneficia ecclesiastica* propter eamdem rationem, *cap. cum olim* § *quia vero extr. de offic. delegat.* de quo nobis sermo erit dicto *cap. LXXVII.*

11. VIII. Est *ad consentiendum reservationi et constitutioni pensionis* super beneficio ecclesiastico, *Burs. cons.* 395 *n.* 28 *lib.* 4, et nos dicto *cap. LXXVII.*

12. IX. Est *ad acceptandam sententiam nullam*, et nulliter latam contra suum principalem, *Ruin. cons.* 62 *n.* 27 *lib.* 5, *Jo. Franc. a Pont. cons.* 39 *n.* 18.

« Procurator non potest liti renunciare absque speciali mandato sui « principalis, *Rot. cor. Crispo decis.* 5 *n.* 4 *tom.* 1.

13. X. Est *ad omologandum et acceptandum laudum nullum, et invalidum*, *Bald. cons.* 138 *n.* 2 *lib.* 4, *Ruin. cons.* 14 *n.* 20 *lib.* 2, et nos dicemus infra *dicto cap. LXXVII in 4.ª illation.*

14. XI. *Ad remittendum usuras debitas suo principali*, *Bertazol. cons. crim.* 264 *n.* 19 *lib.* 2.

15. XII. *Ad petendum relaxari a carceribus debitorem alterius*, *L. Pomponius in princ. ff de procurat.*, per quem text. *Bart. cons.* 84 *n.* 1 *lib.* 1, *Alex. cons.* 133 *n.* 2 *lib.* 6, *Socin. Sen. cons.* 120 *n.* 6 *lib.* 1, *Cels. Hug. cons.* 123 *n.* 6 *vers. addo quod posito*, *Camill. Borell. in summa decis. cap.* 66 *n.* 186.

16. XIII. *Ad remittendum pignus, L. si consensit* § 1 *ff quib. mod. pign. vel hypot. solv.*, *Angel. Aretin. instit. de iis per quos agere possumus in princ. col.* 2 *n.* 4 *vers. quintus*, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. nonus.*

17. XIV. *Ad liberandum debitorem mandantis per acceptilationem*, *L.* 3 et ibi *Gloss. et Bart. n.* 1, *L. et per jusjurandum* § *tutor ff de acceptil.*, *Jas. in L. praeses n.* 14 *cod. de transact.*, *Caballin. d. n.* 4 *vers. decimus*, *Rot. Genuen. decis.* 200 *in fin.*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 236.

18. Ita ut non sufficiat mandatum generale cum libera, *Bart. in d. L.* 3 *n.* 1 *vers. alii dicunt*, *Beroius quaest.* 33 *n.* 5.

19. XV. *Ad compromittendum*, *cap. per tuas, et ibi Gloss. extr. de arbitr.*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 176, de quo dicemus infra *cap. LXXXIII de mandato ad compromittendum.*

« Et ratio potest afferri quia compromissum est sui natura laesivum, « et est species alienationis; quare nec minores compromittere valent absque « solemnitatibus in bonorum alienatione requisitis, *Actolin. resol.* 66 *n.* 27 « *et seq.*

20. XVI. *Ad prorogandum compromissum*, *Paris. cons.* 134 *n.* 16 *lib.* 4, et nos dicemus dicto *cap. LXXXIII.*

« Insuper speciale mandatum requiritur, quoties agitur de concedenda « arbitro facultate procedendi sine citationibus et absque aliquo juris or- « dine, atque etiam de obligando mandantem ad aliquam haud modicam « poenam, *Actolin. resol.* 66 *n.* 16.

21. XVII. *Ad offerendum principalem paratum solvere*, *Bald. in L. mandatum in* 4 *opposit. in fin. cod. mandat.*, *Paseth. cons.* 200 *n.* 3, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 220.

« Census disdicta facienda est principali creditori, vel ejus procuratori « speciali, *Card. de Luc. de censibus disc.* 24 *n.* 6.

22. XVIII. *Ad repudiandum haereditatem alicui delatam*, *Jas. in L.* 2 § *fin. n.* 20 *ff si cert. pet.*, *Calcan. cons.* 77 *n.* 9, *Rot. decis.* 495 *n.* 7 *par.* 1 *Recent.*

23. XIX. *Ad renunciandum fideicommisso suo principali debito*, *Bart. cons.* 72 *n.* 6 *in fin.*, *et n.* 7 *lib.* 1, sequitur *Riminal. Jun. cons.* 204 *n.* 57 *lib.* 2, asserens nihil melius allegari posse ad hoc.

24. XX. Et *ad petendum deputationem aeconomi*, *Rot. decis.* 1030 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

25. XXI. *Ad faciendum deputationem aeconomi*, *Rot. decis.* 865 *n.* 5 *vers. quod autem d. lib.* 3 *par.* 3 *divers.*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 207.

26. XXII. *Ad faciendam recognitionem privatae scripturae*, *Rebuff. de chirograph. recognit. in praefat. n.* 59, *Bertaz. cons. crimin.* 407 *n.* 7 *lib.* 2, *Joseph. Ludovic. in suis communib. conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers. octuagesimo sexto*, *Caballin. d. n.* 4 *vers. quadragesimus secundus*, *Rot. Lucen. divers. decis.* 11 *col.* 2 *vers. quibus tamen*, quae est repetita apud *Cornazan. decis. lucens.* 80 *n.* 3.

« Procurator absque speciali mandato domino non praejudicat, si pri- « vatam scripturam non solum tacite verum etiam expresse approbaverit, « *Actolin. resol.* 10 *n.* 30.

27. XXIII. *Ad interveniendum in causis criminalibus*, *Specul. in tit. de procurat. in princ. n.* 9, *Rot. cor. Mantic. decis.* 11 *n.* 3.

28. XXIV. *Ad reparanda instrumenta vetustate corrupta*, *Specul. ubi supra n.* 4 *vers. undecimo*, *Caballin. d. n.* 4 *vers. vigesimus septimus.*

29. XXV. *Ad petendum reductionem laudi ad arbitrium boni viri*, *Beroius cons.* 25 *n.* 1 *et* 2 *lib.* 3, quem sequitur *Magon. decis. lucens.* 51 *n.* 6.

30. XXVI. *Ad petendam executionem rei judicatae*, *Bart. in L. si procurator n.* 2 *ff de procurat.*, latius disseremus *cap. LXXXIV de mandato ad exigendum.*

31. Limitatur; si non opponatur, *Bart.*, quem alii sequuntur in *L. hoc jure n.* 6 *ff de solut.*

32. Limitatur secundo, in procuratore generali constituto ad lites praesentes et futuras, *Bart. d. n.* 2 *in L. si procurator ff de procurat.*

33. Dummodo huic procuratori sint acquisitae directae actiones, *Paul. de Castr. in d. L. hoc jure*, sequitur, *Rot. cor. Puteo decis.* 366 *n.* 1 *vers. tamen illud lib.* 1 *in correctis.*

34. XXVII. *Ad defendendum officialem in sindicatu, Specul. in d. princ. n.* 5 *in fin. vers. vigesimo tertio*, *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 4 *vers. vigesimoquarto.*

35. Licet illi non sit prohibitum se in dicto judicio per procuratorem defendere, *Gloss. magn. in L. in bonae fidei*, ibi, *finito officio cod. de jurejuran.*, quam refert et sequitur *Cataldinus in tract. de sindicatu n.* 40 *quaest.* 67.

36. XXVIII. *Ad instituendum judicium de libero homine exhibendo*, *L. Pomponius in princ.*, et ibi *Bart. ff de procurat. in princ.*, *Specul. in d. princ. n.* 4 *vers. quarto*, *Caballin. d. n.* 4 *vers. septimus.*

37. XXIX. *Ut unus ex duobus procuratoribus generalibus ab altero exigat*, *L. qui duos ff de procurat.*, *Specul. d. n.* 4 *vers. tertius*, *Caballin. d. n.* 4 *vers. octavus.*

38. XXX. *Ad recipiendum solutiones*, *Socin. jun. cons.* 22 *n.* 22 *lib.* 3, et nos dicemus infra *cap. LXXXIV de mandato ad exigendum.*

39. XXXI. *Ad offerendum campum pro singulari certamine*, *Paris. cons.* 31 *n.* 51 *et* 52 *lib.* 1.

40. XXXII. *Ad explicanda omnia negocia ardua*, *Caballin. d. n.* 4 *ad fin. vers. ultimo*, *Put. decis.* 53 *n.* 1 *lib.* 3.

41. XXXIII. Ob dictam rationem requiritur mandatum speciale etiam in eo *ex quo diminuitur cultus divinus et Ecclesiae*, *Put. d. decis.* 53 *sub n.* 1 *lib.* 3 *post Abb. et Gemin.* quos allegat.

42. XXXIV. *Ad exigendum*, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 139 *n.* 4 et ibi *Addent. n.* 7, *Borell. in summa decision. cap.* 66 *n.* 174, et nos explicabimus late infra *cap. LXXXIV de mandato ad exigendum.*

43. XXXV. *Ad petendam executionem obligationis cameralis*, *Galles.*, qui multa jura allegat, *de obligat. cameral. quaest.* 32 *n.* 7 juxta ordinem *Zacch.*, sequuta est *Rot. cor. Caesar. de Grassis decis.* 191 *quae est* 2 *de sentent. excommunicat.*

44. XXXVI. *Ad auctorizandum donationes juris patronatus*, *Rot. decis.* 576 *n.* 1 *par.* 1 *Recent.*

« Mandatum speciale requiritur in Vicario consentiente donationi vel « erectioni juris patronatus, *Card. De Luc. de jure patr. disc.* 28 *n.* 13, « *disc.* 55 *n.* 5, *disc.* 56 *n.* 8. Hujusmodi autem speciale mandatum quando

« et ex quibus praesumatur in vicario, tradit *id. Card. De Luc. de jure* « *patron. disc.* 28 *n.* 14 *et* 16, *et disc.* 55 *n.* 6.

« Episcopi vicarius jurispatronatus erectioni sine speciali mandato con- « sentire potest quando periculum est in mora, *Card. de Luc. de jure* « *patron. disc.* 28 *n.* 15, *disc.* 53 *n.* 6 *et disc.* 56 *n.* 9.

« Vicarius vero generalis praedictus sine speciali mandato praesentatio- « nem recipere ac praesentatum instituere valet; atque, sede vacante, ista « facultas residet in capitulo, seu vicario ab eo deputato, *Card. De Luc.* « *de jure patron. disc.* 64 *n.* 33.

45. XXXVII. *Ad petendam restitutionem in integrum, L. illud* § *fin. ff de minor., Borell. d. cap.* 66 *n.* 169, cum aliis congestis supra *cap. XLVIII de procuratore ad petendum restitutionem in integrum.*

46. XXXVIII. *Ad faciendum actus ex quibus mandans remanet obligatus, Bald. in L. mandatum in* 4 *opposit. in fin. cod. mandat., Paseth. cons.* 200 *n.* 3, de quo disseremus infra *cap. XCIII de mandato ad ea ex quibus dominus remanet obligatus.*

47. XXXIX. *Ad capiendum pecunias mutuo procuratorio nomine, vel sub cambiis, vel ad societatem officii, Rom. cons.* 94 *n.* 7 *vers. quoad secundum*, et nos dicemus *dicto cap. XCIII.*

48. XL. *Ad acceptandum beneficium ecclesiasticum, Burs. cons.* 395 *n.* 27 *lib.* 4, *Caballin. d. n.* 4 *vers. secundus, Rot. decis.* 14 *n.* 4 *par.* 2 *divers. post Covarruv. variar. resol. lib.* 3 *cap.* 16 *n.* 4.

49. XLI. *Ad offerendum et suscipiendum quodcumque juramentum, Specul. in tit. de procurat. in princ. n.* 4 *vers. sexto*, cum aliis quos supra adduximus *cap. IL* disserentes *de mandato ad jurandum.*

50. XLII. *Ad ponendum, Nevizan. cons.* 7 *n.* 12, *Rot. decis.* 779 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*, vide supra *cap. LII de mandato ad ponendum.*

51. XLIII. *Ad respondendum positionibus, Borell. d. cap.* 66 *n.* 210, late disseruimus dicto *cap. LII.*

52. XLIV. *Ad emendum pro domino, Rom. cons.* 461 *n.* 5 *ad fin. et n.* 6, cum aliis qui a nobis late adducentur infra *cap. LXXV de mandato ad emendum.*

53. XLV. *Ad faciendum instrumentum sub alia forma quam esset factum a principali, Rot. decis.* 676 *n.* 10 *par.* 2 *Recent., Borell. d. cap.* 66 *num.* 215.

54. XLVI. *Ad petendum et instandum rescindi id quod a domino factum erat, Bald. in L. unica in fin. cod. etiam per procur. caus. restit. in integr., et cons.* 118 *n.* 3 *lib.* 3, *Caldas in L. si curatorem in verb. implorandum n.* 5 *ad fin. cod. de restit. in integr., Joan. Franc. a Ponte cons.* 69 *n.* 21, *Rot. cor. Crescent. decis.* 94 *quae est* 4 *de sentent. et re judicat.*

55. XLVII. *Ad mutandum vel alterandum id quod fuit factum a prin-*

cipali, L. si hominem, et ibi *Bart. in Summ. et n.* 1 *ff mandat.* cum aliis per nos infra *cap. XC* relatis, ubi explicamus an procurator possit mutare factum a mandante.

56. XLVIII. *Ad contrahendam societatem, Purpur. cons.* 118 *num.* 3 *lib.* 1, et nos infra *cap. LXXXI de mandato ad contrahendam societatem.*

57. IL. *Ad revocandam et disdicendam societatem, Honded. cons.* 58 *n.* 25 *lib.* 1, et nos *dicto cap. LXXXI.*

58. L. *Ad contrahendam societatem officii, Boccat. de societ. offic. n.* 159, cum aliis a nobis relatis d. *cap. LXXXI.*

« In societate officii ad mutandum periculum vitae, quod sufficiat man-
« datum generale cum libera volunt *Felic. de societate cap.* 35 *n.* 22 *et*
« *Zacch. eod. tract. n.* 435; quod vero requiratur speciale, incidenter ac
« sine auctoritate dicit *Ridolphin.* in ejus *prax.* ut notat *Card. de Luc. de*
« *societ. offic. disc.* 7 *n.* 4.

59. LI. *Ad faciendum incidere dominum in poenam, L.* 3 § *si procurator ff quod quisque juris*, et nos late *cap. XCV de mandato circa ea ex quibus dominus potest incidere in poenam, Borell. d. cap.* 66 *n.* 193.

60. LII. *Ad impetrandum capturam nomine principalis, Soc. sen. cons.* 120 *col.* 3 *n.* 5 *vers. secundo quia, et n.* 7 *vers. et hanc opinionem lib.* 1, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 187, et per nos *d. cap. XCV.*

61. LIII. *Ad appellandum ab executione, Soc. sen. d. cons.* 120 *n.* 7 *lib.* 1, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 232, et nos *d. cap. XCV.*

62. LIV. *Ad capiendam possessionem, Surd. cons.* 160 *n.* 22 *lib.* 2 cum aliis cumulatis infra a nobis *cap. LXXXIX de mandato ad acquirendam possessionem.*

« Mandatum requiritur ad capiendam possessionem, *Rot. decis.* 306
« *n.* 24 *par.* 7 *Recent.*

63. LV. *Ad transigendum, L. mandato generali ff de procur., Borell. d. cap.* 66 *n.* 218, et per nos late infra *cap. LXXXII de mandato ad transigendum.*

64. LVI. *Ad locandum bona principalis, Carocc. de locat. in tit. de procur. quaest.* 1 *n.* 1, de quo videatur infra *cap. LXXX de mandato ad locandum.*

65. LVII. *In materiis foeudalibus et ad causas foeudales, Borell. d. cap.* 66 *n.* 198 unde succedit.

66. LVIII. *Ad impetrandum foeudum, Afflict. in cap.* 1 § *sed utrum n.* 1 *per quas personas fiat investit, Borell. d. cap.* 66 *n.* 200, cum aliis infra *cap. XCII de mandato circa foeudalia et emphitheutica.*

67. LIX. *Ad concedendum foeudum, Afflict. d.* § *sed utrum n.* 1, et nos *in d. cap. XCII.*

68. LX. *Ad declarandum incursum caducitatis, Decian. cons.* 4 *n.* 16 *lib.* 4, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 192, et per nos *d. cap. XCII.*

69. LXI. *Ad petendam declarationem caducitatis*, *Borell. d. cap.* 66 *num.* 209.

70. LXII. *Ad remittendam caducitatem incursam*, *Paris. cons.* 86 *n.* 17 *lib.* 4, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 218, per nos *d. cap. XCII.*

71. LXIII. Ad *solvendum*, late per nos infra *cap. LXXXVI de mandato ad solvendum.*

72. LXIV. *Ad contrahendum matrimonium etiam spirituale* propter periculum et rei gravitatem; *L. generali mandato ff de ritu nuptiar.*, et late videbimus infra *cap. LXXXVIII de mandato ad contrahendum matrimonium.*

73. LXV. *A faciendum actus domino praejudiciales*, *Franch. in cap. in generali n.* 2 *vers. trigesimo primo de reg. jur. in* 6., cum aliis per nos *cap. XCIV de mandato ad faciendum actus domino praejudiciales.*

74. LXVI. Ut procuratori fiat *intimatio appellationis* opus est ut habeat speciale mandatum, *Bellam. decis.* 580.

75. LXVII. *Ad producendum falsa instrumenta vel falsos testes*, *Rim. Jun. cons.* 297 *n.* 16 *lib.* 3, alii habentur infra *cap. XCIV de mandato ad faciendum actus domino praejudiciales.*

76. LXVIII. *Ad declarandum an velit uti instrumentis vel testibus pro veris*, *Borell. in summ. decision. cap.* 66 *n.* 226, et nos *d. cap. XCIV.*

77. LXIX. *Ad spoliandum aliquem sua possessione*, *Rot. coram Cavall. decis.* 501 *n.* 4.

« Mandatum speciale requiritur in Vicario ut procedat ad privationem « beneficiorum, *Card. de Luc. de benefic. disc.* 77 *n.* 14.

78. LXX. *Ad paciscendum* cum inimicis domini, et remittendum illis injurias, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 219, et nos *d. cap. XCIV.*

79. LXXI. *Ad faciendum actus ex quibus mandans possit notari infamia*, *L. non solum § fin. ff de procur.* cum aliis *in eod. cap. XCIV.*

80. LXXII. *Ad abjurandum constituentem de haeretica pravitate*, *Burs. cons.* 24 *n.* 27.

81. LXXIII. *Ad allegandum judicem suspectum*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 183, nos diximus supra *cap. XXXVI procurator ad lites an possit impetrare vel recusare judicem*, *vers. cum itaque.*

82. LXXIV. *Ad opponendum exceptionem excommunicationis*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 229.

« Quoties ad effectum effugiendi declaratoriam censurarum fit per pro« curatorem declaratio verbalis parendi ad hoc ut hujusmodi actus, et pa« ritionis promissio sit sufficiens, requiritur in dicto procuratore mandatum « speciale, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 40 *n.* 103 *vers. majores.*

83. LXXV. *Ad accusandum et arguendum testes de falso*, *Beroius cons.* 25 *n.* 11 *lib.* 3.

84. LXXVI. *Ad intentandam actionem injuriarum*, *Surd. decis.* 89 *n.* 19 *et* 20.

85. LXXVII. *Ad obijciendum crimina*, *Specul. in tit. de procur. in princ. sub n.* 12, et nos *d. cap. XCIV.*

86. LXXVIII. *Ad faciendum ea quae consistunt in animo*, *Alex. cons.* 78 *n.* 14 *lib.* 5, cum aliis a nobis relatis infra *cap. XCI de mandato ad ea quae consistunt in animo.*

87. LXXIX. *Ad nunciandum novum opus*, *Decian. cons.* 4 *n.* 16 *lib.* 4, cum aliis adductis in *d. cap. XCI.*

88. LXXX. *Ad declarandum libellum obscurum* productum a domino, *Alex. d. cons.* 78 *n.* 14 *vers. ideo libellum lib.* 5, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 217, et nos dicemus *cap. XCI.*

89. LXXXI. *Ad denunciandum et protestandum circa ea quae procuratori nota esse non possunt*, *Alex. d. cons.* 78 *n.* 14 *vers. Item specifice et n.* 15, *Rot. coram Caesare de Grass. decis.* 41 *quae est* 3 *de restitut. spol. n.* 3.

90. LXXXII. *Ad faciendum electionem nomine alterius*, *Fontanell. de pact. nuptial. tom.* 1 *clausul.* 4, *Gloss.* 10 *n.* 124 *cum aliis in d. cap. XCI.*

« Mandatum ad eligendum factum favore certae personae ante vaca-
« tionem sequutam est nullum, *Rot. decis.* 141 *n.* 7 *par.* 19 *tom.* 1
« *Recent.*

« Sive vacatio contingat per obitum, sive resignationem, *Rot. ibid.*
« *n.* 8.

« Etiamsi vacatio de proximo imminens esset de certo sequutura, *Rot.*
« *ibid. n.* 9.

« Debet igitur tale mandatum continere liberam facultatem eligendi,
« non autem restrictam ad certam personam, *Rot. ibid. n.* 16.

91. LXXXIII. *Ad petendum retractum*, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 10 *n.* 97, *Rot. decis.* 89 *n.* 2 *par.* 1. *Recent.*, *Rol. cons.* 26 *n.* 13 *lib.* 2, *Gratian. discept. forens. cap.* 957 *n.* 17.

92. LXXXIV. *Ad recipiendum oblationem retractus*, *Tiraq. d.* § 1 *Gloss.* 13 *n.* 31 *et* 33.

93. LXXXV. *Ad petendam cautionem de non offendendo*, *Guazzin. in tract. de caution. quaest.* 5 *n.* 3 *et quaest.* 18 *n.* 9.

94. LXXXVI. *Ad petendum absolutionem*, *Specul. in tit. de procur. in princ. n.* 5 *vers. decimo sexto*, *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 2 *vers. sexto de procur. in* 6, *Caballin. ad constitut. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. trigesimus nonus*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 182. In absolutione a juramento adeunda, *decis.* 204 *lib.* 6.

95. Absolutio enim non datur nisi poenitenti.

96. Poenitentia autem et confessio non possunt fieri per alium, *Specul. et Caballin. in locis citatis*, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 23.

97. LXXXVII. *Ad petendum removeri tutorem tamquam suspectum*, *L. non solum in fin. ff de procur.*, *Specul. in d. princ. n.* 4 *vers. secundus*, *Beroius cons.* 151 *n.* 19 *lib.* 1.

98. Hoc tamen videtur intelligendum non simpliciter et indistincte ad petendum removeri tutorem tamquam suspectum, quia cum hoc sit judicium quasi publicum, *L.* 1 § *consequens ff de suspect. tutor.*, § *consequens Instit. eod. tit.*, quilibet poterit hoc petere.

99. Sed potius ad excusandum et defendendum tutorem tamquam suspectum accusatum, per *Tex. in d. L. non solum* § *fin.*, secundum intellectum *Gloss. ibi* quae verbum *accusabitur in d. Tex.* appositum, legit *excusabitur*, et animadvertit *Borell. in d. cap.* 66 *n.* 168.

100. Mihi tamen placet opinio eorum qui requirunt speciale mandatum ad petendum removeri tutorem tamquam suspectum, propter rationem quam considerat *Beroius d. cons.* 151 *n.* 19.

101. Quia scilicet tutor ob remotionem afficitur infamia.

102. LXXXVIII. *Ad litigandum in Curia Romana*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 230.

103. LXXXIX. *Ad revocandum procuratorem a se substitutum*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 231.

104. XC. *Ad declarandum quem esse haeredem*, *Burs. cons.* 453 *n.* 9 *lib.* 4.

105. XCI. *Ad adeundam haereditatem* in casibus in quibus potest adiri per procuratorem, *L. si quis mihi bona* § *sed utrum*, et ibi *Gloss. in verb. specialiter ff de acquir. haered.*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 223, *et* nos infra *cap. XCI de mandato circa ea quae constituunt in animo.*

« Mandatum speciale requiritur pro aditione haereditatis, *Palma Nepos* « *decis.* 139 *n.* 34 *lib.* 2, *decis.* 142 *n.* 5 *lib.* 2, *et decis.* 143 *n.* 19 *pariter* « *lib.* 2.

« Mandatum pro adeunda haereditate, utpote explicandum super animi « declaratione, de jure non dubitatur esse debere speciale, *Card. de Luc.* « *de haered. et haeredit. disc.* 12 *sub n.* 4.

106. XCII. *Ad petendum restitui fideicommissum universale*, *Gloss. in d.* § *sed utrum*, *in verb. specialiter*, *Bart. in L. filiusfamilias n.* 11 *ff de donat.*, *Thesaur. decis.* 155 *n.* 2 cum aliis apud *Anguissol. cons.* 46 *n.* 3 *lib.* 2, *et Borell. d. cap.* 66 *n.* 225.

107. Cum enim acquisitio fideicommissi requirat factum, *Gloss. in L. si ita* § 1 *in verb. si evidens ff ad Trebell.*, nil obstat quominus a procuratore explicari possit, dummodo habeat mandatum speciale ad hoc.

108. XCIII. *Ad confitendum bona esse subiecta fideicommisso, vel alteri oneri obnoxia*, *Amat. decis. Ferrar.* 46 *n.* 51.

109. XCIV. *Ad conficiendum inventarium pro haerede vel fideicommissario universali*, *Jas. in L. fin. in princ. n.* 4 *vers. sexto quaero cod. de jur. deliberan.*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 222, et nos *d. cap. XCI.*

110. XCV. *Ad petendum veniam aetatis*, *L.* 2 § *foeminas cod. de iis qui veni. aetat. impetr.*, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. quadragesimus quartus.*

111. XCVI. *Ad petendam legitimationem et dispensationem super defectu natalium*, *Specul. in tit. de procur. in princ. n.* 5. *vers. vigesimo quarto*, *Beroius cons.* 5 *n.* 74 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 194 *n.* 14 *lib.* 2, *Cels. Hug. cons.* 73 *n.* 7 *in fin.*, *Caballin. d. verb. procuratorum n.* 4 *vers. vigesimus nonus.*

112. Qui tamen dicit non vidisse hoc servari in praxi, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 234.

113. XCVII. *Ad petendam dispensationem*, *Franch. in d. cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 4 *vers. vigesimosecundo de procur. lib.* 6, *Cels. Hug. cons.* 120 *n.* 66, *Caballin. d. n.* 4 *vers. vigesimus nonus.*

114. XCVIII. *Ad offerendum creditum*, *ut creditor constituatur in mora*, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 73 *n.* 33, *Gratian. discept. forens. cap.* 795 *n.* 8, *Rot. decis.* 493 *n.* 3 *in fin. par.* 1 *Recent.*

115. Licet ad constituendum in mora non sit necessarium mandatum speciale, *Rot. coram Gregorio XV decis.* 492 *n.* 20.

« Interpellatio creditori facta a procuratore, qui non docet de mandato « est nulla, *Thomat. decis.* 161 *n.* 22 *par.* 2.

« Quamvis ad interpellandum non requiratur speciale, sed sufficiat ge- « nerale mandatum, *Thomat. d. decis.* 161 *n.* 23 *par.* 2.

« Reus tamen non tenetur de eodem mandato excipere, quia ad acto- « rem spectat illud ostendere, *Thomat. ibid. n.* 24.

116. IC. *Ad intimandam appellationem extrajudicialem*, *Rot. decis.* 56 *lib.* 1 *par.* 3 *divers.*, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 233 *et n.* 235.

117. C. *Ad intimandum appellationem ab ipsomet procuratore interpositam.*

118. Secus quoad interpositam a domino, quam potest etiam intimare sine mandato, *Bellamer. decis.* 580.

119. CI. *Ad protestandum et intimandum*, *Gloss. in Clement. caussam verb. specialiter de election.*, cum aliis congestis per nos *cap. XCI.*

120. CII. *Ad denunciandum mulierem esse praegnantem*, *Gloss. in L.* 1 § 1, et ibi *Bart. n.* 1 *ff de liber. agnoscend.*, *Decian. cons.* 4 *sub n.* 14 *lib.* 4, *Caballin. d. n.* 4. *vers. vigesimus quintus.*

121. CIII. *Ad constituendum debitorem in mora per interpellationem,*

Bart. in L. si quis inficiatus n. 1 *ff depos., Sim. de Praet. cons.* 125 *n.* 29 *lib.* 1, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 218.

122. Debet tamen ab initio exhibere instrumentum mandati, ut dicemus *cap. CIII, mandatum quando sit producendum in judicialibus;* et quidem in forma probanti, *d. cap. in fin.*

123. CIV. *Ad defendendum in causa evictionis* eum cui lis fuit denunciata, *Caballin. d. n.* 4 *vers. trigesimus primus.*

124. Nisi procurator compareat pro suo interesse, qualis est procurator evictionis, *Bald. in L. evictionis n.* 5 *ff de solut., Fulgos. cons.* 185 *per tot., Caballin. de eviction.* § 3 *n.* 38 *in fin. et n.* 39.

125. CV. *In causis spiritualibus, Borell. in summa decisionum cap.* 66 *n.* 195.

« Ad comparendum autem in causis beneficialibus sufficit mandatum « licet simplex, *Rot. decis.* 599 *n.* 6 *par.* 4 *tom.* 3 *Recent.*

« Contra quod ad comparendum in causis beneficialibus requiratur « speciale mandatum, *Rot. decis.* 427 *n.* 4 *par.* 18, *tom.* 2 *Recent.*

126. CVI. *Ad componendum inter partes, Borell. d. cap.* 66 *n.* 208.

127. CVII. *Ad impetrandum rescriptum, Specul. in tit. de procur. in princ. n.* 4 *vers. octavo*, cum aliis per nos cumulatis supra *cap. XXXVI, Procurator ad lites an possit impetrare vel recusare judicem.*

128. CVIII. *Ad prorogandum jurisdictionem, Angel. Aret. in* § 1 *n.* 4 *vers. vigesimo quinto, Instit. de iis per quos ager. poss.*, refert *Barz. decis.* 154 *n.* 20, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 171, et nos diximus *d. cap. XXXVI n.* 11 *vers. similiter.*

129. Caeterum si habeat facultatem comparendi coram quocumque judice poterit prorogare, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. mand. n.* 102.

130. Quod tamen procedit, ut possit prorogare de re ad rem, de loco ad locum et de tempore ad tempus, secus autem de persona ad personam, *Paul. de Castr. in L.* 1 *n.* 15 *et* 17 *ff de judic., Guid. Pap. singul.* 962 *in cap. si procurator.*

CAPUT LXX.

DE MANDATO AD CONTRAHENDUM.

SUMMARIUM

1. *Procurator ad contrahendum nullum actum uti talis facere potest nisi habita notitia de mandato, illoque suscepto.*
2. *Et nisi docto de sua facultate.*

3. *Tenetur ulterius mandatum cum effectu exhibere.*
4. *Alias parti cum qua contrahit tenetur ad omnia damna et interesse.*
5. *Illamque indemnem conservare.*
6. *Procurator habens mandatum per publicum instrumentum, per publicum pariter instrumentum contrahere debet, non vero per scripturam privatam.*
7. *Nisi ista, in loco contractus, per statutum vel per consuetudinem habeatur pro publico instrumento.*
8. *Hujusmodi statutum adest in civitate Perusii.*
9. *Procurator ad contrahendum potest celebrare omnes contractus qui poterant fieri ab ipso constituente.*
10. *Potest vendere illius bona.*
11. *Venditio est proprie contractus.*
12. *Non potest tamen ad sui favorem obligare illum.*
13. *Et debet contrahere licite, et servatis servandis.*
14. *Mandatum numquam extenditur ad illicita.*
15. *Potest adiicere clausulas solitas in instrumento contractus.*
16. *Censetur procuratori data facultas faciendi consueta.*
17. *Mandatum recipit interpretationem a solito.*
18. *Potest juramento firmare contractum.*
19. *Quod de consuetudine solet in illis apponi.*
20. *Procurator absque speciali mandato non potest facere contractum ex quo dominus possit in poenam incidere.*
21. *Potest tamen absque illo adiicere in instrumento poenas in similibus apponi solitas.*
22. *In mandato generali censetur data facultas explicandi ea quae sunt solita et consueta.*
23. *Si vigeat consuetudo firmandi contractus cum camerali obligatione, poterit illius clausulam in instrumento apponere.*
24. *Secus si non adsit talis consuetudo.*
25. *Per dictam clausulam constituens strictius obligatur.*
26. *Illius vigore tollitur processus per tres conformes, et datur via executiva.*
27. *Et renunciatur omnibus exceptionibus.*
28. *Procurator potest facere meliorem, non deteriorem domini conditionem.*
29. *Potest vero illam apponere, si in mandato habeat facultatem sub ea dominum obligandi.*
30. *Procurator ad contrahendum non potest domini bona per specialem contractum obligare.*

31. *Aliud est contrahere, aliud constituere hypothecam.*
32. *Potest exequi consecutiva contractus ab eo gesti.*
33. *Potest ex ipso contractu recipere solutiones, licet id non habeat in mandato.*
34. *Potest agere in judicio contra debitorem ex eodem contractu praestita cautione de rato.*
35. *Contra quod hujusmodi cautio non sit necessaria.*
36. *Non potest renunciari dispositioni* L. si umquam cod. de revocand. donation.
37. *Contrahendo debet concipere verba in personam propriam non vero domini.*
38. *Per stipulationem ei acquiritur in cujus personam est illa concepta.*
39. *Actiones acquiruntur domino ex sola ratificatione absque ulla cessione.*
40. *Sive ratificatio sit expressa, sive tacita.*

1. Circa procuratorem constitutum ad contrahendum illud in primis est praenotandum, quod iste procurator non potest aliquem actum contrahendi procuratorio nomine facere, antequam de mandato notitiam habeat, et illud susceperit, *Alex. cons.* 58 *n.* 2 *lib.* 1, *Caesar Manent. decis.* 22 *n.* 24.

2. Et antequam de sua potestate et facultate doceat, *L. si uno* § *ubicumque in fin.*, et ibi *Alex. ad Bart. ff de locat.*, *Bart.* et communiter alii *in L.* 1 *cod. creditor eviction. pignor. non deber.*, cum aliis congestis a *Bertazol. cons.* 70 *n.* 13 *et cons.* 106 *n.* 30 *in civilib.*, *Riminal. Jun. cons.* 641 *n.* 72 *et seqq. lib.* 6.

« Hic autem potest animadverti quod procurae difformitas infert inde-
« terminatum consensum contrahentium, et nullitatem contractus, *Rot.*
« *decis.* 558 *n.* 6 *par.* 19 *tom.* 2 *Recent.*

3. Immo non sufficit quod doceat se esse legitimum procuratorem ad contractum illum peragendum, sed opus est ut suum mandatum cum effectu exhibeat, *Bart. in L. procurator qui pro evictione n.* 4, et ibi *Paul. De Castr. n. . . . ff de procurat.*, quos et alios citat *Mastrill. decis.* 179 *n.* 7 *et* 8 *lib.* 2, *Paris. cons.* 70 *n.* 37 *lib.* 1, *Bertazol. d. cons.* 70 *n.* 13 *et cons.* 106 *n.* 30.

4. Alias tenetur parti cum qua contrahit ad omnia damna et interesse, *d. L. si uno* § *ubicumque ff locat.*, *Alex. cons.* 136 *n.* 1 *lib.* 6.

5. Et tenetur eum qui secum contrahit indemnem conservare, *Socin. Sen. cons.* 29 *per tot. lib.* 3, *Natt. cons.* 462 *n.* 11 *lib.* 1, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mandat. n.* 67 *et seq.*

« Quamvis subscribens folium in albo, in quo nihil continetur non « remaneat obligatus, ut tradunt *Gail. de credit. cap.* 2 *tit.* 6 *n.* 1156, « *Rot. cor. Seraphin. decis.* 973 *n.* 1 *et seq.*, censentes in hoc casu necessariam esse in subscribente verisimilem notitiam eorum quae postea in « folio erant adnotanda, attamen secus est in subscribente mandatum procurae, in quo contineantur substantialia contractus, aliquibus tantummodo spatiis in eodem mandato relictis in albo, tunc enim vel praesumitur subscribentem scire ea quae in eisdem spatiis sint describenda, « vel censetur se remittere voluntati atque arbitrio procuratoris in replendis dictis spatiis scripturae, et in reliquis partibus contractus, *Rot. in « Mantiss. ad Card. de Luc. de credit. et debit. lib.* 8 *decis.* 23 *n.* 2 *cum « duobus sequentibus*, *et decis.* 24 *n.* 15 *et* 16 *tom.* 3.

6. Ista autem exhibitio mandati est necessaria, quia si procurator habeat mandatum per publicum instrumentum, non potest procuratorio nomine contrahere nisi per publicum instrumentum, nec recte contraheret per privatam scripturam, ut colligitur ex *Ancharan. cons.* 28, cui se subscripserunt *Calder.*, *et Franc. de Ramponis*, et sequitur *Decian. cons.* 22 *n.* 9 *et* 10 *lib.* 3.

7. Nisi contractus celebretur in loco in quo per statutum, vel consuetudinem scriptura privata habet vim publici instrumenti.

8. Prout simile statutum extat in civitate Perusina patria mea, *in rubr.* 14 *lib.* 2 *statutorum*, et ita hoc limitat *Decian. d. n.* 10.

9. Licet autem iste procurator constitutus ad contrahendum et faciendum quoscumque contractus possit celebrare et facere omnes contractus quos facere poterat ipse constituens, *L.* 1 *in fin. ff de procurat.*, *L. licet cod. eod. tit.*

10. Ita ut possit etiam vendere bona constituentis.

11. Cum venditio sit proprie contractus, ut per *Grat. cons.* 159 *n.* 4 *et seq. lib.* 2.

12. Non tamen potest obligare dominum ad sui favorem, *Surd. cons.* 4 *n.* 38 *et* 39, *Rot. decis.* 190 *n.* 1 post nostrum tractatum *de censibus*, et *Romana census* 17 *februarii* 1634 *coram Merlino.*

« In mandato dato ad contrahendum non venit persona ipsius mandatarii, nisi exprimatur ob suspicionem quod non bene negocium mandantis gerat, ut propriam utilitatem captet, ut pluries advertitur per *Card. « de Luc. sub tit. de cambiis*, praesertim *disc.* 12, ubi quod, dato mandato « accipiendi ad cambium a quibuscumque, non intelligitur data facultas accipiendi a se ipso, nisi expresse dicatur, idem *Card. de Luc. de haered. « et haeredit. disc.* 28 *n.* 8.

13. Debet tamen licite et servatis servandis contrahere, *Sim. de Praet. cons.* 36 *n.* 17 *et seq. lib.* 1.

14. Nam mandatum nunquam extenditur ad illicita, *L.* 3 § *si procurator ff quod quisq. jur.*, *L. si procurator*, et ibi late *Jas. n.* 4 qui multipliciter limitat *ff de condit. indeb.*, *Curt. Jun. cons.* 29 *n.* 11, *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 51 *n.* 5.

15. Contrahendo autem potest iste procurator in instrumento adiicere clausulas solitas et consuetas apponi, *Riminal. Jun. cons.* 29 *n.* 16 *et seq. lib.* 1.

« Procurator constitutus ad contrahendum potest apponere pacta quae « sunt de natura contractus, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de fidei-* « *commiss. lib.* 10 *decis.* 6 *n.* 13 *tom.* 2.

16. In quolibet enim mandato censetur procuratori data facultas faciendi ea quae sunt solita et consueta in loco contractus, *L. universorum ff de pignor. action.*, et nos alibi diximus.

17. Mandatum enim recipit interpretationem a solito, *Rot. Genuen. decis.* 174 *n.* 14, *Bertazol. cons. crim.* 333 *n.* 17, *et cons.* 465 *n.* 38, *et cons.* 469 *n.* 18 *lib.* 2, *Benvenut. Stracc. in tract. de mercatur. in tit. de mandat. n.* 41.

18. Ac proinde poterit etiam firmare contractum jurisjurandi religione.

19. Ex quo de consuetudine in contractibus juramentum solet apponi, *Ruin. cons.* 66 *n.* 5 *lib.* 4 *et cons.* 59 *n.* 23 *lib.* 5.

20. Et similiter licet procurator non possit absque speciali mandato facere contractum ex quo constituens possit incidere in poenam, *L. si procurator ff de condit. indeb.*, et nos dicemus infra in *cap. XCV:*

21. Potest tamen in contractu apponere poenas quae in similibus instrumentis apponi solent, non obstante quod suus principalis dictis poenis snbiiciatur, *Angel. in L. bene a Zenone per illum tex. n.* 1 *cod. de quadrienn. praescript., in L. mutus* § *is qui curatorem ff de procurat., in L.* 2 *ff de jurisdit. omn. judic.*, *Abb. in cap.* 2 *extr. de praecar.*, *Bart. in L. si procurator n.* 2 *ff de jure fisc.*, *Riminal. Jun. cons.* 29 *n.* 17 *lib.* 1, *Bertazol. cons. crimin.* 190 *n.* 14 *lib.* 2, *Jas. in L. si procurator n.* 17 *vers. septimo limita ff de condit. indeb.*, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 4, *Bald. in rubr. cod. de constitut. pecun. col.* 2 *vers. quaero an circa personam*, sequitur *Decius in L. si isti n.* 4 *ff si cert. petat.*, *Milanens. decis.* 20 *n.* 9 *lib.* 2, *Cur. jun. cons.* 147 *n.* 12, *Menoch. cons.* 37 *n.* 65 *lib.* 1, *Ruin. cons.* 66 *n.* 5 *lib.* 4 *et cons.* 59 *n.* 2 *lib.* 5.

22. Cujus dicti eam affert rationem *Grat. d. cons.* 159 *n.* 24 *lib.* 2, quia in mandato generali censetur data facultas explicandi ea quae sunt solita et consueta, ut supra dictum est.

23. Hinc si in loco ubi celebratur contractus extat consuetudo quod instrumenta fiant cum obligatione camerali, poterit procurator clausulam dictae obligationis in instrumento apponere, *Rot. in una Bononiensi census*

24 *Aprilis* 1600 *cor. Penia*, quae est *post Zacchiam de obligat. cameral. decis.* 57 *n.* 1.

24. Secus autem si in dicto loco non extet talis consuetudo, ut sentit ibi *Rot. d. n.* 1.

25. Nam ob dictam clausulam constituens strictius et efficacius obligaretur, *Galles. de obligat. cameral. quaest.* 28 *n.* 2, et ibi *Zacchias* pariter *n.* 2 *vers. sed efficacius*, ubi multos allegat, *Rot.* post dictum tract. *decis.* 17 *n.* 5, *et decis.* 77 *n.* 2.

26. Tum quia illius obligationis vigore tollitur processus per tres conformes et datur via executiva quae est gravior, ut considerat *Rot. d. decis.* 57 *n.* 6.

27. Tum quia per illam renunciatur omnibus exceptionibus, *Fabrius Turrettus cons.* 90 *n.* 11 *vers. secundo respondetur lib.* 1, *Put. decis.* 244 *n.* 6 *lib.* 3 *in correct.*, *Caesar de Grassis decis.* 148 *quae est* 3 *de solution. n.* 14, late *Zacchias ubi supra quaest.* 17 *n.* 1.

28. Procurator autem potest quidem facere meliorem conditionem sui principalis, non autem deteriorem, *L. si quis mihi* § *si mandaverit ff de acquir. haeredit.*, *Crescent. decis.* 8 *n.* 9 *de renunciat.*

29. Si autem in procuratorio fuisset procuratori data expresse facultas obligandi suum principalem etiam in forma Camerae, absque dubio clausulam illam posset in instrumento adiicere, ut innuit *Rot. d. decis.* 57 *in princ.*

30. Et cum iste procurator habeat mandatum ad contrahendum non potest bona mandantis per specialem contractum obligare et hypothecare,

31. Nam aliud est contrahere, aliud hypothecam constituere, *L.* 1 *cod. si res alien. pignor. data sit*, *Laderch. cons.* 90 *n.* 2 *lib.* 1.

32. Potest tamen exequi consecutiva et consequentia contractus quem gerit, *L. quicumque* § *si ei ff de institor. act.:* facit regula *L. ad rem mobilem*, *et L. seq. ff de procurat.*, *Socin. Jun. cons.* 27 *n.* 5 *lib.* 1.

33. Et proinde potest non solum recipere solutiones ex contractu quem celebravit, quamvis hoc non habeat in mandatis, *Dec.* et alii in *L. eum qui ita* § *qui sibi ff de verb. obligat.*, *Paul. De Castr. in L. quod servus ff depos.*, *Stracc. in d. tit. de mandat. n.* 24.

« Procurator deputatus ad contrahendum intelligitur etiam constitutus « ad recipiendam solutionem, *Saminiat. contr.* 32 *n.* 23 *lib.* 1.

« Item potest compensare quando compensatio intrat ipso jure, *Ibid.* « *num.* 25.

« Ratio est quia data ipso jure compensatione, procurator non tam « compensat in iis terminis, quam minus petit: deducit enim ex credito « quod debet suus principalis illi cum quo contrahit, cum quo medio non « excedit procurator limites mandati, sed pinguius et utilius pro suo prin-

« cipali exequitur, quod semper citra excessum facere licet mandatario, « *Idem Saminiat. ibid. n.* 26 *et* 27.

34. Sed potest etiam agere in judicio contra debitorem creatum ex contractu quem gessit, praestita tamen cautione de rato, *Paul. de Castr. in d. L. quod servus, Aret. in L.* 3 *col.* 2 *ff solut. matrim.*, et ita debet intelligi *Paul. de Castr. in L. procurator meus ff de procurat.*

35. Qui tamen contrarium voluit quoad necessitatem cavendi in *L. hoc jure ff de solut.*

36. Verum enim vero licet iste procurator habeat in mandatis facultatem conficiendi instrumenta cum poenis, obligationibus et renunciationibus etc., non tamen poterit renunciare dispositioni, *L. si unquam cod. de revocan. donat.*, *Oldrad. cons.* 95 *col.* 2, *Bald. in L. fin. in ultim. quaest. cod. de inoff. testam.*, *Rom. cons.* 169, *Tiraquel. ad d. L. si unquam in praefat. n.* 132 *vers. sed postremo.*

37. Procurator autem iste contrahendo debet concipere verba contractus non in personam domini, sed in personam propriam, *Paul. de Castr. in L.* 1 *sub n.* 1 *cod. de senten. interloc. omn. judic.*

« Contrahens cum adjecto, vel alio procuratore mandante, non dicitur « cum adjecto et procuratore negocium fecisse, sed cum ipso mandante, *Rot.* « *in Mantiss. ad Card. De Luc. de usuris lib.* 5. *decis.* 18 *n.* 10, *decis.* 19 « *n.* 1 *et decis.* 20 *n.* 3 *tom.* 1.

38. Ac proinde licet videatur dicendum quod sibi ipsi, non domino acquirat, cum per stipulationem illi acquiratur in cujus personam est concepta stipulatio, *Corn. cons.* 211 *n.* 4 *lib.* 4, *Gabr. cons.* 129 *n.* 8 *lib.* 1, *Magon. decis. Florent.* 57 *n.* 16;

39. Attamen actiones ex dicto contractu acquiruntur domino ex sola ratihabitione etiam absque cessione, *Abb. cons.* 86 *n.* 2 *lib.* 2.

40. Sive ratificatio sit expressa, sive tacita, *Corn. cons.* 263 *num.* 4 *lib.* 4.

CAPUT LXXI.

PROCURATOR MINORIS AN CONTRAHENDO DEBEAT ADHIBERE SOLEMNITATES REQUISITAS IN CONTRACTU MINORIS.

SUMMARIUM

1. *In tota pene Italia adsunt statuta quoad solemnitates in contractibus minorum et mulierum servandas.*
2. *Constitutio Aegidiana fuit ab initio promulgata pro sola provincia Marchiae, et postea per Paulum III ad totum statum Ecclesiasticum extensa.*

3. *Per mulieres vel minores constituentes procuratorem ad contrahendum, sunt adhibendae solemnitates requisitae in contractu pro quo constituitur procurator.*
4. *Nam faciendo mandatum consentiunt contractui.*
5. *Immo ipsimmet contrahere dicuntur.*
6. *Procurator ab iis constitutus potest facere omnes contractus qui possunt fieri a muliere vel minore absque tutoris auctoritate.*
7. *An ab ejusmodi procuratore in dictis contractibus sint servandae solemnitates requisitae in contractibus mulierum et minorum.*
8. *Duplex consideratur contractus.*
9. *Item duplex consideratur contractus.*
10. *Contractus recipit esse a persona mandantis.*
11. *Et mandans, non vero procurator, contrahere censetur.*
12. *Quod procurator teneatur adhibere praedictas solemnitates.*
13. *Ratio.*
14. *Contraria refertur opinio.*
15. *Allatae opiniones conciliantur cum distinctione.*
16. *Sequitur conciliatio allatarum opinionum.*

1. Quoniam per totam fere Italiam vigent statuta disponentia quod in contractibus minorum et mulierum debeant servari certae solemnitates; quod maxime servatur in Statu Ecclesiastico propter Constitutionem Aegidianam *lib.* 5 *rub.* 25.

2. Quae licet promulgata foret pro provincia Marchiae, fuit tamen per Paulum papam III non solum confirmata, sed etiam, per suas particulares literas in forma Brevis expeditas, ad totum Statum Ecclesiasticum extensa et servari mandata, *Corn. cons.* 159 *in fin. lib.* 3.

3. Quando mulieres vel minores constituunt procuratorem ad contrahendum, tenentur adhibere solemnitates quae sunt necessariae in explicando contractum ad quem fit mandatum, *Angel. et Corn. in L. apud Julianum* § *si pupillus in vers. sed dicebat, Bart. ff ex quibus caus. in possess. eat, Socin. sen. in L.* 1 § *item acquirimus n.* 11, et ibi *Jas. n.* 8 *ff de acquir. possess., Paris. cons.* 98 *n.* 4 *lib.* 1.

4. Quia qui facit mandatum ad contrahendum et alienandum non solum consentit contractui et alienationi,

5. Sed contractum et alienationem alterius ministerio ipsemet facere dicitur, unde eaedem solemnitates quae requiruntur in actu contrahendi vel alienandi per mulierem vel minorem, requiruntur etiam quando consentiunt contractui vel alienationi, ut plene cum sexcentis concordantibus tra-

dit, *Tiraquel. ad L. si unquam in verb. donatione largitus n.* 346 *cod. de revocand. donat. et de legib. connubial. Gloss.* 5 *n.* 143, merito quia dum procuratorem constituunt ad alienandum et contrahendum, non solum consentiunt alienationi et contractui, sed ipsimet contrahere et alienare dicuntur, tenentur servare solemnitates requisitas, ut praeter supra allegatos dicit *Oddus cons.* 51 *n.* 7 *et* 8 *lib.* 1.

6. Et successive cum procurator constitutus a muliere et a minore ad contrahendum possit omnes contractus celebrare quos potest ipsa mulier et minor absque tutoris auctoritate, *Gloss. in L.* 3 *in princ.* et ibi *Bart. n.* 1 *et Angel. et alii ff rem rat. haber., L. si unus* § *idem ait ff de injur., cap. ex parte*, et ibi *Abb.* et caeteri *extr. de restitut. spoliat.*, quod procedit etiam in aliis, *Tiraquell. de legib. connub. d. Gloss.* 5 *n.* 183.

7. Non incongrua cadit dubitatio: an si in constitutione talis procuratoris fuerint adhibitae solemnitates necessariae, procurator iste teneatur, dum contrahit, adhibere easdem solemnitates, an vero satis sit quod fuerint adhibitae quando ipse fuit procurator constitutus.

8. Pro cujus difficultatis resolutione advertendum esse existimo, quod in proposita factispecie duo interveniunt et explicantur contractus; unus quidem inter mandantem et mandatarium, qui est contractus mandati, et hujus respectu absque dubio sunt adhibendae solemnitates quae requiruntur in contractibus mulierum et minorum in loco ubi fit instrumentum mandati, et illas fuisse adhibitas praesupponitur.

9. Alter vero contractus fit inter procuratorem qui contrahit et eum cum quo contrahit.

10. Et cum iste contractus recipiat esse a persona mandantis, *Corn. cons.* 185 *n.* 10 *lib.* 2, quem sequitur *Tiraquel. de legib. connubial. Gloss.* 20 *n.* 6 *et seq., Carpan. ad statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 329 *n.* 519 *et seq.*

11. Quia non procurator sed mandans, mediante persona procuratoris, contrahere censetur, *Grat. cons.* 5 *n.* 10 *lib.* 1, *Surd. cons.* 19 *n.* . . . . *lib.* 1, *Rimin. Jun. cons.* 641 *n.* 14 *lib.* 6.

12. Ipse procurator tenetur adhibere in ipso contractu easdem solemnitates quae essent adhibendae ab ipsa muliere vel minore constituente procuratorem, si ipsemet contraheret, *Socin. Sen. in L.* 1 § *item acquirimus n.* 19, et ibi *Jas. n.* 18 *ff de acquir. possess.*; *idem Socin. cons.* 112 *lib.* 1, *Paris.*, qui multos allegat, *cons.* 98 *n.* 46 *et* 47 *et n.* 64, *et cons.* 99 *n.* 37 *et* 48 *lib.* 1, *Riminal. Jun. cons.* 467 *n.* 78 *lib.* 4. *Barz. decis.* 95 *n.* 4 *et* 5, *Odd. cons.* 51 *n.* 12 *lib.* 1.

13. Et ea maxime ratione, quia statutum et constitutio requirens dictas solemnitates censetur habere respectum ad res et bona dictarum personarum, potiusquam ad personas ipsarum, *Paris. d. cons.* 99 *n.* 76 *lib.* 1.

14. Verum quia non desunt qui contrariam sententiam amplectuntur,

videlicet quod procurator legitime constitutus possit absque dictis solemnitatibus valide contrahere, et signanter *Frideric. de Senis cons.* 100, *Jas. in d.* § *item acquirimus n.* 4, *Riminal. Sen. cons.* 178 *n.* 9 *lib.* 1, *Boccat. ad d. constit. March. Gloss.* 8 *n.* 15 *et seq.*, *Gratian. decis. March.* 45 *in addit. n.* 4, *Bertazol. de claus. instrum. claus.* 7 *Gloss.* 9 *vers. contrarium.*

15. Videtur satis aequa et juri consona distinctio, quam affert *Rota* post *Pic. ad statut. urb. decis.* 5 *n.* 11 *et* 12. Quod si mandatum fuit factum procuratori cum solemnitatibus requisitis et necessariis ad explicandum aliquem certum et specialem contractum, tunc non sit necesse quod procurator adhibeat solemnitates praefatas, *Rot. ibi n.* 11, et hanc opinionem in iis terminis sunt amplexi multi, quos congerit *Pic. ibid. Gloss.* 7 *n.* 133, *Barz. d. decis.* 95 *n.* 2 *et seqq.*, *Riminal. Sen. cons.* 178 *n.* 6 *lib.* 1, *Gratian. d. decis.* 45 *in addit. n.* 4 *et* 5.

16. Si vero mandatum sit generale ad contrahendum, nullo expresso et specificato contractu, tunc non possit procurator contrahere absque dictis solemnitatibus, quamvis illae adhibitae fuerint in constitutione procuratoris, ut concludit *Rot. d. decis.* 5 *n.* 12; et hanc distinctionem, post multos quos allegat, amplectitur etiam *Lamberteng. de contrac. cor. Gloss.* 20 *n.* 3 *et* 4.

« Procuratores mulierum easdem solemnitates servare tenentur quas « ipsae servare debuissent, si contraxissent, *Conciol. ad Statut. Eugubin.* « *lib.* 2 *rubr.* 45 *n.* 7.

« Nisi tamen procurator esset constitutus cum dictis solemnitatibus ad « contrahendum, cum sufficiat illas adhibitas fuisse in mandato, *Ibid. n.* 8.

« Sufficit vero fuisse adhibitas solemnitates loci ubi fuit factum man- « datum, non autem loci contractus, *Idem Conciol. ibid. d. n.* 8.

CAPUT LXXII.

PROCURATOR AD CONTRAHENDUM AN SI CONTRAHAT NULLA FACTA MENTIONE DE MANDATO CENSEATUR CONTRAHERE NOMINE PROPRIO.

SUMMARIUM

1. *Procurator constitutus ad explicandum certum contractum, censetur illum celebrasse uti procuratorem, licet contrahendo se talem non asseruerit.*
2. *Maxime si contraxerit incontinenti post acceptum mandatum.*
3. *Delictum non praesumitur.*
4. *Contra, si tantum habeat generale mandatum ad contrahendum.*

5. *Nisi ex conjecturis colligi possit quod non proprio, sed procuratorio nomine contrahere voluerit.*
6. *Veluti si contraxisset super re vel negocio ad dominum pertinente.*
7. *Contrahens cum procuratore habente mandatum ad contrahendum, si non habuit notitiam de tali mandato, censetur habuisse animum sibi tantum obligandi ipsum procuratorem.*
8. *Unde illum, non vero dominum poterit convenire.*
9. *Procurator contrahens uti talis, finito officio, non remanet obligatus.*
10. *Nisi fidem suam adstrinxerit pro observantia contractus.*
11. *Tunc enim tenetur uti fidejussor.*

Circa procuratorem constitutum ad contrahendum, de quo agimus, alia potest contingere dubitatio. An si contrahat simpliciter non exprimendo nomen procuratorium, et nulla facta mentione de officio, intelligatur contrahere proprio, an vero procuratorio nomine. In qua duos esse considerandos casus existimavi.

1. Primus est quando huic procuratori fuit factum mandatum ad explicandum certum ac specialem contractum, et in isto casu, licet procurator contrahendo non exprimat se contrahere procuratorio nomine, attamen illum non proprio nomine, sed tamquam procuratorem contraxisse concludunt DD, *Rimin. Sen. cons.* 86. *n.* 19 *lib.* 1, *Paris. cons.* 97 *n.* 79 *lib.* 1, *Decian. cons.* 52 *n.* 42 *lib.* 3, *Marta vot.* 103 *n.* 18, *Surd. decis.* 325 *n.* 8, *Magon. decis. Lucens.* 25 *n.* 66, *Surd. cons.* 19 *n.* 24 *lib.* 1.

« Procurator censetur facere actum tamquam procurator, licet hoc « non exprimat, quando praecessit mandatum, *Actolin. resol.* 43 *n.* 37.

2. Et absque dubio si contraheret incontinenti post acceptum mandatum, *Rimin. sen. d. cons.* 86 *n.* 20, et si aliter diceremus insurgeret praesumptio contra procuratorem quod non servasset fidem domino constituenti, et proinde graviter delinqueret.

3. Quod non debet praesumi: delictum enim non praesumitur, *L. merito ff pro socio*, per quam rationem ita concludit *Purpur. cons.* 498 *n.* 18 *lib.* 2, *Jas. in L. post dotem col.* 15 *circa secundum notabil. n.* 77 *ff solut. matrim.*

4. Secundus est casus, quando iste procurator non habet mandatum speciale ad expediendum aliquem certum et particulare contractum, sed dumtaxat generale ad contrahendum; in quo est facienda conclusio, quod potius proprio, quam procuratorio nomine contraxerit, *Bart. in L. qui in*

aliena § *si is qui putabat n. . . . ff de acquir. haered.*, quem et alios refert et sequitur *Surd. d. cons.* 19 *n.* 30 *lib.* 1.

5. Quae tamen conclusio non esset recipienda, si ex conjecturis colligi posset quod procurator voluerit contrahere non proprio, sed procuratorio nomine, *Surd. d. n.* 30 *vers. secundo respondet.*

6. Puta si contrahat super re et negocio pertinente ad dominum constituentem, tunc enim praesumendum esset non proprio nomine, sed constituentis voluisse contrahere, *L. fin. ff quand. ex fact. tutor.*, *Decian. cons.* 85 *n.* 18 *lib.* 5, *Surd.*, qui alios allegat, *d. cons.* 19 *n.* 33.

7. Sed circa propositum articulum duplex oritur dubitatio. Prima, an contrahens cum dicto procuratore habente mandatum ad contrahendum, acquirat actionem contra mandantem. In qua, breviter agendo, distinguendum esse censeo; an iste qui contraxit cum procuratore habuerit notitiam et scientiam de tali mandato, vel illud ignoravit; si enim non habuit notitiam, non potest considerari quod habuerit animum obligandi sibi alium quam ipsum procuratorem cum quo contraxit, prout potuisset habere, si de mandato notitiam et scientiam habuisset, *Gloss. in L. post mortem* § 1 *ff quand. ex fact. tutor.*, *Ruin. in L.* 1 § *nunciatio n.* 93 *ff de nov. oper. nunc.*

8. Et proinde licet quoad ipsum procuratorem contrahentem et mandantem oriatur actio mandati, respectu autem tertii qui cum ipso procuratore contrahit, ipse solus procurator remanet obligatus, et ipse et non dominus constituens potest ab illo tertio conveniri, *Surd. d. cons.* 19 *n.* 39 *in fin.*, *et n.* 40, *Laderch. Imol. cons.* 31 *n.* 10 *lib.* 1.

9. Secunda insurgit dubitatio; an iste procurator, procuratorio nomine contrahens, remaneat obligatus, finito officio; in qua est negative concludendum.

10. Nisi iste procurator fidem suam adstrinxerit pro observatione contractus, quo casu ejus obligatio durat, etiam post finitum officium, *L. procurator qui pro evictione*, in illis verbis, « *fidem suam adstrinxit* » *ff de procur.*, *Soc. Sen. cons.* 154 *n.* 6 *lib.* 1, *Boer. decis.* 273 *n.* 5 *et* 6.

11. Dum enim contrahendo fidem suam adstrinxit, finito officio tenetur tamquam fidejussor, *Soc. Jun. cons.* 27 *n.* 6 *lib.* 2. Sed quoniam ista secunda dubitatio requirit aliquam discussionem, illam ad *sequens cap.* reiiciendam censui.

CAPUT LXXIII.

PROCURATOR AN FINITO OFFICIO REMANEAT OBLIGATUS.

SUMMARIUM

1. *Procurator dicitur contrahere procuratorio nomine, quando officii nomen exprimit.*
2. *Licet illud exprimat tantum ab initio.*
3. *Et quamvis proprium ipsius procuratoris nomen inseratur.*
4. *Procurator contrahens procuratorio nomine, finito officio non remanet obligatus.*
5. *Non enim ipse, sed dominus dicitur contrahere.*
6. *Quando praecessit mandatum procurator, licet id non exprimat, semper censetur contrahere nomine constituentis.*
7. *Instrumenti verba in dubio semper ad procuratorium nomen sunt referenda.*
8. *Ampliatur principalis conclusio etiam ubi contractus conveniat tam mandanti quam mandatario.*
9. *Limitatur primo, si domini ratificationem promiserit; eo enim non ratificante, procurator tenetur ad interesse.*
10. *Limitatur secundo, si appareat contrahentem voluisse ipsum quoque procuratorem sibi obligare.*
11. *Limitatur tertio, si contrahat super negocio non solum ad dominum sed etiam ad ipsum spectante.*
12. *Limitatur quarto, si se obligavit de proprio.*
13. *Contraria refertur opinio.*
14. *Praedicta limitatio quando procedat.*
15. *Limitatur quinto, si celebret contractum ultro citroque obligatorium.*
16. *Quamvis ex ipso nullam sentiat utilitatem.*
17. *Si tamen conveniatur, habet regressum contra dominum.*
18. *Cui debet cedere actiones contra contrahentem.*
19. *Quid, si non possit a domino relevari.*
20. *Reiicitur allata limitatio.*
21. *Nostra interest litibus non implicari.*
22. *Ratio tollendarum litium publicam respicit utilitatem.*
23 *Lites execrari laudabile.*
24. *Melius est non solvere, quam solutum repetere.*
25. *Quando quis actiones cedendo liberetur.*

Dubitabamus ad finem praecedentis capitis: an procurator constitutus ad contrahendum, contrahens sub nomine officii, finito officio remaneat obligatus, et ibi conclusionem negativam firmavimus: verum quia illa eget pleniori discussione, de ea in praesenti capite esse particulariter agendum non incongruum existimavi.

1. Sed antequam ad rem ipsam accedamus, est in primis praenotandum, quod tunc procurator dicitur procuratorio et officii nomine contrahere, quando se officii nomine contrahere, et administrationis nomen exprimit, *Sylvan. cons.* 8 *n.* 3, *Surd. cons.* 19 *n.* 8 *lib.* 1.

2. Quamvis dumtaxat ab initio nomen illud exprimat, censetur enim eodem nomine prosequi, licet non exprimat, *Bald. in L. procurator qui pro evictione in fin. ff de procur.*, *Ruin. cons.* 94 *col. fin.* 2 *lib.* 1, *Rim. Sen. cons.* 71 *n.* 24 *lib.* 1, *Hyeronim. Gabr. cons.* 71 *n.* 2 *lib.* 1.

3. Licet proprium ipsiusmet procuratoris nomen inseratur, tam si nomen proprium procuratoris praecedat, quam si sequatur nomen officii, *Bart. in L.* 1 § *nunciatio. n.* 14, et ibi *Jas. n.* 4 *ff de nov. oper. nunc.*, et ibidem *Ruin. n.* 36 *et Alciat. n.* 23, *Laderch. Imol. cons.* 36 *n.* 8 *et* 29 *lib.* 1, *Magon. decis. Lucens.* 25 *n.* 53.

4. Hoc praemisso, in proposita dubitatione negativam conclusionem firmandam esse censeo, prout firmavimus ad finem praecedentis capitis, et praeter ibi allegata, probatur per *Tex. in L. fin.*, et ibi *Bart. n.* . . ., et alii communiter, *ff de exercitor. action.*, *Beroius cons.* 199 *in princ. lib.* 1, *Sylvan. d. cons.* 8 *n.* 1, qui testatur de communi, *Surd. d. cons.* 19 *n.* 11 *lib.* 1, *Mastrill. decis.* 179 *n.* 12 *lib.* 2, *Burs. cons.* 193 *n.* 41 *lib.* 2, *Paris. cons.* 78 *n.* 33 *et seq. et n.* 41 *lib.* 1, qui pariter de communi testatur, *Gabr. cons.* 77 *n.* . . . *lib.* 1, *Socin. Sen. cons.* 154 *in princ. lib.* 4, *Boer. decis.* 273 *n.* . . ., *Magon. d. decis. Lucens.* 25 *n.* 13.

5. Cujus conclusionis esse eam rationem dicit *Rim. Jun. cons.* 641 *n.* 18 *lib.* 6, quia non ipse procurator, sed dominus constituens censetur contrahere; nam factum a procuratore perinde reputatur ac si a constituente factum fuisset, *Bur. cons.* 110 *n.* 1 *lib.* 1, *et cons.* 193 *n.* 15 *lib.* 2, unde ipse constituens, non procurator, remanere debet obligatus, *Paris. d. cons.* 78 *n.* 33 *et seqq. lib.* 1.

« Hinc est quod, ubi agitur de contracta inito cum decocto, tamquam « alterius mandatario seu negociorum gestore, vel cum proxime decocturo, « tunc cessante in tertio contrahente collusione vel mala fide positiva, ille, « qui non mandatarii sed mandantis fidem sequutus est, eum habet obliga- « tum, quamvis mandatarius vel institor sit decoctus vel alias in malo statu, « contrahenti tamen ignoto, quia mandanti imputandum est, cur personae « minus idoneae mandatum dederit, ejusque statum diligentius non inqui-

« sierit; ideoque in aequali concursu ipsius mandantis et tertii, qui cum « mandatario contraxit, quamvis uterque da damno vitando ageret, melior « est conditio tertii, utpote magis innocentis quam mandantis culposi, « *Card. de Luc. de regal. disc.* 115 *n.* 12.

6. Vel potest esse ratio ea quam considerat *Purpur. cons.* 498 *n.* 17 *lib.* 2, quod quando praecessit mandatum, procurator faciens actum, semper censetur facere nomine constituentis, tametsi hoc non exprimat, *L. si servus communis sit omnium, in vers. fin. ff de stipulat. servor.*, *L. qui in aliena vers. si is qui putabat*, et ibi *Bart. n. . . . ff de acquir. haered.*, et proinde dominus ipse, non procurator debet obligari.

« Procurator licet id non exprimat, censetur uti talis facere actum « quoties praecessit mandatum, *Actolin. resolution.* 43 *n.* 37.

7. Pro qua conclusione potest etiam considerari alia ratio; quia in dubio, verba instrumenti sunt semper accipienda et restringenda, ut referantur dumtaxat ad nomen procuratorium, *Corn. cons.* 139 *n.* 6 *et* 9 *lib.* 4, et post eum *Laderch. cons.* 36 *n.* 13 *et* 14 *lib.* 1, ac propterea cum procurator nihil nomine proprio gerat, non est aequum ut pro facto constituentis ipse remaneat obligatus.

8. Quam conclusionem ampliat *Sylvan. d. cons.* 8 *n.* 2, ut procedat etiam si contractus qui geritur, conveniat utrique, videlicet tam mandanti quam procuratori et mandatario.

9. Limitatur primo etiam dicta conclusio, si procurator contrahendo promisit dominum fore ratificaturum gesta per ipsum; si dominus enim nolit ratificare, ipse procurator remanet obligatus ad interesse, *L. si sine ff rem. rat. haber.*, *Mynsinger. singular. observat. centur.* 1 *observat.* 75 *n.* 1.

10. Limitatur secundo, si appareat contrahentem cum tali procuratore voluisse etiam remanere sibi obligatum ipsum procuratorem, *Gabr. cons.* 71 *n.* 13 *lib.* 1.

11. Limitatur tertio, si iste procurator contrahat super negocio spectante non solum ad constituentem, sed etiam ad ipsummet procuratorem, nam ratione proprii interesse ipse quoque remaneret obligatus, *Ruin. cons.* 75 *n.* 15 *lib.* 5, *Gratian. decis. March.* 156 *n.* 4 *cum multis seqq.*

12. Limitatur quarto, quando procurator se obligavit de proprio, *Paris.* pro communi *cons.* 78 *n.* 41 *et seqq.*, *et* signanter *n.* 46 *lib.* 1, *Gabr. d. cons.* 71 *n.* 9 *lib.* 1, *Magon. decis. Lucens.* 25 *n.* 51, *Bertaz. cons. criminal.* 490 *n.* 1 *lib.* 2.

13. Contrarium tamen in hac limitatione voluit *Bald. cons.* 2 *n. . . . lib.* 5, *Decius cons.* 510 *n.* 1, post quos, et alios *Laderch. Imol. cons.* 36 *n.* 11.

14. Limitatio tamen posset procedere, quando procurator obligasset non

solum semetipsum, sed etiam suos haeredes, *Rim. Sen. cons.* 157 *n.* 2 *et seq. lib.* 1, *Laderch. d. cons.* 36 *n.* 11, et videtur sentire *Purpur. cons.* 440 *n.* 17.

15. Limitatur quinto, si talis procurator gerat contractum ultro citroque obligatorium, quia cum ex illo ipsi procuratori acquiratur saltem actio directa, remanet obligatus non solum dominus, sed etiam ipse procurator contrahens, *Ruin. cons.* 94 *n.* 8 *lib.* . . , *Bart. in L. procurator qui pro evictione n.* . . . *ff de procur.*, *Gabr. d. cons.* 71 *n.* 1 *vers. tertia lib.* 1.

« Procurator contrahendo cum mandato invalido, remanet ipse obli-
« gatus; dummodo tamen ille cum quo contrahit ignoret invaliditatem
« mandati procurae, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de credit. et de-*
« *bit. lib.* 8 *decis.* 22 *n.* 2 *et* 3 *tom.* 3.

16. Quam limitationem procedere etiam si iste procurator ex tali contractu nullam sentiat utilitatem dicit *Gabr. d. cons.* 71 *n.* 3 *vers. nec vero*, quia nec etiam patitur damnum ex illo.

17. Si enim ex tali contractu conveniatur, habet regressum contra dominum, ut dicit *Ruin. d. cons.* 94 *n.* 7, *et Gabr. d. cons.* 71 *sub n.* 7.

18. Eo tamen casu cedere teneretur domino actiones contra contrahentem, *L. idemque* § *si cui mandavero*, *L. qui mandatum*, *L. si mandato Titii ff mand.* per quae jure, *Rot. Genuens. decis.* 137 *n.* 3.

19. Et quatenus a domino non posset relevari, quia forte non est solvendo, poterit se contra contrahentem qui eum convenit tueri exceptione, *Gabr.* post alios *d. cons.* 71 *n.* 7 *et* 14, vel saltem cedendo illi actionem contra dominum, ut voluit *Bart. in d. L. procurator qui pro evictione n.* . . . *ff de procur.*, quem sequitur *Ruin. d. cons.* 94 *n.* . . ., *Laderch. d. cons.* 36 *n.* 15 *in fin. et* 16.

20. Verum haec limitatio non placuit *Paris. cons.* 78 *n.* 43, *et seq. lib.* 1, nec *Laderch. d. cons.* 36 *n.* 2 *in princ.*, *et n.* 15 *vers. haec cum ita sint*, qui multos allegat; et illam late reprobat *Sylvan. cons.* 7 *n.* 7, ubi testatur contra illam esse communem scribentium sententiam.

21. Nec videntur urgere rationes supra pro limitatione consideratae. Nam ad primam, quod procurator habeat regressum contra dominum, non videtur admodum considerabilis, cum nostra intersit non implicari litibus, *L. minor vigintiquinque annis ff de minor.*, *Corn. cons.* 261 *n.* 9 *in fin. lib.* 3, *et cons.* 385 *n.* 10 *in fin. lib.* . . , *Crav. cons.* 979 *n.* 6 *in fin. lib.* 5.

22. Et ratio tollendarum litium respicit publicam utilitatem, *L. properandum in princ. cod. de judic.*, *L.* 2 *cod. de tempor. appellat.*

23. Et laudabile est lites execrari, *L. item si nos* § *fin. ff de alienat. mutan. judic. fact.*, *Purpur. cons.* 433 *n.* 17 *lib.* 2, *Pancirol. cons.* 56 *n.* 15.

24. Praeterea melius est non solvere quam solutum repetere, *L. 3 ff de compens.*, *L. si stipulatus in princ. ff de fidejuss.*, *Crav. d. cons.* 979 *n.* 7.

25. Secunda quoque decessione jurium contra dominum non placet *Fulgos. et Paul. de Castr. in d. L. procurator qui pro evictione*, ea ratione quia tunc liberatur quis cedendo actionem, quando cum actore non contraxit, nec alia ratione est obligatus, nisi quia actionem habet, *L. quod debetur ff de pecul.*, *Gloss. in L. 2 § idem Nerva ff ne quid in loco public.* Iste autem procurator non tenetur dumtaxat eo nomine, quod actionem habeat (cum illam saltem utilem habeat etiam dominus absque cessione, *L. Julianus § si procurator ff de evict.*) sed tenetur etiam quia contraxit merito.

CAPUT LXXIV.

DE MANDATO AD FIDEJUBENDUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad fidejubendum dari potest.*
2. *Mandatum quorum gratia contrahatur.*
3. *Fidejussori quot modis fieri valeat.*
4. *Ut obligatio sit valida, fidejussor se debet obligare mediante stipulatione.*
5. *Etiam de jure canonico.*
6. *Excepta causa dotis.*
7. *Et favore piae causae.*
8. *Sufficit tamen stipulatio tacita.*
9. *Veluti si quis patiatur se scribi pro fidejussore.*
10. *Vel si alter pro altero qui sit praesens, etiam absque expresso illius mandato, fidejubeat.*
11. *Nam patiendo videtur mandare.*
12. *Quatuor tamen casus excipiuntur.*
13. *Mandatum tam ex parte mandantis quam mandatarii debet esse gratuitum.*
14. *Fidejussor tamen pro fidejussione facienda emolumentum et pecunias pacisci atque recipere licite valet.*
15. *Ratione periculi cui subijcitur.*
16. *Fidejussio est onus et gravamen.*
17. *Praedicta principalis conclusio multipliciter fallit.*
18. *Fidejussor si ultra summam pro qua fidejussit, aliquid aliud*

justa de causa occasione suae fidejussoris impenderit, potest a principali repetere.

19. *Licet solverit sine judicis praecepto.*

20. *Fidejussor potest consequi a principali, quod illi a creditore remunerandi causa remittitur per acceptilationem, vel ultimam voluntatem.*

21. *Secus, si ex mera liberalitate aliquid a creditore, titulo verae donationis ei largiatur.*

22. *Pro dicta repetitione datur fidejussori actio mandati contraria.*

23. *Ac etiam via executiva.*

24. *Fidejussor se obligans pro majori summa non acquirit actionem nisi pro summa contenta in mandato.*

25. *Neque actionem acquirit fidejubens pro minore et ejus mandato in causam illicitam.*

26. *Fidejussor, quamvis alieno accedens nomine, ordinis beneficio renunciare valet.*

27. *Licet id non habeat specialiter in mandato.*

28. *In isto quamvis generali, comprehendentur ea quae fieri solent.*

1. Quod dari possit mandatum ad fidejubendum est *Tex.* expressus *in L.* 2 *ff mand.*

2. Verum enim vero licet mandatum contrahatur, sive mandantis tantum gratia alicui mandetur, sive mandantis et alterius, sive alterius dumtaxat, sive mandantis et mandatarii, sive mandatarii et alterius, ut dicit *JC. in d. L.* 2 *in princ. ff mand.*, et repetit *Imperat. instit. de mand. in princ.*,

3. Fidejussori tamen fieri potest mandatum tribus tantum modis, videlicet, vel ut fidejubeat pro mandante dumtaxat, vel pro mandante et altera persona, vel pro altera persona dumtaxat, ut explicat *JC. in d. L.* 2 § 1 *et seqq. ff mand.*, *et Imperat. in d. tit. instit. de mand.* § *mandantis tantum* et infra.

4. Ad effectum autem ut fidejussoria obligatio valide contrahatur, necesse est ut fidejussor se obliget mediante stipulatione, alioquin non remanet obligatus, *L. blanditus cod. de fidejuss. L.* 5 § *satis acceptio ff de verb. obligat.*, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 14 *tit.* 5 *n.* 2.

5. Quod procedere etiam de jure canonico, dicit *Mantic. d. lib.* 14 *tit.* 6 *n.* 2.

6. Excepta tamen causa dotis, *L. fin.*, et ibi *not. Bald. cod. ad Vellejan.*

7. Et favore piae causae, *Tiraquel. de privil. piae caus. priv.* 110, qui exemplificat in dote, et hos casus refert *Mantic. d. tit.* 6 *n.* 6 *et* 7.

8. Sufficit tamen tacita stipulatio, ut post *Bald. in d.* § *satis acceptio n.* 8 et alios, dicit *Mantic. d. tract. de tacit. lib.* 16 *tit.* 5 *n.* 9.

9. Puta si quis patiatur se pro fidejussore scribi, *L. cum ostendimus* § *ult. ff de fidejuss. tutor.* cum aliis apud *Mantic. d. tit.* 5 *n.* 10.

10. Vel si pro alio, illo praesente etiam absque ejus mandato expresso fidejubeat, *L. si remunerandi,* § *si passus ff mandat., L. qui patitur ff eo tit., Pyrr. Maur. in tract. de fidejussor. par.* 2 *sect.* 4 *cap.* 1 *n.* 5.

11. Nam patiendo quod pro se fidejubeat, videtur mandare ut fidejubeat, *Gloss. in d.* § *si passus per Tex. in L. qui fide ff eo tit., et in L. si fidejussor cod. eo tit.*

12. Exceptis tamen quatuor casibus relatis per *Gloss. in d.* § *si passus in verb. et nisi.*

13. Licet autem mandatum debeat esse gratuitum tam ex parte mandantis, quam ex parte mandatarii, *L.* 1 *ad fin. ff mand.*, et nos diximus supra *cap. LX num.* 1,

14. Nihilominus fidejussor pro fidejussione facienda potest praemium, emolumentum, mercedem et pecunias sibi dandas pacisci, et conventas licite recipere, *L. si remunerandi* § *fin.* et ibi *Gloss. ff mand.*, cum aliis apud *Pyrr. Maur. d. part.* 2 *sect.* 2 *cap.* 2 *n.* 1 *et* 2 *et n.* 20, et apud *Mantic. de tacit. d. lib.* 16 *tit.* 2 *n.* 3, qui multos allegat et de communi testatur.

15. Hoc autem illi permittitur in recompensam periculi quo subijcitur, ne cogatur ad solvendum.

16. Fidejussio enim est onus et gravamen, *L. cum non facile ff si cui plus quam per Leg. falcid.*, cum aliis apud *Maur. d. sect.* 2 *cap.* 1 *n.* 2.

17. Non tamen indistincte potest fidejussor pecuniam et praetium recipere pro fidejussione, sed fallit multipliciter, ut per *Maur. d. cap.* 2 *n.* 12 et infra.

18. Quod si fidejussor ultra summam in quam fidejussit, aliquid aliud occasione dictae fidejussionis ex justa causa impenderit, potest a principali pro quo fidejussit repetere, *L. si mandato meo* § *si fidejussor ff mand. cap. pervenit*, et ibi *Abb. n.* 2 *extr. de fidejuss., Mantic. d. lib.* 16 *tit.* 22 *n.* 47.

19. Quamvis solvat absque judicis praecepto, *L. idemque* § *fidejussores ff mand.*

20. Prout etiam si ipsi fidejussori a creditore, ad cujus favorem fidejussit remunerandi causa per acceptilationem, vel per ultimam voluntatem remittitur, potest a suo principali consequi.

21. Secus si ex mera liberalitate aliquid illi a creditore, titulo veraе donationis largiatur, *Tex. est in d. L. idemque* § *fin., cum duabus legibus sequentibus ff mand.*

22. Et pro tali repetitione datur fidejussori non solum actio mandati contraria, *L. si remunerandi* § *si praesens*, *L. qui fide*, *L. ex mandato ff mand.*,

23. Sed datur etiam via executiva, *Rebuff. de liter. oblig. art.* 6 *Gloss.* 3 *n.* 33, *Carpan. ad Statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 42 *n.* 138 *ad fin. vers. septimus est casus.*

24. Verum enim vero si fidejussor rogatus ut fidejubeat pro centum, fidejubeat pro ducentis, acquirit sibi actionem mandati contra mandantem dumtaxat pro summa contenta in mandato, *L. rogatus ff mand.* Mandatum enim est stricti juris, *cap. cum in illis* § *cum autem de praeben. in* 6, *Rot. decis.* 13 *n.* 2 *de procur. in nov.*, *Caputaquen. decis.* 181 *n.* 2 *lib.* 2, et nos dicemus *cap. XCVII de mandati finibus custodiendis.*

25. Prout etiam non acquirit actionem si fidejubeat pro minore, et ejus mandato in causam illicitam, *L. si vero non remunerandi* § *si adolescens ff mand.*

26. Fidejussor autem iste, licet nomine alieno accedat, nihilominus, poterit renunciare beneficio ordinis de quo in *auth. praesente cod. de fidejuss.*

27. Quamvis hoc non habeat specialiter in mandatis, et talis renunciatio praejudicabit constituenti, quia est de consuetudine quod fidejussores faciant hujusmodi renunciationes, *Bart. in L. si fraudator in princ. ad fin. ff de iis quae in fraud. credit.*, refert et sequitur, *Jas.* alios referens *in L. ut liberi n.* 9 *cod. de collat.*, *Abb. in cap.* 1 *col.* 10 *n.* . . . *ut lit. non contest.*, *Felin. in cap. cum M. Ferrariensis n.* 14 *extr. de constitut.*, *Everhardus cons.* 244 *circa princ. vers. tum etiam quia.*

28. Nam in mandato quantumvis generali censentur mandata ea quae sunt solita fieri, ut diximus *cap. LXVI mandatum generale ad negocia ad quae se extendatur.*

CAPUT LXXV.

DE MANDATO AD EMENDUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad emendum datur vel simpliciter, vel pro emenda aliqua certa re.*
2. *Et debet dari specifice ad emendum.*
3. *Si fuerit datum simpliciter, et procurator rem emat, sed non procuratorio nomine, censetur emere pro se ipso.*
4. *Contraria refertur opinio.*

5. *Si vero mandatum fuerit datum pro emenda aliqua certa re, procurator illud exequi omnino tenetur.*
6. *Ita ut si habeat mandatum pro emendo fundo, cujus aliqua pars sit ipsius procuratoris, illam quoque mandanti vendere teneatur.*
7. *Nam censetur acceptasse mandatum etiam de sua portione vendenda.*
8. *Sive illam habeat separatam, sive non divisam.*
9. *Procurator, uti talis, faciens actum, sibi non praejudicat, in juribus ipsi proprio nomine competentibus si illa ignoravit.*
10. *Fallit in casu praedicto in quo procurator sibi praejudicat, quia cogitur vendere suam portionem pro eodem praetio quo alias emit.*
11. *Expenditur* Tex. in L. simili modo ff mand.
12. *Limitatur principalis conclusio in procuratore, cui est vetita suorum bonorum alienatio.*
13. *Procurator, si dolo vel lata culpa negligat emere rem pro qua habet mandatum, tenetur actione mandati ad interesse.*
14. *Sicuti etiam si rem emat majori praetio quam fuerit in mandato statutum.*
15. *Quo casu id amittit quod expendit ultra summam in mandato expressam.*
16. *Interesse regulatur de tempore quo mandans agit.*
17. *Procurator viliori praetio rem emens, non dicitur transgredi fines mandati.*
18. *Potest enim facere meliorem, non vero deteriorem conditionem mandantis.*
19. *Procurator emens pro se ipso, delinquit fallendo fidem mandantis.*
20. *Nec caret dolo, et quodammodo dicitur praevaricari.*
21. *Rem tamen emptam sibi acquirit non vero mandanti.*
22. *Sed illam tenetur ipsi volenti tradere.*
23. *Sive habuerit mandatum de emendo totam rem, sive illius partem.*
24. *Atque tenetur ei cedere actiones.*
25. *Et praestare fructus perceptos.*
26. *Dummodo mandans offerat praetium restituere, vel statim vel in termino convento.*
27. *Si mandatum verbis rogativuis fuerit conceptum, procurator re integra pro se recte emit.*
28. *In contractibus innominatis poenitentiae est locus re integra de jure civili.*

29. *Ac etiam re non integra de jure canonico.*
30. *Procurator emens simpliciter rem, scilicet nec pro se nec pro mandante, pro se emere censetur.*
31. *Sed tenetur actione mandati vel ad traditionem rei emptae.*
32. *Vel ad interesse.*
33. *Gerens nomine proprio actum ei commissum tenetur ad interesse actione mandati.*
34. *Contraria affertur opinio quod rem simpliciter emens, illam procuratorio nomine emere censeatur.*
35. *Faciens actum censetur illum facere ex titulo praeambulo.*
36. *Unde res empta mandanti acquiritur.*
37. *Et mandatarius procuratorio nomine illam dicitur possidere.*
38. *Procurator emens rem procuratorio nomine, illam tam quoad proprietatem quam quoad possessionem acquirit mandanti.*
39. *Etiam per solam clausulam constituti in emptionis instrumento appositam et sine cessione.*
40. *Quamvis rem emat cum propriis pecuniis, si illa tradatur mandanti.*
41. *Vel etiam ipsi mandatario.*
42. *Res non requiritur solutarum pecuniarum domino, sed illi pro quo fuit empta.*
43. *Licet emptio fiat pro persona nominanda, facta nominatione.*
44. *Procurator tamen a domino praetium repetet actione mandati.*
45. *Et si partem tantum de proprio erogaverit illam repetit.*
46. *Quamvis emerit post sequutam mandati revocationem, si illam ignoravit.*
47. *Procurator, ultra etiam 30 annos, detinendo rem pro domino emptam, cum sit in mala fide illam non praescribit.*
48. *Et quia non potest sibi mutare causam possidendi.*
49. *Et dominus non tenetur praetium restituere cum sit compensandum cum fructibus medio tempore per procuratorem perceptis.*
50. *Nisi fuerit constitutus in mora pro dicti praetii restitutione.*
51. *Per procuratorem licet sit persona libera nobis acquiritur dominium et possessio.*
52. *Fructus sequuntur dominium.*
53. *Contra quod procurator non teneatur ad praedictorum fructuum restitutionem.*
54. *Ab auctore haec approbatur sententia et quare.*
55. *Procuratori ejus officium damno esse non debet.*
56. *Procurator si domini pecuniam in proprios usus convertat, vel*

det foenori, tenetur, vel ad usuras consuetas, vel ad eas quas ipse percepit.

57. *In emptione abstinens dilationem ad solvendum praetium, statim potest agere contra dominum non ut solvat, sed ut suscipiat in se obligationem de solvendo debito tempore.*

58. *Tenetur vero domino cedere actionem empti contra venditorem.*

59. *Habens mandatum emendi fundum communi nomine tam mandantis quam mandatarii, censetur inter ipsos contracta societas.*

1. Mandatum ad emendum datur vel simpliciter et indefinite, vel pro emenda aliqua re particulari expressa in mandato.

2. Non tamen censetur datum ex eo quod quis mandaverit alicui ut curaret redigere aliquem ad minorem praecii rei emendae quantitatem quam posset, sed debet dari specifice ad emendum, *Rom. cons.* 461 *n.* 5 *ad fin. et n.* 6.

« Mandatum ad emendum inter mercatores probatur ex literis missi-
« vis, *Rot. decis.* 157 *n.* 1 *par.* 12 *Recent.*

« Prout ejusdem mandati acceptatio aliis literis pariter justificatur,
« *Rot. d. decis.* 157 *n.* 2 *par.* 12 *Recent.*

3. In primo casu, quando procurator non habet mandatum speciale ad emendam talem rem, sed simplex et indefinitum ad emendum absque expressione certae rei, si rem emat non expresso nomine mandantis, et quod emat procuratorio nomine mandantis, praesumitur pro seipso et suo proprio nomine emere, *L. et magis ff de solut., L. si ita stipulatus § Grisogonus ff de verb. oblig., Alex. in L. post dotem n . . .*, et ibi *Jas. n.* 73 *ff sol. matr., Alciat. de praesumpt. regul.* 2 *presumpt.* 24 *n.* 5 *vers. limita* 2, *Purpur. cons.* 71 *n.* 26 *et seqq. lib.* 1, *Surd. cons.* 19 *n.* 99 *vers. et praedictis lib.* 1.

4. Contrarium tamen in hoc videtur sentire *Pancirol. cons.* 24 *n.* 12 *ex Bart. in L. qui in aliena § si is qui n. . . . vers. ex hoc responso*, et ibi *Alex. n. . . .* et alii *ff de acquir. haered.*

5. In secundo vero casu, sicuti procurator iste non poterat cogi ad suscipiendum et acceptandum mandatum, ita post illius acceptationem tenetur illud exequi et ad finem perducere, emendo rem in procuratorio expressam, ut diximus *cap. XXIV n.* 31.

6. Quod adeo verum est quod si iste procurator habeat in mandatis ut emat aliquem certum fundum, qui sit pro aliqua certa parte ipsiusmet procuratoris, teneatur etiam partem suam mandanti vendere, *L. si fundum, cum L. seq., L. si mandavero § Julianus, L. qui negocia § fin. ff mand.*,

Surd. decis. 304 *n.* 10, *Gratian. discept. forens. cap.* 207 *n.* 31 *et seqq.*, *Jo. Bapt. Costa de ratione ratae quaest.* 162 *n.* 1.

7. Nam acceptando mandatum censetur etiam de sua portione vendenda acceptasse, *Bald. in L. unic. n.* 16 *cod. si serv. exter.*, *Jas. in L. nec emere n.* 3 *cod. de jure delib.*, *Surd. d. decis.* 304 *n.* 10, *Connan. comment. jur. lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 4 *post med. vers. atque ita intelligendum.*

8. Sive procurator habeat in fundo illo portionem divisam et separatam, sive cum aliorum portionibus unitam et non divisam, *Bart. in d. L. qui negocia* § *cum haeres n. . . . ff mand.*, *Costa d. quaest.* 162 *sub n.* 1.

9. Nam licet procurator faciens actum procuratorio nomine sibi non praejudicet quoad jura sibi proprio nomine competentia, si illa ignoravit *L. inter officium* 55, et ibi *Gloss.*, *Alber. et Bart. ff de rei vindic.*, *Tiraquel. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 9 *n.* 267 *et seq. cum aliis apud Caesar. Manent. cons.* 143 *n.* 3 *lib.* 2:

10. In hoc tamen casu sibi praejudicat, ut teneatur vendere mandanti portionem suam pro eodem praetio, quo alias portiones emit, *L. si fundum ff mand.*, *Addent. ad Rom. cons.* 94, refert et sequitur *Costa d. quaest.* 162 *n.* 3.

11. Nec obstat *textus in L. simili modo ff mand.*, ubi videtur decidi quod non eodem praecio sed justo vendere teneatur, quia huic obiecto respondet ipse *JC. in d. L. si fundum.*

12. Quod tamen non procedit in illo procuratore cui bonorum suorum alienatio non est permissa, *Abb. cons.* 41 *lib.* 1 refert *Costa d. quaest.* 162 *n.* 5.

13. Verum si procurator ille rem ad quam emendam susceperat mandatum negligat emere dolo vel lata culpa, tenetur actione mandati ad interesse *L. ad comparandas cod. mand.*, *L. a procuratore* § *mandat. ff eo tit.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 240 *n.* 34, *et cap.* 796 *n.* 36, *L. si procurator* § *dolo autem facere ff mand.*

14. Prout tenetur etiam ad interesse si rem illam emat, sed majori praecio quam esset in procuratorio statutum, diceretur enim transgressus fines mandati, *d. L. a procuratore* § *mandati*, *Gratian. d. cap.* 79 *n.* 36.

15. Ita ut fuerit dubitatum an eo casu mandatarius posset repetere id quod expendit, sed illa sententia tamquam aequior obtinuit ut repetat dumtaxat summam in procuratorio expressam, et amittat tantum id quod ultra dictam summam expendit, *L. praeterea cum L. seq. ff mand.*

16 Interesse autem ad quod procurator, ut supra dictum est, tenetur, debet resultari de tempore quo mandans agit, et non sufficit quod alias interfuerit, *L. si procuratorem* § *mand. ff mand.*, et ibi *Gloss. in verb. cesset et in L. ad comparandas in verb. interest cod. eo tit.*

17. Non tamen diceretur transgredi fines mandati, si rem illam emeret viliori praecio quam haberet in mandatis, *L. melior* § 2 *ff mand.*, *Connan. commentar. jur. lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 9 *post princ.*

18. Procurator enim potest conditionem mandantis facere meliorem, non autem deteriorem, *L. diligenter § fin. ff mand.*, *Rot. decis.* 28 *n.* 6 *par.* 2 *Recent.*, et alibi dictum fuit.

« Procurator cujus arbitrio reposita est determinatio praetii, valide « obligat mandantem pro praetio per ipsum determinato, *Rot. in Mantiss.* « *ad Card. de Luc. de credit. et debit. lib.* 8 *decis.* 23 *n.* 1 *tom.* 3.

19. Caeterum si procurator exequatur mandatum, et emendo rem commissam servet fines mandati, dubitatur cui res illa empta acquiratur ratione dominii et possessionis; pro cujus dubitationis resolutione tres sunt considerandi casus.

Primus est, si procurator emat non pro mandante, sed pro se ipso, in quo concludendum est quod licet videatur quod procurator delinquat fallendo fidem mandantis, *Bald. in L. falsus n. . . . ff de iis qui a non domin. manum*, *Menoch. praesumpt.* 49 *n.* 22 *lib.* 3, *Rot. Genuens. dec.* 67 *n.* 1 *vers. in dubio autem*, *Marta vot.* 103 *n.* 18, *Bertaz. cons. criminal.* 466 *n.* 3 *lib.* 2, qui testatur de communiori, *Joseph Ludovic. conclus.* 2 *in tit. de procur. vers. . . . , Gaspar Rodericus in tractat. de annuis redditibus lib.* 3 *quaest.* 11 *n.* 81, *Surd. cons.* 19 *n.* 18 *lib.* 5.

20. Et non caret dolo, et quodammodo dicitur praevaricari, *L.* 1 *cod. si quis alter vel sibi*, *Surd. cons.* 344 *n. . . . lib.* 3, *Costa de ration. rat. quaest.* 119 *n.* 8.

21. Rem tamen emptam sibi et non mandanti acquirit, *Surd. decis.* 304 *n.* 2, *Paris. cons.* 47 *n.* 63 *lib.* 1.

22. Sed tenetur rem illam mandanti volenti tradere, *Surd. d. decis.* 304 *n.* 11, *Rot. Genuen. decis.* 67 *n.* 1 *in princ.*, *et decis.* 89 *sub n.* 4, *Rot. decis.* 149 *n.* 5 *par.* 1. *Recent.*

23. Sive mandatum fuerit de emendo totam rem, sive illius partem, *L. si fundum* 35 *ff mand.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 206 *n.* 31 *et* 32.

24. Nec non tenetur domino cedere actiones, *L. qui in aliena § si is qui*, et ibi *DD. ff de acquir. haered.*, *Rota Genuen. decis.* 89 *sub n.* 4.

25. Nec non praestare fructus quos ipse percepit, *L. idemque § 1 ff mand.*

26. Dummodo tamen mandans offerat praecium statim restituere vel in termino convento, secus si mandans sit morosus offerendo praecium post terminum conventum cum damno ementis, *Paul. de Castr. in L. si ita quis promiserit* 135 § *Saeja cavit n.* 2, et ibi *Jas. n.* 4 *et* 9 *ff de verb. oblig.*, *Gratian. discept. forens. d. cap.* 207 *n.* 6, facit *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 18 *n.* 11 *et* 19.

27. Verum si mandatum fuerit factum per verba rogativa, procurator re integra sibi emens, non tenetur rem emptam tradere roganti offerenti praecium, *Jo. de Amic. cons.* 62 *n.* 18, *Menoch. cons.* 122 *n.* 21 *lib.* 1, *Gratian. d. cap.* 207 *n.* 29.

28. Ea ratione, quia tunc censetur celebratus contractus innominatus, in quo est locus poenitentiae, tam re integra de jure civili, *L. si pecuniam post princ., vers. sed cum liceat poenitere ff de condit. caus. dat., Mantic. de tacit. lib.* 1 *tit.* 8 *n.* 13, *Petr. Caball. cons.* 55 *n.* 4;

29. Quam re non integra, de jure canonico, *Mantic. d. tit.* 8 *num.* 19, qui testatur de magis communi, late *Costa in tit. re integra distinct.* 1 *n.* 1 *in princ., et* 2 *col.* 2 *circa princ. part.* 2. *fol.* 313, *Gratian. discept. forens. cap.* 803 *n.* 5.

30. Secundus casus est, quando procurator rem illam, nec pro se nec pro mandante emit, sed simpliciter emit, et tunc sunt opiniones. Nam quod pro se emere censeatur vult *Surd. d. cons.* 19 *n.* 8, ubi multos allegat, *Purpur. cons.* 71 *n.* 28 *vers. et etiamsi.*

31. Sed eo casu dicunt teneri illum actione mandati, vel ad traditionem rei emptae, *Paul. de Castr. in L. qui in aliena* § *si is qui n. . .*, et ibi *Aret. col.* 1 *vers. et secundum istam communem n. . . . ff de acquir. possess.*, et post eos *Purpur. d. n.* 28.

32. Vel ad interesse.

33. Cum procurator ad agendum actum, si illum gerat nomine proprio teneatur mandanti, si vult, ad interesse actione mandati, *Rim. Sen. cons.* 157 *n.* 6 *lib.* 1.

34. Alii autem magis communiter volunt quod eo casu mandatarius censeatur rem illam emere procuratorio nomine, *L. pignori* § *fin. ff de usucap., Ludovic. Casanat. cons.* 40 *n.* 18, *Menoch. praesumpt.* 49 *n. . . lib.* 3, *Bertaz.*, qui alios allegat et de magis communi testatur, *cons.* 465 *n.* 37 *lib.* 2 *criminal.*, *Rim. Sen. cons.* 86 *n.* 19 *lib.* 1, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 19 *n.* 6, *Scacc. de senten. et re judic. Gloss.* 1 *n.* 55.

35. Ea ratione quia faciens actum censetur illum facere ex titulo praeambulo, *Mantic. d. n.* 6, quam multipliciter exornat.

36. Et proinde res illa non mandatario, sed mandanti acquiritur.

37. Et quod procurator illam rem, non proprio sed procuratorio nomine possideat, dicunt *Mascard. de probat. vol.* 2, *conclus.* 1202 *n.* 2, *Casanat. d. cons.* 40 *n.* 19.

38. Tertius est casus, et iste indubitabilis, quando procurator rem illam emit procuratorio nomine mandantis, et pro eo stipulatur, quo casu, absque dubitatione rem emptam acquirit mandanti tam quoad proprietatem, quam quoad possessionem, *L. si procurator ff de acquir. rer. dom. L.* 1 § *si per procuratorem ff de acq. possess.*, *Paris. cons.* 47 *n.* 16 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 13 *n.* 17, *et decis.* 325 *n.* 8, *Gratian. discept. forens. cap.* 207 *n.* 4, *Surd. decis.* 325 *n.* 8, *Costa de ration. Rotae quaest.* 119 *num.* 11.

39. Etiam per solam clausulam constituti in instrumento emptionis ap-

positam, etiam absque cessione, *Capell. Tholos. decis.* 152 *n.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 215 *n.* 2 *in fin.*, *Marcabrun. cons.* 90 *n.* 140 *et seqq.*

40. Etiam quod illam emat cum propriismet pecuniis, si res illa tradatur vel ipsi mandanti, *L. si res ex mandato meo ff de acquir. rer. domin.*, *Rot. decis.* 60 *n.* 2 post *Merlin. de legitim.*,

41. Vel ipsi mandatario et procuratori, *L. si procurator* 12 *ff de acquir. rer. domin.*, *L. qui mihi donatum ff de donat.*, *Roderic. de ann. redditib. lib.* 3 *quaest.* 11 *n.* 83.

42. Nam regulare est quod res acquiratur non ei cujus sunt pecuniae quae in emptionem erogantur, sed illi pro quo emptio stipulatur, et pro quo res illa emitur, *Bald. in rubr. cod. de contrahen. emption. quaest.* 15 *n.* 5, *Rom. cons.* 413 *n.* 19, et alii cumulati ibi *per Mandos.*

43. Etiamsi emptio fiat pro persona nominanda, facta nominatione, *Gratian. discept. forens. cap.* 481 *n.* 50 *et* 51, et nos diximus *in tractatu de censibus par.* 2 *cap.* 2 *quaest.* 2 *art.* 1 *n.* 12.

44. Mandatarius tamen poterit eo casu praecium de suo proprio erogatum a mandante repetere actione mandati, *L. si vero non remunerandi § si mihi ff mand.*

45. Sive totum praecium de suis pecuniis erogaverit, sive dumtaxat illius partem, quia partem illam repetet, *d.* § *si mihi in* 2 *respons.*

46. Quod procedit etiam si emerit postquam fuerat ejus mandatum revocatum, si ipse revocationem ignorabat, *L. si mandassem ff mand.*, *Mantic. d. tit.* 19 *n.* 8.

47. Verum si procurator rem illam ex propriis pecuniis pro mandante emptam illi non tradat, sed ipse illam diu etiam ultra triginta annos possideat (vel verius detineat) tamquam propriam, non propterea illam praescribit, tum quia est in mala fide, sciens rem illam ad mandantem spectare, *cap. fin. extr. de praescription.*:

48. Tum quia non potest sibi mutare causam possidendi, *Decian. cons.* 26 *n.* 21 *lib.* 5, post *Jo. Andr. ad Specul. in tit. de empt. vers. si pars*, *Aret. in L.* 3 § *si pars n. . . . ff de acquir. possess.*

49. Sed dubitatur, an eo casu mandans teneatur restituere mandatario praetium erogatum, et illud esse compensandum cum fructibus per mandatarium medio tempore perceptis videtur *tex. in L. idemque* § *idem Labeo ff mand.*, et voluit *Bald. in rubr. cod. de contr. empt. quaest.* 15 *n. . . .* cum quo transeunt multi, quos congerit *Jo. Bapt. Lup. in tract. de usuris comm.* 1 § 7 *n.* 151.

50. Nisi mandans sit constitutus in mora restituendi praecium, *Afflict. decis.* 91 *n. . .*, *Covar. variar. resolut. lib.* 3 *cap.* 4 *n.* 11, *Mantic.*, qui multos congerit, *d. tit.* 19 *n.* 4.

51. Quae conclusio firmatur ea ratione, quia per procuratorem licet

sit persona libera, acquiritur nobis dominium et possessio, *L.* 1 *cod. per quas person. nob. acq.* Et proinde mandanti debentur fructus rei ejus nomine et pro eo emptae, cujus dominium fuit sibi mediante persona procuratoris acquisitum:

52. Cum fructus sequantur dominium, *L.* 3 § *ex contrario ff de acq. possess.*

53. Contrariam tamen sententiam quoad necessitatem restituendi fructus medio tempore perceptos, voluit *Alciat. in L.* 2 § *mutui datio col. fin. n. . . . ff si cert. pet. per Tex. in L. si vero non remunerandi* § *si mihi, L. idemque* § *si ex fundo,* § *si mandavero, et* § *idem Labeo ff mand., et in L. et in contraria ff de usur., et in L. atqui natura ff de negoc. gest.*

54. Et haec opinio mihi videtur aequior, si nulla mora regularis ipsius procuratoris praecessit, alias mandans locupletaretur cum jactura mandatarii, et si deberet consequi fructus retineret rem et praecium contra aequitatem, *L. curabit. cod. de act. empt.* per quam rationem hanc opinionem amplectitur *Roderic. de annuis reddit. lib.* 3 *quaest.* 11 *n.* 76 *et seqq., et Jo. Bapt. Lupus d.* § 7 *n.* 151.

55. Et procuratori esset damnosum illius officium quod non est ferendum, *L. in mandato ff mand.*

56. Verum enim vero si mandans dedit pecuniam procuratori ad emendam rem aliquam, et ipse convertat illam vel in proprios usus, vel det foenori, tenetur mandanti ad usuras, videlicet primo casu ad consuetas in regione, secundo vero casu ad eas quas ipse percepit, ne de alieno lucrum faciat, *L. idemque* § *si procurator meus ff mand.*

57. Fuit aliquando dubitatum, si procuratori ementi de mandato domini fiat dilatio ad praetium solvendum, an ei competat contra mandantem pro recuperatione praetii statim facta emptione, an vero sit expectandum tempus faciendae solutionis, *et Paulus JC. in L. si mandato meo in princ. ff mand.* respondit, quod procurator poterit statim agere contra mandantem, non ut solvat, sed ut suscipiat in se obligationem de solvendo adveniente tempore; nam emendo contractum perfecit, ut dicit ibi *Bart. in summar.*, et sentit ibi *JC. in* § *sequenti.*

58. Procurator autem tenetur cedere domino actionem empti contra venditorem, ut dicit ibi *Paulus JC.*

59. Alia etiam suboritur dubitatio, si quis mandet procuratori ut emat fundum communi nomine ipsius mandantis et mandatarii, an inter istos nascatur contractus mandati, an vero societatis, et quod inter illos censeatur contracta societas, sunt *Tex. in L. cum duobus ff pro soc., et in L.* 2 *vers. cum societate res ff commun. divid.*, quos dicit esse in terminis *Decian. cons.* 97 *n.* 3 *lib.* 2, cum quibus concordat, *Tex. in L. cum proponas*, et ibi *Gloss.* 1 *et Bart. n.* 1, *et Bald. n. . . . cod. pro soc.*

« Procurator specialis ad emendum, post perfectum emptionis contra-
« ctum retrovendere, seu ipsum contractum rescindere non potest, quamvis
« secus sit in procuratore generali, *Card. de Luc. de regal. disc.* 125
« *n.* 15.

CAPUT LXXVI.

DE MANDATO AD DONANDUM.

SUMMARIUM

1. *Donare est perdere, ideoque non praesumitur.*
2. *Potius praesumitur stultitia.*
3. *Procurator habens mandatum, quantumvis generale et cum libera, aliisque amplissimis clausulis, donare non valet.*
4. *Inverisimile est quod dominus suorum bonorum dissipationem velit mandare.*
5. *In quolibet mandato, quamvis amplissimo, censetur semper excepta dilapidandi potestas.*
6. *Mandatum recipit interpretationem a verisimili mente mandantis.*
7. *Ad donandum speciale mandatum requiritur.*
8. *Licet in loco ubi fit donatio adsit consuetudo quod procurator cum generali mandato possit donare.*
9. *Res tamen donanda et persona cui donare debet non sunt in mandato specificandae.*
10. *Non desunt vero DD. tenentes contrarium.*
11. *In mandato ad donandum tot testes requiruntur, quot sunt necessarii in ipso donationis contractu.*
12. *Quot testes in hujusmodi contractu Perusii requirantur.*
13. *Beneficio* L. si umquam cod. de revocand. donat. *per procuratorem renunciari non potest.*
14. *Ad praesentandum aliquem ad beneficium nomine patroni requiritur mandatum speciale.*
15. *Mandatum ad praesentandum certam et nominatam personam ad beneficium, quando vacabit per mortem alterius pariter certae ac nominatae personae, est nullum uti continens votum captandae mortis.*
16. *Secus si fiat mandatum generale ad praesentandum personam idoneam, nulla certa persona expressa.*

17. *Idem si fuerit expressa certa persona ad certum beneficium praesentanda, quod patronus tempore facti mandati vacare putabat, quamvis de facto non vacaret.*

1. Quoniam donare est perdere, et proinde non praesumatur, *L. Campanus ff de oper. libert., L. cum de indebito ff de probat.*:

2. Immo potius praesumatur stultitia, *Bald. in L. generaliter n. . . . cod. de non numer. pecun., et cons.* 189 *n. . . . lib.* 2, *Paris. cons.* 88 *n. . . . lib.* 3:

3. Hinc receptum esse existimo quod actus donationis rerum alterius non possit explicari a procuratore habente mandatum quantumvis generale, etiam cum libera potestate et cum aliis amplissimis clausulis, *L. filiusfamilias ff de donat., Rol. cons.* 17 *n.* 52 *vol.* 2, *Alex. cons.* 22 *n.* 8 *et* 9, *et* 14 *lib.* 1, *Rim. Sen. cons.* 84 *n.* 6 *lib.* 1, *Dec. cons.* 402 *sub n.* 9, *Rim. Jun. cons.* 29 *n.* 13 *lib.* 1, *Surd. cons.* 431 *n.* 37 *lib.* 3, *Natt. cons.* 10 *n.* 4, *et cons.* 25 *n.* 4 *lib.* 1, *et cons.* 461 *n.* 6 *lib.* 3, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 311 *n.* 4.

« Habens mandatum cum libera facultate disponendi et faciendi quid-
« quid vult, donare non potest, *Gob. de permiss. foeud. et emphyt. alienat.*
« *quaest.* 4 *n.* 98.

« Mandatum quamtumvis generale non intelligitur tribuere facultatem
« donandi et remittendi, praecipue si in mandato sint exceptuata, *decis.* 696
« *n.* 4 *par.* 2 *Recent.*

4. Valde enim inverisimile est quod mandare quis velit ea per quae procurator possit dissipare et dilapidare bona ipsius mandantis, *L.* 1 § 1 *ff de offic. procurat. Caesar., L. contra juris* § *si filius ff de pact., L. mandato generali ff de procur., Grat. cons.* 52 *n.* 84 *lib.* 1, *Barz. decis. Bonon.* 125 *n.* 18.

5. Unde in quolibet mandato, etiam amplissimo, censetur semper excepta potestas dilapidandi et dissipandi, *Paris.*, qui alios allegat, *cons.* 91 *n.* 14 *lib.* 1, *et cons.* 96 *n.* 26 *lib.* 3, *Bertaz. cons. crimin.* 407 *n.* 16 *lib.* 2.

« Quod in quocumque mandato semper excepta censeatur dilapidandi
« potestas tenet etiam *Actolin. resolut.* 27 *n.* 11.

6. Mandatum enim recipit interpretationem a verisimili mente mandantis, *Paris. d. cons.* 96 *n.* 15.

« Verisimile in materia mandati dicitur quod magis interest mandantis,
« atque etiam id quod mandans verisimiliter respondisset si de eo fuisset
« interrogatus, *Actolin. resolut.* 28 *n.* 10 *et* 11.

7. Sed ad donandum requiritur mandatum speciale, *d. L. contra juris* § *si filius ff de pact., L. filiusfam. ff de donat., cap. fin. de offi. Vicar.*

lib. 6, *Franc. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 4 *vers. vigesimo sexto de procur. lib.* 6, *Dec. d. cons.* 402 *n.* 9, *Jas. in L. cum procurator n.* 4 *ff de nov. oper. nunc.*, *Beroius cons.* 5 *n.* 72 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 29 *n.* 13 *et cons.* 67 *n.* 31 *et* 32 *lib.* 1, *Surd. cons.* 359 *n.* 5, *et cons.* 431 *n.* 37 *lib.* 3, *Peregr. cons.* 153 *n.* 4 *in fin. lib.* 5, *Caballin. ad constitut. Marchiae lib.* 6 *cap.* 11, *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. vigesimus secundus*, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 311 *n.* 4, et ibi *Addent. n.* 18.

8. Etiam quod in loco ubi celebratur contractus donationis vigeret consuetudo quod procurator cum mandato generali possit donare, *Rim. Jun. d. cons.* 29 *n.* 14 *et* 15 *lib.* 1.

9. Non est tamen necesse quod in procuratorio specificetur res donanda vel persona cui donari debeat, sed sufficit quod procuratori detur facultas donandi, *Bart. per illum Tex. in d. L. filiusfamilias n.* 8 *ff de donat.*, *Beroius cons.* 130 *n.* 48 *et seqq. lib.* 2, *Rol. cons.* 26 *n.* 14 *lib.* 2, *Jo. Petruc. de Montesperello cons.* 283 *n.* 5 *in fin.*, *Surd. cons.* 245 *n.* 37 *lib.* 2.

10. Licet contrarium in hoc teneant nonnulli relati a *Carocc. de locat. et conduct. in tit. de procur. quaest.* 2 *n.* 41.

11. Ad effectum autem ut procurator vigore specialis mandati possit valide donare, opus est ut mandatum ad donandum fiat coram tot testibus quot requiruntur in ipso contractu donationis et in instrumento super dicta donatione conficiendo, *Rim. Jun. cons.* 467 *n.* 78 *lib.* 4.

12. Et proinde cum Perusiae patria mea in instrumento donationum vigore statuti, *lib.* 3 *Statutor. rubr.* 205, requirantur saltem quinque testes, totidem erunt necessarii in instrumento mandati ad donandum, ut in simili statuto loquitur *Rim. Jun. d. n.* 78.

13. Licet autem procurator haberet mandatum sufficiens ad donandum cum facultate etiam conficiendi instrumentum cum poenis, obligationibus, renunciationibus etc., non tamen poterit renunciare beneficio *L. si umquam cod. de revocand. donat.*, *Oldr. cons.* 95 *n.* . . , *Bald. in L. fin. in ultim. quaest. cod. de inoff. donat.*, *Rom. cons.* 169 *n.* . . , *Tiraq. ad d. L. si umquam in praefat. n.* 132 *vers. sed postremo.*

14. Hinc infertur, quod ad praesentandum aliquem nomine patroni ad beneficium patronatum, quia est donare, requiritur speciale mandatum, *cap. dilecto extr. de testib.*, *Felin. ibi n.* 2, dicens in dicto textu esse casum singularem, *Paul. de Castro cons.* 362 *n.* 3 *lib.* 1, *Purpur. cons.* 267 *n.* 3 *lib.* 2, *Beroius cons.* 5 *n.* 70 *lib.* 1.

Sed posset circa hoc dubitari, quid si fiat mandatum ad praesentandum ad beneficium quod tempore facti mandati non vacabat, an veniente vacatione iste procurator possit in vim dicti mandati valide et efficaciter praesentare? pro cujus dubitationis resolutione tres sunt considerandi casus.

15. Primus, quando fit mandatum ad praesentandum certam et nominatam personam quando continget dictum beneficium vacare per mortem talis personae nominatim expressae, et in hoc casu est negative concludendum; ne inducatur votum captandae mortis illius qui beneficium obtinet, adhuc viventis, *cap.* 2 *juncto cap. fin. extr. de concess. praeb.*, quam conclusionem fuit amplexa Rota sepius, et refert *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 33 *n.* 1.

16. Secundus casus est, quando procuratori fuit datum mandatum generale ad praesentandum personam idoneam et capacem, quando contingeret beneficium vacare, non expressa aliqua persona praesentanda, et isto casu *Rot.* resolvit mandatum esse validum et praesentationem in vim illius factam subsistere, quia eo casu cessat votum captandae mortis ejus qui beneficium retinet, et *Rotae* decisiones refert *Marescott. d. cap.* 33 *n.* 2.

17. Tertius casus est, quando mandatum fit ad praesentandum certam et nominatam personam ad certum et expressum beneficium quod eo tempore patronus vacare existimabat, sed vere non vacabat, quo casu, licet mandatum et praesentatio ejus vigore facta non sustineatur ut ex tunc, reconvalescit tamen sequata effectuali vacatione, ut per discursum concludit, *Marescott. d. cap.* 33 *n.* 6 *cum seqq.*

Possent etiam fieri aliae illationes quas in medium afferemus in proximo *sequenti capite*, et forte in aliis.

CAPUT LXXVII.

DE MANDATO AD ALIENANDUM.

SUMMARIUM

1. *Ad alienandum requiritur mandatum speciale.*
2. *Praesertim ad alienandum bona Ecclesiae.*
3. *Mandatum dicitur speciale quamvis in eo non sit expressa causa nec persona.*
4. *Ad remittendum et cedendum jura requiritur mandatum speciale.*
5. *Etiamsi jura sint illiquida.*
6. *Nec sufficit mandatum cum libera.*
7. *Sufficit tamen simplex mandatum ad remittendum jura mandanti competentia.*
8. *Requiritur pariter speciale mandatum ad resignandum beneficia ecclesiastica.*
9. *Nisi resignans fuerit aequivalenter recompensatus.*

10. *Praedictum mandatum non est simoniacum, licet fiat ad favorem certae personae.*
11. *Et quamvis fiat ad resignandum in manibus cujuscumque potestatem habentis.*
12. *Et potest fieri etiam post praesentationem supplicationis pro resignantis acceptatione.*
13. *Procurator tamen non potest consentire resignationi post quam scivit quod mandans non vult amplius resignare.*
14. *Neque post mortem ipsius mandantis.*
15. *Nisi eo vivente porrexisset supplicationem.*
16. *Similiter ad consentiendum reservationi et constitutioni pensionis requiritur speciale mandatum.*
17. *Immo si resignans esset praesens, praedicta reservatio non posset fieri per procuratorem etiam cum mandato speciali.*
18. *Procurator habens sufficiens mandatum ad consentiendum constitutioni pensionis, fructuum reservationi consentire non valet.*
19. *Requiritur etiam speciale mandatum ad omologandum et acceptandum laudum nullum.*
20. *Simplex mandatum ad omologandum laudum restringitur ad laudum validum.*
21. *Si procurator cum tali mandato laudum nullum acceptet, mandans absque poenae incursu contravenire valet.*
22. *Sive mandatum fuerit factum ad acceptandum laudum ferendum sive latum, si dominus ipsum laudum latum fuisse nescivit.*
23. *Divisio est species alienationis.*
24. *Ad ipsam pro alio faciendam speciale mandatum requiritur.*

1. Ad alienandum quoque requiritur mandatum speciale, *L. procurator cum libera, L. mandato generali, L. procurator tutorum ff de procur., L. procuratorem cod. de procurator., Alex. cons.* 1 *n.* 5 *lib.* 4, *Rol. cons.* 26 *n.* 9 *vol.* 2, *Rim. Sen. cons.* 67 *n.* 8 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 62 *lib.* 2, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. vigesimus sextus.*

2. Et maxime ad alienandum bona Ecclesiae, *Camill. Borell. in summ. decision. cap.* 66 *n.* 237, *Lelius Altogradus cons.* 26 *n.* 1 *et seqq.*

3. Et dicitur speciale quamvis in procuratorio non sit expressa causa nec persona, ut evincitur ex *cap.* 2 *et fin. de offic. Vic. in* 6, *et Bart. in L. filiusfamilias n.* 10 *ff de donat., Rol. cons.* 26 *n.* 9 *cum seqq. lib.* 2,

Alex. cons. 189 *n.* 8 *lib.* 7, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 96, *Menoch. de arbitr. judic. casu* 315 *n.* 26, *Borell. d. cap.* 66 *n.* 201.

4. Hinc infertur primo, quod ad remittendum et cedendum jura requiritur mandatum speciale, *L. contra juris* § *fin. ff de pact.*, *L. filiusfamil. in princ.*, et ibi *Bart. n.* 8 *ff de donat.*, *Alex. cons.* 22 *n.* 6 *vers. ex alio*, *et n.* 7 *lib.* 1, *Paul. de Castr. cons.* 196 *n.* 3 *lib.* 2, *Soc. Sen. cons.* 18 *col. pen. n.* 40 *lib.* 1, *Rol. cons.* 11 *n.* 18 *lib.* 1, *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 5 *vers. trigesimo secundo de procur. lib.* 6, *Calcan. cons.* 25 *n.* 15, *Rim. Jun. cons.* 67 *n.* 31 *lib.* 1, *Soc. Jun. cons.* 129 *n.* 49 *vers. tertia*, et infra *lib.* 1, *Berotus cons.* 116 *n.* 11 *lib.* 1, *Peregrin. cons.* 152 *n.* 4 *ad fin. lib.* 5, *Surd. cons.* 159 *n.* 4, *et cons.* 431 *n.* 38 *lib.* 3. *Rot. coram Coccin. decis.* 307 *n.* 2, *et decis.* 28 *n.* 6 *vers. tum quia part.* 2 *Recent.*

5. Non solum quando jura renunciandi sunt clara et liquida, sed etiam quando sunt illiquida, ut post *Alex.* dicit *Surd. d. cons.* 431 *n.* 38.

6. Ita ut non sufficiat mandatum cum libera, *Natt. cons.* 10 *n.* 4 *et cons.* 25 *n.* 4 *lib.* 1, *Rot. coram Coccin. d. decis.* 307 *n.* 2, *et in Recent. decis.* 701 *n.* 3 *ad fin. par.* 1, *et coram Gregor. XV decis.* 311 *n.* 3 *et* 4.

7. Sufficit tamen simplex mandatum ad remittendum jura competentia mandanti, ut fuit resolutum in *Rota coram Gregor. XV d. decis.* 311 *n.* 18.

Licet contrarium sentiant *Soc. Jun. cons.* 129 *n.* 52 *lib.* 1, *et Surd. decis.* 431 *n.* 37 *circa princ.*

8. Infertur secundo, quod propter eamdem rationem non potest procurator resignare beneficia ecclesiastica nisi cum mandato speciali, *cap. cum olim* § *quia vero extr. de offic. deleg.*, *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 5 *vers. trigesimosecundo de procur. lib.* 6, *Burs. cons.* 395 *n.* 25 *lib.* 4, *Cabellin. ad constitut. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. vigesimus octavus*, *Rot. coram Crescent. decis.* 215 *quae est* 11 *de procur. n.* 2.

9. Quae tamen illatio non procedit si pro resignatione fuerit data resignanti recompensa aequivalens, quo casu sufficere mandatum generale fuit resolutum in *Rot. coram Crescent. d. decis.* 215 *n.* 3: cessat enim ratio dilapidationis et dissipationis.

10. Nec dici potest quod hoc mandatum sit simoniacum, etiam si fiat ad favorem certae personae, ut declaravit, *Rot. decis.* 99 *n.* 5 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

11. Neque si fiat ad resignandum in manibus cujuscumque potestatem habentis, *Rot. decis.* 146 *n.* 4 *lib.* 2 *par.* 3 *divers.*

12. Tale autem mandatum potest fieri etiam post praesentationem supplicationis pro acceptatione resignationis, *Rot. decis.* 587 *n.* 4 *et seq. d. lib.* 3 *par.* 3 *Divers.*

13. Procurator tamen non potest vigore dicti mandati praestare consensum resignationi, postquam rescivit quod mandans mutaverit voluntatem resignandi, *Rot. decis.* 198 *n.* 1 *par.* 1, *et decis.* 198 *n.* 1 *et* 2 *par.* 4 *divers.*

14. Neque post obitum constituentis, *Put. decis.* 350 *n.* 4 *et seq. lib.* 2 *in correctis.*

15. Nisi porrexisset supplicationem vivente mandante, *Cassiodor. decis.* 1 *n.* 4 *de renunciat.*, *Put. d. decis.* 350 *n.* 6.

16. Infertur tertio, quod simile mandatum requiritur ad consentiendum reservationi et constitutioni pensionis super beneficio Ecclesiastico, *Burs. cons.* 395 *n.* 28 *lib.* 4.

17. Immo si resignans esset praesens in loco ubi talis reservatio et constitutio pensionis esset facienda, illa non posset fieri a procuratore, quamvis haberet mandatum speciale, sed esset facienda ab ipsomet principali beneficiato, *Gigas de pension. q.* 11, *Burs. d. cons.* 395 *n.* 27.

18. Licet autem procurator habens sufficiens mandatum ad constituendum pensionem posset a domino absente consentire constitutioni illius, non tamen potest consentire reservationi fructuum, *Paris. cons.* 143 *n.* 35 *lib.* 4.

19. Infertur quarto, quod mandatum speciale requiritur ad omologandum et acceptandum laudum de se nullum et invalidum, cum enim per dictam omologationem excludatur facultas petendi reductionem ad arbitrium boni viri, *Bald. cons.* 138 *n.* 2 *lib.* 4, *Ruin. cons.* 14 *n.* 20 *lib.* 2.

20. Nam simplex mandatum ad omologandum laudum intelligitur et restringitur ad laudum validum, non autem ad nullum, *Ruin. d. n.* 20, *Marcabr. cons.* 46 *n.* 23.

21. Ac proinde si procurator cum simili mandato acceptet laudum nullum et iniquum, potest mandans contravenire absque incursu poenae, censetur enim constituisse dictum procuratorem sub fiducia quod iniquum laudum non foret ratificaturus, *Dec. cons.* 60 *col.* 4 *sub n.* 4 *post med. vers. accedit quod talis ratificatio*, sequitur *Eugen. cons.* 32 *n.* 66 *lib.* 2.

22. Quod procedit, sive mandatum cantet ad acceptandum laudum ferendum, sive jam latum, si constituens non habebat notitiam laudum fuisse latum, ut subdit *Dec. sub d. n.* 4 *vers. et quamvis loquatur.*

23. Infertur quinto, quod cum divisio sit species alienationis, *L. inter omnes cod. de praet. minor*, *L.* 1 *cod. commun. utrius. judic.*, *L.* 2 *ff de fund. dotal.*, cum aliis apud *Simonell. in tract. de decret. tit.* 4, *Redoan. de reb. Eccles. non alienan. rubr.* 1 § *venit quoque divisio per tot. fol. mihi* 40.

24. Ad faciendam divisionem nomine alterius requiritur mandatum speciale, *Caballin. d. n.* 4 *vers. quadragesimus septimus.*

Potest etiam inferri ad alia multa quae habentur supra *cap. LXIX* per discursum, et signanter *n.* 2.

CAPUT LXXVIII.

DE MANDATO AD VENDENDUM.

SUMMARIUM

1. *Ad vendendum potest constitui procurator.*
2. *Requiritur tamen speciale mandatum.*
3. *Vel saltem generale cum libera.*
4. *Vel quod procurator habeat facultatem cedendi actiones et jura.*
5. *Procurator post receptum mandatum illud exequi tenetur.*
6. *Et si non vendat, cum possit, non caret dolo.*
7. *Et tenetur mandanti ad omne interesse.*
8. *Mandatum ad vendendum non censetur datum ex facultate procuratori tributa tractandi et colloquendi.*
9. *Vel ostendendi rem vendendam.*
10. *Nam ex actibus praeparatoriis non arguitur.*
11. *Non potest devenire ad venditionem sine speciali mandato domini.*
12. *Est stricti juris et non extenditur ultra in eo expressa etiam minora.*
13. *Procurator ad vendendum rem mandantis oppignorare vel hypothecare non potest.*
14. *Et multo minus donare.*
15. *Nec potest remittere jus redimendi.*
16. *Neque vendere bona a domino acquisita post factum mandatum.*
17. *Nec venditioni consentire cum ipsemet vendere debeat.*
18. *Neque sibi ipsi vendere, nisi hoc sit in mandato expressum.*
19. *Neque permutare.*
20. *Nec transigere.*
21. *Neque locare.*
22. *Nec potest alium ad faciendum venditionem substituere.*
23. *Quod procedit si procuratori, quoad venditionem faciendam, nulla fuit certa forma praescripta.*
24. *Secus si contra.*
25. *Procurator debet licite vendere et ea servare quae de jure vel ex forma statuti vel constitutionum sunt servanda.*
26. *Procurator mulieris vel minoris an in venditione teneatur servare solemnitates in istorum contractibus requisitas: remissive.*
27. *Procurator Principis illas servare non tenetur, quia is in loco suae jurisditionis absque ulla solemnitate vendere valet.*

28. *Procurator in venditione ea omnia gerere potest quae sunt contractui ita connexa, ut sine illis nequeant explicari.*
29. *Ac etiam consequutiva ejusdem contractus.*
30. *Atque ea quae in ipso solent intervenire.*
31. *Potest adijcere poenam pro observatione contractus.*
32. *Atque alia pacta poenalia quae solent apponi ad favorem emptoris.*
33. *Et fortius ea quae sunt de natura contractus, prout est evictionis promissio.*
34. *Evictio oritur cum emptionis contractu.*
35. *Procurator vendendo promittere potest de evictione rei venditae.*
36. *Ad quid tendat illius promissio.*
37. *Procuratori censetur data facultas ea faciendi quae tendunt ad perfectionem contentorum in mandato.*
38. *Procurator ad vendendum potest quoque recipere praetium rei venditae.*
39. *Mandatum speciale non requiritur ad vendendum ea quae facile corrumpuntur, uti fructus, sed sufficit generale.*
40. *Sicuti etiam ad faciendam venditionem solitam.*
41. *Procurator vendens quando remaneat obligatus de evictione.*
42. *Procurator constitutus ad emendum certum praedium in quo ipse habeat partem, istam quoque tenetur vendere mandanti.*
43. *Secus si sit constitutus ad vendendum.*
44. *Ratio differentiae.*
45. *Limitatur praedicta conclusio si venditio fieret eodem tempore quo fit mandatum.*
46. *Quomodo quis in contrahendo cum hujusmodi procuratore ad vendendum sibi consulere debeat.*
47. *Procurator, uti talis, vendendo rem super qua jus habet sibi non praejudicat.*
48. *Et non ipse sed mandans tenebitur de evictione.*
49. *Facta venditione, si dubitetur de sufficienti mandato, istud satis probatur ex illius enunciativa in instrumento facta, cum aliis adminiculis.*
50. *Mandatum ad vendendum expirat morte mandantis.*
51. *Expirato mandato, si scienter procurator rem vendat censetur furtum committere.*

1. Procuratorem posse constitui ad vendendum probat *Tex. in L. creditor § Lucius ff mand., in L. rogasti in princ. ff de prescr. verb., Paris. cons.* 91 *n.* 12 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 4, *et decis.* 53 *n.* 1.

« Quando procurator est simpliciter constitutus ad vendendum non po-
« test transferre possessionem per constitutum possessorium, aut alium
« actum fictum, *Ridolphin. in prax. par.* 2 *cap.* 5 *n.* 61.

2. Non tamen sufficit mandatum generale, sed est necessarium speciale, *L. procuratorem cod. de procur.*, *Alex. cons.* 189 *n.* 7 *lib.* 7, *Rim. Jun. cons.* 381 *n.* 89 *lib.* 4, *Rol. a Vall. cons.* 9 *n.* 4 *lib.* 3, *Rebuff. ad constitut. Regn. in rubr. de elect. derogat. vers. trigesimo.*

3. Vel saltem generale cum libera, *Rol. d. n.* 40, *Decian. cons.* 91 *n.* 1 *lib.* 3.

4. Immo satis esset quod procurator haberet facultatem cedendi actiones et jura, *Rot. post nostrum tract. de censib. decis.* 186 *n.* 3.

« Quando alter ex fratribus gerit negocia domus, ex hac sola circum-
« stantia dicitur habere mandatum a lege, quare in his terminis, absque
« alio expresso mandato, subsistit venditio ab eo facta, et ab aliis fratribus
« retractari non valet, ut ex *Cirocch. discept.* 76 *n.* 21, tradit *Palma*
« *Nepos decis.* 169 *n.* 9 *lib.* 2.

5. Procurator autem postquam tale mandatum recepit et acceptavit tenetur illud exequi et ad finem perducere, § *mandatum instit. de mand.*, *Surd. decis.* 304 *n.* 4 *et* 5, et fuit dictum *cap.* 55 *n.* 13 *et seq.*, *cap.* 75 *n.* 5 *et seq.*

6. Et si possit vendere et non vendat non caret dolo, *Paris. cons.* 91 *n.* 13 *lib.* 1.

7. Et tenetur mandanti ad omne interesse, ut subdit ibi *Paris. n.* 12, et firmatum fuit *in Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 5 *et* 6, *et decis.* 68 *n.* 15, *et in Consilio Mantuano*, teste *Surd. d. decis.* 304 *n.* 4.

8. Hoc tamen mandatum non censetur concessum ex eo quod quis sit constitutus procurator cum facultate colloquendi et tractandi, quia tale mandatum non comprehenderet ut procurator posset firmare et concludere venditionem, ut resolvit *Rot. decis.* 716 *n.* 1 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

9. Neque ex facultate data procuratori de ostendendo rem vendendam, *Bertaz. cons. crimin.* 415 *n.* 9 *lib.* 2.

10. Nam ex actibus praeparatoriis non censetur datum mandatum ad venditionem ipsam explicandam, *Rom. cons.* 461 *col.* 1, refert *Bertaz. d. num.* 9.

11. Cum enim talis venditio possit esse domino praejudicialis, non potest ad illam deveniri sine speciali mandato, *Paris. cons.* 31 *n.* 113 *lib.* 1, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 75 *n.* 1, et coram *Coccino decis.* 326 *n.* 4.

12. Et multo minus quia mandatum hoc est stricti juris, et non se extendit ultra expressa in procuratorio, etiam minora.

« Mandatarius specialiter deputatus ad vendendum, sequuta venditione
« ejus facultas remanet consumpta, neque distrahere potest, *Card. de Luc.*

« *de regal. disc.* 125 *n.* 15, quamvis contrarium procedat in procuratore generali, *Idem ibid. n.* 15.

13. Et proinde procurator constitutus ad vendendum non potest oppignorare et subiicere rem mandantis hypothecae, *Bertaz. cons.* 278 *num.* 23 *lib.* 2. *Crimin.*

14. Et multo minus donare, *Franc. Marc. decis.* 618 *n.* 2 *par.* 1, *et decis.* 694 *et decis.* 695 *utrobique n.* 3 *par.* 2, *Lamberteng. de contract. cer. Gloss.* 7 *in verb. consensus quaest.* 9 *n.* 18 *cum seq.*

15. Nec etiam potest remittere jus redimendi rem quam mandans vendiderat, reservata sibi facultate illam redimendi, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 10 *lib.* 3, sequitur *Joseph. Ludovici decis. Perusin.* 37 *n.* 8.

16. Neque poterit vendere bona quae mandans post factum mandatum acquisivit, nam mandatum illud restringitur ad ea bona dumtaxat quae mandans habebat tempore facti mandati, *L. si ita legatum ff de aur. et arg. legat.*, *Hieronym. Carvallos. commun. contra commun. quaest.* 136 *n.* 12, *Joseph Ludovici d. decis.* 37 *n.* 4 *et n.* 8 *in fin.*

17. Nec etiam poterit venditioni consentire, sed ipsemet debet vendere, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 9 *n.* 107, *Simon de Bract. cons.* 68 *n.* 13 *in fin.*, *et n.* 14 *lib.* 1, *Rot. decis.* 162 *n.* 3 *par.* 1 *Recent.*

18. Neque etiam sibi ipsi vendere, nisi hoc sit expressum in procuratorio, *Rot. decis.* 85 *n.* 4 *par.* 4 *Divers.*

19. Nec permutare, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 7.

20. Nec transigere, *Dec. cons.* 36 *sub n.* 5 *vers. tertio quia*, *Mandell. Alb. cons.* 376 *num.* 36 *lib.* 2, *Anton. Monach. decis. Lucens.* 25 *n.* 69.

21. Immo nec locare, ut per regulam *L. diligenter ff mand.*, concludit *Carocc. in tract. de locat. in tit. de procur. quaest.* 32 *n.* 57.

22. Procurator autem iste debet per semetipsum mandatum exequi et explere, nec potest hanc facultatem vendendi alteri committere, et alium ad dictam venditionem faciendam substituere, *Ant. Monach. d. decis. Lucens.* 25 *n.* 71, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 26, qui multos allegat.

23. Quod tamen procedit quando procuratori nulla fuit certa forma praescripta quae in venditione facienda sit servanda, quia tunc censetur electa industria personae, unde non potest alium substituere, ut diximus *cap. XXXIX n.* 5, dum egimus de potestate substituendi.

24. Secus autem si ei data fuerit certa forma, puta si sit constitutus procurator ad vendendum rem certam et expressam tanto praecio cum talibus pactis et conditionibus. Nam cum eo casu non possit dici electa industria personae, nec etiam videatur quod mandans de procuratore multum confidat, ex quo praescripsit illi certam formam sub qua venditio sit facienda; non videtur ei denegandum quin possit ad faciendum dictam ven-

ditionem sub praescripta forma alterum in sui locum ponere, *Rim. Sen. cons.* 435 *n.* 7 *et* 8 *lib.* 3, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 14 *et* 15.

25. Debet autem procurator constitutus ad vendendum, in executione mandati licite vendere et servare ea quae de jure vel ex forma statuti vel constitutionum sunt servanda, *Sim. de Praet. cons.* 36 *n.* 17 *et* 18 *lib.* 1.

26. Unde posset dubitari, an procurator constitutus ad vendendum a muliere vel minore teneatur in actu venditionis servare solemnitates requisitas in contractibus minorum et mulierum, quem articulum explicabimus supra *cap. LXXI n.* 7 *et seqq.*, dum egimus de mandato facto ad contrahendum.

27. Quas certe servare non teneretur procurator constitutus ad vendendum a Principe, qui in loco suae jurisditionis potest absque alia solemnitate vendere, *Abb. cons.* 41 *n.* 3 *lib.* 1, *Dec. cons.* 341 *post. n.* 12, *Capyc. decis.* 16 *n.* 4, *Franc. a Pont. cons.* 54 *n.* 14.

28. In venditione autem facienda poterit iste procurator facere non solum ea omnia quae sunt contractui emptionis et venditionis adeo connexa, ut sine illis contractus ipse explicari non possit, *Ceph. cons.* 693 *num.* 24 *lib.* 5, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 17 *lib.* 3, *Sylvan. cons.* 35 *n.* 38 *lib.* 1, cum aliis congerendis per nos *cap. XCVII* dum agemus de mandati finibus custodiendis:

29. Sed etiam ea quae sunt consecutiva ipsius venditionis, *L.* 2 *ff de jurisd. omn. judic.*

30. Nec non etiam ea quae in tali contractu intervenire solent, *Burs.*, qui multos allegat, *cons.* 44 *n.* 8 *lib.* 1, *Rot. cor. Coccin. decis.* 109 *n.* 11 cum aliis congestis per nos dicto *cap. XCVII.*

31. Et proinde poterit adiicere poenam pro ipsius contractus observatione, *Angel. in L.* 1 *in princ. ff de judic.*, *Jas. in L. certi conditio* § *si nummos n.* 13 *et* 14 *ff si cert. pet.*, *Riminal. Jun. cons.* 26 *n.* 17 *lib.* 1, *Menoch. cons.* 37 *num.* 65 *lib.* 1.

32. Ac etiam alia pacta poenalia, quae sunt solita apponi in similibus instrumentis venditionum ad favorem emptoris, *Curt. Jun. cons.* 147 *n.* 16, *Ruin. cons.* 66 *n.* 5 *lib.* 4 *et cons.* 59 *n.* 2 *lib* 5, *Soc. Jun. cons.* 21 *n.* 3 *lib.* 3.

33. Et multo magis poterit apponere ea quae sunt de natura contractus emptionis et venditionis, prout est promissio de evictione, *Gloss. in L. pacta conventa ff de contr. empt.*

« Procurator ad vendendum potest promittere de evictione et obli-
« gare bona domini, licet hoc in mandato non fuerit expressum, quod pro-
« cedit etiam in procuratore Principis, *Gob. ad L. bene a Zenone cod. de*
« *quadr. praescript. quaest.* 2 *n.* 68.

34. Quae cum ipso contractu emptionis oritur, *L. non dubitatur cod. de evict.*, *Dec. cons.* 483 *n.* 15, *Curt. Jun. cons.* 38 *n.* 2, et nos diximus in *tract. de censibus par.* 2 *cap.* 1 *quaest.* 3 *art.* 1 *n.* 25 *et* 26.

35. Et proinde iste procurator vendendo poterit de evictione rei venditae promittere, *Soc. Jun. d. cons.* 22 *n.* 6 *lib.* 3, *Rim. Sen. cons.* 151 *n.* 16 *lib.* 1.

36. Et absque dubio, quia ista promissio tendit ad perfectionandum contractum venditionis, ut scilicet emptor sit securus si res aliena vel alteri obligata venderetur, quae propterea posset ab emptore avocari, ad quod praecipue tendit dicta promissio de evictione, *L.* 3 *et tot. tit. ff et cod. de evict.*

37. Procuratori autem censetur data facultas explicandi ea quae tendunt ad perfectionem eorum quae in mandato continentur, *L. quamvis*, et ibi hoc notat *Bald. cod. de fideicom.*, refert *Soc. Jun. d. cons.* 22 *n.* 5 *et* 27 *lib.* 3.

38. Et per hanc rationem dicebat *Magon. decis. Lucens.* 34 *num.* 12, quod procurator ad vendendum possit etiam recipere praecium rei venditae, cum id sit de natura contractus et tendat ad illius perfectionem. Et licet non desint qui contrariam partem tueantur, quos recenset *Stracc. de mercatur. in tit. de mandat. n.* 23, *et Vinc. de Franch. decis.* 699 *n.* 3, quibus addi potest *Ant. Ciof. cons.* 56 *n.* 9 *lib.* 1:

Primam tamen opinionem tenent *Bart. in L. filiae n.* 2 *ff de solut.*, *Dec. in L. filiusfamil. n. . . . . cod. de pact.*, et ibi *Addent. et cons.* 330 *n.* 3, *Paris. cons.* 122 *n.* 1 *lib.* 4, *Stracc. d. n.* 23 *vers. vulgaris est illa quaestio.*, *Addent. ad Rom. singul.* 25, *Rot. coram Seraph. decis.* 548 *n.* 4, et illam tamquam aequiorem sequutam fuisse Consilium Neapolitanum, testatur *Vinc. de Franch. d. decis.* 699, licet late discusso negocio, dicat aliam in puncto juris esse veriorem, et nitatur defendere *Novar. ibi in addit.* ubi respondet contrariis; et hanc distinctionem sunt amplexi etiam *Addent. ad Gregor. XV decis.* 139 *n.* 8.

« Procurator constitutus ad vendendum, intelligitur tacite constitutus « etiam ad recipiendum praetium ab emptore, *Palma Nepos decis.* 90 *n.* 18 « *lib.* 1: cum mandatum datum ad praeparatorium seu antecedens praesu- « matur quoque datum ad omne id quod necessario consequitur, *ibidem* « *num.* 19.

39. Caeterum quamvis ad vendendum requiratur mandatum speciale, ut supra fuit firmatum, ista tamen conclusio fallit in duobus casibus; primo, ad vendendum ea quae facile corrumpuntur, quales sunt fructus quos potest procurator cum generali mandato vendere, *L. procurator tutorum ff de procur.*, *Gloss. fin. in L. procuratorem*, et ibi *Alex. n.* 3 *cod. eod. tit.*, *Bald. cons.* 138

n. 2 *lib.* 5, *Rebuff. in L. mulieres* 13 § *res abesse col.* 6 *in fin. ff de verb. signif.*, *Caballin. ad constitut. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. trigesimus sextus.*

40. Secundo, ad faciendam venditionem solitam, *Arg. Tex. in L. qui universorum ff de pignor. act.*, *Caballin. d. vers. trigesimus sextus.*

41. An autem iste procurator vendens remaneat ipse obligatus de evictione? Concludendum est quod si mandatum fuit factum contemplatione ipsius procuratoris, vel contemplatione ipsius et mandantis, remaneat obligatus, secus si contemplatione mandantis dumtaxat, *L. servum Titii ff mand.*, *L. eum qui ff si cert. pet.*, *Bart. in L. procurator qui pro evictione n.... ff de procur.*, *Rim. Sen. cons.* 151 *n.* 16 *lib.* 1.

42. Sed hic dubitari posset an sicut procurator constitutus ad emendum certum praedium, in quo ipse habeat aliquam partem, tenetur partem suam vendere mandanti, ut dictum est *cap. LXXV de mandato ad emendum n.* 6 *et seqq.*, ita etiam teneatur partem suam vendere si sit constitutus procurator ad vendendum?

43. Et pro parte negativa concludit, *Costa de ration. ratae quaest.* 162 *num.* 4.

44. Ratio autem differentiae inter istos casus potest assignari, quia in mandato ad emendum videtur concurrere simultaneus consensus mandantis et mandatarii, qui videtur consentire etiam in sua portione pro mandante emenda eo ipso quod accipit mandatum, ut diximus *d. cap. LXXV ex Bald. in L. unic. n.* 16 *cod. si serv. exter.* et aliis ibi allegatis.

45. Qui consensus simultaneus mandatarii et futuri emptoris cessare videtur, nisi venditio fieret eo ipso tempore quo fit mandatum, ut considerat *Costa d. n.* 4, *et Angel. Aret. in L. bene a Zenone n. . . . . cod. de quadrienn. prescr.*

46. Is autem qui vult cum isto procuratore caute contrahere, et secure rem emere, cum agatur de praejudicio mandantis rei vendendae domini, non debet credere asserto procuratori, quod habeat mandatum efficax et sufficiens ad vendendum, *Bertaz. cons. crim.* 412 *n.* 11 *lib.* 2, sed curare debet ut sibi exhibeatur mandatum realiter et cum effectu, alias diceretur esse in mala fide, ut dicit *Bertaz. d. cons.* 412 *n.* 10, et alios allegant *Addent. ad illud consilium* 493 *sub litera A*, *vers. et haec quoad poenam.*

47. Verum si iste procurator constitutus ad vendendum fundum habeat jus aliquod super re vendenda, fuit dubitatum an si illam vendat procuratorio nomine sibi praejudicet respectu sui juris, et partem affirmativam videtur tenere *Tiraquel. de retract. lign.* § 1 *Gloss.* 9 *n.* 265 *et seq.*

Sed negativam firmat *Imol. cons.* 57, quem sequitur *Pancirol. cons.* 37 *n.* 9, quorum sententia magis mihi placet, cum iste procurator non pro-

prio, sed mandantis nomine vendat; unde non ipse, sed mandans vendere videtur, cum factum a procuratore ab ipso mandante factum censeatur;

« Actum faciens nomine alieno, sibi non praejudicat in propriis juribus, « *Saminiat. controv.* 17 *n.* 25 *lib.* 1.

« Quod tamen procedit quando quis actum explicat procuratorio vel « administratorio tantum nomine, secus vero si quis etiam pro suo jure « et interesse, et renunciando cum juramento cuicumque beneficio sibi « competenti, actum expleret; tunc enim tantum abest quod intret distin- « ctio personarum formalium, ut dum eodem materialis pro utroque jure « reprehesentato actum explevit, cesset in facto hujusmodi obiectum, *Sami-* « *niat. d. controv.* 17 *n.* 26 *lib.* 1.

48. Ac proinde censeatur licet vendita tota res, et sic etiam jus quod habet procurator, ut multorum auctoritate deducit *Surd. cons.* 13 *num.* 19 *lib.* 1, attamen non ipse procurator sed mandans tenebitur de evictione, ut supra dictum fuit.

49. Si autem facta venditione revocaretur in dubium, an procurator haberet mandatum sufficiens ad vendendum, illud satis remaneret probatum ex enunciativa illius facta in instrumento venditionis cum aliis adminiculis, ut fuit resolutum in *Rot. decis.* 187 *n.* 1 *cum seqq. par.* 1 *divers.*

50. Mandatum autem istud, sicut regulariter quodlibet aliud, expirat morte mandantis, ut dicemus ad finem tractatus *cap. CXX*, et concludit *Ant. Monach. decis. Lucens.* 25 *n.* 75.

51. Si autem, expirato mandato, procurator iste habens scientiam mandatum expirasse, alienet et distrahat rem mandatam, furtum committere censetur, *L. falsus, ubi Gloss. et DD. cod. de furt.*

CAPUT LXXIX.

PROCURATOR AD VENDENDUM AN POSSIT HABERE FIDEM DE PRAETIO.

SUMMARIUM

1. *Procurator habens amplam et generalem facultatem vendendi, potest vendere etiam habita fide de praetio.*
2. *Maxime si fuerit ei data facultas vendendi, habita praedicta fide, vel expresse.*
3. *Vel etiam tacite per clausulas aequipollentes.*
4. *Fallit principalis conclusio in illis qui habent mandatum a lege, qui debent vendere praesente pecunia.*

5. *Ac etiam in procuratore vendente pignora ad hastam.*
6. *In subhastationibus praesens pecunia requiritur.*
7. *Quando procurator potest habere fidem de praetio, illam ad modicum tempus habere debet.*
8. *Habens facultatem restrictam ad vendendam aliquam rem pro certo praetio, de isto fidem habere nequit.*
9. *Nam illam habendo diceretur rem vendere minori praetio.*
10. *Vendens rem majori praetio sibi mandato, illud plus domino tenetur restituere.*
11. *Eum cui imminent incommoda, commoda quoque sequi debent.*
12. *Lucrum non debet esse sine periculo.*
13. *Ex mandato nil apud procuratorem remanere debet, neque ex illo ipse damnum pati.*
14. *Procurator domini conditionem meliorem facere potest.*
15. *Habens mandatum ad vendendum ad effectum dimittendi creditores, non potest habere fidem de praetio.*
16. *Neque habens mandatum ad vendendum praesenti pecunia.*
17. *Tale datum fuisse mandatum, quomodo cognoscatur: remissive.*
18. *Quoties autem dictum fuit procuratorem non posse habere fidem de praetio, limitatur non procedere, quando solutionis dilatio ex quadam necessitate conceditur.*
19. *Venditor frui non debet re simul et praetio.*

Circa procuratorem constitutum ad vendendum non incongrua remanet dubitatio in hoc capite excutienda, videlicet, an iste procurator constitutus ad vendendum, possit rem mandatam vendere habita fide de praetio, et ut dicitur *a credenza*. In qua dubitatione reperio Scribentes non bene inter se convenire, sed in varias ivisse sententias, ut videre est apud *Socin. Jun. cons.* 21 *lib.* 3, et alios.

Ego vero, ut res clarior fiat, illam per casuum considerationem explicandam et resolvendam operae praetium esse existimavi.

1. Primus itaque casus est in procuratore habente amplam et generalem facultatem vendendi. In quo constituendam censeo conclusionem affirmativam quod possit vendere etiam habita fide de praetio, auctoritate *Bart. in L. a Divo Pio § sed si emptor n.* 2 *in fin. ff de re judic.*, *Soc. Jun. cons.* 21 *n.* 1 *lib.* 3, *Alvarus Valaseus consult.* 21 *n.* . . , *Ludovicus Morotius cons.* 21 *per tot.*, *Rot. cor. Verall. decis.* 276 *n.* 1 *par.* 1, *Joseph Ludovici decis. Perusia.* 33 *n.* 7.

2. Et absque dubio si talis facultas vendendi habita fide de praetio

fuisset procuratori concessa, vel expresse, *Gratian. discept. forens. cap.* 329 *n.* 26,

3. Vel tacite per clausulas aequipollentes, puta si illi sit data potestas apponendi in instrumento venditionis faciendae omnes conventiones et pacta convenienda cum emptore; per quam clausulam censetur ei data facultas etiam habendi fidem de praecio, ut considerat *Burs. cons.* 304 *n.* 34 *lib.* 3.

4. Haec autem conclusio firmata in hoc primo casu debet restringi et limitari; primo, ut non procedat in iis personis quae habent mandatum a lege, de quibus dictum fuit *cap. III de mandato habito a lege.* Isti enim quatenus vendant debent vendere praesente pecunia, non autem habita fide de praetio, *L. si procurator in fin. ff de jur. fisc.*, *Bart. in d.* § *sed si emptor n.* 3, *Joseph Ludovic. d. decis.* 37 *n.* 7, *Gratian. d. cap.* 329 *n.* 38 *et* 39, *Addent. ad Bertaz. cons.* 409 *n. . . . vers. apparet ergo lib.* 2 *crim.*, qui multos allegant.

5. Limitatur secundo in procuratore vendente pignora ad hastam, *per Tex. in d. L. a Divo Pio* § *sed si emptor vers. oportet ff de re judic.*

6. Per quem *Tex. DD.* communiter exclamant, quod in subhastationibus non potest fieri venditio nisi praesenti pecunia, quod fuit saepius in Rota canonizatum, quod si hoc negatur ipsi creditori vendenti, multo magis censeri debet esse prohibitum illius procuratori, *adnot. in auth. multo magis cod. de Sacros. Eccles.*

7. In iis autem casibus in quibus procurator potest habere fidem de praetio cavere debet ut non habeat fidem per longum tempus, sed dumtaxat ad paucos dies, *DD. in d.* § *sed si emptor*, et signanter *Fulgos n. . . , et Alex. n. . . . , Angel. cons.* 387 *n.* 7 *vers. quid enim, Gozad. cons.* 73 *n.* 33.

8. Secundus casus est, quando procurator habet limitatam et restrictam facultatem ad vendendum aliquam rem certam pro certo et limitato praecio. In quo est constituenda conclusio negativa, quod non possit habere fidem de praecio, *d. L. a Divo Pio* § *si post*, et ibi *Gloss. ff de re judic.*, *Bald. in L. incivile n.* 2 *vers. specialis autem procurator, et in* 3 *quaest. . . . de reivindicat.*, *L. cum vendente, ubi Gloss. et Bald. cod. ubi caus. fiscal.*, *Rot. Genuen. decis.* 202 *n.* 3, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 23 *n.* 4 *vers. et propterea secus esset, Joseph Ludovic. d. decis. Perus.* 33 *n.* 7 *vers. primo enim*, late *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 4 *tit.* 21 *n.* 3.

9. Nam habendo fidem de praecio diceretur vendere minori praetio quam haberet in mandatis, *L. si praecio in fin. ff de in diem adiect.*, *Bart. in d.* § *si emptor n.* 2 *vers. et in speciali procuratore*, *Gratian. discept. forens. d. cap.* 329 *n.* 43.

10. Verum circa hunc casum posset dubitari, an si iste procurator vendat rem illam praecio majori quam fuerit sibi mandatum, ipse lucretur

illud plus, an potius teneatur restituere mandanti, maxime si in mandato non sit adiecta clausula, quod si plus vendat illud sibi acquirat. Et quod illud plus sit restituendum mandanti, concludit *Marsil. singul.* 632 *et* 664.

11. Cum enim mandans teneatur ad omne periculum rei venditae succedit vulgaris regula eum sequi debere commoda cui imminent incommoda, *L. secundum naturam*, et ibi *DD. ff de regul. jur.*

12. Neque enim lucrum debet esse sine periculo, ut in proposito dicit *Giurb. decis.* 28 *n.* 2.

13. Ex mandato enim apud procuratorem qui mandatum suscepit, nihil remanere oportet, sicuti nec damnum pati, ut dicit *JC. in L. ex mandato ff mand.*

14. Et procurator potest facere meliorem conditionem mandantis, ut alias dictum fuit.

15. Tertius est casus, quando procuratori fuit factum mandatum ad vendendum ad effectum ut cum praecio satisfiat creditoribus mandantis, et hoc casu verior est opinio negativa, quod venditio non possit fieri a procuratore habita fide de praecio, *Bart. per illum Tex. in d.* § *sed si emptor n.* 2 *in fin. vers. si vero est procurator*, *Mantic. de tacit. d. lib.* 4 *tit.* 21 *n.* 3 *vers. sed Bart.*, *Rot. coram Card. Cavaller. decis.* 18 *n.* 4 *et dec.* 24 *n.* 5, ubi plures allegantur.

16. Quartus est casus, quando procurator habuit in mandatis ut vendat praesenti pecunia, et hoc etiam casu multo magis est illi prohibitum vendere habita fide de praecio; tenetur enim servare fines mandati, *L. diligenter ff mand.*, *Soc. Jun. cons.* 21 *n.* 1 *ad fin. vers. nec obstat. lib.* 3, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 23 *n.* 4.

17. Quomodo autem cognoscatur procuratori fuisse datum mandatum quod vendat praesenti pecunia, declarat *Ang. cons.* 288 *n.* 2 *per tot.*, *Soc. Jun. d. cons.* 21 *n.* 2 *et* 4, *Rim. Jun. cons.* 5 *n.* 197 *et seq. lib.* 1.

18. Istae autem conclusiones negativae firmatae in tribus ultimis casibus, sunt uno modo restringendae ex mente *Soc. Jun. in d. cons.* 21 *n.* 2 *vers. secundo;* ut non procedant quando dilatio ad solvendum praecium fieret ex quadam necessitate et congruentia, puta si traditio rei venditae differatur ad aliquod tempus.

19. Congruit enim ut ad illud idem tempus fiat emptori dilatio ad solvendum praecium, ne venditor recipiens statim, conclusa venditione, praecium gaudeat re et praecio, donec adveniat tempus praefixum traditioni rei venditae, quod esset contra aequitatem, *L. curabit cod. de act. empti*

CAPUT LXXX.

DE MANDATO AD LOCANDUM.

SUMMARIUM

1. *Ad locandum potest dari mandatum, sed debet esse speciale.*
2. *Praesertim ad locandum ad longum tempus vel in perpetuum.*
3. *Ex hujusmodi locatione utile dominium transfertur.*
4. *Ac etiam possessio.*
5. *Principalis conclusio maxime procedit in locatione bonorum Ecclesiae.*
6. *Ista si fiat ad longum tempus, sapit alienationem.*
7. *Et potest dici quaedam venditio.*
8. *Unde requiritur speciale mandatum.*
9. *Non tamen individuum.*
10. *Mandatum promiscue a DD. speciale ac individuum solet appellari.*
11. *In constitutione procuratoris ad locandum res Ecclesiae debent servari solemnitates necessariae in ipsa locatione.*
12. *Alienatio incipit ex procuratoris constitutione.*
13. *Procurator simpliciter constitutus ad locandum, potest etiam locare ad longum tempus.*
14. *Procurator ad locandum an possit pensiones exigere.*
15. *Habens mandatum ad peragendum actum praeparatorium, haud semper habet potestatem ad ipsius actus explicationem.*
16. *Intellectus* Tex. in L. quod servus, et in L. filio ff de solut.
17. *Mandatum speciale sicuti ad locandum, ita etiam ad liberandum conductorem requiritur.*

1. Ad locandum quoque bona constituentis potest dari mandatum, sed illud debet esse speciale, ut per bonas rationes deducit *Vinc. Carocc. in tract. de locat. et conduct. in tit. de procurat. quaest.* 1 *n.* 1 *et seqq.*

2. Et maxime ad locandum ad longum tempus vel in perpetuum, *Carocc. d. quaest.* 1 *n.* 4.

3. Nam ex simili locatione transfertur utile dominium, ut per *Redoan. in tract. de reb. Eccles. non alienand. tit.* 1 § *vocabulum quoque n.* 1 *fol. mihi* 15.

4. Et transfertur etiam possessio, et ad hujusmodi translationes faciendas

opus esse speciali mandato, diximus *cap. LXIX de casibus in quibus exigitur speciale mandatum.*

5. Et absque dubio haec procedunt in locatione bonorum Ecclesiae.

6. Quae si fiat ad longum tempus sapit alienationem, ut plene per *Carocc. d. tract. in tit. de effectib. location. ad longum tempus quaest.* 3 *per tot.*

7. Immo dici potest quaedam venditio, ut per *Carocc. d. tit. quaest.* 4 *per tot.*; et maxime *n.* 2 *et n.* 4, ubi testatur de veriori et communi, *fol. mihi* 54 *et* 55.

8. Ac propterea non potest fieri absque speciali mandato, *Cornaz. decis. Lucens.* 1 *n.* 12, *Carocc. d. tit. de procurat. quaest.* 2 *n.* 43 *vers. et in alienationibus*, *Mastrill. decis.* 77 *n.* 2 *par.* 1.

9. Qui licet dicat requiri mandatum individuum, intellexit tamen de speciali, cum fateatur in illo non esse necessarium quod exprimantur qualitates et circumstantiae bonorum locandorum, sed sufficere quod exprimatur dumtaxat praedium quod locari debet, quod sufficere in mandato speciali diximus *cap. II, et cap. LXVIII de mandato speciali.*

10. Praeterea isti termini mandatum speciale et individuum promiscue a scribentibus tamquam sinonimi usurpantur, ut diximus supra *cap. II et cap. LXVIII.*

11. In constitutione autem procuratoris ad locandum res Ecclesiae ad longum tempus debent adhiberi omnes solemnitates quae sunt necessariae in ipsa locatione, cum sit species alienationis, ut dictum est *Friderici de Senis cons.* 100 *n.* 3, *Soc. Sen. cons.* 52 *n.* 8 *lib.* 4, *Cornaz. d. decis. Lucens.* 1 *n.* 14, *Tiraq. de legib. connubial. Gloss.* 5 *n.* 189.

12. Ea ratione quia tempore constitutionis procuratoris incipit alienatio.

13. Si procurator autem sit constitutus simpliciter ad locandum, posset dubitari an possit locare ad longum tempus, an vero illius facultas sit restricta ad locationem ad tempus modicum? Quam quaestionem monet *Carocc. d. tit. de procurat. quaest.* 1 *n.* 5, et resolvit illam, quod illa facultas sit intelligenda ut possit locare etiam ad longum tempus, ea ratione quia conductoris appellatione comprehenditur tam conductor ad tempus modicum quam ad longum, ut ibi per *Eum d. n.* 5 *et infra.*

14. Fuit etiam aliquando dubitatum, an procurator constitutus ad locandum possit exigere pensiones: et pro parte negativa videtur esse bonus *Tex. in L.* 1 § *igitur praeposito ff de exercit. action.*; per quem Tex. hanc partem fuit amplexus *Rom. cons.* 461 *col.* 1 *n.* 1 *vers. quae quidem*, *Anton. Ciof. cons.* 56 *sub n.* 9 *lib.* 1, *Jacob. Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 51, et alii relati a *Vinc. de Franch. decis.* 699 *n.* 3, qui pro contraria parte *n.* 5 plures allegat, et tandem in fine concludit, quod de rigore juris videtur verior haec negativa sententia; sed affirmativam esse

aequiorem et secundum illam fuisse per consilium Neapolitanum resolutum. Verum *Novar. in addition. ad d. decis. Vinc. de Franch.* defendit affirmativam esse veriorem in puncto juris, et illam amplectuntur multi, quos retulimus supra *cap. LXXVIII*, dum egimus de procuratore constituto ad vendendum *n.* 38 *vers. et per hanc rationem*, vide *Addent. ad Gregor. XV in decis.* 139 *n.* 8 ubi de procuratore constituto ad vendendum et ad locandum, vide *Merend. controv. jur. lib.* 15 *cap.* 28.

15. Ego tamen non existimo esse recedendum a negativa. Is enim qui habet mandatum ad peragendum actum praeparatorium, non semper ad ipsius actus explicationem potestatem habere dicitur, ut apparet ex iis quae diximus supra *cap. LXVI n. 7 vers. haec tamen intelligenda sunt.*

16. Non obstat *Tex. in L. quod servus, et in L. filio ff de solut.*, ubi *Bart. n.* . . . notat procuratori constituto ad contrahendum recte solvi vigore dicti contractus, et quod propterea etiam procuratori dato ad locandum recte solvi possit pensio conventa pro re locata. Quoniam in dictis juribus JC. non loquitur in simplici procuratore ad contrahendum, sed in eo qui erat constitutus generaliter ad administrandum peculium, nam eo casu intelligitur habere mandatum, ut super illo peculio contrahat, et ex contractu ipso solutionem recipiat, ut notat *Rom. d. cons.* 461, et latius explicat *Jacob Laurent. d. cap.* 6 *n.* 51.

17. Et quemadmodum requiritur speciale mandatum ad locandum, ita etiam tale mandatum requiritur ad liberandum conductorem, ut notat *Carocc. d. tit. de procur. quaest.* 1 *n.* 17 *post Paul. de Castr. cons.* 34 *n.* . . . *lib.* 2, *Ruin. cons.* 142 *n.* 4 *lib.* 2, *Burs. cons.* 104 *n.* 19 *lib.* 1, qui de communi testatur.

« Procurator habens mandatum ad locandum, non potest locationem « prorogare vel novam facere, *Rot. decis.* 59 *n.* 19 *par.* 8 *Recent.*

CAPUT LXXXI.

DE MANDATO AD CONTRAHENDAM VEL DISDICENDAM SOCIETATEM.

SUMMARIUM

1. *Ad contrahendam societatem requiritur mandatum speciale.*
2. *Societatis contractus consensu perficitur.*
3. *In iis quae pendent a voluntate et consistunt in animo, requiritur speciale mandatum.*
4. *In societate tam universali quam particulari inter socios rerum in societatem deductarum, dominium communicatur.*

5. *Pro alienatione rerum procuratorem constituentis speciale mandatum requiritur.*
6. *Atque illud est maxime necessarium pro contrahenda societate officii.*
7. *Et requiritur non tantum ad contrahendam, sed etiam ad renovandam et disdicendam societatem.*
8. *Sicuti pariter ad disdicendam societatem officii.*
9. *Procurator habens mandatum ad disdicendas societates, non potest illas renovare, quamvis haberet mandatum pro exigendis pecuniis in illis positis.*
10. *Societas officii quomodo contrahatur.*
11. *Si inter contrahentes hujusmodi societatem adsit pactum quod liceat mutare periculum vitae unius cum alterius vita, talis mutatio fieri valet etiam a procuratore non habente speciale mandatum.*
12. *Disdicta societatis fieri valet etiam a procuratore generali cum libera, justa tamen interveniente causa.*
13. *Idem procedit quoad societatem officii.*
14. Hector Felic. de societat. cap. 35 n. 21 et 53 *reprehenditur.*
15. *Ad hoc ut sit valida disdicta societatis facta per procuratorem, requiritur ut ille etiam non requisitus mandatum exhibeat.*
16. *Et ut faciat disdictam ipsi socio, non vero ejus procuratori, licet iste speciale haberet mandatum.*
17. *Limitatur, accedente causa.*
18. *Sed tunc domino ante ratificationem non noceret.*
19. *Et interim non participaret de lucro neque de damno.*

1. Ad contrahendum societatem requiri speciale mandatum, dicit *Purpur. cons.* 118 *n.* 3 *lib.* 1.

2. Vel quia est de contractibus qui consensu conficiuntur, *L. consensu ff de act. et oblig., instit. de obligat. ex consens. in princ., Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 6 *tit.* 1 *n.* 1.

3. Et in iis quae dependunt a voluntate et consistunt in animo, requiri mandatum speciale dicemus *cap. XCI de mandato circa ea quae consistunt in animo.*

4. Vel tale mandatum requiritur, quia in societatis contractu agitur de alienatione rerum mandantis, cum tam in universali quam in particulari societate inter socios communicetur dominium rerum, super quibus societas contrahitur, *L.* 1 *in fin., L. si id quod in vers. caeterum ff pro socio, L. si tibi rem in fin. ff de praescr. verb., Gloss. magn. circa fin. in L. vir uxori,*

§ *fin. ff ad Vellejan.*, *DD. in L. si pascenda cod. de pact.*, *Sim. de Praet. cons.* 153 *n.* 7 *lib.* 1, *Hector. Felic. in tract. de societ. cap.* 9 *n.* 42.

5. In actibus autem ex quibus sequitur alienatio rerum constituentis procuratorem requiritur mandatum speciale, *L. procurator tutorum ff de procur.*, *L. mandatum cui libera*, *L. mandato generali ff eo tit.*, *Rim. Sen. cons.* 67 *n.* 8 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 62 *lib.* 2, *Caballin. ad constitut. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. trigesimus sextus*, et nos diximus supra *cap. LXXVII de mandato ad alienandum.*

6. Quod maxime procedit in contrahenda societate officii, ut deducit *Boccat. in tract. de societat. offic. n.* 159, *et Zacchias in simili tract. n.* 198.

7. Hoc autem speciale mandatum non minus requiritur ad renovandam vel disdicendam societatem, quam ad illam contrahendam, cum hoc etiam pendeat a voluntate sociorum, *Honded. cons.* 38 *n.* 15 *lib.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 699 *n.* 4.

8. Quod requiritur etiam in disdicenda societate officii, *Boccat. d. tract. n.* 17, *Honded. d. cons.* 38 *n.* 15.

9. Procurator autem qui habet sufficiens mandatum ad disdicendum societates non potest easdem societates renovare quamvis haberet mandatum ad exigendas pecunias in dictis societatibus disdicendis positas, *Rot. decis.* 149 *n.* 3 *et* 4 *par.* 1 *Recent.*, ubi plures allegantur.

10. Caeterum respectu societatis officii quae contrahi non potest nisi sub periculo vitae illius qui pecunias in dicta societate dat, vel alterius personae ab eo nominatae, *Franc. Castracanius in tract. de societat. officii cap.* 8 *n.* 1 *et seqq.*, et signanter *n.* 5.

11. Si ex pacto inter contrahentes inito liceat mutare periculum vitae unius, et tranferri ad periculum vitae alterius, ista mutatio et translatio potest fieri a procuratore, licet non habeat mandatum speciale ad illam faciendam, *Hector. Felic. d. tract. cap.* 35 *n.* 21, sequitur *Zacchias eod. tract. n.* 435.

12. Quantum vero pertinet ad disdicendam societatem, si subsit justa causa potest fieri etiam a procuratore generali cum libera, *Tex. est in L. actione* § *renunciare ff pro soc.*, et ibi *Bart. vers. verumtamen intellige*, *Bald. in L. si hominem n.* 1 *vers. nota argumentum ff mandat.*, *Honded. d. cons.* 38 *n.* 15 *lib.* 1, *Hector. Felic. d. cap.* 35 *n.* 7, *Mantic. de tacit. d. lib.* 6 *tit.* 23 *n.* 26. Nam absque causa non posset mutare ea quae dominus specialiter constituit, ut dicemus *cap. XC procurator mutare non potest facta per dominum.*

13. Quod procedit etiam respectu societatis officii, quae potest ex causa disdici a procuratore habente liberam administrationem, *Honded. d. cons.* 38 *n.* 15, *Boccat. d. tract. n.* 17.

14. Et licet *Hector Felic. d. cap.* 35 *n.* 21 *et* 53 dicat, ad disdicendam societatem officii sufficere mandatum generale, reprehenditur tamen *a Zacchia eod. tract. n.* 219, nisi dicamus *Felic.* loqui de mandato generali cum libera, quod sufficere mox dictum fuit.

15. Ad effectum autem ut disdicta societatis facta per procuratorem sit efficax et suffragetur, opus est ut procurator exhibeat etiam non requisitus instrumentum sui mandati, *Castracan. d. tract. cap.* 60 *n.* 5 *et seq.*, *Felic. d. cap.* 35 *n.* 26, *Zacch. d. tract. n.* 259.

16. Secundo requiritur, ut disdicta fiat socio ipsi principali, non autem ejus procuratori etiam habenti speciale mandatum, *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 19 *lib.* 3.

17. Nisi ex causa, ut dicemus *cap. XCI de mandato circa ea quae consistunt in animo.*

18. Quae tamen non noceret domino ante illius ratificationem, *Rim. d. n.* 19.

19. Unde interim non deberet participare neque de lucro, neque de damno contingente, *Felic. d. cap.* 35 *n.* 8.

CAPUT LXXXII.

DE MANDATO AD TRANSIGENDUM.

SUMMARIUM

1. *Ad transigendum requiritur mandatum speciale.*
2. *Sufficit etiam generale cum libera.*
3. *Procurator non potest transigere super liquidis, et super quibus lis nulla versatur.*
4. *Et multo minus super quibus nulla in futurum lis oriri valet.*
5. *Quamvis procurator habeat mandatum ad transigendum et componendum prout sibi videbitur et placebit.*
6. *Nam tale mandatum restringitur ad arbitrium boni viri.*
7. *Neque potest transigere super eo quod fuit decisum per sententiam in judicatum transactam.*
8. *Neque cum aliquo facere pactum gratuitum.*
9. *Habens facultatem transigendi super una tantum causa pro unica pecuniarum summa, vel pro alia re certa assignata super aliis simul transigere nequit.*
10. *Et transactio ratione individuitatis in totum corrueret.*
11. *In individuis utile per inutile vitiatur.*
12. *Limitatur, accedente domini utilitate.*

1. Conveniunt communiter Scribentes quod ad transigendum non sufficiat mandatum generale, sed exigatur speciale, *L. mandato generali ff de procur.*, *L. transactionis*, et ibi *DD.* maxime *Jas. n.* 7 *cod. de transact. Cap. contingit*, *cap. per tuas extr. de arbitr.*, *Alex. cons.* 129 *n.* 2 *lib.* 1, *Purpur. cons.* 524 *n.* 7 *in fin.*, *et cons.* 466 *n.* 19 *lib.* 2, *Beroius cons.* 76 *n.* 17 *lib.* 1, *Decian. cons.* 65 *n.* 32 *lib.* 5, *Soc. Sen. cons.* 18 *n.* 37 *lib.* 1, *Soc. Jun. cons.* 129 *n.* 55 *lib.* 1, *Andr. Gayl. practic. observat. lib.* 2 *observat.* 72 *n.* 12, *Sim. de Praet. cons.* 30 *n.* 32 *lib.* 1, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. decimus octavus*, *Bertaz. cons. crimin.* 407 *n.* 1 *lib.* 2, *Surd. cons.* 359 *n.* 4 *lib.* 3, *Joseph Ludovic. in suis communib. conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers. quinto requiritur*, *Beroius cons.* 175 *num.* 5 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 546 *n.* 24 *lib.* 5, *Grat. cons.* 159 *n.* 6 *lib.* 2, *Rot. decis.* 414 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

2. Sufficit tamen mandatum generale cum libera, *Gloss. in d. L. transactionis in verb. derogavit cod. de transact.*, *Purpur. cons.* 580 *num.* 18 *lib.* 2, *Gayl. de observat.* 72 *n.* 10, *Rot. d. decis.* 414 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

« Mandatum continens facultatem confitendi debitum, quodcumque ju-
« ramentum praestandi, cum facultate non contraveniendi et habendi ratum;
« importat mandatum cum libera et facultatem transigendi, *Rot. decis.* 300
« *n.* 23 *par.* 11 *Recent.*, quod adnotatur *et cap.* 65 *ad n.* 8 *et cap.* 110
« *num.* 10.

3. Iste tamen procurator vigore dicti sui mandati non potest transigere super liquidis, et super illis in quibus nullum versatur litigium, *Paul. de Castr. cons.* 32 *n.* 4 *lib.* 2, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 311 *n.* 1 *et* 2.

4. Et multo minus super eis super quibus in futurum nulla posset oriri controversia et lis, cum transactio sit de re dubia, *L.* 1 *ff de transact.*, *Gerard. Mazol. cons.* 110 *n.* 58 et infra.

5. Etiam quod dictus procurator habeat mandatum ad transigendum et componendum, prout sibi videbitur et placebit, nam non propterea posset transigendo domino enormissime praejudicare, *Bertaz. d. cons. crimin.* 407 *n.* 2 *lib.* 2.

6. Nam tale mandatum censetur limitatum et restrictum ut debeat intelligi juxta arbitrium boni viri, *Socin. Jun. d. cons.* 129 *n.* 23 *et seq.*

7. Et proinde non posset transigere super eo quod esset decisum et terminatum per sententiam quae in judicatum transitum fecisset, *Ruin. cons.* 67 *n.* 8 *lib.* 5.

8. Neque posset cum aliquo facere pactum gratuitum, *Frideric. de Sen. cons.* 177 *vers. in centrarium, et vers. super secundo dubio*, *Jas. in*

L. contra juris § si filius n. 5 ff de pact., Rot. coram Sarmient. decis. 106 *lib.* 1.

9. Et si haberet facultatem transigendi dumtaxat super una causa, si transigeret non solum super illa, sed etiam super aliis pro unica tantum summa pecuniarum sibi tradita, vel alia quapiam re certa assignata, nulliter ageret.

10. Et transactio ratione individuitatis in totum corrueret, *Mandell. Alb. cons.* 731 *per tot. lib.* 4.

11. Nam in individuis utile per inutile vitiatur, *cap. utile*, et ibi et alibi passim Scribentes *de reg. jur. lib.* 6.

12. Si autem transegisset ad utilitatem domini, transactio substineretur, *Caballin. in d. Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. decimus octavus in fin.*

CAPUT LXXXIII.

DE MANDATO AD COMPROMITTENDUM.

SUMMARIUM

1. *Compromissum est species transactionis.*
2. *Ad compromittendum est necessarium speciale mandatum.*
3. *Cum compromissum sit alienationis species, qui prohibetur alienare etiam compromittere prohibetur.*
4. *Ad compromittendum non sufficit mandatum generale cum promissione de rato, licet aequipolleat speciali.*
5. *In mandato tamen non est exprimenda persona cum qua adest lis, neque illa in quam est compromittendum.*
6. *Et sufficit mandatum generale cum libera.*
7. *Sed sequi debet principalis ratificatio.*
8. *Quae tantum notificanti nocere valet.*
9. *Sola autem compromissi petitio fieri potest etiam a procuratore non habente speciale mandatum.*
10. *Procurator non potest compromittere liquida et clara.*
11. *Neque ea super quibus tempore facti mandati nulla lis aderat, neque timebatur ad futura.*
12. *Habens mandatum ad compromittendum de jure, non potest compromittere etiam de facto.*
13. *Si illud sit simpliciter factum ad compromittendum, an per primum compromissum expiret: remissive.*

14. *Ad prorogandum quoque compromissum requiritur speciale mandatum.*
15. *Nec sufficit generale, licet procurator esset effectus dominus litis.*
16. *Sufficit tamen generale cum libera.*
17. *Procurator habens facultatem prorogandi compromissum id agere debet durante primo compromisso, et partibus praesentibus, aut saltem intimatis.*
18. *Procurator constitutus ad compromittendum vel prorogandum compromissum an habeat facultatem restrictam ad primum compromissum et ad primam vicem, praesertim si in mandato adsit clausula*, toties quoties.
19. *Praedicta verba censentur restricta ad duas vices.*
20. *Licet arbitris esset data facultas prorogandi compromissum semel, bis et saepius, et toties quoties voluerint.*
21. *Illa verba sunt intelligenda civiliter, et reducenda ad naturam contractus super qua proferuntur, et ad intelligentiam juris communis.*
22. *Natura compromissorum et jus commune illa tollerans, tendunt ad celerem litium expeditionem.*
23. *Ideoque praedicta verba sunt intelligenda secundum naturam compromissorum ne inducatur infinitas.*
24. *Quando infinitas inducitur per modum a judice improbatum, illa est vitianda licet ex verborum significatione inducatur.*
25. *Quod dictorum verborum generalitas, facultatem ad summum importet compromittendi, et prorogandi compromissum ad tres vices.*
26. *Vel quod etiam in materia compromissaria infinitatem importet, sed in illis tantum compromissis, quae ex statutorum fiunt necessitate, non vero ex mera voluntate partium.*

1. Cum compromissum sit species transactionis, ut dicit post alios *Alex. cons.* 22 *n.* 3, *et cons.* 72 *n.* 7 *lib.* 1, *et cons.* 119 *n.* 3 *lib.* 2:

2. Sicut ad transigendum requiri mandatum speciale dictum est capite praecedenti, ita quoque mandatum ad compromittendum debet esse speciale, *cap. per tuas*, et ibi *Gloss. extr. de arbitr.*, *L. mandato generali*, et ibi *Bart. n.* 1 *ff de procur.*, *Angel. Aret. instit. de iis per quos agere possumus sub n.* 4 *vers. decimus quintus*, *Soc. Sen. cons.* 18 *n.* 37 *lib.* 1, *Ruin. cons.* 173 *n.* 6 *lib.* 4, *Rol. cons.* 26 *n.* 11 *lib.* 2, *Decian.*, qui multos allegat, *cons.* 65 *n.* 31 *lib.* 5, *Cels. Hug. cons.* 51 *n.* 1 *vers. et ubi supra-*

dicta, *Eugen. cons.* 1 *n.* 47 *lib.* 1, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. decimus nonus*, *Barz. decis. Bonon.* 49 *n.* 34, qui testatur de communi.

« Ad compromittendum requiritur mandatum speciale, ita ut gene-
« rale non sufficiat, et neque generale cum libera, *Conciol. ad statut. Eu-*
« *gubin. lib.* 2 *rubr.* 27 *n.* 40 *cum duobus seqq.*

3. Cujus conclusionis ea etiam redditur ratio, quia compromissum est species alienationis, et qui prohibetur alienare, prohibetur etiam compromittere respectu sententiae subsequendae, per quam posset contingere alienatio, *Redoan. de reb. Eccles. non alienand. rubr.* 1 § *venire etiam videtur n.* 1 *et seqq. fol. mihi* 41, *Paris. cons.* 134 *n.* 10 *lib.* 4.

4. Et ad compromittendum adeo est necessarium mandatum speciale ut non sufficiat generale cum promissione de rato, licet speciali aequipolleat, *Gloss. in cap. cum tempore extr. de arbitr.*, cujus auctoritate *Soc. Sen. cons.* 18 *n.* 37 *lib.* 1, *Cels. Hug. d. cons.* 51 *n.* 1 *in fin.*

5. Non tamen est opus ut in procuratorio exprimatur causa nec persona cum qua versatur controversia compromittenda, nec persona in quam est faciendum compromissum, *Dec. cons.* 20 *n.* 4, *Rim. Jun. cons.* 546 *n.* 24 *lib.* 5, *Rol. cons.* 26 *n.* 11 *lib.* 2.

6. Immo sufficit mandatum generale cum libera, *Jo. Bapt. Perusinus in tract. de arbitr. et compromis. lib.* 2 *cap.* 15 *n.* 2, *Cels. Hug. cons.* 124 *n.* 6 *in fin.*, *Ant. Ciof. cons.* 55 *n.* 4 *lib.* 1, *Eugen. cons.* 1 *n.* 47 *lib.* 1.

7. Dummodo sequatur ratificatio principalis quae operatur etsi nullum praecessisset mandatum, *Jo. Bapt. d. cap.* 15 *n.* 2 *et* 3, *Lanfranc. de compromiss. par.* 3 *quaest.* 3 *n.* 7, *Rim. Jun. cons.* 720 *n.* 10 *lib.* 6.

8. Quae tamen ratificatio noceret soli ratificanti, non autem aliis, *Rot. decis.* 603 *n.* 5 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

9. Limitatur autem supra firmata conclusio ut non procedat quoad facultatem petendi compromissum; procurator enim, licet non habeat speciale mandatum, potest valide petere quod causa compromittatur, quamvis ipse compromittere non possit, ut distinguit *Blanc. in tract. de compromiss. quaest.* 3 *n.* 56 *vers. in hac quaestione*, et sequitur *Benintend. decis. Bonon.* 21 *sub n.* 8 *vers. moderni in tractat.*

10. Hoc autem mandatum debet stricte intelligi ut non comprehendat facultatem compromittendi liquida et clara, *Mazoll. cons.* 110 *n.* 103.

11. Neque ea super quibus tempore facti mandati, nec re, nec spe, lis suberat, quia tunc de illis cogitari non potuit, quamvis mandatum fuisset ad compromittendum de omni lite quae vertitur vel verti posset, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 54 *n.* 1 *lib.* 3 *per theoricam Bart. in L. qui cum tutoribus in princ. n.* 2, et ibi *Paul. de Castr. n.* 4 *ff de trans.* et alia.

12. Et si mandatum sit ad compromittendum de jure, procurator non

potest compromittere de jure et de facto, *Rot. decis.* 603 *n.* 1 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

13. Et si sit factum simpliciter et indefinite ad compromittendum, an expiret per primum compromissum dicemus paulo infra.

14. Ea autem ratione qua requiritur mandatum speciale ad compromittendum, requiritur etiam ad prorogandum compromissum, *Felin. in cap. venerabilis n.* 21 *et seqq. extr. de judic.*, *Rim. Sen. cons.* 67 *sub n.* 3 *lib.* 1, *Franch. in cap. qui ad agendum § fin. n.* 5 *vers. trigesimo quinto de procur. lib.* 6, *Paris. cons.* 134 *n.* 6. *lib.* 4, *Prosper. Pasetn. cons.* 198 *n.* 6.

« Procurator habens mandatum ad compromittendum, non potest com-
« promissum prorogare, *Rot. decis.* 59 *n.* 19 *par.* 8 *Recent.*

15. Nec ad hunc effectum sufficit mandatum generale, etiamsi procurator esset effectus dominus litis, *Jo. Ant. Praepositus in cap. ex ratione col.* 9 *extr. de appell.*, et ejus auctoritate *Purpur. cons.* 176 *n.* 11 *lib.* 1.

16. Sufficit tamen mandatum generale cum libera, *Rim. Sen. d. cons.* 67 *num.* 4.

17. Procurator autem habens facultatem prorogandi compromissum debet advertere ut proroget durante primo compromisso, et talem prorogationem faciat, vel partibus praesentibus, vel saltem illis intimatis, *Bald. cons.* 102 *n.* 4 *et* 5 *lib.* 3, *et cons.* 322 *lib.* 5, *Curt. Sen. cons.* 31 *n.* . . . *et cons.* 32 *n.* . . , *Felin. in cap. de causa n.* 3 *vers. secunda declaratio extr. de offic. deleg.*, *Blanc. in tract. de compromiss. quaest.* 7 *n.* 50, *Rot. coram Coccin. decis.* 438 *n.* 4.

18. Caeterum posset non incongrue dubitari, an procurator constitutus ad compromittendum vel prorogandum compromissum, habeat facultatem restrictam et limitatam ad primum compromissum, et ad primam vicem juxta regulam, *L. Boves § hoc sermone ff de verb. signif.*; an vero illa extendi debeat ut possit compromittere vel compromissum proroguare pluries, et maxime si in procuratorio sit apposita illa clausula « *toties quoties ec.* »

19. In qua dubitatione quod per illa verba *toties quoties*, attenta eorum natura facultas intelligatur restricta ad duas vices, dixit *Bald. cons.* 101 *n.* 6, *et cons.* 102 *n.* 3 *lib.* 3, *Rom. cons.* 15 *n.* 15, et alii plures relati per *Tiraq. in d. § hoc sermone limit.* 26 *n.* 4, et per *Jo. Bapt. Bovium*, qui de magis communi testatur de statutaria urbis praescriptione, *Gloss. ultim. n.* 27, et per *Pyrr. Maur. in tract. de fidejussor. par.* 1 *sect.* 2 *cap.* 3 *sub n.* 47, et in terminis compromissi *Bald. cons.* 350 *n.* 4 *lib.* 5, *Jas. cons.* 20 *per tot. lib.* 1, *Boer. decis.* 283 *n.* 31, *Carpan.*, qui alios congerit, *ad Statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 120 *n.* 11.

20. Quamvis data esset facultas arbitris prorogandi compromissum semel, bis et sepius et toties quoties voluerint; quia licet illa verba sint apta importare infinitatem, et proinde facultatem prorogandi compromissum donec

lis et controversia sit finita et terminata, *Rol. cons.* 58 *n.* 4 *lib.* 1, *et cons.* 21 *n.* 9 *et seqq. lib.* 2, cum aliis apud *Tiraq. in d.* § *hoc sermone limit.* 26 *n.* 43, 54 *et seqq.*, et apud *Addent. ad Rom. d. cons.* 15 *in litera H vers. sed contrarium*, ubi testatur de communi ex mente, *Jas. in L. duobus* § *si ei qui n.* 20 *ff de jurejur.*, quibus addi potest *Dec. in cap.* 2 *in* 2 *lectur. n.* 8 *extr. de constit.*

21. Attamen quia illa verba intelligenda sunt civiliter, et reducenda ad naturam contractus super quo proferuntur, et intelligentiam juris communis, *Rom. in L.* 2 *col.* 65 *n. . . . ff de re judic.*, *Natt. in repetit. Clem. saepe n.* 217 *de verb. signif.*, inter repetentes canonicos, *tom.* 6 *fol.* 214.

22. Natura autem compromissorum et jus commune illa tollerans, tendit ad litium celerem expeditionem et finem inducendum, cum non differendarum litium causa, sed tollendarum ad arbitros eatur, ut dicit *JC. in L. quamvis arbiter* 42 *ff de arbitr.*, *Bald. d. cons.* 350 *n.* 4 *vers. quia ad arbitros lib.* 5.

23. Propterea verba illa esse capienda et intelligenda secundum naturam compromissorum ne resultet infinitas, dicunt *Bald. d. cons.* 101 *n.* 6 *lib.* 3, *Franch. in cap. sua nobis n.* 10 *extr. de appellat.*, *Jas. in L. fin. n.* 10 *cod. de Sacros. Eccles.*, *Carpan. ad Statut. Mediolan. par.* 1 *cap.* 120 *n.* 11, *Rim. Jun. cons.* 144 *n.* 15 *cum seqq.*, et signanter *n.* 19, *Rom. in L.* 2 *n.* 60, *D.* 1 *longe post med. vers. sin autem quod possit ff de re judic.*, *Natt. in d. Clem. saepe n.* 219 *vers. quod si dictum*; et hanc fuisse mentem compromittentium esse praesumendam dicit *Rol. d. cons.* 21 *n.* 50, *et Natt. in d. Clem. saepe n.* 213.

24. Ac proinde cum subiecta materia non patiatur ut illa verba importent infinitatem, sunt intelligenda juxta naturam compromissorum, ne lites fiant immortales, alias infinitas induceretur per modum a jure improbatum, quo casu illam esse vitandam, quamvis ex verborum significatione induceretur, dicit *Rol. d. cons.* 21 *n.* 50 *lib.* 2.

25. Vel si velimus generalitatem dictorum verborum aliquid operari dicamus cum *Rim. Sen. cons.* 67 *n.* 21 *lib.* 1, qui loquitur in facultate prorogandi compromissum, qui allegat *Bald.* loquentem in puncto *in cap. fin. extr. de consuetud.* quod illa extendat facultatem compromittendi vel prorogandi compromissum ad summum ad tres vices;

26. Vel dicamus quod quatenus illa verba, etiam in materia compromissaria importent infinitatem, hoc procedat in compromissis quae fiunt ex necessitate statutorum, non autem in iis quae ex mera partium voluntate fiunt, nam haec de primo compromisso intelliguntur, illa vero debent intelligi cum effectu, ut scilicet ex eis sequatur litis et controversiae finis, et ita distinguit *Tiraq. in d.* § *hoc sermone limit.* 6 *n.* 2 *ibi nam Statutum et Clarius n.* 20, *et limit.* 9 *n.* 3, *et limit.* 24, *Rim. Jun. d. cons.* 21

n. 39 *lib.* 1, quam distinctionem fuit etiam amplexa *Rota*, tam coram *Put. decis.* 100 *n.* 1 *lib.* 1 *in correctis*, quam *decis.* 867 *n.* 4 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

CAPUT LXXXIV.

DE MANDATO AD EXIGENDUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad exigendum est vel expressum vel tacitum.*
2. *Expressum dicitur quando in mandato datur procuratori expressa exigendi facultas, quae latior vel strictior esse valet juxta clausulas in mandato adjectas.*
3. *Mandatum per publicum instrumentum est probandum.*
4. *Procuratoris potestas regulatur ex forma mandati, quae ex verbis et clausulis in illo appositis est expiscanda.*
5. *Tacitum elicitur ex traditione per creditorem alicui facta instrumentorum in quibus nomina illius debitorum continentur.*
6. *Quamvis de hujusmodi traditione non constet, dummodo instrumenta in ejus manibus reperiantur.*
7. *Praesertim si ille poenes quem instrumenta reperiuntur, procuratoris munus exercere soleat.*
8. *Et maxime si exigat virtute chirographi continentis clausulam* « A chi presenterà la presente polizza ».
9. *Creditor tamen chirographum continens clausulam praedictam, potentiori ac nobiliori consignare non valet, sed tantum simili.*
10. *An debitor praesentanti tale chirographum de solutione facta principali objicere valeat: remissive.*
11. *Sic etiam tacitum censetur praedictum mandatum, quando vidente ac patiente creditore fit exactio.*
12. *Et quando stipulanti quis promittit se daturum tertio quod erat debitum ipsi stipulanti.*
13. *Hujusmodi mandatum sive tacitum sive expressum continet omnia quae sunt necessaria et opportuna ad exigendum.*
14. *Quare procurator illud habens potest petere executionem rei judicatae vel cameralis obligationis.*
15. *Et per illud videtur debitori mandatum, ut eidem procuratori solvat.*

16. *Quod procurator ad exigendum solutionem a sponte solvente recipere non valeat.*
17. *Contraria firmatur opinio.*
18. *Procurator praedictus, accepto mandato, tenetur exigere.*
19. *Et debet ad id adhibere omnem diligentiam et sollicitudinem.*
20. *Quare in hac materia omnis negligentia habetur pro culpa.*
21. *Praesertim quando fuit mandatum negocium diligentiam requirens.*
22. *Non exigens quod valet exigere, dicitur esse in dolo.*
23. *Exigens tenetur reddere rationem de exactis.*
24. *Et domino restituere exacta una cum usuris.*
25. *Quamvis exigat pendente judicio a domino contra eum pro restitutione moto.*
26. *Et non potest convertere exacta in suos proprios usus, nam diceretur esse in dolo.*
27. Decius cons. 1 n. 26 *reprehenditur.*
28. *Procurator habens in mandatis quod pecunias exactas transmittat ad domicilium mandantis, tenetur illas transmittere.*
29. *Si in mandato est expressa persona per quam pecunia exacta debet transmitti, illi est consignanda, et si pereat perit domino.*
30. *Si non est expressa persona, sed aliqua tantum excepta, et per istam fiat transmissio, et pecunia pereat, procurator domino tenetur ad omnia damna et interesse.*
31. *Quo pacto ille se excusare, et quid probare debeat: remissive.*
32. *Quid si non sit expressa nec vetita aliqua persona, sed solum sit dictum quod transmissio fiat per amicum sicurum.*
33. *Procurator non restituens exacta, tenetur actione mandati ad interesse.*
34. *Et si dolo vel culpa nequivit exigere, tenetur de non exactis.*
35. *Quando de non exactis teneatur.*
36. *Ut valeat pro non exactis condemnari, illius culpa et negligentia est probanda, quae in dubio non praesumitur.*
37. *Dictus vero procurator tenetur exigere nedum ab aliis, sed etiam a se ipso si sit debitor.*
38. *Et tenetur vere et cum effectu exigere.*
39. *Verbum*, exactio, *realem exactionem significat.*
40. *Verba cum effectu sunt intelligenda.*
41. *Procurator non potest recipere delegationem nominum debitorum, quia ex communi loquendi usu, delegatio non dicitur exactio.*

42. *Aliud pro alio, creditori invito, solvi non potest.*
43. *Nec potest facere dilationem ad solvendum.*
44. *Nisi haberet mandatum cum libera.*
45. *Vel nisi talis dilatio tenderet ad domini utilitatem.*
46. *Procurator domini conditionem meliorem facere potest.*
47. *Vel nisi habeat hujusmodi facultatem in mandato.*
48. *Sic pariter debitoris obligationem novare non potest.*
49. *Neque fidejussores admittere.*
50. *Nec recipere pignora.*
51. *Nec remittere usuras, vel caducitatem incuream, vel aliquam debiti partem.*
52. *Ad donandum speciale mandatum requiritur.*
53. *Hujusmodi procuratori non censetur datum mandatum cum libera.*
54. *Licet dominus etiam cum juramento promisisset se habiturum rata, grata et firma omnia et quaecumque gesta per ejus procuratorem.*
55. *Contra, si aliam fuisse domini mentem ex conjecturis appareat.*
56. *Mandatum recipit interpretationem a verisimili mente constituentis.*
57. *Talis procurator non potest exigere debita, quorum solutionis dies tempore facti mandati nondum advenerat.*
58. *Contra, si habeat mandatum ad exigendum cum libera.*
59. *Habens mandatum ad exigendum ut exacta creditoribus solvat, id omnino exequi tenetur.*
60. *Non solum in judicio domini credita exigere debet, sed etiam illum defendere si a debitore convento reconveniatur.*

1. Mandatum ad exigendum fit vel expresse vel tacite.

« Ad exigendum requiritur speciale mandatum, *Thomat. decis.* 2 « *num.* 24 *par.* 1.

« Syndicus seu aeconomus Ecclesiae mandatum speciale habere debet « ad exigendum fructus et extinguendum censum et recipiendam sortem, « *Thomat. decis.* 263 *n.* 15 *par.* 2.

2 Expresse quidem, quando in procuratorio datur procuratori expressa facultas exigendi, quae potest esse latior vel strictior prout per clausulas in procuratorio adhibitas importatur, *Vant. in tract. de nullitat. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 114 *vers. idcirco.*

« Mandatum ad exigendum non transfert utiles actiones in mandata-
« riam, sed solum exercitium directarum actionum, *Rot. decis.* 443 *n.* 2,
« *et decis.* 532 *n.* 4 *part.* 1 *Recent.*

« Intelligitur factum ad exigendum proprio et cessionario nomine
« quando id quod exigi debet datum fuit in solutum mandatario, *decis.* 62
« *n.* 1 *et seqq.*, *et decis.* 399 *n.* 1 *et seqq. par.* 19 *tom.* 1 *Recent.*

« Sicuti mandatum potius quam cessio jurium dicitur, quando respicit
« commodum constituentis et non constitutarii, *Rot. decis.* 532 *n.* 3 *par.* 1
« *Recent.*

« Mandatum tamen ad exigendum creditum expirat per cessionem
« ejusdem crediti postea sequutam, *Rot. decis.* 443 *n.* 3 *par.* 1 *Recent.*

« Sicuti continens facultatem expressam exigendi factum creditori
« pro summa majori, nonnisi ad illam referri potest, *decis.* 341 *n.* 11
« *par.* 13 *Recent.*

« Dicitur autem non tantum datum mandatum ad exigendam sortem
« sed etiam fructus, si sit datum ad exigendum, levandum, recipiendum et
« recuperandum a quacumque persona, *decis.* 122 *n.* 23 *par.* 12 *Recent.*

« Quemadmodum mandatum ad exigendum pensionem debet intelligi
« secundum naturam illius pensionis, nempe quamdiu illa duraverit et exigi
« poterit, *decis.* 129 *n.* 2 *par.* 1 *Recent.*

« Nec ultra factum valet, *Rot. ibid. n.* 3.

« Simplex vero mandatum ad exigendum facile potest per mandantem
« revocari, *adnot. ad decis.* 81 *n.* 159 *par.* 8 *Recent.*

« Et censetur revocatum per mortem mandantis, *decis.* 532 *sub n.* 3
« *par.* 1 *Recent.*

« Revocatio autem mandati ad exigendum operatur revocationem
« mandati ad emendum quando ex pecuniis exigendis erat facienda
« emptio, *decis.* 469 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

« Et sic revocato mandato ad exigendum censetur etiam revocatum
« mandatum ad solvendum, *decis.* 679 *n.* 4 *part.* 1 *Recent.*

« Intellige procedere in mandato solius mandantis gratia facto, non
« autem in contractu cambii, in quo vertitur principaliter utilitas utriusque
« partis, *Rot. ibidem.*

3. Et illud debet probari per publicum instrumentum, ut dicit *Ant. Ciof. cons.* 56 *n.* 9 *lib.* 1 *post Bald. et Alex.* ques allegat.

« Mandatum ad exigendum probari debet per instrumentum, non per
« praesumptiones, *Thomat. decis.* 263 *n.* 14 *par.* 2.

4. Nam potestas procuratoris ex forma mandati regulatur, *L. generaliter ff. mand.*: ista autem est expiscanda ex verbis et clausulis in procuratorio existentibus et expressis, *Vent. ubi supra n.* 75, quem sequitur *Bertaz. cons.* 70 *n.* 20 *lib.* 1 *in civilib.*

5. Tacite autem hoc mandatum concessum dicitur, quando creditor tradit alicui instrumenta, in quibus continentur nomina debitorum ipsius tradentis, *Ruin. cons.* 44 *n.* 8 *in fin. et n.* 9 *lib.* 1, *Decian. cons.* 68 *n.* 3 *et seqq. lib.* 3, *Benvenut. Stracc. in tract. de adjecto par.* 4 *q.* 8 *n.* 9 *et seqq.*

6. Quamvis non constet de tali traditione, dummodo instrumenta illa reperiantur in ejus manibus, *Ruin.*, qui de communi, *d. cons.* 44 *n.* 9, et nos late comprobavimus supra *cap. XXXI*, *mandatum ad lites quando praesumatur.*

7. Et multo magis mandatum praesumetur si ille in cujus manibus instrumenta reperiuntur, sit solitus officium procuratoris exercere, *Paul. de Castr. in L. moenia in princ. ff sol. matr.*, quem sequitur *d. cons.* 44 *n.* 9; *Ruinus.*

8. Et absque dubio si iste procurator exigat virtute chirographi quod habeat clausulam « *A chi presenterà la presente polizza* », *Decian. cons.* 68 *n.* 13 *lib.* 3, *Amat. decis. March.* 80 *n.* 13 *vers. et non obstare*, *Genua de script. privat. lib.* 2 *in tit. de apochis manu tertii confectis n.* 101, dicens de hoc nullam posse esse dubitationem.

9. Verum circa hoc advertendum est, quod creditor non potest consignare chirographum habens dictam clausulam personae quae sit potentior et nobilior ipso creditore, sed dumtaxat simili, ut post *Thom. Trevis. decis.* 42 *n.* 17 admonet *Gen. ubi supra n.* 108.

10. An autem debitor possit praesentanti dictum chirographum excipiendo obiicere de solutione facta principali creditori, distinguit *Gen. eodem loco n.* 103 *et seqq.*

11. Tacite etiam censetur concessum hujusmodi mandatum, quando exactio fit vidente et patiente ipso creditore, *L. qui patitur ff mand.*, *Gloss. in L.* 1 *in verb. absentium ff de negoc. gest.*, *Cornazan. decis. Lucens.* 115 *n.* 4.

12. Et similiter quando quis promittit stipulanti se daturum alicui tertio id quod erat stipulantis, vel illi debitum, *L. si cum Cornelius ff de solut.*: puta si in instrumento venditionis emptor promittat solvere praecium Titio, quia tunc Titius censetur tacite constitutus procurator ad exigendum ab emptore dictum praetium, *Bart. in L.* 1 *n.* 3 *in fin. ff de pact.*, *Stracc. in d. tract. de adiectis par.* 4 *quaest.* 7 *n.* 4, *et sub n.* 5.

13. Hoc autem mandatum sive tacitum sive expressum, continet in se omnia quae sunt necessaria vel opportuna ad exigendum, *Rim. Sen. cons.* 207 *n.* 22 *lib.* 2, *Franc. a Pont. cons.* 91 *n.* 5 *et seqq.*

14. Unde cum petitio executionis rei judicatae vel obligationis in forma camerae tendat ad exigendum, *Soc. Sen. cons.* 120 *n.* 5 *lib.* 1, non videtur dubitandum quin iste procurator executionem praefatam possit petere cum facilior reddatur exactio.

« Debitor de fuga suspectus potest carcerari etiam ad instantiam pro-
« curatoris cum mandato ad exigendum tantum, *Conciol. ad Statut. Eu-*
« *gubin. lib.* 2 *rubr.* 40 *n.* 13.

15. Et eadem ratione videtur mandatum debitori, ut solvat dicto procuratori, *L. qui hominem* § *si Titium*, et ibi *Bart. n.* 1 *ff de solut.*, *Rot. Genuen. decis.* 123 *n.* 4.

16. Et cum sit constitutus procurator ad exigendum, posset dubitari, an possit recipere solutionem a sponte solvente, et pro parte negativa videtur sentiendum, ponderando illud verbum *ad exigendum*, quod proprie significat ab invito extorquere, *L. fideicommissa* § *cum tamen ff de leg.* 3, *Bart.*, quem alii communiter sequuntur, in *L. non solum n.* 10 *ff solut. matr.*, *et in L. hoc jure n.* 2 *ff de solut.*, et hanc sententiam videtur amplexus *Bald. in L. falsus in* 2 *oppos. n. . . . cod. de furt.*, *et Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 31 *et seq. lib.* 3.

17. Verum quoniam finis hujus mandati est exactio, non videtur curandum quod solutio fiat a sponte solvente, *Paul. de Castr. cons.* 180 *n.* 3 *lib.* 1, unde non videtur curandum de modo, sed tantum spectandus effectus et implementum finis ad quem fuit factum mandatum.

18. Procurator autem iste, accepto mandato, dicitur obligatus ad factum exigendi, *Crav. cons.* 297 *n.* 2 *ad fin. vers. quarto considera lib.* 2.

19. Unde debet adhibere omnem diligentiam, curam et sollicitudinem ut exigat, *Rot. coram Seraph. decis.* 386 *per tot.*

20. Et in hac materia omnis negligentia habetur pro culpa, *Rot. Genuen. decis.* 160 *per tot.*

21. Maxime quando fuit mandatum negocium quod diligentiam exigebat, *Bart. in L. quod Nerva quaest.* 9 *n.* 31 *vers. juxta hoc revoco ff deposit.*

22. Et si non exigat id quod potest exigere, dicitur esse in dolo, *L. dolus* 44 *ff mand.*

23. Quatenus autem exigat, tenetur reddere rationem de exactis, *L. si procuratorem* § *dolo*, § *idemque*, § *si mandavero ff mand.*, *L.* 2 *in princ. ff de negoc. gest.*, *Rot. cor. Cavaller. decis.* 647 *n.* 4.

24. Et restituere mandanti exacta una cum usuris, *Surd. cons.* 4 *n.* 42 *lib.* 1.

« Procurator qui exegit alienam pecuniam, tenetur eam restituere
« mandanti, *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 130 *n.* 3.

25. Etiam si exigat pendente judicio contra eum a mandante moto pro restitutione, *L. si mandavero ff mand.*

26. Et non convertere in suos proprios usus, alias diceretur esse in dolo, *d. L. dolus* 44, *et d. L. idemque* § *si procurator ff mand.*, *Bertaz. cons. crimin.* 407 *n.* 14, *et cons.* 493 *n.* 7 *lib.* 2.

27. Unde non videtur fidendum de *Decio cons.* 1 *n.* 6 *et infra* dum dicit, quod procurator potest ex pecunia exacta lucrum facere.

28. Et si iste procurator habeat in mandatis quod pecunias exactas transmittat ad domicilium mandantis, tenetur illas transmittere, *Rot. Genuen. decis.* 68 *n.* 4, *Cyriac. controvers. jur. lib.* 1 *controver.* 165 *n.* 3.

29. Quo vero ad personam per quam debet fieri remissio, ita est distinguendum: quod si in procuratorio est expressa persona per quam exacta transmittenda sunt, illi erunt consignanda, et si perierint pereunt damno mandantis, et non tenetur in aliquo ipse procurator dum servat fines mandati.

30. Si vero in procuratorio non est expressa persona per quam transmissio fieri debeat, sed est excepta aliqua persona, cujus ministerio non sit facienda transmissio, si procurator transmittat per dictam personam exceptam, et exacta sint deperdita, utique procurator tamquam non servans fines mandati, tenetur ad omnia damna et interesse ipsius mandantis, ut dicemus *cap. IC de actione mandati directa.*

31. Quomodo autem se excusare possit procurator, et quid debeat probare, admonet *Marcellus Cola in tract. de mod. articulan.* § 2 *Gloss.* 1 *n.* 1095 *fol.* 211.

32. Si vero non sit expressa nec prohibita aliqua persona, sed dictum sit quod exacta transmittantur per amicum securum, si procurator non eligit personam idoneam, tenetur de perditione, ut late distinguens firmat *Manent. decis.* 53 *et* 54.

33. Quod si procurator non restituat exacta, tenetur actione mandati ad interesse, *L. at qui natura* § *non tantum ff de negoc. gest., L. quamvis* § *si creditor, L. si autem ff de pignorat. act., L. ex mandato, L. idemque* § *procurator meus ff mand., Cancer. variar. resolut. lib.* 3 *cap.* 3 *n.* 24.

« Ex laudabili stylo signaturae magis quam in puncto juris, receptum « est ut procurator vel alter qui alieno nomine exequutive aliquid exegit ex « aequitativa regula, *quod quisque juris etc.* exequutive etiam a principali « conveniatur ad restituendum exactum; ut observatur in proximis ter- « minis fidejussoris, ut exequutive exactus exequutive exigat, *Card. de Luc.* « *de dote disc.* 58 *n.* 3.

34. Verum si praecedente dolo vel culpa non potuit exigere, tenetur de non exactis, *L.* 2 *cod. arbitr. tutel., L. procuratorem cod. mand., L. si procuratorem* § *dolo, et L. dolus ff eo tit., Ruin. d. cons.* 44 *n.* 6 *et n.* 10 *vers. quamvis igitur lib.* 1, *Rot. Genuen. d. decis.* 160 *n.* 1, *Rot. coram Seraphin. decis.* 789 *n.* 3 *et d. decis.* 786.

35. Non tamen semper tenetur de non exactis, sed eo tantum casu quo suscepit mandatum simpliciter, secus si illud non suscipiat simpliciter, sed pro majori cautione et securitate ipsius procuratoris, et citra novatio-

nem et sine praejudicio aliarum obligationum ad ejus favorem existentium, *Rot. coram Mantic. decis.* 47 *n.* 5.

36. Et ad effectum ut pro non exactis procurator condemnari possit, debet probari illius culpa et negligentia, quae in dubio non praesumitur, *L. quoties* § *qui dolo ff de probat.*, *L. Maevia ff solut. mat.*, late *Ruin. cons.* 98 *n.* 7 *lib.* 5., licet quoad necessitatem hujus probationis contrarium voluerit, *Rot. coram Seraph. decis.* 786 *et* 789.

37. Tenetur autem iste procurator exigere non solum ab aliis debitoribus constituentis, sed etiam a semetipso si sit illius debitor, *L. divortio* 35 *in princ. ff de negoc. gest.* quod enim adversus alios id etiam adversus semetipsum praestare debet, *L. qui negocia in fin.*, et ibi *Gloss. final. ff mand.*, *L. quoties* 10 § *si temporali*, § *et generaliter ff de adminis. tutor.*

38. Ab aliis autem tenetur vere et cum effectu exigere.

« Procurator habens mandatum ad exigendum non potest liberare de-
« bitorem, sola confessa solutione, *Card. de Luc. de locat. et conduct.*
« *disc.* 31 *n.* 4.

« Ubi agitur de simplici confessione de recepto, seu acceptilatione, haec,
« posito etiam sufficienti mandato ad exigendum, procuratori vel institori
« seu alteri administratori de jure non conceditur, *Card. de Luc. de cen-*
« *sib. disc.* 24 *sub n.* 3 *in fin.*

« Procurator potest recipere veram solutionem, sed in praejudicium
« principalis vel ejus creditorum non potest remittere debitum, seu alias
« acceptilare vel facere nudam confessionem de recepto; nec pariter potest
« compensare seu alium actum fictum facere, *Card. de Luc. de credit. et*
« *debit. disc.* 40 *n.* 6.

« Procuratori ad exigendum bene solvitur, atque debitor liberationem
« consequitur, et tamen non potest novare vel acceptilare vel confiteri,
« *Card. de Luc. de credit. et debit. d. disc.* 40 *n.* 10.

39. Quia verbum exactio significat realem exactionem, *Rebuff. in verb. exactis col* 2 *in fin. vers. et procurator ff de verb. signif.*

40. Et verba sunt intelligenda cum effectu, *L.* 1 § *haec verba ff quod quisq. jur. cum aliis apud Surd. decis.* 303 *n.* 5.

41. Et proinde non poterit recipere delegationem nominum debitorum, quia ex communi usu loquendi delegatio non appellatur exactio, *arg. L. si idem cod. de codicill.*

42. Ac etiam quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest, *L.* 2 *ff si cer. pet.* per quas rationes ita concludit, *Rebuff. d. vers. et procurator.*

43. Nec similiter facere poterit dilationem ad solvendum, *L. qui Romae* § *Callimacus ff de verb. oblig.*, *Rim. Sen. cons.* 173 *n.* 3 *lib.* 1, *Paris. cons.* 124 *n.* 17 *lib.* 4, *Marcabr. cons.* 63 *n.* 3, *Escobar. de ratiocin. administrat. cap.* 19 *n.* 32 *vers. unde.*

44. Nisi haberet mandatum cum libera administratione, *Rim. Sen. d. cons.* 173 *n.* 10, *Paris. d. cons.* 134 *n.* 17 *lib.* 4.

45. Vel nisi talis dilatio et prorogatio termini ad solvendum tenderet ad utilitatem mandantis, *Rim. Sen. d. cons.* 173 *n.* 12, auctoritate *Bald. in cap. cum olim D.* 1. *extr. de offic. deleg.*

46. Procurator enim potest conditionem mandantis facere meliorem, ut alibi fuit dictum.

47. Vel nisi dictam facultatem habeat in procuratorio, quo casu si debitor decoqueret pendente dilatione esset periculo mandantis, et procurator non teneretur, *L. si vero non remunerandi* § *si post vers. plane ff mand.*, bene facit *Tex. in d. L. qui Romae* § *Callimacus vers. quaesitum* in illis verbis *cuique nihil aliud ff de verb. oblig.*

48. Neque etiam poterit novare obligationem debitoris, *L. si debitorem ff de novat.*, *L. non abstulit cod. eo tit. L. hoc jure,* et ibi *DD.*, *L. vero procuratori ff de solut.*, *Surd. decis.* 181 *n.* 12.

« Adjectus solutioni, sive procurator simpliciter, non potest novare obli-
« gationem, neque accceptum ferre neque cessionem recipere, neque alium
« quemcumque actum liberationis facere; sed solum potest naturalem so-
« lutionem recipere, *Thomat. decis.* 2 *n.* 29 *par.* 1.

« Procurator ad exigendum et quietandum non potest confiteri ha-
« buisse vel acceptum ferre, *Thomat. decis.* 290 *n.* 4 *par.* 2. Neque hoc
« casu auferuntur principali actiones contra debitorem, *idem Thomat. ibid.*
« *n.* 5. Procuratori non intelligitur data potestas quietandi, nisi facta so-
« lutione, *Thomat. ubi supra n.* 6.

« Procurator deputatus ad exigendum solos fructus, sicuti absque spe-
« ciali mandato sortem exigere non potest, ita neque potest novare vel
« alium actum praejudicialem facere; cum prohibitus recipere solutionem
« veram et expressam non possit facere actum ex quo illa ficta et tacita
« resultet, *Card. de Luc. de regal. disc.* 33 *n.* 16.

49. Neque etiam potest admittere fidejussores, *L. si mihi aut Titio decem ff de fidejuss.*, *Decian. cons.* 68 *n.* 5 *et n.* 13 *vers. non obstat tertium lib.* 3.

50. Nec pignora recipere, *L. is qui promisit*, et ibi *Bart. in summar. ff de pignor.*

51. Prout similiter non potest remittere usuras, nec caducitatem incursam, nec concordare cum debitore pro summa minori quam sit ejus debitum, quia actus isti sapiunt donationem, *Gerard. Mazoll. cons.* 110 *n.* 104 *et seqq.*, *Surd. decis.* 181 *n.* 10 *et* 13, *et decis.* 342 *n.* 12.

52. Ad donandum autem requiritur mandatum speciale, ut diximus *cap. LXXVI de mandato ad donandum.*

53. Ex quibus sequitur quod procuratori ad exigendum non censetur datum mandatum cum libera administratione, cum multa illi denegentur.

54. Quod procedit etiam si mandans promisisset etiam cum juramento se habiturum rata, grata et firma omnia et quaecumque gesta per dictum suum procuratorem, *Seraph. de privileg. jurament. privil.* 148 *n.* 6 *ad fin. et n.* 7.

55. Hoc tamen fallit, si ex conjecturis posset apparere aliam fuisse mentem mandantis.

56. Nam mandatum recipit interpretationem a verisimili mente constituentis, *Paris. cons.* 96 *n.* 15 *lib.* 3, et est de mente *Seraph. sub d. n.* 7 *vers. quia promissio generalis.*

57. Sed posset dubitari an iste procurator constitutus ad exigendum, possit exigere debita quorum solutionis dies tempore mandati facti non venerat et negative videtur concludendum, quia is qui debet in diem non dicitur proprie debitor cum ab eo invito non possit extorqueri, *L. si ita scriptum* § *si sub conditione, et L. si scripsisset ff de Leg.* 2, *Escobar. de ratiocin. administrat. cap.* 23 *n.* 51 *cum seqq.*

58. At si procurator habeat mandatum ad exigendum cum libera administratione, posset etiam exigere credita praefata, ut conciliando opiniones concludit *Escobar. d. cap.* 23 *n.* 56 *et seqq.*

59. Si autem procurator habeat mandatum ad exigendum cum ea lege ut exacta solvat creditoribus constituentis, tenetur formam mandati praecise et ad unguem observare, et exacta creditoribus mandantis solvere, alias falleret fidem tam constituenti quam suis creditoribus, ut considerat *Bart. in L. filiusfamilias* § *procuratorem n.* 1 *in fin.*, et ibi *Paul. de Castr. n.* 10 *ff de procur.*, intelligendo tamen *ut per Bart. ibi n.* 2.

« Procurator habens peculiare mandatum ad exigendum et obligatio-
« nem ad solvendum, aequum est ut de pecuniis consistentibus solvat, et
« de solutis suo tempore reintegrationem obtineat, *Rot. coram Crispo de-*
« *cis.* 124 *n.* 11 *tom.* 1.

« Ita etiam procurator qui suscepit onus investiendi pecuniam exa-
« ctam ad censum, et non fecit, tenetur domino ad damna et interesse,
« *Card. de Luc. de dote discurs.* 121 *n.* 2.

« Idque adeo verum est contra mandatarium susceptum onus non
« adimplentem, quod licet de jure prohibitus sit anathocismus, nempe in-
« teresse alterius interesse, seu fructus fructuum, attamen si procurator
« exegit a debitore sui principalis fructus seu usuras una cum sorte in-
« vestiendas, tenetur etiam de istis fructibus ad praedicta damna et inte-
« resse, quoniam quoad eum totum est sors, *Card. de Luc. de dot. d. disc.* 121
« *n.* 3.

60. Iste autem procurator non solum tenetur in judicio exigere credita mandantis, sed tenetur etiam illum defendere si a debitore convento reconveniatur, *Bart. in L. mutus* § *poena n.* 1 *ff de procur.*, late *Jas. in*

L. actionem n. 1 *cod. eo tit., et in L. unic. in princ. n.* 11 *ff si quis jusdicen. non obtemper., Purpur. cons.* 34 *n.* 5 *lib.* 1.

« Si procurator, inscio domino, exegerit aliquod creditum quod idem « dominus alicui legaverat, an hoc legatum revocatum censeatur, vide apud « *Card. de Luc. de legat. disc.* 38 *n.* 6.

CAPUT LXXXV.

DE MANDATO AD RECIPIENDUM SOLUTIONES.

SUMMARIUM

1. *Ad recipiendum solutiones requiritur mandatum speciale.*
2. *Sufficit tamen generale cum libera.*
3. *Procuratori ad lites haud recte solvitur, nec solvens liberatur.*
4. *Creditore vero ratam solutionem habente, debitor liberationem consequitur.*
5. *Procurator, prius quam solutiones recipiat, tenetur etiam non requisitus ostendere mandatum.*
6. *Ostenso mandato, si dubitetur de illius efficacia vel revocatione, an debitor secure cum cautione procuratori solvat.*
7. *Affertur distinctio.*
8. *Altera ponitur distinctio.*
9. *Procurator praedictus non potest liberare debitorem, nisi de eo quod cum effectu recepisse constat; nec debitori suffragatur quietatio per illius confessionem de recepto.*
10. *Immo quamvis de vera numeratione constet, adhuc debitorem in domini praejudicium non liberat nisi ad recipiendum solutiones habeat speciale mandatum.*
11. *Sufficit tamen si habeat mandatum generale cum libera tantum a lege.*
12. *Dominus agens ad suum creditum debitori excipienti de solutione facta ejus procuratori, licite potest replicare de non numerata pecunia.*
13. *Confessio procuratoris de recepto, domino non praejudicat, quamvis ille habeat mandatum non solum ad recipiendum solutiones et quietandum de recepto, sed etiam ad recepisse confitendum.*
14. *Contraria adducitur atque approbatur opinio.*
15. *Habens speciale mandatum ad confitendum, domino fatendo praejudicat ac si ipse confiteretur.*

16. *Fisci procurator confitendo se recepisse, illi praejudicat quamvis careat speciali mandato ad ita confitendum.*
17. *Conclusio de qua supra n.* 9 *plures petitur limitationes.*
18. *Alia limitatio* Girardi Mazoll. cons. 16 n. 66.
19. *Postrema respuitur limitatio.*
20. *Procurator constitutus ad recipiendum solutiones non potest indebitum recipere.*
21. *Et si recipiendo solutiones non servet fines mandati, debitor solvens non consequitur liberationem.*
22. *Non potest jure medio cogere debitores ad solvendum.*
23. *Contraria firmatur sententia.*
24. *Debitor sciens procuratoris revocationem, si ei solvat non liberatur.*
25. *Secus, si revocationem ignoraverit.*
26. *Similiter non liberatur si solvat procuratori revocato ob deterioration propriae conditionis quae debitori innotuit.*
27. *Vel si solvat ei qui numquam fuit procurator, sed tantum pro tali se gessit.*

1. Mandatum ad recipiendum solutiones debet esse speciale, *L. hoc jure in princ. ff de solut.*, *Purpur. cons.* 97 *n.* 3 *lib.* 1, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 22 *lib.* 3, *Anton. Ciof. cons.* 56 *n.* 9.

« Ad recipiendum solutiones requiritur mandatum speciale, et de illo « debet constare per scripturam, cum testes non sufficiant, *Actolin. resolut.* 71 « *n.* 17 *et seq.*

2. Sufficit tamen generale cum libera administratione, ut dicit *JC. in L. vero in princ. ff de solut.*

« Debitor liberatur solvens in manibus procuratoris constituti cum « libera, *Gob. de monet. quaest.* 3 *n.* 43.

« Extinctio census facta cum procuratore praesumpto tenet, *Card. de* « *Luc. de censib. disc.* 24 *n.* 5.

3. Et propterea procuratori ad lites non recte solvi, nec solventem liberari est *Tex.* expressus *in L. hoc jure ff de solut.*

4. Si tamen creditor habeat ratam solutionem factam non vero procuratori debitor consequitur liberationem, est *Tex. in d. L. vero procuratori ff de solut.*

5. Iste autem procurator antequam recipiat solutiones tenetur etiam non requisitus ostendere suum mandatum, ut dicemus *cap. CII de mandati productione*, *Sim. de Praet. cons.* 83 *n.* 7.

6. Quod si ostenso mandato dubitetur de illius efficacia vel revoca-

tione, et proinde an debitor recte et secure illi solvere possit cum cautione, *DD.* inter se non conveniunt, nam *Bart. in L. si sine § cum autem n.* 2 *ff rem. rat. haber., et in L. non solum § qui alieno n.* 1 *ff de procur.*, tenet opinionem affirmativam, et illum sequuntur *Alex. in L. apud Julianum § verum in* 3 *notab. ff ad Trebell., et in L.* 1 *col.* 4 *n. . . . cod. de procur., Angel. in d. § qui alieno n. . . .*, et post istos *Marcabrun. cons.* 90 *n.* 38.

Contrariam sententiam, quod sola cautio non sufficiat, amplexa fuit *Gloss. in d. § qui alieno, per Tex. in § eos auth. de collator.*, sequitur *Jas. in L.* 1 *n. . . . in* 5 *fallent. cod. de procur.*, cum quibus transit etiam *Sim. de Praet. cons.* 83 *n.* 7 *lib.* 1, et alios refert *Franc. Viv. decis.* 149 *n.* 7 *lib.* 2, qui post *Alex. in addit. ad Bart. in d. § cum autem*, testatur de communi.

7. Pro conciliatione harum dissidentium opinionum possumus dicere, vel ex mente *Bart. in d. § cum autem n.* 2 *vers. non obstat § eos et infra*, quod opinio Glossae et sequacium procedat in exactore publico, cui non debet credi nisi ostendat mandatum et literas publicas; contraria autem opinio ejusdem *Bart.* procedat in exactore privatae personae de cujus mandato dubitatur.

8. Vel quod opinio Glossae procedat quando peteretur solutio quae esset valde praejudicialis solventi; opinio vero *Bart.* et sequacium sit vera quando solutio esset solventi minus praejudicialis, et ita distinguit *Marcabr. d. cons.* 90 *n.* 4, quam distinctionem ipse comprobat auctoritate *Cyn. et Bald. in L.* 1 *cod. de procur.*

9. Procurator vero iste non potest liberare debitorem nisi de eo quod constat vere, realiter et cum effectu recepisse, et non suffragatur debitori quietatio per confessionem procuratoris de recepto, *Bart. in L.* 2 *§ in mutui n.* 6, et ibi alii communiter, ut de communi testatur *Dec. n. . . . ff si cert pet., Grat. cons.* 12 *n.* 72, *et cons.* 14 *n.* 19 *lib.* 1, *Capyc. decis.* 16 *n.* 7, *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 24 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 593 *n.* 13 *lib.* 5, *Rebuff. in L. verbum exactis col.* 2 *in fin. vers. ut procurator ff de verb. signif., Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 93 *n.* 2, qui post alios testatur de communi.

Et quod si non constet de vera numeratione, confessio procuratoris de recepto non noceat mandanti, est *Tex. in L. non abstulit cod. de novat., Granut. Theorem.* 7 *n.* 1, qui multos congerit, *Tiraq. de retract. convent.* § 4 *Gloss.* 6 *n.* 12 *et seq.*, ubi *n.* 13 testatur de communi, *et de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 18 *n.* 82, *Nicolaus Intrigliolus super Bulla Nicolai V de censib. quaest.* 21 *n.* 6.

« Procurator vel administrator potest recipere solutionem veram non « autem fictam; quoniam de jure in procuratoribus et correspondalibus,

« seu alias aliena negotia gerentibus, datur facultas faciendi per actus veros « quae tamen denegatur per actus fictos, cum procurator non possit con- « fiteri vel acceptilare, aut remittere, *Card. de Luc. de emption. et vendition.* « *disc.* 42 *n.* 9.

10. Immo etiam si constet de vera numeratione, si procurator non habeat mandatum speciale ad recipiendum solutiones non liberat debitorem in praejudicium creditoris mandantis, *d. L. vero procuratori*, *et L. hoc jure ff de solut.*, *Marescott. d. cap.* 93 *n.* 1.

11. Sufficeret tamen si procurator haberet mandatum generale cum libera administratione dumtaxat a lege, *Alex. in L.* 2 § *in mutui n. . . . ff si cert. pet.*, *Ruin. cons.* 140 *n.* 1 *lib.* 1, *Crot. cons.* 43 *n.* 16 *lib.* 1.

12. Et proinde si domino agenti ad suum creditum, debitor excipiat de solutione facta ejus procuratori, ipse licite potest replicare de non numerata pecunia, *Rol. Gomez*, et alii relati a *Carvall. Commun. contra Commun. quaest.* 699 *n.* 6.

13. Hanc autem conclusionem quod confessio de recepto facta a procuratore non praejudicet creditori mandanti ampliat *Marescott. d. cap.* 93 *n.* 3, ut procedat etiam si procurator haberet mandatum non solum ad recipiendum solutiones et quietandum de recepto, sed etiam ad recepisse confitendum; testans ita communiter teneri, et hanc ampliationem amplexus est *Bart. in d. L.* 2 § *fin. n.* 7, et ibi *Dec. n.* 18, *Albertus Belognettus n.* 47 *ff si cert. petat.*, *Paul. de Castr. cons.* 337 *col.* 2 *n.* 3, *vers. item quia per confessionem lib.* 2, *Dec. cons.* 433 *n.* 6, *Felin. in cap. cum olim col.* 1 *n.* 4 *extr. de offic. deleg.*, *Mascard. de probat. vol.* 1 *conclus.* 369 *n.* 8 *et* 9, *Andreas Fachineus Controversiarum juris lib.* 2 *cap.* 57 *in fin.*, *Rodericus Xuarez in repetit. L. post rem judicatam*, *vers. quia supra visum est n.* 16 *ff de re judic.*, *Philip. Pascal. in tract. de virib. patr. potest. lib.* 1 *cap. . . . n.* 14.

14. Contrariam tamen sententiam in ampliatione post *Salic.*, *Raph.*, *Paul. de Castr.*, *Alex.*, *Ang. Aret.*, *Imol.*, et *Rom.* in locis ab ipso allegatis firmat *Ruin. cons.* 53 *n.* 17 *lib.* 2, testans hanc esse communem opinionem, et ab illa non esse recedendum: quae mihi etiam magis placet ob facultatem sibi in procuratorio concessam, quam fuit amplexus etiam *Jas.*, testans de communi in *d. L.* 2 § *fin. n.* 23 *ff si cert. petat.*

« Actus liberationis tunc debitorem solventem liberat, quando is qui « hujusmodi actum liberationis facit, habet idoneam personam ad liberan- « dum; quales sunt administratores, procuratores omnium bonorum, tutores, « curatores et veri procuratores, *Thomat. decis.* 2 *n.* 28 *par.* 1.

« Alias confessio emissa in receptis ab eo qui a principali non habebat « mandatum, illi nocere non potest, *Thomat. d. decis.* 2 *n.* 30 *par.* 1.

15. Nam procurator habens speciale mandatum ad confitendum, fatendo

praejudicat domino non minus quam si ipsemet confiteretur dominus, *Gloss. in L. proinde* 20 § 1 *in verb. absentem ff ad L. Aquil.*, *Bart. in L. certum* § *sed an et ipsos ff de confess.*, *Ang. in L. novare* 20 § *pupillus n.* 2 *ff de novat.*, *Ciriac. controv. jur. lib.* 1 *cap.* 122 *per tot.*

16. Et haec secunda opinio multo magis procedit in procuratore fisci, qui si confiteatur se recepisse, licet non habeat mandatum speciale ad ita confitendum, fisco tamen praejudicat, *L.* 2 § *ad haec*, et ibi *Angel. n.* 1 *cod. de quadrien. praescription.*, *Ruin. cons.* 140 *n.* 5 *lib.* 1, *Tiraq. de retract. convent.* § 4 *Gloss.* 6 *n.* 13 *ad fin.*

17. Conclusionem autem praefatam, quod procurator per suam confessionem de recepto non praejudicat creditori mandanti, de qua *n.* 9, limitat sex modis *Marescott. d. cap.* 93 *a n.* 1 *usque ad n.* 13, quas limitationes non refero ne videatur velle transplantare dicta per eum.

18. Alio modo illam restringit *Gerard. Mazoll. cons.* 16 *n.* 66, ut procedat dumtaxat in confessione quae fieret ex causa mutui in quo realis et effectualis numeratio requiritur, ut dicemus late *cap. XCIII de mandato circa ea ex quibus dominus remanet obligatus.* Secus autem dicit *Mazoll.* in aliis contractibus, motus auctoritate *Bart. cons.* 150 *lib.* 1, *et in L. duobus* §. 1 *ff de jurejur.*, *et Alex. cons.* 25 *lib.* 2, quod est duplicatum *cons.* 90 *n.* 3 *lib.* 3.

19. Caeterum haec limitatio non videtur in proposito recipienda, neque auctoritas *Bart. et Alex.* suffragatur, quoniam ipsi non loquuntur in confessione de recepto facta a procuratore, sed de facta ab ipsomet principali creditore, quam *Bart.* tam *in d.* § 1 *n.* 2 quam *in d. cons.* 150 firmat, quod si fiat non de recepto a debitore sed a fidejussore, licet ex ea remaneat liberatus debitor, non tamen prodest ipsi fidejussori ut possit repetere a debitore pro quo fidejussit, nisi ille promisisset eidem fidejussori eum indemnem conservare, quo casu, ratione dictae promissionis, ipse quoque fidejussor posset a debitore repetere solutum, ut dicit *Bart. d. cons. n.* 4 *vers. et sic ex praemissis*, ubi respondet *Gloss. in L. duobus* § 1 *ff si cert. pet.* quae contrarium sentit.

20. Iste autem procurator constitutus ad recipiendum solutiones non potest recipere indebitum, quia non censetur constitutus ad recipiendum ea quae sunt indebita, *Bart. in L. si procurator n.* 1, et ibi *Jas. n.* 4 *ff de condict. indeb.*, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 16. Nam indebitum recipere est quid illicitum ad quod non se extendit mandatum generale, ut alibi dictum fuit.

21. Cum autem iste procurator, prout caeteri alii debeat servare fines mandati, *L. si diligenter ff mand.*, si recipiendo solutiones non servaverit mandati fines, debitor solvens non consequeretur liberationem, *Sim. de Praet. cons.* 151 *n.* 36 *lib.* 1.

22. Verum cum iste procurator sit constitutus ad recipiendum solutiones potest dubitari, an procurator iste possit jure medio cogere debitores ad solvendum, et quod possit quidem recipere solutiones a sponte solventibus, non tamen possit illos jure medio cogere ut sibi solvant, voluit *Bald. in L. falsus in 2 opposit. cod. de furt.*, *Soc. Jun. cons.* 22 *num.* 9 *lib.* 3, *Imol. in L. facta § si haeres n.* 4 *vers. nec potest ff ad Trebell.*, *Gozad. cons.* 83 *n.* 8, *Rot. decis.* 443 *n.* 3 *par.* 1 *Recent.*, ea ratione quia in hunc procuratorem nec transferuntur actiones directae quae inhaerent ossibus ipsius creditoris mandantis, nec utiles, sed tantum exercitium directarum.

23. Contrariam tamen sententiam defendit *Franc. a Pont. cons.* 91 *n.* 1 *et seqq.*, *Franc. Marc. decis.* 204 *n.* 5 *par.* 2, qui moventur hoc fundamento, quod cum finis hujusmodi mandati sit exactio et receptio solutionum, censetur procuratori data facultas faciendi ea omnia quae sunt necessaria ad consequendum dictum finem, *L. ad rem mobilem*, *L. illud ff de procur.*, *cum vulgar.* et quia quidquid agit procurator, agit tamquam organum mandantis. Nec repugnat quod in eum non sint translatae actiones nec directae nec utiles, quoniam exercet directas nomine mandantis.

24. Sed rursus dubitari potest an debitor solvens procuratori revocato acquirat liberationem? Pro cujus dubitationis resolutione sunt constituendi quatuor casus:

Primus est, quando debitor habet notam revocationem mandati, et hoc casu si solvat non remanet liberatus, *Rim. Sen. cons.* 513 *n.* 10 *lib.* 3, *L. si ego ff de negoc. gest.*, *Becius cons.* 19 *n.* 1 *lib.* 1.

25. Secundus casus est, quando debitor ignorabat dictam revocationem, et tunc si solvat remanet liberatus *L. si cum Cornelius ff de solut.*, *L. quod servus ff depos.*, *Rim. Sen. d. cons.* 513 *n.* 10, *Jas. in L. si procuratori n.* 5 *ff de condit. caus. dat.*

26. Tertius est casus, quando procurator cui fuit facta solutio non fuit expresse revocatus, sed tacite ex eo quod suam conditionem fecit deteriorem, ut dicemus ad finem tractatus *cap. CXXI*, et debitor hanc deteriorationem sciebat, et hoc quoque casu debitor solvens non remanet liberatus, *Bald. in L. frater haeredi n . . . ff de testam. tutel.*, *Lup. in rubr. extr. de donation. inter vir. et uxor.* § 67 *n.* 12.

27. Quartus est casus, quando debitor solvit ei qui numquam fuit procurator, sed pro tali se gerebat, et hoc casu non remanet liberatus, *L. si ego ff de negoc. gest.*, *Jas. in L. si procuratori n.* 5 *vers. est verum ff de condit. caus. dat.*

Non enim debebat solvere non viso instrumento mandati in publicam et authenticam formam, quam procurator iste tenetur etiam non requisitus,

exhibere, ut diximus in principio hujus capitis, et *cap. CII de mandati productione* adnotabimus.

« Solutio non habenti mandatum facta non relevat, *Rot. decis.* 57 *n.* 7 « *par.* 7 *Recent.*, quod etiam adnotatur *cap. CXII ad n.* 13.

« Non suffragatur solutio illi facta qui caret mandato, *Actolin. resolut.* 71 « *num.* 16.

« Secus tamen est ubi agitur de excludenda caducitate, cum ab ista « valeat excusare solutio quoque facta negociorum gestori absque mandato, « sicuti etiam Praelato aut officiali intruso, *Gob. de monet. quaest.* 5 *n.* 45.

« Cum favorabilior sit causa liberationis quae benigniorem interpreta- « tionem recipere debet, exinde sequitur, solventem ex justo errore ac pro- « babili credulitate ei qui judicabatur habilis ad solutionem recipiendam « assequi liberationem, quamvis in stricto jure talis facultas non adesset, « *Card. de Luc. de censib. disc.* 24 *n.* 8.

CAPUT LXXXVI.

DE MANDATO AD SOLVENDUM, ET QUIS ILLUD HABERE PRAESUMATUR.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad solvendum vel est praesumptum vel expressum.*
2. *Praesumptum quilibet habere censetur, cum quilibet possit pro alio, etiam ignorante et invito, solvere et debitorem liberare.*
3. *Maximi tamen est periculi et incommodi pro alio solvere.*
4. *Censetur etiam illud habere fidejusser.*
5. *Atque ille qui est ab aliquo constitutus generalis procurator omnium suarum rerum ac negociorum.*
6. *Et iste non potest tantum solvere, sed solutiones quoque recipere et debitores liberare.*
7. *Dummodo quod recipit non sit indebitum.*
8. *Procurator solvere debet debitum verum, reale et liquidum, non vero inefficax.*
9. *Licet civiliter tantum esset indebitum.*
10. *Et tenetur solvere creditori vel ejus legitimo procuratori.*
11. *Nec potest solvere debitum ex contractu feudali vel emphyteutico, invito domino directo, nisi et ipse sit comprehensus, vel habeat aliud particulare interesse, vel mandatum expressum a comprehensis.*

12. *Ratio adducitur.*
13. *Contrarium procedit, domino directo non recusante.*
14. *Ex solutione facta ab eo qui proprio solvit nomine pro suo particulari interesse, debitor non liberatur.*
15. *Solvens pro alio sine expresso mandato, actione negociorum gestorum potest solutum ab illo repetere.*
16. *Ac etiam damna et interesse.*
17. *Nisi solvat post protestationem factam a debitore ne solvat.*
18. *Repetit tamen expensas factas ante protestationem.*

1. Mandatum de solvendo, de quo acturi sumus, est in duplici differentia, nam est vel praesumptum vel expressum. Dicemus primum de praesumpto, mox de expresso dicturi in sequenti capite.

2. Praesumptum mandatum de solvendo quilibet habere censetur, cum quilibet pro alio, etiam ignorante et invito, solvere possit et debitorem liberare, *L. solvendo ff de negoc. gest. L. si pro me, L. solutionem ff de solut.*, *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 35 *n.* 5, *Honded. cons.* 19 *n.* 8 *lib.* 1, *Giurb. decis. Regn. Sicil.* 91 *n.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 388 *n.* 5, *Rot. decis.* 89 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

3. Est tamen maximi periculi et incommodi pro alio solvere, ut dicit *Covar. variar. resolut. lib.* 3 *cap.* 2 *n.* 6, *Magon. decis. Lucens.* 9 *n.* 12.

4. Tale etiam mandatum censetur datum fidejussori, *L. indebitam in princ. ff de condict. indeb.*, *Bald. in L. si pro ea n.* 2 *circa med.*, *et n.* 3 *ff eo tit.*

5. Prout censetur datum illi quoque qui est constitutus procurator generalis omnium rerum et negociorum constituentis, ut dicit *JC. in L. qui hominem* § *si Titium*, *et in L. quodlibet ff de solut.*

6. Et iste generalis procurator, vigore hujus mandati poterit non solum solvere creditoribus mandantis, sed etiam recipere solutiones ab illius debitoribus, et eos liberare ut est *Tex. in d.* § *si Titium in fin.*, et dicit *Gloss. in L. si procurator in verb. creditori*, *ff de condict. indebit.*

7. Dummodo id quod recipit non sit indebitum, numquam enim in mandato quantumcumque generali intelligitur mandatum quod mandatarius exigat indebitum, *Paris. cons.* 21 *n.* 41 *lib.* 4, et nos diximus supra *cap. LXXXIV de mandato ad exigendum.*

8. Conclusio autem firmata non est perpetua, sed debet nonnullis modis temperari et intelligi: et primo, dummodo debitum quod iste procurator solvit, sit verum, reale et liquidum, secus autem si sit inefficax, *L. si procurator*, et ibi *Jas. n.* 1 *vers. not.* 1 *ff de condict. indeb.*, *L. si is cui*

nummos § fin. ff de solut., Decian. cons. 96 *n.* 4 *lib.* 2, *Laurent. de Pin. cons.* 96 *n.* 41, *Cels. Hug. cons.* 7 *sub n.* 1.

9. Etiam quod esset indebitum dumtaxat civiliter, naturaliter autem debitum; nam cum illud ab initio extorqueri non possit, non potest dici debitum efficax, ac proinde procurator ad solvendum non potest illud solvere, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *cap.* 16 *n.* 6.

10. Secundo intellige, ut tale mandatum sit restrictum, dummodo solutio fiat ipsimet creditori vel ejus vero et legitimo procuratori, *L. si ego*, et ibi *Gloss. ff de negoc. gest.*, cum aliis apud *Bec. cons.* 19 *n.* 1 *lib.* 1, et nos dicemus capite sequenti dum agemus *de mandato expresso.*

11. Tertio intellige, ut istud mandatum praesumptum non suffragetur in debito ex contractu foeudali vel emphyteutico; nam tale debitum non potest quis pro emphyteuta vel vasallo solvere invito domino directo, nisi sit comprehensus in foeudo vel emphyteusi, vel habeat aliud particulare interesse; vel nisi habeat mandatum expressum a comprehensis de solvendo, *Bald. in L. acceptam n.* 37 *in fin. cod. de usuris*, *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 35 *n.* 5, *Magon. decis. Lucens.* 9 *n.* 15 *et seqq.*, *Giurb. decis.* 91 *n.* 3 *et infra, Corbul. de emphyteus. in caus. privat. ob non solut. canon. limitat.* 7 *n.* 2.

12. Nam cum vasallus et emphytheuta teneantur solvere non solum ne incidant in commissum, sed etiam in recognitionem directi dominii, dictam recognitionem non potest facere nisi ipsemet vasallus vel emphytheuta, *Bald. d. n.* 37, *Jas. cons.* 49 *n.* 2 *lib.* 1, *Cagnol. in L. invito n.* 10 *ff de reg. jur.*, *Joseph Ludovic. d. decis. Perusin.* 35 *n.* 5 *in fin.*

13. Verum si dominus directus non recuset recipere solutiones a quovis alio etiam non habente mandatum a vasallo vel empytheuta non recusante, quilibet potest solvere et liberare vasallum et emphytheutam a caducitate, etiam si solvat tamquam negociorum gestor illorum, *Corbul. d. causa limitat.* 6, *Addent. ad Magon. d. decis. Lucens.* 9 *n.* 15, qui alios allegant, et de magis communi testantur.

14. Quarto intellige, in volente solvere suo proprio nomine pro suo particulari interesse, nam ex dicta solutione non liberatur debitor, *Magon. d. decis. Lucens.* 9 *n.* 16, *Giurb. d. decis.* 91 *n.* 6.

15. Is autem qui pro alio, absque ejus expresso mandato solvit, poterit repetere et consequi a debitore actione negociorum gestorum, non solum id quod solvit, *L. si is qui negocia in princ. ff mand.*, *L. cum pecuniam ff de negoc. gest.*, *Rot. Genuen. decis.* 143 *n.* 2, *et decis.* 197 *n.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 388 *n.* 5, *Honded. cons.* 19 *n.* 8 *lib.* 1,

16. Sed etiam damna, *Rot. coram Seraph. decis.* 973 *n.* 5, et interesse, *Rot. Genuen. d. decis.* 197 *sub n.* 1.

17. Dummodo non solvat post protestationem sibi a debitore factam ne solvat, *L. si pro te in princ.*, et ibi *Bart. ff mandat.*

18. Expensas tamen factas ante protestationem repetit, *L. fin. in fin. cod. de negoc. gest.*

CAPUT LXXXVII.

DE MANDATO EXPRESSO AD SOLVENDUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum ad solvendum quando sit expressum.*
2. *An censeatur datum per literas credentiales.*
3. *Procurator habens tale mandatum potest etiam solvere sponte et sine judicio.*
4. *Debet tamen servare ad unguem formam mandati, alias debitor non remaneret liberatus.*
5. *Et debet solvere vero creditori, vel ejus legitimo procuratori.*
6. *Si solvat non vero creditori vel ejus procuratori legitimo carenti mandato debitor non liberatur.*
7. *Sic etiam si solvat conjunctae personae creditoris.*
8. *Nisi creditori esset jus quaesitum ex conjuncti contractu.*
9. *Quid si solvat vero procuratori, sed per mortem mandantis vel aliter revocato?*
10. *Procurator non implet mandatum per promissionem de solvendo, sed debet vere ac realiter solvere.*
11. *Si mandet suo debitori ut solvat creditori mandantis, iste non liberatur nisi id faciat per viam verae delegationis, creditore praesente atque acceptante.*
12. *Idem procedit si ipse debitor mandaret suo debitori ut suo creditori solveret.*
13. *Nec talis debitor remaneret liberatus a dicto ejus creditore mandante ut non possit amplius ab eo conveniri.*
14. *Illud enim est purum et simplex mandatum quod re integra quandocumque revocari valet.*
15. *Res in proposito non diceretur integra si procurator solvisset vel se obligasset solutorum.*
16. *Vel si debitorem vere et realiter delegasset creditori mandantis praesenti et acceptanti.*
17. *Vel si posuisset summam solvendam in suo codice ad creditum illius cui debebat solvere illo praesente vel ratificante.*

18. *Vel si solvat jussu competentis judicis, praecedente contradictione et protestatione quod solvit coactus et metu mandati.*
19. *Aut si jussu mandantis promittat creditori praesenti se soluturum.*
20. *Idem est solvere et promittere solvere, praecedente jussu solvendi.*
21. *Quid si talis promissio fiat a procuratore non habente speciale mandatum ad solvendum, sed tantum generale ad negocia?*
22. *Procurator qui solvere promisit, si conveniatur a creditore mandantis, potest de credito quod contra ipsum habet excipere et illud compensare.*
23. *Si mandans sit debitor ex pluribus causis, non potest procurator declarare in quam causam solvat, sed solvere tenetur in causam a debitore expressam.*
24. *Ad declarandam domini voluntatem requiritur mandatum speciale.*
25. *Quid si in mandato non sit expressa causa in quam sit facienda solutio?*
26. *Facta solutione a procuratore ipsemet debitor solvisse videtur.*
27. *Mandatum ad solvendum tacite revocatur morte mandantis.*
28. *Contra, si sit factum mandatum de solvendo certae personae.*
29. *Potest revocari etiam expresse.*
30. *Dummodo re integra fiat revocatio.*
31. *Et non fuerit expressa certa persona cui sit facienda solutio quia tunc est illi jus quaesitum.*
32. *Contra quod nullum jus illi quaesitum re integra dicatur, nisi pro ipsa fuerit a notario facta stipulatio.*
33. *Quamvis fieri deberet solutio ad favorem Ecclesiae.*
34. *Si notarius acceptet ac recipiat pro absente illi jus plenum atque irrevocabile minine acquiritur, nisi subsequente ratificatione.*
35. *Nam prius est locus poenitentiae.*
36. *Et ante ipsam nec dominium acquiritur, nec possessio.*
37. *Licet promissio fuerit juramento firmata notario stipulante pro absente.*

1. Explicavimus in praecedenti capite ea quae ad mandatum tacitum de solvendo in mentem venerunt, sequitur ut aliqua dicamus de mandato expresso: quod est quando expressis verbis quis constituitur procurator ad solvendum vel alio modo, prout mandatum fieri posse diximus supra *cap. XVIII de procuratoris constitutione.*

2. An autem per literas credentiales intelligatur datum tale mandatum explicat *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 139 *vers. numquid autem.*

« Mandatum de solvendo tractam, stare non potest sine altero de exi-
« gendo, *Saminiat. controv.* 27 *n.* 73 *lib.* 1.

« Acceptans mandatum remittendi pecuniam ad favorem trahentis di-
« citur ejus procurator, *ibidem n.* 74.

« Quando in literis *d'Avviso* adsunt illa verba « *fatelo con mio obbligo* »,
« ista verba in substantia nil aliud important quam speciale et praecisum
« mandatum datum ab ipso scriptore ad acceptandum super protestu et
« pro honore literarum tractam; cum enim acceptare super protestu con-
« tineat acceptantis declarationem recognoscendi obligatum ipsum literarum
« scriptorem, hoc idem scriptor voluit et mandavit in dictis literis, casu
« quo libere tracta non fuisset acceptata, dicendo « *fatelo con mio obbligo* »,
« hoc est, considerata obligatione mea, seu meo periculo et damno, *Sami-*
« *niat controv.* 27 *n.* 34 *lib.* 1.

« Verba « *vi traggo per conto etc.* » probant mandatum super periculo
« mandantis, *ibidem n.* 62.

« Hic etiam forsan poterit referri conclusio, quod mandatum dari et pro-
« bari potest per literas quas vocant *d'Avviso*, quae habetur supra *cap. XVIII*
« *n.* 19, *et cap. XXV n.* 5.

« Quando mandans scribit corresponsali, ut *supra se* solvat tractam et
« ipse pure acceptet mandatum, mandans remanet liberatus et decoctio man-
« dantis cedit periculo ipsius acceptantis, *Saminiat. controv.* 179 *n.* 6 *lib.* 2.

« Aliud vero et omnino diversum est si mandans dedit mandatum pro
« solutione tractae, ut supra se ipso mandante mandatarius se revaleret
« per illa verba « *e valervene sopra di noi*, » et mandatarius acceptavit
« mandatum solvendi tractam animo se revalendi a dicto mandante ad te-
« norem promissionis ab eo factae, *ibidem n.* 7.

« Qui acceptavit mandatum de solvendo tractam se obligasse censetur
« cum animo se relevandi a mandante, et est conditio sine qua non, *ibid.*
« *num.* 8.

« Mandatarius si habuisset notitiam mutatae conditionis in persona
« mandantis non acceptasset mandatum, *ibid. n.* 9.

« Quando quis acceptat pure et absque protestu mandatum solvendi
« in compotum tertii, hujus decoctio cedit ejus periculo, *idem Saminiat.*
« *controv.* 180 *n.* 1 *lib.* 2.

« Acceptans cum protestu retinet obligatum mandantem, *ibid. num.* 2
« *et* 16.

« Mandatum de solvendo differt a promissione de faciendo literas ac-
« ceptari, *Saminiat. controv.* 182 *n.* 18 *lib.* 2. Id enim semper continet

« in ventre quod non tantum acceptentur literae, sed compleantur et cum « effectu fiat a mandatario solutio, alias creditori competat regressus con- « tra scribentem et mandantem, *ibid. n.* 19.

« Quando tracta fuit acceptata in tempore habili, scilicet antequam « sequeretur mandantis decoctio, ideoque mandatum per mortem civilem « ipsius mandantis nondum expiraverat, et tunc ejus decoctionis periculum « est mandatarii qui literas acceptavit, *Card. de Luc. de cambiis disc.* 20 « *num.* 2.

« Quando autem tractae acceptatio sequuta fuit re non integra et post « jam expiratum mandatum per mandantis mortem vel naturalem vel ci- « vilem ex decotione resultantem, quamvis nonnulli indistincte teneant con- « tra acceptantem quasi quod ita pro scribente fidejussisse potius videatur, « atque debeat esse periculum decoctionis illius qui decocti fidem sequutus « est, nihilominus juxta magis communem et receptam opinionem distin- « ctio est, quod aut de tempore acceptationis casus decoctionis acceptanti « verisimiliter cognitus esse poterat, et tunc sibi imputandum est, ita ut « dicto casu non obstante, ad solutionem literarum cambii quas acceptavit « teneatur; aut cessat dicta verisimilis notitia, et debeat excusari, cum ejus « acceptandi animus censeatur rebus in eodem statu permanentibus et cum « praesupposito integritatis mandantis, *Card. de Luc. de cambiis d. disc.* 20 « *sub d. n.* 2.

« In proposito autem literarum cambii sciendum est, quod scriptor li- « terarum gerit personam mandantis: ille cui sunt directae, et est earum « acceptator, dicitur mandatarius et adjectus cui solutio demandata est, *Card.* « *de Luc. de cambiis d. disc.* 20 *n.* 3.

« Quid vero ubi non tres tantum personae sunt in scena, sed quatuor « interveniunt, ubi scilicet Titius scribit Sejo quod solvat Cajo supra se ad « compotum Semproni? quisnam dicatur mandans seu mandatarius, require « apud eumdem *Card. de Luc. ubi supra n.* 4.

« Obligatio acceptantis literas cambii quamvis non habeat in manibus « de effectibus scribentis, quinimo etiam ubi iste ante solutionem pendente « termino decoxisset, quoties de tempore acceptationis esset in statu integro, « procedit quando corresponsalis cui literae directae sunt, illas simpliciter « acceptat ac promittit; cum tunc ille cui solvendae sunt, cessante mala « fide et collusione acceptantis vel promittentis fidem potius sequi dicatur; « atque intrat quaestio, an promittens dicatur fidejussor seu expromissor « scribentis, juxta unam opinionem apud negociatores et in locis mercan- « tilibus magis receptam, vel potius dicatur mandatarius, juxta alteram « opinionem quam sequuntur *Rot. et Curia Romana* ac etiam Sacrum « Consilium, aliaque Tribunalia Regni Neapolitani, *Card. de Luc. de credit.* « *et debit. disc.* 85 *n.* 2.

« Secus autem ubi quis acceptando vel promittendo expresse adiicit « nomen procuratorium vel institorium; cum tunc resultet clara declaratio « nolle teneri de proprio, sed bene obligat principalem seu mandantem « juxta celebre consilium 510 *Decii*, quod in hac materia speciali circum- « fertur tamquam magistrale, et admittitur ubi subscriptio vel acceptatio « titulum administratorium vel institutorium habet, *Card. de Luc. ibidem* « *d. disc.* 85 *n.* 3.

3. Procurator autem habens mandatum expressum de solvendo potest solvere etiam sine judicio et sponte, *L. idemque* § *fidejussores ff mand.:*

4. Dummodo servet ad unguem formam mandati, alias non sequeretur liberatio debitoris, *Sim. de Praet. cons.* 151 *n.* 36 *et seqq. lib.* 1, *Rot. coram Coccino decis.* 22 *n.* 2.

5. Et solvat vero creditori vel ejus legitimo procuratori, *L. si ego* et ibi *Gloss. ff de negoc. gest.*, cum aliis congestis *a Bec. cons.* 19 *n.* 1 *lib.* 1, *et a Jacob. Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 49, ubi docet quis in proposito dicatur verus et legitimus procurator.

6. Et propterea si solveret non vero creditori sed illius asserto procuratori qui non haberet legitimum mandatum ad recipiendum solutiones, mandans non remaneret liberatus, *L. vero procuratori*, *L. qui hominem* § *si nullo*, et ibi *Bart.*, *Alber. et Alex. ff de solut.*, *Port. Imol cons.* 5 *n.* 30.

7. Prout etiam si solveret conjunctae personae ipsius creditoris, *L. qui aliena* § *quamquam ff de negoc. gest.*

8. Nisi ex conjuncti contractu esset creditori jus quaesitum, ut plurium auctoritate comprobat *Jacob. Laurent. d. cap.* 6 *n.* 50.

9. Sed si solvat vero procuratori qui a creditore habebat legitimum mandatum ad recipiendum solutiones, sed per mortem mandantis expiratum, vel alio ex modis de quibus ad finem tractatus, revocatum, an ex dicta solutione remaneat liberatus debitor? distinguendum est, an procurator solvat antequam de revocatione notitiam habeat, an postea: si prius, debitor liberatur, secus si postea, *d. L. qui hominem* § *si nullo*, *et L. cum Cornelius ff de solut.*, *L. si mandatum ff mand.*, *Rim. Sen. cons.* 513 *n.* 15 *lib.* 3.

10. Similiter mandatum istud non impletur nec illi satisfit per promissionem de solvendo, sed debet impleri per veram et realem solutionem, *L. si debitorem ff de novat.*, *Gabr. cons.* 155 *n.* 21 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 2 *n.* 15.

11. Unde si non solvat realiter et cum effectu, sed mandet suo debitori ut solvat creditori mandantis, non acquirit liberationem mandanti nec satisfacit suo mandato, si hoc non faciat per viam verae delegationis praesente et acceptante creditore cui erat facienda solutio, *Rim. Jun. cons.* 465 *n.* 1 *et seqq. lib.* 4.

12. Nam nec iste debitor remaneret liberatus a suo creditore propter mandatum ab eo factum suo debitori ut solvat creditori, *Gabr. in tit. de novat. conclus. unic. n.* 5.

13. Quemadmodum nec iste debitor remaneret liberatus a dicto suo creditore mandante ita ut non possit amplius ab eo conveniri, ut firmat *Bart. in L. singularia n.* 18 *vers. si vero quaeris ff si cert. petat.*, et ibi DD., maxime *Angel. col. pen.*, *Paul. de Castr. col. fin. vers. tertius casus*, *Purpur. n.* 51 *vers. secunda conclusio*, *Dec. n.* 24, *Rim. Sen. n.* 9 *vers. item in quantum*, *Soc.*, *Jas.*, *et Curt.* quos allegat ibi *Cagnol. n.* 153, testans de communi.

14. Qui omnes moventur ea ratione quia illud est purum et simplex mandatum quod re integra potest quandocumque revocari, *L. si cum Cornelius*, et ibi *Angelus et Imol. n.* 2 *ff de solut.*, *Rot. Genuen. decis.* 13 *n.* 22 § *recte instit. de mand.*, *L. hoc jure* § *si quis dederit pecuniam ff* . . . . . , et nos dicemus infra *cap. CXIV de mandati revocatione.*

15. Diceretur autem in proposito res non esse integra si procurator vel solvisset vel se obligasset soluturum, *Gloss. p. in L. si ego* § *fin. ff de negoc. gest.*

16. Vel si debitorem vere et realiter delegasset creditori mandantis praesenti et acceptanti, *Rim. Jun. cons.* 465 *n.* . . . *lib.* 4.

17. Vel si potuisset summam solvendam in suo codice ad creditum illius cui debebat solvere, illo tamen praesente vel ratificante, *Dec. et Cagnol. in d. L. singularia*, et ante eos dixerat *Paul. de Castr. in L. si cum fundum n.* . . . *ff de pact.*, *Alex. cons.* 96 *per tot. lib.* 3, *Dec. cons.* 421 *col. fin. n.* 15, *Gabr. in tit. de novat. concl. unic. n.* 8, quos refert et sequitur *Rim. Jun. d. cons.* 465 *n.* 5 *lib.* 4.

18. Vel si solvat jussu competentis judicis, praecedente tamen contradictione et praecedente protestatione, quod solvit coactus et metu mandati, *Sim. de Praet. cons.* 151 *n.* 55 *lib.* 1, *Dec. cons.* 407 *n.* 2 *in fin. et n.* 3, *Carolus de Grassis de except. in* 25 *except. n.* 62.

19. Vel si jussu mandantis procurator promittat creditori praesenti se soluturum, *Gloss.* 1 *in fin. in d. L. si ego ff de negoc. gest.*: eo enim casu debitor mandans liberatur, et procurator solus remaneret obligatus.

20. Quia idem est solvere et promittere solvere praecedente jussu solvendi, *Gabr. cons.* 155 *n.* 20 *circa med. lib.* 1, qui ita intelligit dicta per *Bart. in d. L. singularia ff si cert. pet.*

21. Si autem ista promissio de solvendo non esset facta a procuratore habente mandatum speciale ad solvendum, sed a procuratore generali constituto ad negocia, potest iste procurator antequam adveniat tempus solutionis faciendae agere adversus dominum, vel ut obligationem in se suscipiat, vel si creditor nolit obligationem mutare, tenetur dominus idoneae

cavere se defensurum procuratorem, *L. si mandato meo in princ.*, *vers. item si dum negocia ff mand.*

22. Posset tamen iste procurator dum convenitur a creditore mandantis excipere de credito quod ipse habet contra creditorem agentem, et illud compensare, *Surd. cons.* 4 *n.* 9 *lib.* 1, post *Sebast. Medic. de compensat. par.* 2 *quaest.* 13 *n.* 18, dicens hoc non habere difficultatem.

23. Verum enim vero si mandans esset debitor ejus cui est facienda solutio, ex pluribus causis non posset procurator declarare in quam causam solvat, sed solutio debet fieri in causam expressam et declaratam a debitore constituente, per regulam *L. diligenter ff mand.*

24. Cum ad declarandam voluntatem constituentis requiratur mandatum speciale, *Gratian discept. forens. cap.* 224 *n.* 38, et nos dicemus *cap. XCI de mandato circa ea quae consistunt in animo.*

25. Si autem in procuratorio non sit expressa causa in quam solutio fieri debeat, an et quomodo procurator solvens possit declarare, videatur *Gratian. d. cap.* 224 *n.* 40 *et seqq.*

26. Facta autem solutione ab ipso procuratore, solvisse videtur ipsemet debitor constituens, *L. qui mandato ff de solut.*, quod verificari post solutionem factam, dicit *Gloss. in cap. quamquam in verb. denegetur de usur. lib.* 6.

27. Mandatum autem istud an possit revocari videndum est. Et quod tacite intelligatur revocatum morte mandantis non videtur quod possit in dubium revocari, cum quodlibet mandatum ita regulariter revocetur, *L. mandatum cod. mandat.*, et in terminis nostris dixit *Rim. Sen. cons.* 513 *n.* 10 *lib.* 3, cum aliis allegatis ibi *per Addent. in litera F.*

28. Dummodo non sit factum mandatum de solvendo certae personae quia cum illi, dicto casu, sit jus quaesitum mandatum non expirat morte mandantis, *Decian. cons.* 11 *n.* 90 *lib.* 1, *Crescent. decis.* 37 *lib.* 2, *quae est* 15 *de procur.*, ubi multos allegat.

29. De revocatione etiam expressa idem esse sentiendum, suadet *Tex. in L. vero procuratori ff de solut.*

30. Dummodo revocatio fiat re integra, puta antequam sit facta solutio vel res desinat esse integra altero ex modis supra deductis, *Soc. Sen. cons.* 263 *n.* 4 *vers. aliquando et tertio lib.* 2, *Cels. Hug. cons.* 72 *n.* 15, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 3 *n.* 5 *lib.* 2, qui moventur per *Tex. in L. si cum Cornelius ff. de solut.*, *et per not. per Bart. in L. qui Romae* § *Flavius n.* 1 *ff de verb. obligat.*, et ibidem per alios.

31. Limitari autem hoc posse videtur quando solutio erat facienda certo creditori mandantis, ratione supra deducta quia illi erat jus quaesitum quod sine ejus consensu ei auferre non poterat.

32. Hanc tamen rationem impugnat *Rim. Sen. d. cons.* 513 *n.* 12 *et*

infra lib. 3, ubi deducit quod re integra non potest censeri dicto creditori aliquod jus esse quaesitum, et propterea illa non videtur posse subsistere nisi pro illa certa persona in procuratorio nominatim expressa fuerit a notario facta stipulatio, *Aret. cons.* 17 *n.* 9 *vers. nono etiam capite, Jo. Ant. de Rubeis cons.* 132 *n.* 1, qui de communi testatur.

33. Etiam si solutio esset facienda ad favorem Ecclesiae, *Dec. cons.* 531 *ad fin., Curt. Jun. cons.* 12 *n.* 12, *et cons.* 129 *n.* 2, *Paris. cons.* 77 *n.* 15 *lib.* 1.

34. Ubi *n.* 28 dicit quod nec etiam si notarius acceptet et recipiat pro absente, illi acquiritur jus plenum et irrevocabile nisi sequatur ratificatio, *Jo. Ant. de Rubeis d. cons.* 132 *n.* 1, *Thesaur. decis.* 70 *n.* 5, *Ruin. cons.* 174 *sub n.* 5 *vers. sed ex alio lib.* 1, *Curt. Jun. d. cons.* 120 *n.* 1, *Grat. cons.* 25 *n.* 37 *lib.* 1, *Magon. Decis. Lucens.* 55 *n.* 9, *Fachin. controvers. jur. lib.* 8 *cap.* 91.

35. Et ante dictam ratificationem est locus poenitentiae, *Aret. cons.* 74 *n.* 9, *Dec. cons.* 239 *sub n.* 5 *vers. tertio, et cons.* 561 *n.* 12, *Grat. sub d. n.* 37, *Angel. et Imol. in L. si cum Cornelius, uterque n.* 2 *ff de solut., Soc. in L.* 1 § *si jusserim n.* 11 *ff de acq. possess., Covarr. in rubr. de testam. par.* 3 *n.* 23.

36. Et licet quoad hoc ultimum dictum *Rot. decis.* 489 *n.* 1, *et decis.* 683 *n.* 4 *par.* 1 *divers.*, contrarium teneat, attamen ante ratificationem et acceptationem non acquiri nec dominium nec possessionem voluit eadem *Rota d. decis.* 683 *n.* 4.

37. Quod procedit etiam quod promissio fuerit jurisjurandi religione firmata, notario stipulante pro absente, *Dec. cons.* 432 *n.* 26, *Alciat. in cap. cum contingat n.* 335 *extr. de jurejur., Paris. d. cons.* 77 *n.* 45 *lib.* 1, *Plot. de in lit. jurand.* § 1 *n.* 9, *Seraph. de privil. juram. privil.* 25 *n.* 4, *Covar. in cap. quamvis par.* 2 § 4 *n.* 11 *ad fin. de pact. lib.* 6, *Ruin. d. cons.* 174 *sub n.* 5 *vers. sed ex alio juncto princ. lib.* 1.

CAPUT LXXXVIII.

DE MANDATO AD CONTRAHENDUM MATRIMONIUM.

SUMMARIUM

1. *Matrimonium est res ardua, gravis ac magni periculi et momenti.*
2. *Ad illud contrahendum speciale mandatum requiritur.*
3. *Et est necesse ut in mandato exprimatur persona cum qua matrimonium contrahi debet.*

4. *Idem procedit in contrahendis sponsalibus.*
5. *Nec procurator admittitur absque speciali mandato licet velit cavere de rato.*
6. *Praesertim quando agitur de matrimonio annullando.*
7. *Idem etiam servatur in matrimonio spirituali.*
8. *Contraria refertur sententia.*
9. *Atque idem locum obtinet post sacrosanctum quoque Concilium Tridentinum.*
10. *Et procedit in omnibus causis matrimonialibus.*
11. *Pro causis ecclesiasticis pertractandis requiritur mandatum speciale.*
12. *Sicuti etiam pro quibuslibet aliis negociis quae res et materias ecclesiasticas respiciunt.*
13. *Speciale pariter est necessarium mandatum pro obtinenda dispensatione super impedimento ad contrahendum matrimonium exorto.*
14. *An quis vigore mandati ad contrahendum matrimonium possit constituere donationem propter nuptias: remissive.*

1. Cum matrimonium sit res ardua, gravis, et magni momenti et periculi, ut dicit *Bart. in L. filiusfamilias n. 9 in fin. ff de donat., Camill. Borell. in summa decision. cap. 66 n. 221*;

2. Non potest contrahi matrimonium mediante persona procuratoris habentis mandatum generale, sed sicut quodlibet negocium arduum ad illius explicationem requirit mandatum speciale, *Puteus decis. 53 lib. 3 in correct., Caballin. ad constit. March. lib. 6 tit. 11 in Gloss. in verb. procuratorum n. 4 in fin. vers. ultimo.* Maxime quando agitur de explicando actum consistentem in voluntate et mente alicujus, ut dicemus infra *cap. XCI de mandato circa ea quae consistunt in animo*, unde cum matrimonium sit hujus naturae, ad illud contrahendum opus est speciali mandato, *L. generali mandato ff de rit. nuptiar., cap. fin. de procur. lib. 6.*

3. Immo non sufficit quod procuratori fiat mandatum simplex et indefinite ad contrahendum matrimonium, sed requiritur praeterea quod in procuratorio exprimatur persona cum qua matrimonium contrahi debet, *DD. in L. Titius ff de liber. et posth., et signanter Alex. n. . . ., et Jas. n. 15, Gloss. in d. cap. fin. de procur. in 6*, quam communiter esse receptam dicit *Beroius cons. 20 n. 9 lib. 3, Rol. cons. 26 n. 4 et 21 lib. 2, Mynsinger. singul. observat. centur. 2 observat. 26 n. 5, Caballin. d. n. 4 vers. quintus, Carocc. in tract. de locat. et conduct. in tit. de jur. sublocan. quaest. 32 n. 15 et in tit. de procurat. quaest. 3 n. 43, Franc. Molin.*

in tract. de ritu nuptiar. lib. 1 *comparat.* 25 *n.* 5 *cum seqq.*, *Thom. Sanch. de matrim. lib.* 2 *disputat.* 11 *n.* 3 *et* 4, qui omnes profitentur non sufficere mandatum simplex ad contrahendum matrimonium, nisi exprimatur persona cum qua debet contrahi: alios allegat *Camill. Borell. in d. cap.* 66 *n.* 162.

« Per procuratores quoque matrimonium contrahi potest, quoties le-
« gitimum accedat mandatum quod duret ac persistat de tempore quo actus
« explicatur coram parocho, ita tamen quod mandatarii interveniant qui
« consensum explicent atque contractum perficiant juxta generales aliorum
« contractuum regulas. Unde propterea consensus per absentem praestitus
« per epistolam directam alteri contrahenti sufficiens non videtur, *Card.*
« *de Luc. in adnot. ad Sacr. Concil. Trident. disc.* 26 *n.* 29.

« Ac etiam in facti contingentia dubitatum fuit, an aliquis ex testibus
« istas mandatarii partes unius contrahentium explicare valeat; atque pro-
« babilior videbatur negativa, licet casus adhuc pendeat indecisus. Si vero
« de tempore actus mandatum revocatum sit quamvis clandestine id sequutum
« esset adhuc actus infectus remanet. Idemque mandatum speciale certae
« scilicet personae pro matrimonio contrahendo cum certa et determinata
« persona directum esse debet, neque alias sufficit, *Card. de Luc. in adnot.*
« *ad Sac. Concil. Trident. d. disc.* 26 *n.* 30 *cum duobus seqq.*

4. Quae conclusio debet explicari aliquot modis, et quidem primo, ut procedat etiam ad contrahenda sponsalia, quae contrahi non possunt per procuratorem nisi habeat mandatum speciale ad hoc, *Thom. Sanch. d. disputat.* 11 *n.* 3 *vers. similiter*, qui multa dicit circa hoc mandatum ad contrahendum matrimonium.

5. Ampliatur secundo, ut non admittatur procurator sine speciali mandato etiam quod velit cavere de rato, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 13 *et* 16, ubi alios congerit, *Joseph Ludovic. in suis conclusion. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers. duodecimo.*

6. Et maxime quando tractatur de annullando matrimonio, *Rot. decis.* 324 *n.* 4 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

7. Ampliatur tertio, ut procedat etiam in matrimonio spirituali, *Rot. decis.* 27 *n.* 2 *de procur. in nov.*, *Caballin. d. n.* 4 *vers. quintus*, *Joseph Ludovic. d. vers. duodecimo*, *Carocc. d. quaest.* 32 *n.* 74, *et in tit. de procur. quaest.* 2 *n.* 43.

8. Contrarium tamen in hac ampliatione tenent nonnulli, quos refert *Franch. in cap. fin. n.* 4 *vers. non obstat*, *d. cap.* 15 *cui. de procur. lib.* 6, cum quibus ipse quoque transire videtur.

9. Ampliatur quarto, ut hoc servari debeat etiam post Sacrosanctum Concilium Tridentinum, late *Thom. Sanch. d. disputat.* 11 *n.* 20 *et seq.*, ubi respondet contrariis.

10. Ampliatur quinto, ut procedat in omnibus causis matrimonialibus, *Gloss. in cap. qui ad agendum § fin. de procur. lib.* 6, *Angel. Aret. institut. de iis per quos agere possum. n.* 3 *vers. secundus*, *Carocc. in d. tit. de jur. sublocan. quaest.* 32 *n.* 12, *Gratian. discept. forens. cap.* 738 *n.* 23, qui allegat *Franc. Molin. de ritu nuptiar. lib.* 1 *cap.* 25 *n.* 6: contrarium tamen fuit resolutum in *Rot. d. decis.* 27 *in fin. de procur. in nov.*

11. Verum prior opinio verior videtur, cum causae istae pertineant ad forum ecclesiasticum, et sint ecclesiasticae in quibus pertractandis requiritur mandatum speciale, ut in causis usurariis quae videntur sapere spiritualitatem et propterea non possunt tractari nisi per procuratorem habentem mandatum speciale, *Franch. in cap. qui ad agendum § fin. n.* 3 *vers. trigesimo primo de procur. lib.* 6.

12. Prout quaelibet alia negocia quae respiciunt res et materias ecclesiasticas, ut diximus supra *cap. LXIX.*

13. Si autem ad contrahendum matrimonium insurgeret aliquod impedimentum quod ageret dispensatione, eo etiam casu ad impetrandam dispensationem super dicto impedimento non admitteretur procurator sine speciali mandato, ut pro singulari dicto refert *Corsett. in suo singul.* 174 *in verb. mandatum*, *el.* 1 *incipit in impetranda dispensatione*, *Cels. Hug. cons.* 120 *n.* 66.

14. Caeterum an iste procurator vigore dicti mandati ad contrahendum matrimonium possit constituere donationem propter nuptias, late discutit *Petr. Ant. Anguissola cons.* 11 *per tot. lib.* 5.

CAPUT LXXXIX.

DE MANDATO AD ACQUIRENDAM POSSESSIONEM.

SUMMARIUM

1. *Possessio potest acquiri mediante procuratoris persona.*
2. *Et est manutenibilis.*
3. *Quod ad illam acquirendam generale mandatum sufficiat.*
4. *Contra quod speciale mandatum sit necessarium.*
5. *Ad acquirendam possessionem animus requiritur.*
6. *Unde non acquiritur absenti vel ignoranti.*
7. *Nec infanti qui animum dicitur non habere.*
8. *In iis quae pendent ex animo ac voluntate, speciale mandatum requiritur.*
9. *Pro acquirenda rerum donatarum possessione non sufficit de-*

natario mandatum ad acceptandam donationem, sed requiritur speciale ad earumdem possessionem acquirendam.

10. *Idem mandatum requiritur ad acquirendam Ecclesiastici beneficii possessionem.*
11. *Atque ad effectualem et realem bonorum possessionem petendam.*
12. *Qui habet mandatum a lege potest absque alio mandato pro altero possessionem acquirere.*
13. *In mandato ad acquirendam possessionem non sunt exprimenda bona quorum est capienda possessio.*
14. *Et praedictum mandatum comprehendit tantum facultatem capiendi possessionem justam et ex justa causa.*
15. *Procurator aliquem sua spolians possessione, illam non acquirit mandanti nec ei praejudicat;*
16. *Nisi mandans statim habita notitia, possessioni ita captae non renunciaverit.*
17. *Sequens tacita ratificatio idem operatur ac si praecessisset speciale mandatum ad taliter possessionem capiendam.*
18. *Et per dictam ratificationem illi acquiritur possessio etiam per non procuratorem ejus nomine capta.*
19. *Quae ante eamdem ratificationem non esset illi acquisita.*
20. *Dominus praefatae possessioni non acquiescens, nec illam ratificans, censetur revocasse praecedens mandatum.*
21. *Procurator ut mandanti possessionem acquirat in actu ipsam capiendi debet exprimere, se illam capere non proprio sed procuratorio nomine mandantis.*
22. *Et illi potest possessionem acquirere, et per actum fictum, mediante clausula constituti.*
23. *Ad transferendam possessionem non requiritur speciale mandatum.*
24. *Procurator in possessione existens praesumitur non proprio sed procuratorio nomine possidere.*
25. *Vigore mandati de capienda possessione censetur ei etiam data facultas agendi pro illa consequenda.*

1. Quod quis possit acquirere possessionem mediante persona procuratoris, probat *Tex. in L.* 1 § *per procuratorem ff de acquiren. possess.*

2. Et illam esse manutenibilem, resolvit *Rot. cor. Mantic. decis.* 346 *n.* 1 *et decis.* 272 *n.* 1, *et in Recentior. decis.* 601 *n.* 1 *par.* 2.

3. Sed posset dubitari quale mandatum requiratur ad acquirendam possessionem, et an sufficiat generale, an vero requiratur speciale.

Et quod sufficiat generale videtur sentire *Jason in d.* § *per procuratorem in fin.*, ubi indistincte et indefinite Jurisconsultus dicit quod possessio acquiritur per procuratorem, et sic etiam per habentem dumtaxat mandatum generale, quod repetit *Pancirol. cons.* 71 *n.* 3.

4. Contrariam tamen sententiam, quod exigatur mandatum speciale, firmat *Surd. cons.* 160 *n.* 23 *lib.* 2.

5. Quae probatur concludenti ratione, nam cum ad acquirendam possessionem requiratur animus, *L.* 3 § *in amittenda*, et ibi *Jas. n.* 1, *L. licet*, et ibi *Gloss. ff de acquir. possess.*;

6. Et propterea non acquiritur absenti neque ignoranti, *d. L.* 3 *in princ.*, *L. quemadmodum*, *L. quod meo* § *si furioso ff eo tit.*, *L si ego ff de negoc. gest.*, *Surd. d. cons.* 160 *n.* 25 *lib.* 1.

7. Et eadem ratione, nec etiam infans (qui animum non habet, *L. quamvis* § *infans ff de acquiren. possess.*) potest possessionem acquirere, *L.* 1 § *adipiscimur*, et ibi communiter *DD ff de acquir. possess.*, *d. L. quamvis* § *infans eo tit.*, *Ruin. cons.* 158 *n.* 20 *lib.* 1, *Franciscus Vegius cons.* 26 *n.* 5, *Crot. cons.* 26 *n.* 25 *lib.* 1, *Sim. de Praet. cons.* 140 *n.* 9 *lib.* 1, *Menoch. de adipiscen. possess. remed.* 4 *n.* 297; et per praedicta alias in contingentia facti contra quemdam qui moverat judicium *ex can. redintegranda* 3 *quaest.* 1, sub praetextu quod fuisset spoliatus possessione cujusdam domus quam dicebat se acquisivisse tempore suae infantiae, obtinui sententiam favorabilem pro eo tam in prima, quam in secunda instantia. Ea ratione quod non intraret spolium ex quo actorem in sua infantia possessionem nactum fuisse dici non poterat, et ultra praedicta allegabam *Beroium cons.* 62 *n.* 6 *lib.* 3 *et Rot. decis.* 337 *par.* 2 *divers.*

8. Quamobrem cum pro adipiscenda possessione requiratur voluntas et animus, utique concludendum est ad effectum ut illa acquiri possit per procuratorem, opus esse ut ille habeat mandatum speciale quale requiritur in iis quae ex animo et voluntate pendent, ut saepius dictum fuit, et dicemus infra *cap. XCI de mandato circa ea quae consistunt in animo.*

9. Et hinc ad acquirendam possessionem rerum donatarum ipsi donatario non sufficit mandatum ad acceptandam donationem, sed requiritur speciale ad acquirendam earum rerum possessionem *L.* 1 § *per procuratorem ff de acquir. possess.*, *Joseph Ludovic. decis. Perusin.* 29 *n.* 24.

10. Prout similiter ad acquirendam possessionem beneficii ecclesiastici, speciale mandatum exigi dicunt *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 4 *vers. vigesimonono de procurat. lib.* 6, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11, *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. quadragesimus sextus.*

11. Nec non ad petendam effectualem et realem bonorum possessionem simile mandatum requiritur, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 46 *n.* 2 *lib.* 4, qui alios allegat.

12. Non obstant *Jason et Pancirolus* supra pro contraria opinione allegati. Quoniam debent intelligi, vel quod senserint de procuratore habente speciale mandatum, prout alii DD. communiter loquuntur, vel senserint de eo qui habet mandatum a lege, qualis est maritus, ut diximus supra *cap. III de mandato habito a lege*, de quo loquitur *Pancirol. d. cons.* 71; is enim qui habet mandatum a lege, potest absque alio mandato possessionem pro alio adipisci, ut dicit idem *Jas. in d. L. quamvis* § *infans. ff de acquir. possess.*, *Gabr. cons.* 52 *n.* 1 *lib.* 1, quod est duplicatum *cons.* 31 *lib.* 2.

13. Ad effectum autem ut procurator dicatur habere mandatum sufficiens ad acquirendam possessionem, satis est quod habeat mandatum ad capiendam possessionem, nec est opus ut in procuratorio exprimantur bona quorum possessio capienda per eum est, *Rot. decis.* 318 *n.* 2 *par.* 1 *divers. et decis.* 649 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

14. Hoc autem mandatum debet intelligi, ut comprehendat dumtaxat potestatem capiendi possessionem justam, et ex justa causa mandanti debitam, secus autem, ut talis procurator possit capere possessionem modo non licito et ex causa injusta, *Rot. decis.* 318 *n.* 1 *par.* 1, *et decis.* 155 *n.* 2 *lib.* 2 *par.* 3 *divers.*

15. Et proinde si procurator faciat actus ex quibus quis dici possit spoliari sua possessione, non acquirit possessionem mandanti, nec illi aliquod facit praejudicium, *Bellamer. decis.* 550, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 268, et ibi *Addent. n.* 13 referunt alias decisiones, et *decis.* 546 *n.* 13.

16. Nisi mandans statim atque rescivit ejus procuratorem modo minus licito, expoliativo, pro eo possessionem adeptum fuisse, illi non renunciavit, *Bellamer. d. decis.* 550.

17. Si enim tacuit et in dicta possessione permansit, tenetur ex facto sui procuratoris, nam illa tacita ratificatio sequens idem operatur, ac si praecessisset speciale mandatum ad taliter capiendam possessionem, *Rot. decis.* 211 *n.* 2 *par.* 2 *Recentior.*, et nos dicemus *cap. CV de ratificatione gestorum.*

18. Nam propter dictam ratificationem acquisita fuit illi possessio etiam per non procuratorem ejus nomine apprehensa, *Pancirol. cons.* 24 *n.* 7 *et cons.* 71 *n.* 12.

19. Quae si ante ratificationem non erat acquisita *L. communis servus* § *fin. ff de acquiren. possess.*, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 10 *n.* 13 *lib.* 3, *Rot. decis.* 9 *de restit. spoliat. in nov.*

20. Quod si is cujus nomine fuit capta possessio modo injusto et non licito dictae possessioni non acquievit, nec illam ratificavit, censetur revocasse praecedens mandatum, *Rot. decis.* 318 *n.* 3 *par.* 1 *divers.*

21. Ad effectum autem ut procurator in vim dicti mandati acquirat mandati possessionem, opus est ut in ipso actu capiendi possessionem ex-

primat et declaret se illam capere non proprio sed procuratorio nomine mandantis, *L.* 1 § *per procuratorem*, et ibi *Bart. n. . . . ff de acquiren. possess.*, *Socin. Sen. cons.* 54 *n.* 12 *lib.* 4, *Purpur. cons.* 202 *n.* 10 *lib.* 1.

22. Potest autem procurator iste possessionem acquirere mandanti non solum per actum verum et realem, capiendo realiter et cum effectu possessionem corporalem, sed etiam per actum fictum mediante clausula constituti, *Bart. in L. si is qui pro emptore in ult. quaest. n.* 70 *vers. quid dicemus ff de usucap.*, *Tiraquell. de constit. possess. ampl.* 26 *per tot. et par.* 3 *limit.* 19 *n.* 1 *et* 13, ubi testatur de magis communi, *Soc. jun. cons.* 135 *n.* 25 *lib.* 2.

23. Nam ad transferendam possessionem non requiritur mandatum speciale, *Sim. de Praet. cons.* 204 *n.* 6 *in fin. et n.* 7 *lib.* 1.

24. Si autem iste procurator reperiatur in possessione, praesumitur non proprio sed procuratorio nomine possidere, *Mascard. de probat. vol.* 3 *conclus.* 1202 *n.* 2, refert *Ludovic. Casanat. cons.* 40 *n.* 19.

25. Quod si in capienda possessione procurator iste reperiat contradictorem, et opus sit adire judicem pro illius acquisitione, censetur ei vigore mandati de capienda possessione, data etiam facultas agendi pro illa consequenda, ut per regulam *L. ad rem mobilem ff de procurat.*, dicit *Cornaz. decis. Lucens.* 122 *n.* 50 post multos quos allegat.

CAPUT XC.

PROCURATOR AN POSSIT MUTARE FACTUM A MANDANTE.

SUMMARIUM

1. *Procurator non potest mutare factum a domino, nisi habeat mandatum speciale, vel id faciat ex justa et improvvisa causa.*
2. *Licet sit procurator, quantumlibet generalis et cum libera.*
3. *Conclusio tamen procedit in actu a domino perfecto; secus si ille solum disposuisset.*
4. *Et non superveniente justa causa, propter quam domino expediat quod factum a se revocetur vel aliter fiat.*
5. *Quilibet potest facere meliorem alterius conditionem, non vero deteriorem.*
6. *Procurator etiam sine speciali mandato potest revocare confessionem in actis a domino emissam, si ex ea illi agnoscat praejudicium inferri.*

7. *Responsionum revocatio non reperitur inter casus requirentes speciale mandatum.*

8. *Iterum dicta principalis conclusio procedit ratione aliter non dictante.*

1. Regulare est quod procurator non potest mutare et alterare id quod factum fuit a suo principali, nisi habeat mandatum speciale, vel hoc faciat ex justa et improvvisa causa, *L. si hominem* 30, et ibi *Bart. in summar. et n.* 1 *ff mandat.*, *Bald. cons.* 118 *vers. remanent dubia lib.* 3, *Rot. cor. Verall. decis.* 229 *n.* 1 *lib.* 2, *L. actione* § 1, et ibi *Bart. n.* 1 *ff pro soc.*, *Riminal. Sen. cons.* 193 *n.* 12 *lib.* 1, *Hector Felic. in tract. de societ. cap.* 36 *n.* 6, *Ruin. cons.* 106 *n.* 43 *lib.* 1.

2. Etiam quod esset procurator quantumcumque generalis et cum libera administratione; *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 18 *lib.* 2.

3. Haec autem conclusio recipit nonnullas necessarias declarationes; et primo est declaranda in actu per dominum perfecto et consummato, secus si dominus dumtaxat disposuisset *per regul. L. patre furioso ff de iis qui sunt sui vel alien. jur.*, *Rim. Sen. cons.* 173 *n.* 13 *vers. praeterea et praedicta lib.* 1, *Franc. a Pont. cons.* 69 *n.* 22.

4. Secundo declaratur, ut non procedat si emergat justa causa propter quam domino expediat quod factum ab se revocetur vel fiat aliter quam ab ipso erat factum, hoc enim casu procurator etiam quod non habeat mandatum speciale, poterit illud revocare vel aliter facere, nam ex causa superveniente vel de praeterito incognita domino, potest procurator venire contra factum a domino, ut clare colligitur ex dicta *L. si hominem in princ. ff mand.*, et ibi notat *Bart. n.* 1, *et Bald. n.* . . ., et ita declarat *Rim. Sen. d. cons.* 173 *n.* 13, *Ruin. cons.* 23 *n.* 12 *vers. nec obstat. lib.* 1, *Port. Imol. cons.* 84 *n.* 24, *Osasch. decis. Pedem.* 8 *n.* 9 *vers. in contrarium.*

5. Quilibet enim potest facere meliorem conditionem alterius, deteriorem autem non, *L. non debet*, et ibi *DD. ff de reg. jur.*, et nos alibi diximus.

6. Et propter hanc rationem, licet ad revocandam confessionem ab ipso constituente in actis factam sub praetextu erroris, non sufficiat mandatum quantumvis generale, sed requiratur speciale; attamen si procurator cognoverit suo principali expedire illam revocare, poterit id facere etiam absque mandato speciali, *Bart. in d. L. si hominem n.* 1, *Bald. in L. error in ultimis verbis cod. de juris et fact. ignor.*, *Rot. coram Sarmient. decis.* 87 *lib.* 1.

7. Ultra quod casus iste revocationis responsionum, non reperitur

positus inter eos qui requirunt mandatum speciale, et propterea ad hoc erit sufficiens generale, ut in simili argumentatur *Specul. in tit. de actor. n.* 40 *vers. sed dic*, *quod sufficit generale*, in illis verbis *nec est jure cautum quod hic exigatur speciale mandatum*, quo argumento nos quoque alibi *Specul.* auctoritate usi fuimus.

8. Tertio, principalis conclusio supra firmata declaratur ut non procedat si aliter ratio dictet *ex notat. per Bald. in d. L. error n.* 15 *in fin. cod. de juris et fact. ignor.*, et per *Port. Imol. cons.* 84 *sub n.* 24 *vers. quemadmodum.*

CAPUT XCI.

DE MANDATO AD EA QUAE CONSISTUNT IN ANIMO.

SUMMARIUM

1. *Negociorum qui a solo domini animo ac voluntate pendent, procurator notitiam habere non potest.*
2. *Diversarum personarum non eadem est voluntas.*
3. *Ad explicanda ea quae a domini voluntate pendent et in ejus animo consistunt, requiritur speciale mandatum.*
4. *Procurator absque hujusmodi mandato libellum obscurum a domino productum declarare non valet.*
5. *Nec dominus e contra productum a procuratore non habente speciale mandatum.*
6. *Nec potest novum opus nunciare.*
7. *Verbum* forsan *de sui natura stat dubitative.*
8. *Aliquando, et maxime cum profertur a jureconsulto, est etiam expressivum veritatis.*
9. *Procurator autem, etiam speciale habens mandatum non potest denunciationem remittere sine cautione, vel aliquo accepto, vel retento.*
10. *Similiter absque speciali mandato electionem alterius nomine facere nequit.*
11. *Si et ipse habeat vocem in electione, an unum proprio, alterum procuratorio nomine possit nominare.*
12. *Haereditas regulariter per procuratorem adiri non valet.*
13. *Licet esset procurator in rem propriam.*
14. *Eo ipso quod quis alicui facit mandatum ad adeundam haereditatem, illam dicitur adivisse.*

15. *Faciens mandatum ad acquirenda bona haereditaria dicitur gerere se pro haerede, non haereditatem adire.*
16. *Aliquando tamen potest etiam adiri per procuratorem.*
17. *Et tunc requiritur mandatum speciale in quo debet exprimi haereditas adeunda.*
18. *In haereditate adeunda animus requiritur.*
19. *Immo solo animo aditur.*
20. *In aditione haereditatis magnum adest periculum ob onera haereditaria.*
21. *Ad conficiendum inventarium nomine haeredis vel fideicommissarii generalis requiritur mandatum speciale.*
22. *Quod procurator non possit inventarium facere postquam haeres fecit mandatum ad consequendum bona haereditaria.*
23. *Contraria affertur opinio.*
24. *Praedictarum opinionum conciliatio.*
25. *Auctoris sententia cum ratione.*
26. *Ad quascumque protestationes et intimationes faciendas est pariter necessarium speciale mandatum.*
27. *Protestatio est voluntatis protestantis declaratio.*
28. *Ut protestatio et interpellatio facta a procuratore etiam cum speciali mandato afficiat, debet etiam non requisitus suum mandatum ostendere.*

1. Quoniam multa sunt negocia quorum explicatio ex solo animo et voluntate pendent, et si alteri committantur de eis procurator cognitionem et notitiam habere non potest, cum ea quae consistunt in animo sint occulta, et soli Deo cognita, qui est scrutator cordium, et cui eorum dominus propalaverit, *Alex. cons.* 78 *n.* 14 *lib.* 5, *Angel. in L. si quis intentione ambigua n.* 4 *ff de judic., can. erubescant* 32 *distinct.*

2. Et diversarum personarum non eadem est voluntas, *cap. quia diversitas extr. de concess. praeben.*

3. Proinde communiter receptum est quod procurator habens generale mandatum, non possit explicare ea quae dependent a mera voluntate mandantis, et in ejus animo consistunt, *Gloss. in L. idem Pomponius scribit* § *fin. in verb. plures ff de reivindic., Decian. cons.* 4 *n.* 15 *lib.* 4: quamvis habeat mandatum generale cum libera, *Paris. cons.* 31 *n.* 112 *lib.* 1, *Burs. cons.* 225 *n.* 67 *lib.* 3, sed requiratur mandatum speciale, *Alex. d. cons.* 78 *n.* 14 *lib.* 5, quod est duplicatum, *cons.* 26 *lib.* 6, *Paris. d. cons.* 31 *n.* 112, *Decian. d. cons.* 4 *n.* 15 *et* 16, *Surd. cons.* 160 *n.* 24 *lib.* 2, *et decis.* 89 *n.* 20, *et cons.* 281 *n.* 21 *d. lib.* 2, *Burs. d. n.* 67

vers. septimo et n. 168, *Rot. cor. Gregor. XV decis.* 268 *n.* 7 *et cor. Cavaller. decis.* 348 *n.* 2, quod multis potest explicari exemplis.

« Generale est in quacumque re in qua agitur sive de praejudicio « principalis, sive de declaranda ejus voluntate requiri speciale mandatum, « et sine eo non posse procuratorem suo principali praejudicare, *Palma* « *Nepos decis.* 139 *n.* 35 *lib.* 2.

« Procurator non potest declarare animum suorum principalium sine « speciali mandato, *Thomat. decis.* 185 *n.* 35, *et decis.* 288 *n.* 10 *par.* 2.

« A procuratore, sine speciali mandato, explicari non possunt ea quae « consistunt in animo, *Thomat. decis.* 225 *n.* 28 *par.* 2.

« Quod tamen procedit quando procurator habet necessitatem docendi « de animo sui principalis; secus vero contingit ubi de animo principalis « constat ex aliquo ejus facto, vel etiam ex juris praesumptione, *Thomat.* « *d. decis.* 225 *n.* 29 *par.* 2.

« Ad faciendam declarationem eorum quae latent in animo principalis, « vel ab eo pendent, requiritur mandatum speciale, *Card. de Luc. de ju-* « *diciis disc.* 6 *n.* 8.

4. Primum sit exemplum, ad declarandum libellum obscurum, tam productum a domino, quem declarare non potest procurator nisi cum speciali mandato, *Alex. d. cons.* 78 *n.* 14 *vers. ideo libellum lib.* 5, *Ruin. cons.* 145 *n.* 28 *lib.* 5, *Rol. cons.* 19 *n.* 3 *lib.* 3, *Curt. Jun. cons.* 149 *n.* 3, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. decimus septimus*, qui alios allegat;

5. Quam productum a procuratore non habente speciale mandatum, quem dominus ipse declarare non potest, *Bald. in L. idem Pomponius scribit vers. quid de domino ff de judic.*, *Angel. d. L. si quis intentione ambigua n.* 4 *ff eo tit.*

6. Secundum exemplum sit, ad nunciandum novum opus, *Alex. d. cons.* 78 *n.* 14, *Decian. cons.* 4 *n.* 16 *lib.* 4, *Caballin. d. n.* 4 *vers. decimus quartus.*

7. Licet *Gloss. in L. de pupillo* § *si is cui nunciatum vers. qui procuratorio, in verb. verus ff de nov. oper. nunc.*, hoc non affirmet, sed dicat sub dubio per verbum *forsan*, quod de sui natura stat dubitative, *L.* 1 § 1, et ibi *Gloss. et Bart. ff de reivindic.*, quia tamen *Gloss. in d. verb. verus* refert se *ad Tex. in L. illud in fin.*, *et in L. quod si de speciali ff de pact.*, ubi deciditur quod ad petendum restitutionem in integrum est necessarium mandatum speciale, videtur inferendum quod sentiat etiam in hoc casu esse necessarium mandatum speciale.

8. Neque obstat quod loquatur per verbum *forsan*, quia illud quoque est aliquando expressivum veritatis, *Gloss. in cap. super literis in fin. de rescr.*, *et in cap. tuae extr. de procur.*, maxime cum profertur a jureconsulto.

9. Virtute autem hujus mandati etiam specialis, non posset procurator remittere denunciationem absque cautione, vel aliquo recepto vel retento, *Petr. Ant. Anguissola cons.* 4 *et cons.* 5 *lib.* 4 *per tot.*

10. Tertium sit exemplum, ad faciendam electionem nomine alterius, *Jo. Petr. Fontanell. de pact. nuptial. tom.* 1 *claus.* 4 *Gloss.* 10 *par.* 1 *n.* 124. Quando autem iste procurator constitui possit est *Tex. in cap. quia* § *illud autem extr. de elect.*, *Alex. de Nevo cons.* 66 *n.* 2.

11. Si autem constituatur procurator is qui etiam proprio nomine habet vocem in electione, an possit nominare unum proprio, alterum procuratorio nomine, distinguendum est, ut *per D. Jo. Paul. Lancell.* convicem meum, *JC.* suo tempore insignem in suis *institut. juris Canonic. lib.* 1 *tit. . . . de elect.* § *et si tantum pag.* 28.

12. Quartum est exemplum, ad adeundam haereditatem, quae licet regulariter per procuratorem adiri non possit, *L. Paulus ff de acquir. haered.*, *Bald. in rubr. extr. de procur. n.* 26.

13. Quamvis esset procurator in rem propriam, *Corn. cons.* 239 *n.* 5 *lib.* 4.

14. Immo eo ipso quod facit alicui mandatum ad adeundum haereditatem, illam adivisse dicatur, *Gloss. in L. si item* § 1 *in verb. si evidens ff ad Trebell.*, *Bart. in d. L. Paulus n.* 1 *in* 1 *opposit.*, *Vivius decis.* 374 *n.* 6 *par.* 2.

15. Et faciens mandatum ad acquirenda bona haereditaria dicitur pro haerede se gerere, non autem haereditatem adire, *Rim. Jun. cons.* 417 *n.* 17 *lib.* 4.

16. Dantur tamen aliqui casus in quibus per procuratorem haereditas adiri potest, qui habentur in *L. si quis mihi bona* § *jussum ff de acquir. haered.*

17. In quibus non est sufficiens mandatum generale, sed est opus speciali in quo exprimatur qualis haereditas sit adeunda, *d. L. si quis mihi bona* § *sed utrum*, et ibi *Gloss. in verb. specialiter*, *Bart. in d. L. Paulus in* 2 *opposit.*, *et in L. filiusfam. n.* 9 *ff de donat.*, *Bald. in L.* 1 *n.* 31 *cod. qui adm.*, *Alex. cons.* 78 *n.* 15 *lib.* 5, *Crot. cons.* 15 *n.* 21 *lib.* 1, *Calcan. cons.* 77 *n.* 7 *et seq.*, *Rim. Jun. cons.* 209 *n.* 57 *lib.* 2, *Rot. coram Card. Cavaller. decis.* 272 *n.* 4.

18. Vel quia in haereditate adeunda requiritur animus, *Mynsinger. singular. observat. centur.* 2 *observat.* 26 *n.* 1.

19. Immo solo animo aditur, *L. pro haerede*, et ibi *Gloss. ff de acquir. haeredit.*, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 46 *n.* 2 *lib.* 2, et ideo est necessarium mandatum speciale, ut supra dictum est.

20. Vel quia in haereditatis aditione versatur magnum periculum propter onera haereditaria, *Bart. in d. L. filiusfamilias n.* 9, et ibi *Alex. in*

apostill., *Caballin. d. n.* 4 *vers. tertius*, *Caroce. in tract. de locat. et conduct. in tit. de procurat. quaest.* 2 *n.* 42.

« Procurator absque speciali mandato non potest praejudicare domino « in iis quae pendent ab illius animo, praesertim ubi praecessit contraria « ipsius domini protestatio, *Actolin. resol.* 44 *n.* 27, 28, 34 *et* 42 *et resol.* « 85 *n.* 35.

21. Quintum exemplum potest considerari, si haeres vel fideicommissarius nolunt adire haereditatem, vel agnoscere fideicommissum inconsulto, ne implicentur et illaqueentur oneribus haereditariis, sed volunt uti beneficio inventarii mediante persona procuratoris: in hoc debent esse cauti ut illi faciant mandatum speciale ad conficiendum inventarium bonorum talis haereditatis sibi delatae, vel talis fideicommissi ad sui favorem purificati; cum ad conficiendum inventarium nomine haeredis vel fideicommissarii generalis requiratur mandatum speciale, *DD. in L. fin. cod. de jure deliberan.*, et signanter *Jas. in princ. n.* 4 *vers. sexto quaero*, *Antoninus Thesaur. decis.* 155 *per tot.*, *Jo. Petr. Fontanella de pact. nuptial. tom.* 1 *clausul.* 4 *Gloss.* 5 *n.* 46.

« Communiter receptum est inventarium posse per procuratorem spe« cialem confici, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 9 *n.* 202.

22. Sed posset dubitari, an iste procurator possit relevans inventarium facere, postquam haeres fecit mandatum ad consequendum bona haereditaria, in qua dubitatione partem negativam videtur amplecti *Angel. in L.* 1 § *haec stipulatio n.* 25 *ff si cui plus quam per Leg. Falcid.*, ubi admonet haeredes, ut quando adeunt vel se immiscent haereditati protestentur se velle adire cum beneficio legis et inventarii, et illius beneficio gaudere, alias tamquam certi de viribus haereditatis viderentur illam agnovisse simpliciter, neque postea conficiendo inventarium quidquam eis prodesset, quem sequuntur multi quos refert *Rimin. Jun. cons.* 417 *n.* 2 *et seq. lib.* 4.

23. Contrariam tamen sententiam uti veriorem et probabiliorem amplectuntur alii plures, quos congerit *Rimin. Jun. ibid. n.* 7.

24. *Riminaldus* tamen, dicto *consilio* 417 *n.* 8 *et seqq.*, has contrarias opiniones conciliat per consideratione casuum ex mente *Paul. de Castr. cons.* 274 *lib.* 1, ad quos erit in contingentia facti recurrendum, ne eorum dicta transcribere velle videar.

25. Mihi tamen indistincte placet opinio affirmativa, cum tempus nonaginta dierum praefixum ad conficiendum inventarium non incipiat currere nisi a die aditae haereditatis, *d. L. fin.*; ergo illud confici potest etiam post aditam haereditatem, dummodo conficiatur intra nonaginta dies.

26. Sextum et ultimum sit exemplum, ad faciendum quascumque protestationes et intimationes, *Gloss. in Clement. causam in verb. specialiter de elect.*, cujus auctoritate *Alex. cons.* 78 *n.* 15 *in princ. et n.* 16 *lib.* 5,

Franch. in cap. qui ad agendum § *fin. vers. trigesimusquartus de procurat. in* 6., *Decian. cons.* 4 *n.* 16 *vers. et concludit etiam lib.* 4, *Sim. de Praet. cons.* 125 *n.* 29 *lib.* 1, *Paul. de Castr. in L. de pupillo* § *qui procuratorio n. . . . ff de novi oper. nunciat., Tiraquell. de retractat.* § 1 *Gloss.* 10 *n.* 97 *in fin., Surd. decis.* 215 *n.* 2.

« Si protestatio fiat contra debitorem, juxta doctrinam *Paul. de Castr.*, « vel debet fieri a creditore principali, vel a procuratore ad hoc mandatum « speciale habente, prout requiritur in iis quae consistunt in animo ipsius- « met principalis, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 8 *n.* 268.

« Mandatum speciale requiritur ad declarandam mentem mandantis et « ad protestandum, *Rot. decis.* 218 *n.* 17 *par.* 7 *Recent.*

27. Protestatio enim nihil aliud est quam declaratio voluntatis protestantis, *Corn. cons.* 120 *n.* 3 *in fin. lib.* 1, *Rot. decis.* 567 *n.* 7 *par.* 1 *Recent.*

28. Ad hoc autem ut protestatio et interpellatio facta a procuratore etiam habente mandatum speciale afficiat, tenetur, etiam non requisitus, suum mandatum ostendere, *Bart. in L. si quis inficiatus n.* 1 *ff deposit.*, cum aliis relatis infra *cap. CIV, Mandatum in extrajudicialibus quando sit producendum? vers. hinc procurator, Riminal. Sen. cons.* 93 *n.* 41 *lib.* 1, *cons.* 147 *n.* 4, *Crot. cons.* 213 *sub n.* 11 *vers. et praedictae conclusioni, et vers. non obstat aliud fundamentum, Sim. de Praet. cons.* 132 *n.* 85 *et* 86, reddit rationem *Caesar Manent. decis.* 61 *n.* 3.

CAPUT XCII.

DE MANDATO CIRCA FOEUDALIA ET EMPHYTHEUTICA.

SUMMARIUM

1. *Ubi agitur de impetrando vel concedendo foeudo mediante procuratoris persona, requiritur mandatum speciale tam ex parte impetrantis quam concedentis.*
2. *Juramentum fidelitatis nequit praestari a procuratore absque speciali mandato.*
3. *Foeudum cum sit beneficium ex benevolentia datum, est species donationis.*
4. *Est tamen quoque sufficiens generale mandatum cum libera, vel cum clausula « ad faciendum ea quae requirunt speciale mandatum ».*
5. *Et in vim praedicti mandati non possunt investiri de foeudo nisi personae capaces.*

6. *Et non ultra solitum mandantis.*
7. *Ad concedendam pariter, vel renovandam emphytheusim est necessarium speciale mandatum.*
8. *Sufficit vero etiam generale cum libera.*
9. Caroccius de locat. in tit. de procurat. quaest. 2 n. 47 *reprehenditur.*
10. *Procurator absque speciali mandato non potest declarare caducitatem incursam.*
11. *Neque ad id sufficit mandatum generale cum libera.*
12. *Ad hoc ut emphytheuta cadat a jure suo, domini directi exigitur declaratio quod velit illum cadere.*
13. *Ad faciendum aliquem cadere in poenam requiritur speciale mandatum.*
14. *Mandatum generale cum libera, quamvis speciali aequiparetur, non sufficit ad faciendum aliquem cadere in poenam, sufficeret tamen sequens ratificatio domini directi.*
15. *Unde etiam requiritur ad petendam in judicio caducitatis declarationem.*
16. *Sic etiam est necessarium ad remittendam caducitatem, non solum tacite per canonis receptionem post ipsam incursam.*
17. *Sed etiam expresse.*
18. *Nec sufficit mandatum cum libera.*
19. *Quamvis procurator habeat facultatem recipiendi canones.*
20. *Et licet ulterius sit ei quoque data facultas renovandi emphytheusim.*
21. *Talis enim potestas restringitur ad illas renovationes, quas mandans de jure facere tenetur.*
22. *Si post incursam caducitatem pater a filii emphytheuta canonem recipiat, caducitas valide censetur illi remissa.*
23. *Dummodo pater in bonis filii emphytheuticis habeat usumfructum, et consequenter administrationem.*
24. *Sic etiam canonis receptio facta a procuratore domino praejudicat, si iste hujusmodi caducitatis remissionem expresse vel tacite ratificaverit.*
25. *Ratificatio habet vim praecedentis mandati, etiam in iis quae requirunt speciale mandatum.*
26. *Procurator speciali carens mandato domino non praejudicat, si caducitatis acceptet declarationem.*
27. *Procurator non potest cadere suum principalem in poenam absque speciali mandato.*

1. Si foeudum sit impetrandum vel concedendum mediante persona procuratoris, posset dubitari quale mandatum requiratur: et esse necessarium speciale ex parte utriusque dicendum est.

« In generali mandato bona foeudalia et emphytheutica non includun-
« tur, *Gob. de permiss. foeud. et emphyth. alien. quaest.* 6 *n.* 6, ubi tamen
« *cum Anguill. cons.* 26 *n.* 344, distinguit inter generale mandatum homi-
« nis et legis.

« Limitatur vero praedicta conclusio, ut non procedat quoties dicta
« bona sive foeudalia, sive emphytheutica sunt alienabilia; tunc enim, stante
« hujusmodi alienabilitate, in generali quoque mandato comprehendi tradit
« idem *Gob. de permiss. foeud. et empyth. alienat. d. quaest.* 6 *n.* 64.

2. Ex parte quidem impetrantis firmat *Afflict. in cap.* 1 § *sed utrum n.* 1, per quas personas fiat investitura in usibus foeudorum, *Joan. Jacob. De Leonardis inter cons. Brun. cons.* 116 *n.* 11 *et seqq.* Vasallus enim debet praestare juramentum fidelitatis, quod praestari non posse a procuratore non habente speciale mandatum dictum fuit supra *cap. IL de mandato ad subeundum vel referendum juramentum.*

3. Ex parte etiam concedentis, quia concessio in foeudum est species donationis; foeudum enim est beneficium ex benevolentia datum, *cap.* 1 *in fin. in quib. caus. foeud. amitt. in usib. foeud.*, *Afflict. in praelud. foeud. n.* 38, et alii passim; et proinde in concessione foeudi mediante persona procuratoris est necessarium mandatum speciale, quale requiri in donando diximus *cap. LXXVI de mandato ad donandum*, et vult *Afflict. d.* § *sed utrum n.* 1.

4. Esset tamen sufficiens generale cum libera, vel cum clausula ad faciendum ea quae speciale requirunt mandatum, *Bald. cons.* 138 *n.* . . . *lib.* 5, *Afflict. ad constit. Regn. lib.* 1 *in rubr. qualit. locand. sunt res fiscal. n.* 4 *vers. tertio not.*, *et decis.* 305 *n.* 1 *cum seqq. usque ad n.* 7, *Burs. cons.* 44 *n.* 3 *lib.* 1.

5. Hoc autem mandatum recipit restrictionem ab habilitate, ut scilicet intelligatur data facultas investiendi de foeudo dumtaxat personas habiles et capaces, *Peregrin. cons.* 48 *n.* 8 *ad fin. et n.* 9 *lib.* 6.

6. Et non ultra solitum mandantis, *Surd. cons.* 5 *n.* 76 *lib.* 1.

7. Similiter ad concedendam vel renovandam emphytheusim exigitur mandatum speciale, *Sim. de Praet. cons.* 204 *n.* 8 *lib.* 1.

8. Sufficit tamen mandatum cum libera quamvis esset generale, *Bald. cons.* 138 *sub n.* 4 *lib.* 5, *Grat. cons.* 96 *n.* 16 *et seqq. lib.* . . .

9. Unde videtur quod male loquatur *Vincentius Caroccius in tractatu de locat. in titulo de procurat. quaes.* 2 *n.* 47, dum contrarium sentit mo-

tus auctoritate *Bald. d. cons.* 138, cum *Baldus* dicat prorsus oppositum ejus ad quod illud allegat *Carocc.*

10. Si autem emphytheuta cadat ab emphytheusi ob aliquam ex causis quas late declarat, *Aurel. Corbul. in suo tractatu de causis ex quibus emphytheuta venit privandus emphytheusi*, non potest procurator declarare esse incursam caducitatem, neque illam remittere sine speciali mandato. Quoad declarandum esse incursam caducitatem, firmant *Decian. cons.* 4 *num.* 16 *lib.* 4, *Curt. Jun. cons.* 49 *n.* 3 *vers. cum igitur*, *Burs. cons.* 225 *num.* 28 *lib.* 2, *cons.* 233 *n.* 9 *et cons.* 253 *n.* 20 *lib.* 3, *Surd. decis.* 181 *n.* 14, *Gabr. cons.* 82 *n.* 17 *lib.* 2, *Joseph. Ludovic. concl.* 30, *Rot. cor. Verall. decis.* 301 *n.* 2 *lib.* 1, *Franch. Vivius decis.* 534 *n.* 24 *vers. et ratio est*, *Ursill. ad Afflict. decis.* 129 *n.* 8, *Gratian. decis. March.* 49 *n.* 34.

11. Ita ut non sufficiat mandatum generale cum libera, *Viv. d. decis.* 534 *num.* 27.

« Contra, quod habens mandatum cum libera possit declarare caduci-
« tatem incursam praesertim quoties hujusmodi declaratio est evidenter uti-
« lis Ecclesiae, quidquid sit dicendum, ubi potest illi esse damnosa tenet,
« *Actolin. resol.* 91 *n.* 31 *cum duobus sequentibus.*

12. Nam ad effectum ut emphytheuta cadat a jure suo requiritur declaratio domini directi quod velit illum cadere, *DD. omnes in L.* 2 *cod. de jure emphytheut., et in cap. potuit extr. de locat.* cum concordantibus apud *Decian. cons.* 4 *n.* 51 *lib.* 4, *Verall. decis.* 181 *n.* 3 *lib.* 2, *Cassiodor. decis.* 2 *n.* 2 *in tit. de locat.*, *Amat. decis. March.* 70 *n.* 19, *Burs.*, qui testatur de communi, *cons.* 26 *n.* 7 *lib.* 1. Ad declarandum autem ea quae consistunt in animo et voluntate alterius est necessarium mandatum speciale, ut diximus saepius et late *cap. XCI de mandato circa ea quae consistunt in animo.*

13. Vel potest esse ratio quia caducitas est poena, et ad faciendum cadere aliquem in poenam requiritur mandatum speciale, ut suo loco dicemus, et hanc rationem considerat *Beroius cons.* 25 *n.* 13 *lib.* 3, et alii relati *a Joseph. Ludovic. decis. Perus.* 53 *n.* 3.

14. Ob quam rationem non sufficere mandatum generale cum libera quamvis speciali aequiparetur, dicunt *Beroius d. n.* 13, *Burs. cons.* 125 *n.* 68 *lib.* 2, *Viv. d. decis.* 534 *n.* 27 *par.* 4; sufficeret tamen sequens ratificatio domini directi, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 22 *tit.* 27 *num.* 33.

15. Et propter easdem rationes esset necessarium mandatum speciale in procuratore qui vellet petere in judicio declarationem caducitatis, *Beroius cons.* 151 *n.* 18 *lib.* 1, *Cornazan. decis. Lucens.* 1 *n.* 3.

16. Ad remittendam etiam caducitatem incursam requiritur mandatum speciale, non solum ut censeatur tacite remissa per receptionem canonis post

incursam caducitatem, *Paris. cons.* 86 *n.* 17 *lib.* 4, *Afflict. decis.* 129 *n.* 11, *Grat. cons.* 2 *n.* 82 *lib.* 1, *Honded. cons.* 55 *n.* 86 *lib.* 1, *Corbul. de jure emphyth. in caus. privat. ob non solut. canon. limit.* 21 *n.* 16.

17. Sed etiam ut expresse illam remittere valeat, *Beroius cons.* 116 *n.* 10 *lib.* 1, *Paris. d. n.* 17, *Surd. decis.* 148 *n.* 8, *et decis.* 181 *n.* 15, *Honded. d. cons.* 55 *n.* 87, *Corbul. d. n.* 16, *Gratian.*, qui multos allegat, *decis. March.* 49 *n.* 25.

18. Ita ut non sufficiat mandatum cum libera, *Corbul. d. limit.* 21 *in fin.*, quem refert *Gratian. d. decis.* 49 *n.* 28.

19. Licet procurator haberet facultatem recipiendi canonem, *Beroius d. cons.* 116 *n.* 10 *lib.* 1, *Gratian. d. decis.* 49 *n.* 29 *vers. respondetur.*

« Immo est advertendum quod ubi agitur de excludenda caducitate, ab « ista valet excusare etiam solutio facta negociorum gestori absque mandato, « vel etiam praelato aut officiali intruso, *Gob. de monet. quaest.* 5 *n.* 45.

20. Quamvis ultra facultatem recipiendi canonem fuisset illi data potestas renovandi emphytheusim, quia non propterea censeretur illi data facultas revocandi emphytheusim post incursam caducitatem, quia hoc saperet donationem et dilapidationem quae requirunt speciale mandatum, ut diximus *cap. LXXVII de mandato ad alienandum.*

21. Sed censetur dumtaxat data potestas ad faciendum eas renovationes quas mandans de jure facere tenetur, *Grat. d. cons.* 2 *n.* 83 *lib.* 1, *Gratian. d. decis.* 49 *n.* 47 *et seq.*, *Honded. d. cons.* 55 *n.* 87 *vers. nec obstat lib.* 1, et licet *Corbul. d. limit.* 21 *n.* 18, relinquat cogitandum, infra tamen ipse quoque hanc opinionem amplectitur et confirmat.

22. Conclusio autem principalis ut supra comprobata non est perpetua, sed fallit, primo, in patre legitimo administratore bonorum filii qui, si post incursam caducitatem recipiat canonem ab emphytheuta filii, illi praejudicat et caducitas intelligitur efficaciter remissa, *Soc. Sen. cons.* 66 *n.* 20 *lib.* 3, *Honded. d. cons.* 55 *n.* 87, *Corbul. d. limit.* 21 *n.* 17.

23. Quod tamen non procederet si pater in dictis bonis emphytheuticis non haberet usumfructum, et consequenter nec administrationem; in illis enim non posset, recipiendo canonem post incursam caducitatem, filio praejudicare, ut deducit *Gratian. d. decis.* 49 *n.* 29, 40 *et seqq.*

24. Fallit secundo, si dominus dictam remissionem caducitatis ratificaret vel expresse vel tacite, patiendo quod pecuniae quae procurator recepit post incursam caducitatem in ipsius domini utilitatem expendantur et implicentur; nam in vim ratificationis talis receptio canonis operatur caducitatis remissionem, *Corbul. d. limit.* 21 *n.* 17, *Honded. d. cons.* 55 *n.* 87, *Gratian. discept. forens. cap.* 633 *n.* 42 *et seq.*

25. Ratificatio enim habet vim praecedentis mandati etiam in iis quae exigunt speciale mandatum, ut dicemus *cap. CV de ratificatione gestorum.*

26. Sicut autem procurator non praejudicat domino directo sine speciali mandato, eodem modo procurator emphytheutae non potest illi praejudicare acceptando et acquiescendo declarationi caducitatis, nisi ad hoc habeat speciale mandatum, *Curt. Jun. cons.* 149 *n.* 9.

« Ad effectum obtinendi assensum domini directi in alienatione bono-
« rum foeudalium atque emphytheuticorum requisitum sufficit ut fiat de-
« nunciatio procuratori generali ipsiusmet domini, *Gob. de permiss. foeud.*
« *et emphyt. alienat. quaest.* 3. *n.* 8.

27. Nam talis acceptatio tendit ad faciendum cadere suum principalem in poenam, quod non est illi permissum absque speciali mandato, ut dicemus *cap. XCV de mandato circa ea ex quibus dominus potest incidere in poenam.*

CAPUT XCIII.

DE MANDATO AD EA EX QUIBUS MANDANS REMANET OBLIGATUS.

SUMMARIUM

1. *Procurator domini conditionem meliorem, non vero deteriorem facere potest.*
2. *Hinc non potest illum obligare absque speciali mandato.*
3. *Sive mandans personaliter obligari debeat.*
4. *Sive realiter.*
5. *Sufficit tamen etiam mandatum generale cum libera, vel aliter speciali aequipollens.*
6. *Procurator sine speciali mandato non potest accipere pecunias sub cambiis.*
7. *Nec mutuo.*
8. *Hujusmodi mandatum comprehendit non solum in ea expressa sed consequentia quoque negocii mandati.*
9. *Quamvis sit conceptum verbis restrictivis et taxativis.*
10. *Quid si vigore verborum non possit extendi ut procurator se valeat obligare ad interesse et sub cambiis?*
11. *Procurator dominum non obligat si pecunias realiter non recipiat, sed solum se illas recepisse confiteatur.*
12. *Aliud est accipere, aliud confiteri se accepisse.*
13. *Licet procurator habeat facultatem accipiendi mutuo pecunias et illas habuisse confitendi.*

14. *Habens mandatum cum libera a lege, domino, confitendo praejudicat.*
15. *Tutor ac fisci procurator habent liberam administrationem a lege.*
16. *Habens mandatum ad accipiendas mutuo pecunias in certam causam erogandas, an illas accipiendo dominum obliget si in aliam eas eroget causam.*
17. *Praedictum mandatum restringitur ad primam vicem, et non extenditur ad cambia reiterata.*
18. *Idem procedit in procuratore constituto ad capiendas pecunias ad societatem officii.*
19. *Mandatum officialis quamvis generale ad capiendam super ejus officio quamlibet pecuniarum summam, restringitur ad valorem officii super quo est contrahenda societas.*
20. *Procurator habens efficax et speciale mandatum ad dominum obligandum, potest tantum illum obligare per publicum instrumentum, non vero per privatam scripturam.*
21. *Secus ubi vigore statuti scriptura privata habet vim publici instrumenti, ut contingit Perusiae.*
22. *Tunc tamen scriptura esse debet solemniter confecta et legitime recognita, alias nullam faceret probationem.*

1. Cum procurator possit quidem facere conditionem mandantis meliorem, non vero deteriorem, *L. diligenter in fin. ff mand. cum concordan.*

2. Sequitur, quod procurator non possit dominum obligare ultra facultatem sibi in procuratorio concessam; ad faciendum enim actus ex quibus mandans remaneat obligatus est necessarium mandatum speciale, *Bald. in L. mandatum, in 4 oppos. in fin. cod. mand.*, *Paseth. cons.* 200 *n.* 3.

« Procurator absque speciali mandato principalem non obligat, *Rot.* « *coram Crispo decis.* 5 *n.* 5 *tom.* 1.

« Ad exercendum jus praelationis de jure exigitur speciale mandatum « ratione obligationis, quam exinde principalis, seu dominus contrahit ad « praetium oblatum, *Palma Nepos decis.* 36 *sub n.* 7 *lib.* 1.

« Non est tamen necessarium quando agitur de re mere favorabili ac « constituente principalem in facultate et arbitrio utendi vel non utendi be- « neficio praelationis, cum in tali casu satis sit etiam mandatum praesumptum, « *Palma Nepos d. decis.* 36 *n.* 8 *lib.* 1.

3. Quod procedit tam ut mandans obligetur personaliter, *Beroius quaest.* 25 *n.* 1., *Joseph. Ludovic. in suis conclus. in tit. de mand. conclus.* 32 *vers. quinquagesimo octavo:*

4. Quam ut remaneant obligata illius bona; non enim potest procurator constituere pignus super re mandantis, nisi ad hoc habeat mandatum speciale, *L. solutum § fin. ff de pignor. act.*, *Negusantius de pignor. par.* 3 *membr.* 1 *n.* 96 *et seq.*, *Caballin. ad constitut. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. super verb. procuratorum n.* 4 *vers. nonus in fin.*

5. Esset tamen sufficiens generale cum libera, vel aliter aequipollens speciali, *Negus. sub d. n.* 36, *Rol. cons.* 26 *n.* 12 *lib.* 2.

« Supposito sufficienti mandato, mandatarius obligat mandantem, quam-
« vis ipse esset decocturus, vel etiam decoctus; quia mandans sibi ipsi im-
« putare debet cur minus idoneo mandatum dederit, quoties ex parte em-
« ptoris vel alterius contrahentis non adsit dolus vel collusio, *Card. de Luc.*
« *de credit. et debit. disc.* 51 *n.* 5. Nam secus est quando ex parte contra-
« hentis cum hujusmodi mandatario, dolus vel mala fides concurrat in sup-
« plantationem mandantis, qui mandatum dedit in statu valido, *Card. de*
« *Luc. ibid. d. disc.* 51 *n.* 7.

6. Atque hinc sine mandato speciali non potest accipere pecunias sub cambiis, cum agatur de obligando dominum ad solutionem interesse.

« Cum institori seu ministro ad certum negocium deputato, pro illo
« explicando data fuissent quaedam assignamenta cum facultate, quatenus
« illa in toto vel in parte deficerent, accipiendi pecuniam ad cambium et
« recambium; cumque per dictorum assignamentorum defectum admini-
« strator ita egisset, *Rot.* decidit, signanter *decis.* 224 *par.* 9 *Recent.*, *et*
« *decis.* 346 *par.* 10 *Recent.*, cambia non deberi, ex eo quod prius quam
« ad hujusmodi facultatis exercitium deveniretur, praecedere debebat man-
« dantis interpellatio, qua mediante, iste sciret evenisse casum indigentiae
« pecuniarum, ac subjacere debere cursui usurarum seu cambiorum cui
« occurrere potuisset providendo aliunde de pecunia, cum interim credere
« potuerit ex assignamentis factis remanere provisum, ut refert *Card. de*
« *Luc. de cambiis disc.* 14 *n.* 2, qui ait *sub d. n.* 2, *quod praedictae de-*
« *cisiones aliquam exorbitantiam continere videntur.*

« Quidquid autem sit de praedictis decisionibus, illud certum est, quod
« omnis difficultas cessare videtur, quoties socius vel administrator utile
« negocium gessit, quia consocii intererat potius pecuniam ad cambium ha-
« bitam esse quam si alienata fuissent praedicta assignamenta cum ista fru-
« ctarent ad majorem rationem, ut advertit idem *Card. de Luc. de cam-*
« *biis d. disc.* 14 *sub d. n.* 2.

« In materia cambii magna differentia est inter illud mandatum ad
« cambiandum quod datur creditori qui duas gerat personas, unam scilicet
« creditoris, alteram mandatarii, et illud mandatum quod datur simplici
« administratori nullam utilitatem ex cambiorum cursu reportanti, et qui
« alias ab exercitio mandati in gratiam mandantis recepti, damnificatus re-

« maneret solvendo tertiis cambia vere decursa pro pecuniis in causam prin-
« cipalis erogatis; primo enim casu stricte et rigorose proceditur, cum cre-
« ditor, licet juris fictione duas diversas personas ita reprehesentet, attamen
« in veritate contendat de lucro captando, debitor vero de damno vitando,
« cujus totum oppositum sequitur in secundo casu; et fortius ubi agitur
« de socio in quo duplex concurrit mandatum, unum datum ab homine
« ex dicta conventione, alterum datum a lege, *Card. de Luc. de cambiis*
« *disc.* 14 *n.* 3.

7. Nec mutuo ex quo dominus remanet obligatus ad restituendum tantumdem; nam qui facit mandatum ad accipiendum pecunias sub cambiis, vel mutuo, censetur etiam dedisse procuratori constituto facultatem promittendi restitutionem et solutionem cambiorum et interesse, si talis sit consuetudo regionis, *Rom. cons.* 94 *n.* 7 *vers. quoad secundum*, et infra, *Ruin. cons.* 93 *n.* 4 *lib.* 5, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 3 *tit.* 9 *n.* 63, *Scacc. in tract. de commerc. et cambiis* § 1 *quaest.* 7 *par.* 1 *sub n.* 22 *vers. et quod cambium sit mutuum*, *Philip. Pascal. in tract. de virib. patr. potestat. par.* 2 *cap.* 7 *n.* 30.

8. Tale enim mandatum comprehendit non solum expressa in procuratorio, sed etiam consequentia negocii mandati, *Marcabr. cons.* 90 *n.* 8, et nos dicemus *cap. XCVII de mandati finibus custodiendis.*

9. Quamvis mandatum esset conceptum verbis restrictivis et taxativis, puta ad accipiendum mutuo vel sub cambiis decem dumtaxat, *Mantic. d. tit.* 9 *n.* 63.

10. Et licet mandatum vigore verborum non posset extendi ut procurator posset se obligare ad interesse et cambia, nihilominus, si dominus erat solitus capere pecunias mutuo vel sub interesse et cambiis, vel pecuniae sint versae in illius utilitatem, utique dominus remanet obligatus, *Negus. de pignor. par.* 3 *membr.* 1 *n.* 36 *vers. item dicitur*, et infra.

11. Iste autem procurator licet haberet mandatum sufficiens, non tamen obligaret dominum si non reciperet pecunias realiter et cum effectu in pecunia numerata, sed tantum confiteretur se illas recepisse, *L. certum* § *sed an ipsas ff de confess.*, per quem *Tex.* et alia jura *Surd. cons.* 326 *n.* 19 *lib.* 3, *Bart. in L.* 2 § *in mutui autem n.* 6 *ff si cert. pet.*, ubi ponderat illud verbum ad accipiendum quod denotat realem acceptionem.

12. Cum aliud sit accipere, aliud confiteri se accepisse, *Bart. in L. a Divo Pio* § *sed si emptor n.* 6 *ff de re judic.*, *Tiraq. de retract. convent.* § 4 *Gloss.* 6 *n.* 11, optime facit *Paul. de Castr. cons.* 186 *n.* 1 *vers. cum ergo quis dat lib.* 1, *Menoch. cons.* 39 *n.* 33 *lib.* 1, *Ruin. cons.* 140 *n.* 4 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 593 *n.* 14 *lib.* 5, *Bertazol. cons. crimin.* 232 *n.* 8 *lib.* 1, qui de communi testatur, *Jas. in* § *sequens n.* 14 *instit. de act.*, ubi dicit hoc dictum *Bart.* esse aureum, *Mazoll. cons.* 16 *n.* 66 *per tot.*,

et faciunt dicta per *Angel. cons.* 288 *n.* 2 *post princ. vers. secundo probatur*, et per *Rim. Jun. cons.* 5 *n.* 197 *in fin. lib.* 1.

13. Quod ampliandum est procedere etiam si procurator haberet facultatem accipiendi pecunias mutuo et habuisse confitendum, *Bart. in d.* § *in mutui n.* 7, cujus dictum aureum asserit *Jas. in* § *sequens n.* 15 *instit. de act.*, ubi illud exornat.

14. Fallit tamen in eo qui habet mandatum cum libera a lege; is enim confitendo praejudicaret domino, *Ruin. d. cons.* 140 *n.* 5 *lib.* 1.

15. Exemplificans in tutore et procuratore fisci, qui dicuntur habere liberam administrationem a lege, et ibi declarat *Ruin.*

16. Caeterum si sit factum mandatum ad accipiendum pecunias mutuo erogandas in certam causam, si procurator dum pecunias recipit exprimat se illas accipere ut implicet in causam expressam, licet illas eroget in aliam causam, nihilominus licite accipit ac dominum obligat, *Bart. in L.* 1 § *non autem n.* 2 *ff de exercit. act.*, quia cum sit constitutus procurator ad accipiendum pecunias in eam causam, satis implet mandatum, dum exprimit se in eam causam illas accipere, *Bart. in d.* § *non autem n.* 2 *vers. quandocumque quis accipit pecunias in eam causam in qua praepositus est*, et in aliis locis relatis a *Mandell. Alb. cons.* 452 *n.* 9 *et* 10 *lib.* 3.

17. Hoc autem mandatum est restringendum ad primam vicem et non extenditur ad cambia reiterata, ut per regulam, *L. Boves* § *hoc sermone ff de verb. signif.*, dicit *Paris. cons.* 91 *n.* 5 *lib.* 1.

18. Idipsum procedit etiam in procuratore constituto ad capiendas pecunias ad societatem officii, tam respectu officialis cujus officium obligatur, quam respectu ejus cujus contemplatione officialis suum officium obligat et qui illius bonam fidem recognoscit, *Boccat. de societat. offic. n.* 119, *Zacchias eod. tit. n.* 198.

19. Ex parte autem officialis mandatum quantumvis generale ad capiendum super ejus officio quamcumque pecuniarum summam et quantitatem, debet restringi ad valorem officii super quo societas est contrahenda, ita ut procurator suum principalem in plus obligare nequeat quam valor officii patiatur, *Zacch. d. tract. n.* 87 *et segq.*, asserens ita fuisse resolutum in *Rot. coram Hermanno Ortembergo in caus. Roman. societat. officii* 12 *februarii* 1601.

20. Hoc tamen adnotandum est, quod quamvis procurator habeat mandatum speciale et efficax ad obligandum dominum, non poterit illum obligare nisi per publicum instrumentum, non autem per privatam scripturam, *Decian. cons.* 22 *n.* 8 *lib.* 3.

21. Nisi in loco ubi privata scriptura vigore statuti haberet vim publici instrumenti, prout contingit in civitate Perusiae patria mea, *Lib.* 2 *statutor.*

rubr. 14. Nam ibi posset procurator obligare suum principalem etiam per privatam scripturam, *Decian. d. cons.* 22 *n.* 10.

22. Dummodo sit solemniter confecta et legitime recognita, alias nullam faceret probationem, *Crav.* qui multos allegat, *de antiquit. tempor. par.* 1 § *viso de verbis n.* 15, *Paris. cons.* 68 *n.* 2 *lib.* 3.

CAPUT XCIV.

DE MANDATO AD FACIENDUM ACTUS DOMINO PRAEJUDICIALES.

SUMMARIUM

1. *Ad faciendum actus qui domino praejudiciales esse possunt non sufficit generale mandatum.*
2. *Licet sit conceptum amplissimis verbis et clausulis, ac etiam cum libera.*
3. *Sed speciale requiritur.*
4. *Et sufficit quod ex tali actu damnum aliqualiter domino possit inferri.*
5. *Id tamen intelligitur committendo, secus omittendo, in quo procurator etiam generalis domino praejudicare valet.*
6. *Generalis procurator producendo instrumenta et testes falsos domino non praejudicat.*
7. *Absque speciali mandato non potest procurator ea facere ex quibus dominus possit in delictum incidere.*
8. *Et de tali mandato debet expresse constare, numquam enim datum praesumitur.*
9. *Quamvis exhiberetur mandatum generalissimum.*
10. *In generali mandato numquam veniunt illicita.*
11. *Procuratori, licet habenti generalissimum mandatum, non censetur data facultas aliquem sua possessione spoliandi.*
12. *Procurator, absque speciali mandato, non potest intervenire in causis ex quibus dominus possit infamia notari.*
13. *Secus si ipsi infamia non irrogetur sed aliis, puta testibus vel similibus.*
14. *Nec potest sine dicto mandato remittere injurias domino illatas, nec cum ejus inimicis facere pacem.*
15. *Nec sufficit mandatum cum libera, et de ratione.*
16. *Nec potest crimina obiicere.*

17. *Neque excipiendo.*
18. *Neque in positionibus et articulis.*
19. *Sindicus universitatis legitime constitutus dicitur habere mandatum cum libera.*
20. *Et tamen absque speciali mandato non potest quaerelare officialem in sindicatu, neque illi crimina obiicere.*
21. *Dato ad obiiciendum crimina mandato, illud etiam dari debet ad jurandum in animam constituentis, quod ipse credit crimen obiicendum esse verum et se posse illud probare.*
22. *Id tamen procedit quoties crimen est obiicendum ipsi adversario, secus si tertio, puta testibus vel aliis.*
23. *Habens mandatum ad obiicendum crimina censetur etiam illud habere ad probandum illa.*
24. Speculator. in tit. de procurat. in princ. n. 15 *declaratur.*
25. *Procurator qui potest licite et valide obiicere crimina, debet etiam admitti ad illorum probationem.*
26. *Habens mandatum ad agendum, illud etiam habet ad defendendum.*

1. Ex conclusione firmata in praecedenti capite infertur ad resolutionem propositae indagationis, quod procurator scilicet non possit sine speciali mandato explicare actus qui possunt constituenti esse praejudiciales; nam ad dictum effectum non sufficit mandatum generale, *Franc. in cap. in generali n. 2 vers. trigesimo primo de reg. jur. in 6, Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib. 7 tit. 16 n. 41*, cum aliis allegatis supra *cap. XXXVI procurator ad lites an possit impetrare vel recusare judicem.*

2. Quamvis esset conceptum amplissimis verbis et clausulis, etiam cum libera administratione, *Beroius quaest. 33 n. 3, Rot. decis. 701 n. 1 par. 1 Recent.*

« In mandato quantumvis generali, atque etiam cum libera facultate « faciendi quemadmodum posset ipsemet dominus, censetur tamen semper « excepta potestas donandi, dilapidandi, delinquendi, et quemlibet actum « faciendi domino praejudicialem; nec procurator vigore talis mandati potest « dominum obligare pro proprio suo commodo, sed solum pro facto pro- « prio ipsius domini, *Actolin. resolut. 27 n. 11.*

« Procurator, quamvis cum libera et ampla facultate constitutus, non « valet aliquem actum facere domino praejudicialem, quia id de illius in- « tentione fuisse non praesumitur, *Actolin. resolut. 28 n. 14.*

3. Sed opus est speciali mandato, *Paris. cons. 31 n. 113 lib. 1, Rot. cor. Gregor. XV decis. 75 n. 1, et cor. Coccin. decis. 326 n. 4.*

« Receptissima est juris conclusio, quod procurator non potest prae-
« judicium inferre suo principali, nisi cum speciali mandato, *Palma Nepos*
« *decis.* 89 *n.* 22 *lib.* 1, *et decis.* 139 *n.* 35 *lib.* 2.

« Mandatum speciale requiritur in praejudicialibus, *Rot. in Mantiss.*
« *ad Card. de Luc. de dote lib.* 6 *decis.* 24 *n.* 4 *tom.* 1.

4. Et sufficit quod ex tali actu per procuratorem gesto possit contingere damnum et praejudicium, ut bene deducit *Soc. sen. cons.* 120 *col.* 3 *n.* 6 *in fin. et n.* 7 *lib.* 1, *Cardin. Alban. cons.* 7 *n.* 12 *circa princ.*

5. Haec tamen conclusio intelligenda est, ut procurator sine speciali mandato non possit suo principali praejudicare committendo, secus autem omittendo, nam si procurator etiam generalis aliquid negligat et omittat facere, quod vigore sui mandati facere tenebatur, domino praejudicat, *Tiraquel. de legib. connubial. Gloss.* 7 *n.* 38, *Surd. decis.* 181 *n.* 16 cum aliis apud *Addent. ad Gregor. XV d. decis.* 75 *n.* 4, de qua conclusione nos diximus late *cap. LV, an procurator praejudicet domino negligendo.*

6. Neque etiam producendo falsa instrumenta et falsos testes, procurator generalis domino praejudicat, *Riminal. Jun. cons.* 297 *n.* 16 *lib.* 3, quod est repetitum *cons.* 345 *n.* 8 *lib.* 4.

7. Cum enim per dictam productionem possit dominus incidere in crimen falsi, opus est mandato speciali, sine quo non potest procurator facere ea ex quibus mandans potest incidere in delictum, *L. si pater ff de iis quae in fraud. credit.*, *Surd. cons.* 328 *n.* 5 *in fin. et infra lib.* 3, *Riminal. Jun. cons.* 685 *n.* 56 *lib.* 6, *Gratian. disceptat. foren. cap.* 806 *n.* 4.

8. Et de tali mandato debet expresse constare, cum numquam datum praesumatur, *Lancellot. de attentat. par.* 1 *cap.* 1 *n.* 12, qui multos allegat, *Rot. decis.* 208 *n.* 5 *lib.* 2 *par.* 3 *divers.*

9. Etiam si exhiberetur mandatum generalissimum, *Rot. cor. Cavaller. decis.* 223 *n.* 4, *Dec. cons.* 125 *sub n.* 8 *vers. confirmatur.*

10. In generali enim mandato numquam veniunt illicita, *d. L. si pater ff de iis quae in fraud. credit.*, *L. si procurator*, et ibi *Bart. n.* 2 *et* 6 *ff de condition. indeb.*, *Natt. cons.* 538 *n.* 15 *lib.* 3, *Rot. cor. Cavaller. d. decis.* 223 *in* 4.

11. Unde procurator etiam si habeat mandatum generalissimum, non tamen censetur illi data facultas spoliandi aliquem sua possessione, *Rot. cor. Cavaller. decis.* 501 *n.* 4, et hinc *Jo. Petrucc. de Monte Sperello cons.* 150 *n.* 3, in quadam factispecie in qua proponebatur, quod Titius existens in mala fide, mandasset Sempronio ut surriperet rem Maevio tamquam propriam ipsius Titii: cum Sempronius mandatum implevisset surripiendo rem mandatam, fuit dubitatum quis eorum furti teneretur, et *Jo. Petrucc.* consuluit neutrum teneri; non Titium mandantem, quia vere ipse furtum

non commisit, neque Sempronium mandatarium quia, non fuit in dolo sed in bona fide, per *Tex. in L. si is qui rem § si tu ff de furtis*, et sic Sempronius per implementum mandati non obligavit mandantem ex delicto.

« Ad hoc ut spoliatio facta a procuratore repellat ab agendo debet « esse ratificata a domino, perfecte sciente omnes qualitates et circumstan- « tias, *Ridolphin. in prax. par.* 2 *cap.* 14 *n.* 61.

12. Inde etiam fit quod procurator sine speciali mandato non possit intervenire in causis ex quibus mandans possit notari infamia, *L. non solum § fin. ff de procurat.*, *Beroius cons.* 151 *n.* 19 *lib.* 1.

13. Secus autem si infamia non irrogetur ipsi mandanti sed aliis, puta testibus, vel aliis tertiis, *Specul. in tit. de procurat. in princ. n.* 13 *vers. procurator autem*, et ejus auctoritate *Jo. Petruec. de Monte Sperello cons.* 163 *n.* 5, maxime in *vers. et etiam quia.*

14. Ex eodem fonte manat quod procurator generalis non potest remittere injurias illatas suo principali, nec cum ejus inimicis pacem facere, si non habeat mandatum speciale, *Specul. in tit. de treg. et pac.* § 1 *n.* 4 *vers. hoc quoque*, *Alex. cons.* 78 *n.* 15 *vers. talia autem lib.* 5, *Franch. in cap. qui ad agendum § fin. n.* 4 *vers. vigesimus tertius de procurat. lib.* 6, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *cap.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. undecimus et vers. vigesimus*, *Joseph. Ludovic. in suis conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers. septuagesimo*, *Bertazol. cons. crimin.* 407 *n.* 5 *lib.* 2, *Vulpell. in tract. de pace quaest.* 4 *n.* 1, *Nicolaus Moronus de fide treg. et pac. quaest.* 137 *n.* 1, *Guazzin.*, qui alios allegat in simili tractatu, *quaest.* 30 *n.* 1.

15. Adeo ut non sufficiat mandatum cum libera, quoniam libera administratio refertur ad bona, et non ad honorem, ut dicit *Vulpell. d. quaest.* 4 *n.* 1 *ad fin.*, sequitur *Guazzin. d. quaest.* 30 *n.* 1, *et Moron. d. quaest.* 137 *n.* 6.

16. Prout etiam non sufficit mandatum generale ad obiicendum crimina, sed requiritur speciale, *Specul. in tit. de procurat. in princ. sub n.* 12, *Rol. cons.* 26 *n.* 17 *vol.* 2, *Angel. Aret. in § praeterea n.* 38 *vers. nec etiam talis procurator instit. de exception.*, *Alex. cons.* 78 *n.* 15 *circa princ. vers. sed ita est lib.* 5, *Franc. March. decis.* 902 *n.* 5 *vers. sed redeundo lib.* 2, *Paseth. cons.* 78 *n.* 4, *Caballin. d. n.* 4 *vers. quadragesimus.*

17. Etiam si obiiciantur excipiendo, *Marian. Socin. sen. in cap. veniens n.* 69 *extr. de accusat.*, *Specul. d. n.* 12 *vers. quinimmo*, *Paseth. d. cons.* 77 *n.* 12.

18. Etiam si obiiciantur in positionibus et articulis, *Paseth. ibid. n.* 13, post *Paul. De Castr.*, *et Jas. in L. si procurator ff de condit. indeb.*

19. Atque hinc sindicus universitatis legitime constitutus, licet dicatur

habere mandatum cum libera, ut diximus in *cap. XII de sindici potestate:*

20. Non potest quaerelare officialem in sindicatu, neque illi crimina obiicere, nisi habeat ad hoc speciale mandatum, *L. non solum § fin. ff de procurat.*, *Alex. Trentacinque cons.* 62 *n.* 4 *lib.* 2, et comprobatur ex *Gloss.* 3 *in Clement.* 2 *de procurat.*, quam sequitur *Specul. d. princ. n.* 14 *vers. sed numquid sufficit*, *Jo. Petrucc. de Monte Sperello cons.* 263 *n.* 4, et non repugnat *Beroius cons.* 25 *n.* 5 *et seqq. lib.* 3, dum dicit ad effectum praefatum requiri mandatum individuum, cum, ut supra dictum fuit *cap. II*, DD. promiscue utantur istis terminis mandati specialis et individui.

21. Procuratorio autem dato obiiciendum crimina debet etiam dari facultas jurandi in animam constituentis, quod ipse constituens credit crimen obiiciendum esse verum et se posse illud probare, ut post *Luc. de Penn. in L. tam collatores col.* 6 *n. . . . cod. de re militar. lib.* 12, dicit *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 137 *n.* 6.

22. Hoc tamen intelligendum est, si sint obiicienda crimina adversario ipsi, secus si alteri tertio, puta testibus vel aliis, *Specul. in d. princ. n.* 13 *vers. procurator autem*, refert *Jo. Petrucc. d. cons.* 263 *n.* 5 *in fin.*

23. Is autem qui habet mandatum ad obiiciendum crimina, censetur etiam habere illud ad illa probandum, quia natura mandati est ut comprehendat non solum expressa sed etiam connexa et dependentia necessaria, ut in puncto post *Alber.* et alios in *L. ad rem mobilem ff de procurat.*, dicit *Riminal. Jun. cons.* 11 *n.* 8 *lib.* 1.

24. Et licet *Speculator in tit. de procurat. in princ. n.* 15 videatur tenere contrarium, ea ratione, quia mandatum est stricti juris, et non extenditur ad alia quam ad ea quae in procuratorio sunt expressa, ipse tamen debet intelligi respectu eorum quae non sunt connexa, secus in connexis, *arg. d. L. ad rem mobilem*, *et L. seq. ff de procurat.*, et nos alibi diximus.

25. Probatio autem obiectorum est connexa obiectioni, et venit consecutive ad illam: hinc merito videtur, quod procurator qui potest licite et valide obiicere crimina, admitti etiam debeat ad illorum probationem, ne alias mandans teneatur actione injuriarum.

26. Proindeque dicta probatio tendit ad defensionem mandantis, et qui habet mandatum ad agendum, habet etiam illud ad defendendum, *Bart. in L. mutus § poena n.* 2 *ff de procurat.*, *Abb. in cap. accedens n. . . . extr. eo tit.*

CAPUT XCV.

DE MANDATO CIRCA EA EX QUIBUS MANDANS POTEST INCIDERE IN POENAM.

SUMMARIUM

1. *Ad ea facienda ex quibus mandans potest in poenam incidere non sufficit generale mandatum etiam cum libera.*
2. *Sed requiritur speciale.*
3. *Non solum in iis quae de jure sunt prohibita et punibilia, sed in iis quoque quae non sunt hujus generis de sui natura, sed talia fiunt ex contrahentium conventione et consensu.*
4. *Et non solum quando est certus incursus poenae, sed etiam quando est tantum possibilis.*
5. *Ex facto procuratoris, etiam non habentis speciale mandatum, dominus obligatur quando ipso sciente et non contradicente actus fuit gestus.*
6. *Immo simplex subsequens ratificatio actus gesti dominum facit in poenam incidere.*
7. *Maxime si expresse actum illum ratum habeat.*
8. *Si poena possit irrogari non tantum domino, sed etiam procuratori, iste et non ille est condemnandus.*
9. *Quod ad faciendum dominum in poenam incidere non sufficiat speciale mandatum, sed requiratur singulare et individuum.*
10. *Affertur distinctio* Seraphini *inter poenam spiritualem et corporalem, seu temporalem.*
11. *Reprobatur.*
12. *Quod in proposito mandatum speciale ac individuum inter se confundantur.*
13. *Auctoris opinio quod sufficiat speciale, et de ratione.*
14. *Maxime quando mandatum non potest referri nisi ad actum ob cujus explicationem dominus in poenam incidere valet.*
15. *Quando poena venit consecutive ex actu ad quem aliquis fuit procurator constitutus, dicitur illi data facultas ut actum illum explicando possit facere dominum in praedictam poenam incidere.*
16. *Ut ex facto procuratoris mandans incidat in poenam, opus est ut ipse habeat speciale mandatum ad illum actum explicandum.*

17. *Procurator absque speciali mandato non potest committere attentata domino praejudicialia.*
18. *Nec potest illi praejudicare per productionem falsi instrumenti vel falsorum testium.*
19. *Et cum appellanti ab executione sit imposita poena quingentorum aureorum, sine dicto mandato ab illa nequit appellare.*
20. *Faciens aliquem injuste carcerari, dicitur illi facere injuriam, atque injuriarum poena tenetur.*
21. *Hinc ad impetrandam capturam requiritur mandatum speciale.*
22. *Potest tamen etiam cum generali procurator impetrare capturam debitoris de fuga suspecti.*

1. Fuit supra saepius dictum, quod ad faciendum ea ex quibus mandans potest incidere in poenam non sufficit mandatum generale, sed requiritur speciale; quae conclusio adeo vera est ut non sufficiat mandatum generale et cum libera, *Rom. cons.* 220 *n.* 7 *ad fin. vers. secundo ex defectu*, *Paris. cons.* 100 *n.* 7 *lib.* 3, *Beroius cons.* 25 *n.* 11 *vers. nec sufficit et infra lib.* 3, *Paseth. cons.* 78 *n.* 1 *vers. nec hoc casu*, *Lancell. de attent. par.* 1 *cap.* 1 *n.* 12, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 94 *et seq.*, *Marescott. var. resolut. lib.* 2 *cap.* 35 *n.* 57.

« Satis nota est juris theorica, quod scilicet procurator non possit ea « facere ex quibus dominus valeat in poenam incidere, quia non censetur « talia habuisse in mandatis, *Actolin. resolut.* 76 *n.* 14:

« Factum procuratoris vel alterius ministri, ubi praesertim consistit « in committendo, non praejudicat principali, neque illum incidere facit « in poenas, cum mandatum, quantumvis generale, non censeatur datum ad « delinquendum ac faciendum illicita, *Card. de Luc. de credit. et debit.* « *disc.* 57 *n.* 4.

« Mandans numquam censetur dedisse mandatum ad actum faciendum « per quem ipse in poenam incideret vel delictum committeret, *Rot. de-* « *cis.* 378 *n.* 13 *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

2. Sed requiritur speciale, *L.* 3 § *si procurator ff quod quisque jur.*, *L. si procurator*, et ibi *DD.* maxime *Bart. n.* 7 *et Jas. n.* 5 *ff de condit. indebit.*, *Bald. cons.* 110 *col.* 2 *vers. sed iis non obstantibus lib.* 1, *Rol. cons.* 26 *n.* 23 *lib.* 2, *Franch. in cap. qui ad agendum* § *fin. n.* 4 *vers. vigesimoquinto de procur. lib.* 6, *Rom. cons.* 241 *n.* 11, *Alex. cons.* 40 *n.* 2 *lib.* 7, *Decian. cons.* 65 *n.* 34 *lib.* 5, *Paris. cons.* 21 *n.* 41 *lib.* 4, *Jo. Petrus. cons.* 263 *n.* 1, *Benintend. decis.* 94 *n.* 1, *Anch. Regien. quaest.* 44

n. 12 *lib.* 1, *Rot. coram Cavaller. decis.* 227 *n.* 5, *et in Recent. decis.* 95 *n.* 3 *et decis.* 261 *n.* 8 *par.* 1.

« Procurator non potest dominum ex facto suo facere in poenam in-
« cidere absque speciali mandato, *Actolin. resolut.* 91 *n.* 46.

« Poena petentis plus debito ab aliquo statuto ordinata non habet lo-
« cum quando hujusmodi petitio fuit facta per procuratorem, qui non di-
« citur habere mandatum ad faciendum incidere dominum in poenam, *Con-*
« *ciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 17 *n.* 7.

« Contingit ut probationes expressae vel adminiculativae recursuum ad
« magistratus seculares habeantur contra procuratores de quorum mandato
« speciali non constet, ut in puncto juris, praesertim ad effectum incursus
« censurarum requiritur, verum pariter ab hac regula receditur in illis
« casibus in quibus nil intersit recurrentis quod sibi audientia denegetur,
« eo quia agatur ad effectum impediendi executionem judicati, dum ita fa-
« cilis esset collusio occultando mandatum, et obtinendo intentum vel effe-
« ctum recursuum sine punitione; ideoque consuevit practicari idem quod
« servatur circa probationes praesumptas vel adminiculativas, ut scilicet illi
« sub cujus nomine alter recursum habuerit, non sufficiat dicere quod nul-
« lum desuper mandatum dederit; dum ipse tenetur de facto removere im-
« pedimentum ac parere, atque alias id non agendo convincitur de culpa,
« ideoque intrat praesumpta probatio ratihabitionis vel praecedentis man-
« dati, cum in iis materiis non curentur verba, sed attendantur facta, *Card.*
« *de Luc. de judiciis disc.* 19 *n.* 13.

3. Quae conclusio procedit non solum quando mandantur ea quae sunt de jure prohibita et punibilia, verum etiam quoad ea quae non sunt de sui natura prohibita nec poenam merentur, sed de se sunt licita, nisi quatenus ex contrahentium consensu et conventione fiant illicita, et poena coherceantur, nam in iis quoque peragendis requiritur mandatum speciale, *L. stipulatio ista* § *alteri ff de verb. oblig.*, per quem Tex. *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 9.

4. Ampliatur secundo, ut tale mandatum sit necessarium non solum quando certum est quod ex actu per procuratorem explicando sequi potest incursus poenae, sed etiam quando hoc est probabile, *Socin. Sen. cons.* 120 *col.* 4 *n.* 7 *lib.* 1, quem, et alios refert *Rol. cons.* 43 *n.* 11 *lib.* 1, *et cons.* 26 *sub n.* 23 *lib.* 2, *Magon. decis. Lucens.* 51 *n.* 24, *Cardin. Alban. cons.* 7 *n.* 12, *Lancell. de attent. par.* 1 *cap.* 1 *n.* 12 *ad fin.*

5. Ampliatur tertio, ut mandans obligetur ad poenam ex facto procuratoris etiam non habentis speciale mandatum ad dictum actum explicandum, si illud fuit factum sciente et non contradicente mandante, *Jas. in L. si procurator n.* 17 *vers. quinto ff de cond. indeb.*, *Seraph. de privileg.*

juram. privil. 111 *n.* 9 *vers. quinimo procurator*, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 13, ubi alios allegat.

6. Immo simplex ratificatio actus gesti subsequens, facit incidere in poenam dominum ratificantem, *Alex. cons.* 41 *n.* 2 *ad fin. lib.* 7,

« Sive dominus ratificaverit actum a procuratore gestum expresse, sive « tacite, *Actolin. resolut.* 91 *n.* 47.

7. Ampliatur quarto, ut multo magis procedat conclusio praedicta, si constituens factum illud expresse ratum haberet, *Jas. in d. L. si procurator n.* 17 *vers. quarto*, *Beroius cons.* 25 *n.* 23 *lib.* 3, *Mantic. d. tit.* 16 *n.* 10 *et seqq.*, *Rot. decis.* 750 *n.* 6 *par.* 1. *Recent.*

8. Declaratur autem dicta conclusio, quod si procurator absque speciali mandato explicaret aliquem actum propter quem imponi deberet poena quae posset cadere etiam contra ipsum, ut est condemnatio expensarum, in quibus condemnari debet is qui calumniose vel temere litigavit, tunc deberet condemnari ipse procurator non autem dominus, *Bart. in d. L. si procurator n.* 7, et ibi *Jas. n.* 17 *ff de condict. indeb.*

9. Licet autem ad faciendum incidere dominum in poenam ex supradictis requiratur mandatum speciale, attamen quod non sufficiat speciale sed requiratur singulare et individuum dicunt *Rol. cons.* 43 *n.* 11 *lib.* 1, *et cons.* 26 *n.* 23 *lib.* 2, *Paseth. cons.* 194 *n.* 14, *Beroius cons.* 25 *n.* 3 *et* 4 *lib.* 3, *Natt. cons.* 445 *n.* 4 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 48 *lib.* 2, *Magon. decis. Lucens.* 51 *n.* 5.

10. Unde *Seraphinus de privileg. juram. privil.* 111 *n.* 9 *vers. sed dicendum est*, ut has dissidentes opiniones conciliaret, distinguebat inter poenam spiritualem et corporalem, seu temporalem. Quod si ex actu per procuratorem gesto, mandans potest incidere in poenam spiritualem, puta perjurii, vel excommunicationis, tunc cum agatur de majori praejudicio requiratur mandatum individuum, si vero potest incidere in poenam temporalem, puta pecuniariam, sufficiat speciale; cum qua distinctione videtur transire etiam *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 44, *et Paseth. cons.* 46 *n.* 4.

11. Verum licet ista distinctio habeat in se magnam aequitatem, non tamen videtur tollere difficultatem cum plerique ex iis qui, ad effectum ut ex facto procuratoris mandans incidat in poenam, dicunt esse necessarium individuum, loquantur in casibus in quibus infligi debet poena pecuniaria et temporalis.

12. Quare posset forte dici quod nulla inter dictos DD. sit discrepantia, considerando quod in proposito mandatum speciale et individuum inter se confundantur, ut diximus supra *cap. II*, et alibi saepe.

13. Vel si velimus mandatum speciale diferre in aliquo ab individuo,

quae tamen differentia non est specifica, ut diximus *d. cap. II*, ego libentius amplecterer opinionem eorum qui dicunt sufficere mandatum speciale, non enim est necesse quod in procuratorio detur procuratori facultas expressa et specifica ut possit facere incidere mandantem in poenam, sed sufficit quod illi detur potestas explicandi aliquem actum ex quo mandans possit incidere in poenam, et ita videtur esse de mente *Beniten. decis.* 94 *n.* 1, dicentis hoc esse notandum, quia quotidie in facto contingit et versatur in palatiis, quem refert et sequitur *Magon. d. decis. Lucens.* 51 *n.* 4, et non obscure sensit *Bald. cons.* 181 *n.* 1 *et* 2 *lib.* 5, *et Joseph. Ludovic. decis. Perusin.* 35 *n.* 3.

14. Et sine dubio hoc procedit quando mandatum non potest referri ad alium actum quam ad eum ob cujus explicationem mandans potest in poenam cadere, *Sard. in tract. de aliment. tit.* 9 *quaest.* 15 *n.* 75, post *Bald.* quem allegat.

15. Nam quando poena venit consecutive ex actu ad quem quis fuit constitutus procurator, dicitur illi data facultas ut possit, explicando actum illum, facere incidere dominum in poenam, et obligare illum ad poenam praefatam, licet non sit illi data expressa et specifica facultas faciendi incidere mandantem in dictam poenam, *Felin. in cap.* 1 *n.* 10 *extr. ut lit. non contest.*, quod dictum fuit amplexa et dicit singulare *Rot. Genuen. decis.* 100 *n.* 4 *in fin.*, et infra.

16. Stat igitur conclusio, quod ad effectum, ut ex facto procuratoris, mandans incidat in poenam, opus est ut procurator habeat ad illum actum explicandum speciale mandatum.

17. Ex qua conclusione infertur primo, quod procurator sine speciali mandato non potest committere attentata mandanti nociva, *Rot. decis.* 81, *quae est* 7 *ut lit. pendent. in nov.*, *Lancell. de attent. par.* 1 *cap.* 1 *n.* 7 *et seqq.*, *Mascard. de probat. vol.* 1 *conclus.* 146 *n.* 23 *et seq.* vide *decis.* 259 *lib.* 19.

« Quoties occurrit quaestio super attentatorum excusatione, eo quia « gesta sint per procuratorem qui non poterat facere incidere principalem « in poenam sine scientia et ratificatione, id non recipit certam juris re- « gulam, sed ex facti qualitate et circumstantiis pendet, et praesertim circa « verisimilem seu praesumptam scientiam principalis super iis quae gesta « sint per procuratorem vel cum eo, ex regula, quod principalis censetur « certioratus a procuratore, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 18 *n.* 52 *et* 53.

« Quando autem principalis praesumatur nec ne a procuratore cer- « tioratus, id pariter certam ac generalem non recipit regulam cuicumque « casui applicabilem, cum totum ex casuum particularibus circumstantiis « pendeat, et praesertim ex lapsu temporis congrui, adeo ut sequi potuerit « certioratio, quae verisimilis est atque in dubio praesumitur, *Car. de Luc.* « *de judiciis disc.* 6 *n.* 19.

« Inhibitio vero legitime exequuta causat attentata, licet fuerit obtenta « ab asserto procuratore cum cautione de rato, *Ridolphin. in prax. par.* 3 « *cap.* 5 *n.* 272.

« Etenim ad instantiam procuratoris asserti, passim datur inhibitio de « stylo Rotae, dummodo infra duos menses doceat de mandato, *Ridolphin.* « *ibidem n.* 273.

« Sicuti quidquid dixerit *Cavaller. decis.* 499 *n.* 2, sufficit ad effectum « attentatorum, quod inhibitio fuerit praesentata procuratori causae, licet « non fuerit exequuta contra principalem, *Ridolphin. ibid. n.* 274.

« Mandatum autem factum ad revocanda attentata, intelligitur qua- « tenus illa adsint, *Thomat. decis. March.* 182 *n.* 13 *par.* 2.

18. Infertur secundo, quod ad effectum ut procurator possit praejudicare domino per productionem falsi instrumenti vel falsorum testium, est necessarium mandatum speciale, *Rim. Jun. cons.* 297 *n.* 16 *lib.* 3, quod est repetitum *cons.* 445 *n.* 8 *lib.* 4.

19. Infertur tertio, quod cum appellanti ab exequutione sit imposita poena quingentorum aureorum, *L. ab executione in fin. cod. quor. appellat. non recipi.*, non potest procurator sine speciali mandato appellare ab exequutione, *Soc. Sen. cons.* 120 *n.* 7 *lib.* 1, *Angel. Aret. cons.* 136 *n.* 21, *Beroius cons.* 25 *n.* 10 *lib.* 3, *Rol. cons.* 43 *n.* 11 *lib.* 1, *et cons.* 26 *n.* 6 *et* 23 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 631 *n.* 29 *lib.* 6, *Paseth. cons.* 78 *sub n.* 1, *Magon. decis. Lucens.* 18 *n.* 20, *Surd. cons.* 358 *n.* 8 *lib.* 3, *Felin. in cap.* 1 *n.* 19 *extr. ut lit. non contestat.*, *Capell. Tholos. decis.* 477, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 95, *Caballin. ad constit. March. lib.* 6 *tit.* 11 *in Gloss. in verb. procuratorum n.* 4 *vers. quadragesimus quintus.*

20. Infertur quarto, quod cum is qui facit alium carcerari injuste, dicatur illi injuriam facere, *L. fin. cod. qui bon. ceder. poss.*, quia captura est unicuique ignominiosa, infamat et infert damnum irreparabile, ut post *Bald.* et alios dicit *Neviz. cons.* 52 *n.* 8, et faciens aliquem carcerari injuste, tenetur poena injuriarum et poenam meretur, *Alex. cons.* 19 *n.* 5 *lib.* 3, *Soc. Sen. cons.* 120 *n.* 6 *vers. secunda ratio lib.* 1.

21. Ideo ad impetrandam capturam requiritur speciale mandatum, *Soc. Sen. d. cons.* 120 *n.* 5 *vers. secundo quia*, *et n.* 7 *vers. et hanc opinionem lib.* 1, *Angel. Aret. in* § *fin. n.* 3 *institut. de action.*, *Purpur. cons.* 182 *n.* 29 *lib.* 1, *Cels. Hug. cons.* 123 *n.* 6 *vers. addo quod posito*, *Rom. cons.* 241 *n.* 11, *Cornaz. decis. Lucens.* 96 *n.* 7.

22. Posset tamen procurator cum generali mandato impetrare capturam debitori suspecti de fuga, *Alex. in rubr. cod. qui admin. n.* . . . . , et ibi *Dec. n.* . . ., *Joan. Bapt. Cascialupus in tract. de debit. suspect. et fugitivo quaest.* 2 *n.* 1 *in fin.*, *Gerard. Mazzol. cons.* 120 *n.* 27.

CAPUT XCVI.

PROCURATORI AD NEGOCIA AN DEBEATUR SALARIUM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum debet esse gratuitum.*
2. *Quod procurator ad negocia non possit cum mandante de salario pacisci.*
3. *Cum mandatum oriatur ex officio atque amicitia, procurator postquam officium acceptavit videtur quod gratis illud debeat praestare.*
4. *Contraria est merces officio.*
5. *Quando cum procuratore convenitur de aliquo certo salario hujusmodi contractus improprie dicitur mandatum.*
6. *Sed est potius contractus locationis operarum;*
7. *Vel alius contractus innominatus.*
8. *Contraria affertur sententia, quod nimirum procurator ad negocia possit de salario convenire.*
9. *Atque ista sententia est juri et aequitati consentanea.*
10. *Omne officium salarium exigit ex quadam honestate.*
11. *Hinc procuratori ad negocia debetur salarium conventum.*
12. *Inter fidejussorem et eum pro quo fidejubet celebratur contractus mandati.*
13. *Inter istos licite potest de certa quantitate pro fidejussione praestanda conveniri.*
14. *Salarium praedictum datur loco honorarii et pro remuneratione laborum.*
15. *Cum non solvatur ut merces, non oritur contractus locati et conducti.*
16. *Salarium debet esse certum re et genere, licet adhuc peti possit, si tantum re sit incertum.*
17. *Qua actione hujusmodi procurator conventum salarium petat: remissive.*
18. *Si de aliquo certo salario cum tali procuratore non fuerit conventum illud ei non debetur.*
19. *Nisi adesset consuetudo solvendi hujusmodi procuratoribus salarium etiam non conventum;*
20. *Vel nisi procurator pro gerendis alienis propria dereliquisset negocia;*

21. *Vel nisi esset solitus locare operas suas, et dominus ministrorum operas conducère.*

22. *Quid servandum quoad famulos, aliasque viles personas?*

1. Cum mandatum debeat esse gratuitum, *L.* 1 § *fin. ff mand., Gloss. in princ.*, et ibi *Jo. de Platea n.* 2 *instit. eo tit.*, ideo fuit dubitatum supra *cap. LX an procuratori ad lites debeatur salarium.*

« Mandatum debet esse gratuitum, adeout mandatarius non possit ex « eo sibi lucrum acquirere, *Rot. decis.* 157 *n.* 23 *par.* 12, *et decis.* 92 « *n.* 1 *par.* 16. *Recent.*

« Mandatum, sive attendamus definitionem Placentini, sive illam Ac« curtii, quarum utramque expendunt post alios ab eis allegatos, *Mozzius* « *de contract.* § *mandatum in princ. n.* 6 *et* 7, *et Mantic. de tacit. lib.* 7 « *tit.* 2 *n.* 1 *cum duob. seqq.*, semper dicitur officium gratuitum, officii « gratia praestandum; unde propterea infertur quod si accedat conventio « super mercede, tunc actus immutet naturam ac transeat in contractum « locationis et conductionis, *Card. de Luc. de tutor. et administrator.* « *disc.* 20 *n.* 8.

« Hinc licet praepositi negociorum videantur similes mandatariis, in ali« quibus tamen ab eis differunt, quia mandatarii gratis officium suscipiunt, « isti vero negociorum praepositi ex conventione suscipiunt negocia pro « mercede, unde nascitur contractus locati, *Card. de Luc. ibid. d. disc.* 20 « *num.* 9.

2. Eadem indagatio facienda occurrit circa procuratorem constitutum ad negocia, quae in praesenti capite est explicanda.

Quae indagatio claras habet inspectiones; prima est, an procurator ad negocia possit cum mandante de salario convenire et pacisci; secunda, an paciscendo possit agere pro illius solutione; tertia, an huic procuratori debeatur salarium si de eo non sit conventum.

3. In prima inspectione videtur indistincte negative concludendum, ea ratione quia cum mandatum ex officio et amicitia originem trahat, ut fuit dictum *cap. LX*, videtur quod procurator postquam officium acceptavit debeat illud gratis praestare et exibere, *L. litem* 15, et ibi *Cyn. in princ., et Bart. vers. nota quod officium, Jas. n.* 2, et alii communiter, *cod. de procur., Gloss. in rubr. ff mand.*

4. Nam contraria est officio merces, ut dicit *JC. in L.* 1 § *fin. ff eo tit.*, alias si procurator officium suum praestaret certa constituta mercede, non diceretur inter mandantem et mandatarium celebratus contractus mandati.

5. Quoniam quando cum procuratore convenitur de aliquo certo salario, talis contractus improprie dicitur mandatum, *Jas. in L. naturalis*

§ *sed si facio n.* 2 *ff de praescr. verb.*, quem refert *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 2 *n.* 5.

6. Sed insurgit vel contractus locationis operarum, *L.* 1 *in fin. ff mand.*, *Gloss. in L. si remunerandi* 6 *in princ. in verb. erit ff eo tit.*, *et in d. princ. instit. eo tit. in* 1 *Gloss.*;

7. Vel alius contractus innominatus, ut dicit *JC. in d. L.* 1 § *fin. ff mand.*, et probat *Rim. Jun. cons.* 44 *n.* 8 *in fin. lib.* 1, *Bertaz. cons.* 446 *n.* 10 *lib.* 4 *criminal.*, *Mantic. d. tit.* 2 *n.* 3, *Scacc. in tractat. de commerc. et camb.* § 1 *quaest.* 7 *par.* 1 *quaest.* 79.

8. Caeterum contraria sententia, videlicet; quod non sit incongruum neque a juris tramitibus alienum, quod cum procuratore, cui negocia nostra et rerum nostrarum administrationem committimus et mandamus, de certa mercede et salario illi praestando conveniamus, probat *Tex. in L. salarium et in L. qui mutuam* § *salarium ff mand.*

9. Immo juri et aequitati consentaneum est ut procurator iste pro suis laboribus mercedem atque salarium consequatur, nam, qui alteri servit suorum laborum recognitionem et remunerationem consequi et recipere debet, ut auctoritate *Sacrae Paginae*, firmat *Menoch. cons.* 228 *n.* 14 *lib.* 3.

10. Et omne officium ex quadam honestate salarium exigit, *Bald. in L.* 2 *cod. de oper. libert.*, sequitur *Cornel. Benincas. in tract. de paupert. quaest.* 7 *special.* 2 *n.* 2, refert *Menoch. d. cons.* 228 *n.* 23.

11. Et quod procuratori ad negocia salarium conventum debeatur, concludit *Surd. cons.* 306 *n.* 9 *lib.* 3, et resolvit *Rot. decis.* 839 *n.* 1 *part.* 4 *divers.*

12. Et comprobat *Surd. ibid. n.* 8 *et seq.*, a simili, de fidejussore inter quem et eum pro quo fidejubet celebratur contractus mandati, *L. ex mandato*, *L. qui fidem ff mand.*

13. Proindeque sicut inter istos de certa quantitate danda pro fidejussione praestanda conveniri licite potest, ut *Surd.* probat, et communiter teneri testatur *Pyrr. Maur. in tract. de fidejussor. par.* 2 *sect.* 2 *cap.* 2 *n.* 1 *et* 10, post multos quos allegat; ita quoque non debet censeri inconveniens et a juris dispositione abhorrens quod de salario cum procuratore possit conveniri.

14. Hoc enim salarium datur loco honorarii et pro remuneratione laborum, *L. si remunerandi in princ. ff mand.*, et supra dictum fuit.

« Mandatum licet debeat esse gratuitum non ex hoc tamen excluditur « remuneratio laborum, *Rot. decis.* 92 *n.* 2 *par.* 16, *et decis.* 157 *n.* 24 « *part.* 12 *Recent.*

15. Unde cum non solvatur ut merces, non oritur contractus locati et conducti, *Gloss. in d. L. si remunerandi in verb. erit.*

16. Istud autem salarium debet esse certum et re et genere, si enim

esset incertum omni ratione non deberetur, secus si esset incertum dumtaxat re, quia promissio valeret, et salarium peti posset, *Gloss. in L. salarium cod. mand.*, *et in L. qui mutuam* § *salarium ff eo tit.*, et dictum fuit supra *cap. LX.*

17. Circa secundam inspectionem: qua actione scilicet procurator iste petat salarium conventum, remitto me ad ea quae late dicta sunt supra *cap. LX ad fin.*, dum actum fuit de salario procuratoris ad lites.

18. Tertia superest inspectio; an si cum dicto procuratore non sit conventum de aliquo certo salario illud ei debeatur; in qua illud non deberi concludunt scribentes, *Guid. Pap. decis.* 68 *n.* 5, et resolvit *Rot. in Romana redditionis rationis Bancariae coram Orano* 14 *maii* 1594, quae est apud *Marchesan. de commiss. lib.* 3 *fol.* 44, et comprobatur, tum quia mandatum ex amicitia et officio oritur, ut supra dictum est, tum ex ratione, quia si non debetur quando fuit promissum salarium incertum, ut mox dictum est, multo minus erit debitum si nullomodo fuit promissum, nec de illo conventum; et ita argumentatur *Alex. cons.* 109 *n.* 1 *et* 3 *lib.* 6, *Guid. Pap. d. decis.* 68 *n.* 5, *Natt. cons.* 376 *n.* 1 *in fin. et n.* 3 *lib.* 2, *Put. decis.* 45 *n.* 1 *lib.* 2 *in correct.*, *Granut. Theorem.* 12 *n.* 9, *Caroec. de locat. in tit. de fruct. et lit. expens. quaest.* 8 *n.* 88, *Gratian. discept. forens. cap.* 257 *n.* 34 *et seq.*

19. Haec autem conclusio firmata in hac tertia inspectione limitari debet; primo, nisi in loco ubi negotia geri debent, vigeret consuetudo quod hujusmodi procuratoribus et negociorum administratoribus solvi soleat salarium, quamvis de illo non fuerit conventum, *Gratian. d. cap.* 257 *n.* 35 *et infra*, *Rot. decis.* 238 *n.* 1 *in fin. part.* 1 *Recent.*

20. Secundo limitatur in eo procuratore, qui ut constituentis negocia administret propria derelinquit, ideoque dispendium rerum suarum patitur, quo casu poterit salarium petere, alias suum officium esset sibi damnosum, quod juri et aequitati repugnat, *L. si quis ex signatoribus ff quemadmod. testam. aper.*, *L. si servus communis uni.* § *quod vero ff de furt.*, et fere in puncto argumentatur *Menoch. cons.* 328 *n.* 14 *ad fin. et n.* 15 *lib.* 3, sequitur *Surd. in tract. de aliment. tit.* 9 *quaest.* 39 *n.* 7, 15 *et seq.*

21. Tertio limitatur in eo qui erat solitus locare operas suas, quia tunc videtur locasse secundum suam consuetudinem, maxime si inservierit ei qui esset consuetus conducere operas ministrorum, *Alex. d. cons.* 109 *n.* 1 *in fin. et n.* 2 *lib.* 6, *Natt. cons.* 376 *n.* 3 *lib.* 2, *Put. d. decis.* 45 *in princ.*

« Mandatum non potest esse gratuitum, concurrente qualitate susci-
« pientis mandatum qui solitus erat locare operas suas, et necessitate man-
« dantis conducendi operas, *Rot. decis.* 348 *n.* 1 *par.* 4 *tom.* 2 *Recent.*

« Atque hinc mandatum etiam dicitur, si merces a partibus constituta « fuerit, *Rot. decis.* 92 *n.* 5 *par.* 16 *Recent.*

22. Haec tamen tertia limitatio debet sublimitari in famulis et aliis vilibus personis, quae saepenumero inserviunt pro expensis et sine salario, et propterea ad effectum ut illis competat actio ad petendum salarium non conventum, debent probare se esse solitos inservire pro salario, et dominum esse solitum solvere salarium hujusmodi vilibus personis, secus vero est in aliis personis quae vacant honestioribus muneribus, quibus deberi salarium etiam non conventum, declaravit *Rot. cor. Seraphin. decis.* 74 *n.* 2, et videtur sentire *coram eodem decis.* 65 *n.* 1, *Natt. d. cons.* 376 *n.* 4 *lib.* 2.

CAPUT XCVII.

PROCURATOR TENETUR SERVARE FINES MANDATI.

SUMMARIUM

1. *Procurator tenetur diligenter custodire fines mandati, illosque egredi non potest.*
2. *Mandati forma ex serie et qualitate illius verborum est spectanda.*
3. *Quando nullo casu expresso mandans ad aliud instrumentum se refert, procuratori intelligitur tantum data facultas circa expressa in instrumento ad quod fit relatio.*
4. *Quod procurator contra tenorem et formam sui mandati facit, totum est nullum ac invalidum;*
5. *Et non obligat mandantem,*
6. *Neque illi praejudicat.*
7. *Sed dicitur esse in culpa.*
8. *Atque ad ipsum spectat omne damnum et periculum;*
9. *Et domino tenetur ad omne interesse.*
10. *Procurator circa rem mandatam, eam diligentiam debet adhibere quam quaelibet diligens persona adhiberet circa proprias res et negocia.*
11. *Vel saltem quam ipse est solitus adhibere circa res proprias.*
12. *Alias diceretur esse in lata culpa,*
13. *Et teneretur actione mandati.*
14. *Dicitur excedere fines mandati, tam aliquid faciendo contra illius formam;*
15. *Quam praeter vel ultra expressa in mandato.*

16. *Mandatum est stricti juris.*
17. *Et restringitur ad expressa et specificata in ipso.*
18. *Tam quoad causas et negocia, quam quoad personas.*
19. *Licet sit generale atque juramento firmatum.*
20. *Et quamvis in illo sit expressus casus requirens speciale mandatum.*
21. *Procurator faciens praeter formam mandati, dicitur illius fines excedere, quia in materia mandati aequiparatur praeter et contra.*
22. *Idem si non servet illius qualitates.*
23. *Licet qualitas consistat in modico.*
24. *Procurator cui fuit mandata pecuniarum transmissio per certam personam, si per aliam transmittat, dicitur egredi fines mandati, et tenetur, si pecuniae amittantur.*
25. *Nam limitatum mandatum limitate debet intelligi.*
26. *Procurator constitutus ad explicandum actum certo tempore, non potest nec antea nec postea illum explicare.*
27. *Si in mandato aliquae sint expressae qualitates circa actum a procuratore explicandum, illud censetur restrictum ad qualitates quae inerant tempore facti mandati.*
28. *Mandatum ab eo factum, qui tempore facti mandati nullum jus habebat, ex jure superveniente non convalidatur.*
29. *Procurator constitutus ad interessendum testium examini certo tempore faciendo, si examen in termino expresso fieri non valuerit, poterit illi interesse in termino prorogato, et de ratione.*
30. *Habens mandatum ad explicanda praeparatoria actus, non potest actum ipsum principalem explicare.*
31. *Habens mandatum ad locandum, non censetur illud habere ad exigendas pensiones.*
32. *Habens mandatum ad agendum contra debitorem, quamvis possit prosequi et terminare judicium, non censetur tamen illud habere ad petendum exequi vel exequendum sententiam et mandatum contra ipsum debitorem.*
33. *Habens mandatum ad consequens, non censetur illud etiam ad antecedens habere;*
34. *Nisi antecedens sit tale sine quo commode consequens explicari non possit.*
35. *Procurator constitutus ad lites absque aliquo signo universali, censetur tantum ad lites motas tempore facti mandati constitutus.*

36. *Procurator dominum obligare nequit in plus quam continet mandatum.*

37. *Multoties non dicitur egredi terminos mandati, licet ad unguem illius fines non servet.*

1. Communis et vulgaris est conclusio, quod procurator tenetur diligenter terminos et fines sui mandati custodire, et illos egredi non potest, *L. diligenter ff mand.*, *L. cum mandati cod. eo tit.*, *cap. cum dilecta extr. de rescript.*

« Mandati fines sunt diligenter custodiendi, *Thomat. decis.* 97 *n.* 3 « *par.* 1.

« Procurator constitutus ad redimendum censum, debet ad unguem « servare formam mandati, *Thomat. decis.* 140 *n.* 18 *par.* 2.

« Mandatarius non potest excedere fines mandati, *Rot. in Mantiss. ad* « *Card. de Luc. de jurisdictione lib.* 3 *decis.* 1 *n.* 5 *tom.* 3.

« Fines mandati diligenter et ad unguem sunt servandi, *Rot. decis.* 516 « *n.* 6 *par.* 4 *tom.* 1 *et decis.* 374 *n.* 25 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

« Unde mandatum excedens non dicitur illud adimplevisse, *Rot.* « *decis.* 373 *n.* 94 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Fines mandati ad unguem sunt observandi, *Rot. decis.* 151 *n.* 17 « *par.* 10 *et decis.* 57 *n.* 22 *par.* 12 *Recent.*

« Nemo tamen praesumitur quod voluerit excedere fines mandati, « *Rot. decis.* 106 *n.* 12 *par.* 7 *Recent.*

2. Mandati autem formam ex serie et qualitate verborum procuratorii spectandam esse, dicit *Rim. Sen. cons.* 55 *n.* 9 *lib.* 1, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 75, *Bertaz. cons. civil.* 70 *n.* 12, *Joseph. Ludovic. decis. Perus.* 117 *n.* 14, *Rot. Genuen. decis.* 102 *n. ult.*, *Caesar. Manent. decis.* 54 *n.* 40.

3. Quod procedit etiam si in procuratorio nullus casus exprimatur, sed constituens det procuratori facultates expressas in alio instrumento; nam huic procuratori intelligitur dumtaxat data facultas circa expressa in instrumento ad quod fuit facta relatio, *Crav. cons.* 247 *n.* 2 *lib.* 2, *Burs.*, qui hoc exornat, *cons.* 395 *n.* 11 *cum seqq. lib.* 4.

4. Quod si procurator aliquid contra tenorem et formam sui mandati faciat, id totum nullum est et invalidum, *Dec. cons.* 77 *n.* 1, qui profitetur hanc esse communem regulam, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 14 *lib.* 3, *Neviz. cons.* 70 *n.* 7, *Mazzol. cons.* 98 *n.* 1, *Burs. d. cons.* 395 *n.* 12 *vers. secundum*, *Rim. Sen. cons.* 405 *n.* 10 *lib.* 3, *Surd. cons.* 105 *n.* 27 *lib.* 1.

« Procurator non potest excedere fines mandati, et si excedat, nulliter « agit, *Palma Nepos decis.* 89 *n.* 21 *lib.* 1.

« Tertius, regulariter de excessu mandati dicere non potest, dum ille « respicit nullitatem actus in favorem mandantis inductam, *Saminiat. con-* « *trov.* 33 *n.* 122 *lib.* 1.

« Procurator fines mandati excedens, totum nulliter facit, *Saminiat.* « *controv.* 32 *n.* 10 *lib.* 1.

« Etiam dato modico excessu, *Saminiat. ibid. n.* 17.

« Regula vero quod excessus procuratoris etiam in modico totum « actum gestum inficiat, procedit quando actus est individuus, separationem « non patiens, vel de sui natura vel de voluntate mandantis, non autem « quando excessus cadit super actibus dividuis et separabilibus, quia tunc « dato in uno auctoritate, in alio non, primus est validus, licet alter non « subsistat in praejudicium mandantis, utile enim per inutile in dividuis « non vitiatur, *Saminiat. d. controv.* 32 *n.* 18 *et* 19 *et controv.* 33 *n.* 70 « *et* 71 *lib.* 1.

« Gesta per mandatarium ultra fines mandati vel contra ejus formam, « invalida sunt atque mandantem non obligant, *Card. de Luc. de credit. et* « *debit. disc.* 84 *n.* 3.

5. Et non obligat constituentem, *Rim. Sen. cons.* 348 *n.* 25 *lib.* 2, *Paris. cons.* 93 *n.* 31 *lib.* 1, *Rot. decis.* 132 *n.* 6 *par.* 2, *et decis.* 310 *n.* 2 *par.* 4 *divers.*, *et cor. Cavaller. decis.* 612 *n.* 20.

« Procurator, ubi excedat fines mandati, dominum obligare non valet, « *Actolin. resolut.* 27 *n.* 1 *et* 28.

« Ratio autem potest assignari quia nempe mandatum est de illis « contractibus qui suum esse formale a contrahentium consensu recipiunt; « quare sicuti ubi consensus reperitur limitatus ad certum actum, vel ad « certam causam, ad aliam nequit extendi; ita idem pariter dicendum est « de mandato, *idem Actol. d. resolut.* 27 *n.* 4 *et seq.*

« Hinc regulare est in jure quod cum obligatio non inducatur absque « consensu, non potest unus alterum sine mandato obligare, quamvis illum « nominet, idem *Actolin. d. resolut.* 27 *n.* 12 *cum duobus seqq.*

« Cum mandatum perficiatur consensu, ubi iste reperitur limitatus ad « certam formam, limitatum quoque censeri debet ipsum mandatum; ideoque « mandans ex eo nequaquam obligari valet nisi forma in ipso praescripta « ad unguem servata, *Actolin. resolut.* 28 *n.* 2 *et* 3.

« Obligari quis non potest per alium sine mandato; neque ex istius « facto dominus tenetur, *Actolin. resolut.* 110 *n.* 41 *et* 47. Paria autem « sunt non habere mandatum et habere, sed illius formam non servare, « *Actolin. d. resolut.* 110 *n.* 42.

« Principalis non remanet obligatus ex facto procuratoris, quando hic « excessit fines mandati, *Palma Nepos decis.* 257 *n.* 6 *lib.* 3.

« Fines mandati adeo diligenter sunt custodiendi, ut nec etiam in

« modico excedi possint, alias dominus nec in aliquo remanet obligatus, « *Rot. decis.* 145 *n.* 16 *et* 17 *par.* 9 *tom.* 1 *et decis.* 408 *n.* 2 *part.* 19 « *tom.* 2 *Recent.*

6. Neque illi praejudicat, *Rim. Sen. cons.* 33 *n.* 37, et ibi *Rim. Jun. in addit. in litera F.*

7. Immo procurator dicitur esse in culpa, *Rim. Sen. cons.* 436 *n.* 8 *lib.* 3.

8. Et ad eum spectat omne damnum et periculum, *Paris. cons.* 47 *n.* 38 *cum seq. et n.* 63 *et seq. lib.* 1, *Caesar Manent. decis.* 54 *sub n.* 41 *et n.* 47 *et seq. et n.* 59 *et seqq.*

9. Et ulterius tenetur constituenti ad omne interesse, *Paris. cons.* 91 *n.* 21 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 15, *Caesar Manent. decis.* 54 *n.* 39.

« Mandatarius tenetur de eo quod excessit, *Thomat. decis.* 92 *n.* 20 « *par.* 1; nota quod ista conclusio potest melius referri *ad n.* 8.

« Mandatum si bene non impletur intrat actio ad interesse quae com- « petit mandanti adversus mandatarium, *Card. de Luc. de locat. et conduct.* « *disc.* 12 *n.* 3.

« Suscipiens mandatum, si non adimpleat promissa, tenetur ad damna « et interesse, *Rot. decis.* 85 *n.* 3 *et* 4 *par.* 4 *tom.* 2 *et decis.* 56 *n.* 13 « *par.* 12 *Recent.*

10. Diligentia autem procuratoris consistit, ut circa rem mandatam adhibeat eam diligentiam quam quilibet diligens homo adhiberet circa res et negocia propria, *Paris. cons.* 123 *n.* 5 *et* 6 *lib.* 1, *Franc. Connan. in comment. jur. lib.* 7 *cap.* 54 *n.* 7 *circa princ.*

« Verba mandati quantumvis generalia, restringuntur ad facultatem « gerendi utilia, non autem faciendi praejudicialia, *Rot. decis.* 88 *n.* 6 *par.* 4 « *tom.* 2 *Recent.*

11. Vel saltem eam diligentiam quam ipsemet est solitus adhibere circa res proprias, quamvis minus diligenter negocia propria gereret, *Bart. in L.* 1 *n.* 5, et ibi *Bald. n. . . . ff de solut.*, *Rot. Genuen. decis.* 140 *n.* 4 *in fin. et decis.* 160 *in fin.*

12. Alias diceretur esse in lata culpa, *Barbat. in cap.* 1 *n.* 13 *extr. commod.*, *Curt. Jun. cons.* 256 *n.* 8 *et* 9, cum aliis apud *Caesar. Manent. decis.* 53 *n.* 19.

13. Et teneretur actione mandati, ut dicemus infra *cap. XCIX de actione mandati directa.*

14. Dicitur autem procurator excedere fines mandati, non solum si aliquid faciat contra illius formam, *Prosp. Paseth. cons.* 56 *n.* 5,

15. Sed etiam si faciat praeter, vel ultra expressa in mandato, *cap. Pisanis*, et ibi *not. Abb. in* 6 *notab. n.* 6 *extr. de restitut. spoliat.*, *Bart.*

in L. item eorum § sed si ita n. . . . ff quod cujusque univers. nomin., *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 14 *et* 15 *lib.* 3, *Mazol. d. cons.* 98 *n.* 3, *Burs. d. cons.* 395 *n.* 14 *lib.* 4, ubi *a n.* 15 *ad* 23 comprobat pluribus exemplis.

16. Mandatum enim est stricti juris, *Rim. Jun. cons.* 59 *n.* 51 *lib.* 1, *Mazol. cons.* 98 *n.* 7, *Thom. Trivis. decis.* 18 *n.* 8, *Torniol. cons.* 32 *n.* 9.

17. Et restringitur ad expressa et specificata in procuratorio, *Joseph Ludovic. d. decis. Perus.* 117 *n.* 1.

« Hinc clausulae amplissimae mandato specifico accessoriae, non am-
« pliant mandatum ad alias causas non specificas, sed augent potestatem
« super illa causa speciali, *Rot. decis.* 312 *n.* 5 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Solita tamen apponi comprehenduntur in mandato etiam si non sint
« expressa, *Rot. decis.* 428 *n.* 10 *par.* 5 *tom.* 2 *Recent.*

18. Tam quoad causas seu negocia mandata, quam quoad personas in illo specificatas, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 85.

« Mandatum est strictissimi juris, ita ut non extendatur nisi ad per-
« sonas et causas in illo expressas, nec nova in eo unquam persona sub-
« intelligi valeat, *Actolin. resolut.* 27 *n.* 9 *et* 10.

19. Quamvis sit generale et jurisjurandi religione vallatum, *Vant. ubi mox n.* 114, *Joseph Ludovic. d. decis.* 117 *n.* 19.

20. Licet in illo sit expressus aliquis casus requirens mandatum speciale, *L. si quis pro eo ff mand.*, *Trivisan. d. decis.* 18 *n.* 8, *Rot. decis.* 576 *n.* 1 *in fin. par.* 1 *Recent.*

21. Quare si procurator faciat praeter formam mandati, dicitur illius fines excedere, quia in materia mandati aequiperatur praeter et contra, ut post *Felin. in cap. causam quae n.* 4 *extr. de sentent. et re judic.*, dicit *Soc. Jun. d. cons.* 22 *n.* 15 *lib.* 3.

22. Immo dicitur procurator non servare formam mandati, et illius fines transgredi etiamsi non servet illius qualitates, *Paul. de Castro cons.* 22 *in fin. lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 622 *n.* 19 *lib.* 6, *Ceph. cons.* 219 *n.* 2 *et cons.* 220 *n.* 15 *lib.* 2, *Benintend. decis. Bonon.* 21 *n.* 8, *Mazol. d. cons.* 98 *n.* 1, *Joseph. Ludovic. d. decis.* 117 *n.* 13.

23. Quamvis qualitas consistat in modico, *Paris. cons.* 47 *n.* 42 *lib.* 1, *Rot. Genuen. d. decis.* 9 *n.* 13, *Caesar Manent. d. decis.* 54 *n.* 38, *Rot. coram Cavaller. decis* 612 *n.* 19.

24. Ex qua conclusione infertur primo, quod si alicui fuerit mandatum ut transmittat pecunias per certam personam, si transmittat per aliam dicitur egredi fines mandati, et tenetur si pecuniae amittantur, *Bald. in L. si is cui n.* 3, et ibi *Castren. et alii cod. de furt.*, post quos *Caesar Manent. d. decis.* 54 *per tot.*, et signanter *n.* 46, asserens ita fuisse decisum in Senatu Mantuano.

25. Nam cum iste procurator habeat mandatum limitatum et restrictum ut transmittat pecuniam mediante persona certa in procuratorio specificata, debet limitate intelligi, ut per regulam, *L. in agris ff de acquir. rer. domin.*, dicit *Anton. Ciof. cons.* 49 *n.* 1., *et Joseph Ludovic. d. decis. Perusin.* 117 *n.* 1.

« Mandatarius qui suscepit mandatum tradendi rem ei cui mandans « injunxit, hujusmodi mandato bene satisfecisse dicitur, tradendo rem ei cui « mandans praescripsit absque obligatione indagandi an hic esset diligens « vel negligens, probus vel improbus, *Card. de Luc. de locat. et conduct.* « *disc.* 12 *sub n.* 3.

26. Secundo, per eamdem rationem infertur, quod si aliquis sit constitutus procurator ad explicandum actum in certo et limitato tempore, mandatum istud est adeo restrictum ad tempus expressum, ut procurator nec antea nec postea possit actum illum explicare, *Decian. cons.* 34 *n.* 25 *lib.* 3, *Rim. Jun. cons.* 495 *n.* 14 *lib.* 5, *Paris. cons.* 47 *n.* 47 *et seqq. lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 8 *n.* 2 *et* 3.

27. Nam in mandatis adeo attenditur tempus, ut si in procuratorio sint expressae aliquae qualitates circa actum a procuratore explicandum, mandatum illud censeatur restrictum ad qualitates quae inerant tempore facti mandati, *Dec. in cap. cum te n. . . . extr. de rescript.*

28. Et mandatum factum ab eo qui nullum habebat jus tempore facti mandati, non convalidatur ex jure superveniente, *Crav. cons.* 153 *num.* 14 *lib.* 1, *Mazol. cons.* 99 *n.* 14.

29. Neque obstat resolutio *Rotae decis.* 116 *par.* 1 *divers.*, ubi in mandato alicui facto ad interessendum examini testium faciendo in certo expresso termino, fuit resolutum quod si examen non potuit fieri in termino praefixo, nihilominus ille procurator ob verisimilem mentem mandantis, possit interesse examini faciendo in termino prorogato. Quia ex eademmet *decis.* apparet responsio *n.* 3 *et seq.*, quod fundamentum decisionis fuit quia in illo casu procurator non erat constitutus ad explicandum actum certo tempore, sed ad certum effectum, scilicet ad interessendum examini, unde cum in primo termino examen non potuerit explicari, mandatum non expiravit, ut bene deducit ibi *Rota*.

30. Tertio infertur, quod is cui fuit datum mandatum ad explicanda praeparatoria actus, non potest, vigore dicti mandati, explicare actum ipsum principalem, *L.* § *igitur praepositio vers. vel si ad locandum ff de exercit. act.*

31. Ubi deciditur quod habens mandatum ad locandum, quod est praeparatorium exigendae pensionis, non censetur habere mandatum ad exigendam ipsam pensionem, de quo dictum est *cap. LXXX de mandato ad locandum n.* 14 *et seqq.*

32. Similiter habens mandatum ad agendum contra debitorem, licet possit prosequi et terminare judicium motum, *L. qui procuratorem dat. ff de procur.*, inducendo illam ut per *Rom. cons.* 461 *n.* 4, non tamen censetur habere mandatum ad petendum exequi, vel exequendum mandatum et sententiam contra eumdem debitorem latam et relaxatam, licet mandatum ad agendum sit praeparatorium ad exigendum et petendum exequi sententiam latam contra debitorem, *L. hoc jure ff de solut.*, *L. si procurator meus ff de procur.*, *L. si tantum ff de pact.*, per quae et alia jura hoc firmat *Rom. d. cons.* 461 *n.* 1 *et seqq.*

33. Quarto infertur, quod viceversa procurator habens mandatum ad id quod est consequens, non censetur habere illud ad id quod est antecedens, *d. L.* 1 § *igitur praepositio vers. quare si eum praeposuit ff de exerc. act.*, inducendo illam *ut per Rom. cons.* 330 *n.* 11 *et d. cons.* 461 *n.* 5 *post princ.*

34. Nisi antecedens sit tale sine quo consequens commode explicari non possit, *L. ad rem mobilem*, *L. ad legatum ff de procur.*, *L. si defunctus* § *fin. ff eo tit.*, ut declarat *Rom. d. cons.* 303 *n.* 11 *et d. cons.* 461 *n.* 4 *in fin.*

35. Quinto infertur, quod procurator constitutus ad lites et causas absque aliquo signo universali, censetur constitutus dumtaxat ad lites ortas et motas tempore facti mandati, et non potest se ingerere in causis post factum mandatum exortis et motis, ut est magis communis sicuti diximus *cap. XXXIV de mandato generali ad lites.*

36. Sexto infertur quod procurator non potest obligare mandantem in plus quam mandatum exprimit et continet, *cap. qui ad agendum de procur. lib.* 6, *DD. in lib.* 3 *cod. eo tit.*, *Paseth. cons.* 199 *n.* 16.

« Clausula « *prout videbitur* » cui aequipollet clausula « *sub modis et* « *formis procuratori bene visis* », extenditur ultra expressa, et operatur ut « non detur excessus finium mandati, *Saminiat. controv.* 33 *n.* 109 *et* 110 « *lib.* 1.

37. Supra firmata autem principalis conclusio non est perpetuo vera, sed dantur multi casus in quibus licet procurator non servet ad unguem fines mandati, non propterea dici potest quod illius terminos egrediatur, de quibus dicemus in capite sequenti.

« Mandati excessus vel abusus numquam praesumitur, et ab allegante « est plene et concludenter probandus, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 32 *lib.* 1.

CAPUT XCVIII.

PROCURATOR NON SERVANS AD UNGUEM FINES MANDATI, QUANDO DICATUR ILLOS EGREDI.

SUMMARIUM

1. *Multi dantur casus in quibus, licet procurator non servet omnino fines mandati, adhuc gesta per illum valent, nec ipse subiicitur poenis quibus mandati fines excedens est obnoxius.*
2. *Primus est, si dominus sciat suum procuratorem explicando actum mandatum excedere fines mandati, et taceat ac patiatur.*
3. *Talis scientia et patientia non est efficax ad faciendum praesumi novum mandatum, praesertim ubi praejudicium ipsi domino posset resultare.*
4. *Sed tamen operatur ampliationem, extensionem et prorogationem praecedentis mandati.*
5. *Dummodo faciat actum in praesentia vel nomine mandantis, secus si simpliciter; nam tunc proprio nomine facere praesumitur.*
6. *Et dummodo talis scientia et patientia probetur.*
7. *Secundus est casus, si procurator faciat quae ipse dominus facere consuevit.*
8. *Licet mandatum esset factum cum aliqua ditione taxativa ac termino restrictivo.*
9. *Si non constet de consuetudine mandantis ea faciendo quae sunt de consuetudine loci ubi est procurator, non dicitur excedere fines mandati.*
10. *Intelligendo de consuetudine ea respiciente quae sunt accessoria et de natura actus gesti.*
11. *Et de consuetudine communi et circa ea quae solent communiter fieri, non respectu eorum quae jure extraordinario et raro fieri solent.*
12. *Tertius est casus, si procurator exequatur mandatum pinguius quam ei fuerit commissum.*
13. *Potest enim facere meliorem condictionem mandantis.*
14. Surdi decis. 187 n. 3 *rejicitur.*
15. *Limitatur praedicta conclusio si mandatum sit certum, et ad*

quid certum; nam tunc ad unguem est illius forma servanda.

16. *Vel ubi agatur de superiorum mandatis quae nequeunt pinguius explicari.*
17. *Licet vigeat identitas vel majoritas rationis.*
18. *Quartus casus est si procurator exequatur similia expressis.*
19. *Secus procedit in mandato specifice dato.*
20. *Quintus est, si gerat ea in quibus viget eadem ratio ac in expressis.*
21. *Fortius si vigeat major ratio.*
22. *In mandatis valet argumentum a majoritate rationis.*
23. *Contra in mandato superiorum ac Principis.*
24. *Procurator generalis in casu improviso potest ex justa causa domino incognita excedere fines mandati.*
25. *Idem procedit quoad oratores, legatos et commissarios Principum.*
26. *Procurator ea faciens quae ex verisimili mente constituentis sunt comprehensa in mandato, non dicitur illius fines non servare.*
27. *Hinc potest impune facere ea quae dominus mandasset, si de illis fuisset interrogatus.*
28. *Procurator gerens actum quem dominus verisimiliter mandasset, dicitur observare fines mandati.*
29. *Contraria sententia* Beroii et Riminaldi Junioris *refutatur.*
30. *Similiter faciens connexa et consecutiva actui mandato, non dicitur egredi fines mandati.*
31. *Quamvis speciale mandatum requirerent.*
32. *Dummodo agatur de consecutivis et connexis necessariis sine quibus nequeat explicari actus mandatus.*
33. *Mandatum pariter non excedit si faciat minora in illo expressis.*
34. *Majora tamen non potest explicare etiam habens mandatum cum libera.*
35. *Potest etiam facere proxima et contigua mandato.*
36. *Praesertim si excederet in modico.*
37. *Nisi mandatum esset specificum ad faciendum sic et sic.*
38. *Implens mandatum per aequipollens illud non egreditur.*
39. *Contrarium est in iis quae requirunt speciale mandatum.*
40. *Et quando est praescriptus certus modus et forma qua est explicandus actus mandatus.*

41. *Et quando per aequipollens non sequeretur idem, vel plenior effectus juxta domini voluntatem.*

42. *Mandati quoque fines servat qui ea facit quae tendunt ad executionem principalis mandati:*

43. *Vel ad faciliorem expeditionem.*

44. *In hominis dispositione, uno concesso, reliqua etiam concessa censentur ex quibus facilius res valet expediri.*

45. *In dispositione legis, ea tantum permissa dicuntur quae sunt necessaria ad actum explicandum:*

46. *Vel quae tendunt ad mandatorum perfectionem.*

47. *Limitatur tamen predicta conclusio ut procedat ubi gesta per procuratorem ultra mandatum, ad explicandum mandatum actum sunt necessaria.*

48. *Potest similiter procurator impune egredi fines mandati, ubi in illo dominus pro eo de rato, et maxime cum juramento, promisit:*

49. *Et ubi ex gestis per ipsum sequatur effectus propter quem fuit factum mandatum, licet in aliquibus illius forma non sit servata.*

50. *Sufficit mandatum impleri eo modo quo fieri potest.*

51. *Secus si mandatum negocia diversa contineat.*

52. *Quoties procuratori mandati fines transgredi permittitur, id ei conceditur dummodo ex fide gerat, et juxta rei mandatae naturam, hoc est ad domini utilitatem.*

53. *Natura mandati est ut negocium geratur vel ad utilitatem solius mandantis,*

54. *Vel gratia mandantis et mandatarii,*

55. *Vel gratia mandantis et alterius.*

56. *Ex facto a procuratore gesto ad sui tantum utilitatem et commodum, mandans non remanet obligatus.*

57. *Nec procuratori contra dominum datur actio mandati.*

1. Dicebamus in fine praecedentis capitis dari multos casus in quibus licet procurator non se contineat intra terminos mandati, et illius fines precise et omnino non servet, non tamen gesta per illum vitio nullitatis subjacent nec ipse subjicitur poenis contra procuratorem fines mandati non servantem comminatis: quare in praesenti capite aliquos ex dictis casibus, qui sese mihi obviam fecerunt, submittere constitui.

2. Primus itaque casus est, si constituens sciat suum procuratorem explicando actum mandatum excedere fines mandati et taceat ac patiatur,

Alex. cons. 84 *n.* . . . . *in lib.* 5, *Gabr. cons.* 82 *n.* 34 *lib.* 2, *Pacian. de probat. part.* 1 *cap.* 33 *n.* 35, *Ruin. cons.* 59 *n.* 7 *lib.* 5, *Rot. Genuen. decis.* 64 *n.* 3 *vers. nec dicatur*, sequitur *Surd. decis.* 209 *n.* 8, *Rot. coram Mantic. decis.* 100 *n.* 4 *et decis.* 132 *n.* 6 *par.* 2 *divers.*

« Procurator mandati fines excedens dominum obligat quoties constat « ipsum scivisse excessum et tacuisse, *Actolin. resolut.* 27 *n.* 2.

« Mandans, quando fuit certioratus de excessu mandatarii et non re- « clamavit, censetur consensisse, *Rot. decis.* 157 *n.* 17 *par.* 12 *Recent.*

3. Nam licet hujusmodi scientia et patientia non sit efficax ad faciendum praesumi novum mandatum, maxime quando resultare posset praejudicium ipsi mandanti, ut diximus *Cap. XXXII Mandatum ad negocia quando praesumatur:*

4. Potest tamen operari ampliationem, extensionem et prorogationem mandati praecedentis, *Alex. d. cons.* 84 *n.* . . . *lib.* 5, *Rim. Sen. cons.* 567 *n.* 5 *lib.* 3, ubi *Rim. Jun. in addit.*, *Ceph. cons.* 272 *n.* 112 *lib.* 2, *Rot. decis.* 3 *de caus. possess. et propriet. in antiq.*, *Barz. decis.* 68 *n.* 22, et magistraliter distinguit *Pinel. ad L.* 2 *cod. de rescind. vendit. par.* 2 *cap.* 1 *n.* 18 *et* 19, *Put. decis.* 348 *n.* 3 *et* 4 *lib.* 1 *in correct.*

5. Quae tamen conclusio ita demum procedit, si procurator faciat actum in praesentia vel nomine mandantis, secus si simpliciter nomine officii non expresso, nam tunc praesumitur facere nomine proprio, *L. et magis ff de solut.*, *Burs. cons.* 360 *n.* 93 *vers. tertio lib.* 4.

6. Et dummodo talis scientia et patientia probetur, *Burs. d. num.* 93 *vers. secundo.*

« Domini scientia est omnino probanda, quia in dubio ignorantia prae- « sumitur, *Actolin. resolut.* 27 *n.* 3.

7. Secundus casus est, si procurator faciat ea quae consuevit facere ipse mandans, *L. vel universorum ff de pignorat. action.*, *Rim. Sen. cons.* 336 *n.* 36 *lib.* 2, *Mazol. cons.* 16 *n.* 56, *Bertaz. cons.* 469 *n.* 18 *lib.* 2 *in Criminal.*

8. Quamvis mandatum esset factum cum aliqua ditione taxativa et cum termino restrictivo, *Decian. cons.* 60 *n.* 6 *lib.* 2.

9. Et si de consuetudine mandantis non constaret, si procurator faciat ea quae sunt de consuetudine loci in quo procuratoris officio fungitur, non dicitur excedere fines mandati, *Ruin. cons.* 66 *n.* 5 *lib.* 4, *Purpur. cons.* 176 *n.* 12 *lib.* 1, *Decian. cons.* 60 *n.* 5 *lib.* 2, *Rim. Jun. cons.* 29 *n.* 19 *lib.* 1, *Surd. decis.* 213 *n.* 4, *Rot. Genuen. decis.* 143 *n.* 3 *in fin.*, *Mastrill. decis.* 204 *n.* 9 *lib.* . . , *Rot. coram Cocein. decis.* 109 *n.* 11.

10. Intelligendo tamen de consuetudine quae respicit ea quae sunt accessoria et de natura actus qui geritur, *Rim. Jun. d. cons.* 29 *num.* 16 *et seq.*

11. Et de consuetudine communi, et circa ea quae communiter fieri solent, non respectu eorum quae jure extraordinario et raro fieri consueverunt, *Sylvan. cons.* 35 *n.* 45 *lib.* 1.

12. Tertius casus est, si procurator exequatur mandatum pinguius quam si fuerit commissum, *L. si quis pro eo in fin. in illis verbis « Si tamen hoc mandatori expediat » ff mand.*, *Rim. Sen. cons.* 340 *n.* 18 *lib.* 2, *Jas. in L. qui quartam in princ. n. . . . ff de leg.* 1, *Rim. Jun. cons.* 1 *n.* 60 *lib.* 1, *et in addit. ad Rim. Sen. cons.* 567 *n.* 5 *lib.* 3, *Jacob. Beret. cons.* 112 *sub n.* 7, *Magon. decis. Florent.* 3 *n.* 13 *et* 15, *Rot. decis.* 293 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*, *Merlin. decis.* 577 *n.* 4.

« Procurator pinguius adimplens mandatum de aliquo excessu notari « non potest, *Gob. de monet. quaest.* 7 *n.* 59.

« Procurator potest pinguius adimplere mandatum, neque in hoc in« trat excessus, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 27 *lib.* 1.

« Quoties mandatarius gerit rem utilem et quam verisimiliter ipse « principalis faceret, si per se ipsum administraret tunc non dicitur man« dati fines excedere, *Card. de Luc. de cambiis disc.* 14 *n.* 3.

« Mandatum dicitur observare qui illud pinguius adimplet, *Rot. de« cis.* 434 *n.* 5 *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

« Nam mandatum quantumvis simplex continet ea quae sunt utilia « mandanti, *Rot. decis.* 92 *n.* 15 *par.* 10 *Recent.*, quod adnotatur etiam « *cap. LXVI ad n.* 2.

13. Nam licet procurator non possit facere conditionem mandantis deteriorem, potest tamen illam facere meliorem, *L. diligenter* § *fin. ff mandat.*, § 15 *qui exequitur Instit. eo tit.*, § *praeterea instit. de action.*, *Rot. coram Mohed. decis.* 96 *quae est* 13 *de renunc. sub n.* 2, apud *Crescent. decis.* 37 *quae est* 8 *eod. tit. n.* 8, *et in Recent. decis.* 28 *n.* 2 *par.* 2.

14. Unde videtur quod non sit fidendum de *Surdo* qui contrarium tenet, *decis.* 187 *n.* 3.

15. Caeterum ista quoque conclusio debet limitari primo, si mandatum sit certum et ad quid certum, nam tunc debet ad unguem servari forma illius, *L. si quis pro eo ff mand.*

16. Secundo limitatur in mandatis superiorum, quae non possunt explicari pinguius, sed debent servari, ut statuit *Beroius cons.* 61 *num.* 20 *lib.* 2, sequitur alios referens *Bec. cons.* 21 *n.* 39 *lib.* 1.

17. Quamvis vigeret identitas vel majoritas rationis, *Beroius cons.* 175 *n.* 19 *lib.* 1, *Dec. cons.* 193 *n.* 8 *et* 9, *et in L. non debet cui n. . . .*, et ibi *Cagnol. n. . . . ff de reg. jur.*, *Bec. d. cons.* 21 *n.* 39.

18. Quartus casus est, si procurator exequatur similia expressis, *Dec. cons.* 493 *n.* 3 *et* 10, *Rim. Sen. cons.* 567 *n.* 4 *lib.* 3, *Grat. cons.* 159 *n.* 10 *lib.* 2, ubi declarat qui dicantur casus similes.

19. Hoc tamen restringi et limitari debet, ut non procedat in mandato specifice dato, *Beroius cons.* 174 *n.* 8 *lib.* 1, *Bec. d. cons.* 21 *n.* 39 *vers. secundo.* Et licet ibi *Becius* loquatur in mandato delegatorio, idem tamen procedere dicit in mandato procuratorio, cum sint ad invicem aequiparata et de uno ad aliud valeat argumentum, *Everard. in sua Topic. in loco.*

20. Quintus casus est, si procurator gerat ea in quibus viget eadem ratio quae viget in expressis, *L. fin.* § *fin. ff mand.*, *Crav. cons.* 274 *n.* 2 *lib.* 2.

21. Et multo magis si vigeat major ratio, *Bec. d. cons.* 21 *n.* 8.

22. Nam in mandatis valet argumentum a majoritate rationis, ut notat *Abb. in cap. significavit n. . . . extr. de rescript.*

23. Quod tamen non procedit in mandato principis et superiorum, ut dictum est supra in tertio casu in *secunda limitatione.*

24. Sextus est casus in procuratore generali, qui si de repente contingat casus improvisus, potest ex justa causa quae constituenti fuit incognita, excedere fines mandati, *Cremens. sing.* 151, *Rot. Genuen. decis.* 8 *num.* 6, *Andr. Gayl. de pace public. lib.* 2 *cap.* 4 *n.* 29.

25. Ubi *n.* 30 infert *Gayl.* ad oratores, legatos et commissarios principum quod possint excedere fines mandati, quando emergit aliquis casus inopinatus et improvisus: pro qua conclusione faciunt ea quae dicentur in sequenti casu.

26. Septimus casus est, si procurator faciat ea quae ex verisimili mente constituentis comprehenduntur in mandato, ut plene dictum fuit supra *cap. XXVIII de mandato ambiguo.*

« Procurator numquam excessisse dicitur fines mandati dum facit ea quae possunt considerari uti consentanea menti et intentioni mandantis, et quae ipsemet verisimiliter esset facturus, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 88, *et controv.* 33 *n.* 62, 74 *et seq. lib.* 1.

27. Et propterea posset impune facere ea de quibus si mandans fuisset interrogatus mandasset, *Crav. cons.* 247 *sub n.* 4 *vers. tertio respondeo, et cons.* 274 *n.* 9 *lib.* 2, *Afflict. decis.* 340 *ad fin.*, *Jacob. Beret. cons.* 112 *n.* 7 *vers. rursus*, *Burs. cons.* 395 *sub n.* 7 *lib.* 4.

« Sub mandato ad aliquid peragendam, concessa censetur omnis facul-
« tas gerendi ea quae verisimiliter mandans concessisset si cogitasset, *Card.*
« *de Luc. de credit. et debit. disc.* 84 *n.* 4.

28. Nam gerens actum quem dominus si de illo scientiam et notitiam habuisset, verisimiliter mandasset, dicitur fines mandati servare, *Afflict. d. decis.* 340 *in fin.*, *Rim. Jun. in addit. ad Rim. Sen. cons.* 567 *n.* 5 *lib.* 3, *Beret. d. cons.* 112 *n.* 7, *Rot. Genuen. decis.* 64 *n.* 2, *et decis.* 147 *n.* 3.

29. Quare non videtur fidendum *de Beroio cons.* 61 *n.* 20 *lib.* 2, quem sequitur *Rim. Jun. cons.* 525 *n.* 25 *lib.* 6, dum dicunt quod mandatum non potest extendi ex tacita mente mandantis.

30. Octavus casus est, si procurator faciat connexa et consecutiva actui mandato, quo casu dicitur se continere intra terminos et fines mandati, *Bart. in L. damna § si qui n. 2 ff de damn. infect.*, *Bellamer. in cap. non injustae post med. extr. de procur.*, *Rim. Sen. cons.* 341 *n.* 19 *lib.* 2, *Paris. cons.* 90 *n.* 37 *lib.* 1, *Decian. cons.* 53 *n.* 13 *lib.* 3, *et cons.* 21 *n.* 16 *lib.* 5, *Rim. Jun. cons.* 11 *n.* 8 *lib.* 1, *Marcabrun. cons.* 66 *n.* 182, *Pacian. de probat. lib.* 1 *cap.* 36 *n.* 43, *Put. decis.* 58 *n.* 8, *et decis.* 366 *n.* 7 *lib.* 1 *in correctis*, *Mastril. decis.* 204 *n.* 4, *Franc. Marc. decis.* 134 *n.* 7 *par.* 2, *Rot. coram Coccin. decis.* 109 *n.* 10, *et in Recentior. decis.* 692 *n.* 2 *par.* 2.

« Procurator non dicitur excessisse fines mandati dum fecit id quod « erat annexum mandato, ab eoque dependens vel de natura actus, *Sami-* « *niat. controv.* 32 *n.* 22, *et controv.* 33 *n.* 61 *lib.* 1.

« Mandatum continere dicitur etiam ea omnia quae veniunt in neces- « sariam consequentiam illius, *Rot. decis.* 344 *n.* 7 *par.* 10 *Recent.*

« Sicuti in mandatis qui vult consequens velle etiam dicitur necessa- « rium antecedens, *Rot. decis.* 463 *sub n.* 2, *par.* 4 *tom.* 1 *Recent.*

31. Quamvis requirerent mandatum speciale, *Rim. Jun. cons.* 8 *n.* 11, *et cons.* 11 *n.* 1 *et seqq.*, et signanter *n.* 11 *lib.* 1.

32. Haec tamen conclusio firmata in hoc octavo casu est intelligenda de consecutivis et connexiis necessariis, sine quibus actus mandatus non posset explicari, *Paul. de Castr. cons.* 11 *n.* 4 *lib.* 1, *Ruin. cons.* 59 *num.* 9 *lib.* 5, *Sylvan. cons.* 35 *n.* 48 *lib.* 1, *Ceph. cons.* 693 *n.* 23 *et seq. lib.* 5, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 17 *lib.* 3.

« Sub mandato dato ad aliquid peragendum concessa censetur omnis « facultas gerendi ea quae de negotii natura vel stylo necessaria vel oppor- « tuna sunt, et sine quibus id sequi non posset, *Card. de Luc. de credit.* « *et debit. disc.* 84 *n.* 4.

33. Nonus casus est, si procurator faciat ea quae sunt minora expressis in procuratorio, nam cui mandatum est id quod est majus, censetur etiam mandatum id quod est minus, *Rim. Sen. cons.* 567 *n.* 5 *lib.* 3.

34. Non tamen posset explicare majora expressis, licet haberet mandatum cum libera, ut dicetur *in cap. CIX de mandato cum libera administratione;* late *Carocc. de locat. in tit. de procur. quaest.* 2 *n.* 57 *et infra.*

35. Decimus casus est, si procurator explicet ea quae sunt proxima et contigua mandato, *L. fin. in fin. ff mand.*, per quem *Tex.* ita dicit *Gloss. in Can. licet ergo* 8 *quaest.* 1, *L. ita tamen § in hac ff judic. solut.*, *Felin. in cap. causam quae el* 1 *n.* 6 *extr. de sentent. excommun.*, *Rot. decis.* 23 *de probat. in antiq.*

36. Maxime si excederet in modico, si illud sit proximum et contiguum rei mandatae, *Paris. cons.* 61 *n.* 28 *lib.* 3, et ita ego intelligerem *Tex.*

in L. furti ff de in litem jurand., et cap. 1 *de arbitr. lib.* 6, *et d. per Alex. cons.* 90 *in fin. lib.* 3.

37. Quae tamen conclusio non procederet si esset factum specificum mandatum ad faciendum sic et sic, *Beroius cons.* 174 *n.* 21 *lib.* 1.

38. Undecimus casus est, si procurator impleat mandatum per aequipollens, *L. fin.* § *fin. ff mand., Rim. Sen. cons.* 527 *n.* 4 *et cons.* 567 *n.* 4 *lib.* 3, *Ruin. cons.* 111 *n.* 11 *lib.* 4, *Alex. cons.* 5 *in princ. lib.* 2, *Decian. cons.* 1 *n.* 117 *lib.* 1, *Laurent. de Pin. cons.* 18 *n.* 10, *Rot. Genuen. decis.* 8 *n.* 10.

39. Quod tamen limitandum est, primo, in iis quae requirunt mandatum speciale, *Beroius cons.* 174 *n.* 21 *lib.* 1, *Burs. cons.* 395 *n.* 44 *lib.* 4.

40. Secundo limitatur, quando fuit praescriptus certus modus et data certa forma qua actus mandatus explicari debeat, *Jas. in L.* 1 *n.* 14 *ff de liber. et posthum., Bart. in L. ab emptione col. fin. n.* 14 *ff de pact., Bald. in L.* 2 *n. . . . cod. de usucap. ab empt.*

41. Tertio limitatur, ut procedat dummodo per aequipollens sequeretur idem vel plenior effectus secundum voluntatem mandantis, *Burs. cons.* 74 *n.* 154 *lib.* 1, *et cons.* 395 *n.* 7 *lib.* 4, *Rot. Genuen. decis.* 174 *n.* 11.

42. Duodecimus casus annecti potest, si procurator faciat ea quae tendunt vel ad executionem principalis mandati, *L. indebitam ff de condict. indeb.*, per quem *Tex.*, et alia jura, *Rim. Sen. cons.* 341 *n.* 19 *lib.* 2, sequitur *Rim. Jun. in addition. ad cons.* 567 *n.* 5 *ejusdem, Rim. Sen. lib.* 3, *Cassiodor.*, qui dicit hoc esse menti tenendum, *decis.* 1 *n.* 3 *de renunc., Mastrill. d. decis.* 204 *n.* 3.

43. Vel ad faciliorem expeditionem, *Felin. cons.* 15 *n.* 6 *et seqq., Rim. Sen. cons.* 207 *n.* 22 *et seq. lib. . . .*, *Surd. decis.* 213 *n.* 12, *Gratian. discept. forens. cap.* 950 *n.* 13.

« Mandati fines non dicuntur excessi si aliquid fuit factum ut facilius « adimpleretur mandatum, *Rot. decis.* 287 *n.* 12 *et* 13 *par.* 7 *Recent.*

44. Nam quando agitur de hominis dispositione, si unum permissum est, reliqua etiam concessa intelliguntur ex quibus res facilius expediri potest.

45. Licet in dispositione legis ea tantum permissa dicantur quae necessaria sunt ad actum explicandum, *Aret. in cap. de testibus n. . . . extr. de testib.*, quem referunt et sequuntur *Jas. in L.* 2 *post princ. n. . . . et Dec. n.* 2 *ff de jurisd. omn. judic., idem Dec. in cap. praeterea n.* 6 *extr. de offic. deleg., Laderch. Imol. cons.* 90 *n.* 1.

46. Vel quae tendunt ad perfectionem eorum quae fuerunt mandata, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 5 *lib.* 3 *per Tex. in L. quamvis,* et ibi *Bald. n. . . . cod. de fideic.*

47. Haec autem quae dicta sunt in hoc duodecimo casu procedunt dummodo ea quae geruntur per procuratorem ultra mandatum sint necessaria ad illius actus explicationem, *Soc. Jun. d. cons.* 22 *n.* 17, *Sylvan. cons.* 35 *n.* 48 *lib.* 1.

« Procurator ad certam rem constitutus, dicitur habere omnes facul-
« tates ad actum explendum necessarias, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc.*
« *de servitut. lib.* 4 *decis.* 11 *n.* 8 *tom.* 1.

48. Decimustertius casus est, quando dominus in procuratorio promisit de rato pro procuratore, maxime cum juramento *cap. fin.*, et ibi *Cardin. Zabarell. n. . . . de jurejur. lib.* 6, *Felin. in cap. cum olim n.* 7 *extr. de offic. deleg.*, quorum auctoritate *Burs. cons.* 304 *n.* 36 *lib.* 3.

« Per ratificationem tollitur illa nullitas quae resultare dicitur ab
« excessu finium mandati, dum hic excessus operatur ut principalis non
« remaneat obligatus ex facto procuratoris ultra fines mandati, quatenus
« ipse ratum non habuerit, secus autem ratihabitione accedente, *Card. de*
« *Luc. de foeud. disc.* 111 *n.* 5.

« Gesta per procuratorem excedentem fines mandati non sunt invalida si
« accedat mandantis ratificatio, *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 84 *n.* 9.

« Mandans non potest impugnare gesta procuratoris excedentis man-
« datum post ratihabitionem contractus, *Rot. decis.* 66 *n.* 16 *par.* 8
« *Recent.*

« Non tamen potest dici quod mandans ratificaverit mandatum non
« docto quod habuerit aliquam certam scientiam de ejus excessu, *Rot.*
« *decis.* 298 *n.* 5 *par.* 8 *Recent.*

49. Decimusquartus casus est, quando ex gestis per procuratorem sequitur effectus propter quem fuit factum mandatum, licet quoad aliqua non sit servata illius forma, *L. mulier in princ. ff ad Trebellian.*, *L.* 3 *cod. de institut. et substitut.*, *Bart. in L. Gallus* § *et quid si tantum n.* 3 *ff de liber. et posthum.*, *Decian. cons.* 1 *n.* 117 *lib.* 1, *Rot. coram Mantic. decis.* 18 *n.* 12.

« Hinc procurator constitutus ad creandum censum in moneta imagi-
« naria, valide illum creare potest in aliqua certa monetarum specie,
« dommodo non excedat summam in mandato praescriptam ac limitatam,
« *Gob. de monet. quaest.* 7 *n.* 53 *et seqq.*

« Hinc pariter est, quod procurator constitutus ad creandum censum
« in moneta imaginaria, si praetium eidem solutum fuit in tot speciebus
« monetarum, in eisdem speciebus promittere potest restitutionem, *Gob. de*
« *monet. quaest.* 7 *n.* 62.

« Habens mandatum ad constituendum censum cum persona determinata,
« potest illum constituere cum altera, nec tamen mandati fines excessisse
« dicitur, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 69 *lib.* 1.

« Conclusio quod gesta per mandatarium ultra fines mandati vel contra « ejus formam sint invalida et mandantem non obligent, procedit ubi « immutatur substantia rei, vel alterativus excessus in aliquo deteriorem « reddat conditionem mandantis qui consensus defectum juridice allegare « valeat; secus autem ubi id nil refert atque alteratio nullum causat prae- « judicium, sed est circa id, sine quo finis vel effectus a mandante deside- « ratus alias sortiri non potuisset, *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 84 « *n.* 4.

50. Nam sufficit quod mandatum impleatur eo modo quo fieri potest, *Rot. Genuen. decis.* 174 *n.* 4.

51. Quod tamen non admitteretur si mandatum contineret negocia diversa et separata, *Rot. Genuen. decis.* 19 *n.* 3 *et* 4.

« Procurator, si in aliqua parte non habuerit auctoritatem, non potest « inferri ad excessum, sed praesumitur id fecisse ex particulari instructione « sibi data a mandante, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 91 *lib.* 1.

« Quod fortius procedit quando agitur de filio munus procuratoris « adimplente pro genitore, in quo filio ob sanguinis conjunctionem et fi- « duciam paternam eo facilius praesumitur ordo praedictus, *Idem ibidem* « *n.* 92.

« Mandatarius principis censetur omnia gerere, quamvis extra man- « datum, secundum domini intentionem, et praevio illius oraculo, *Card.* « *de Luc. de credit. et debit. disc.* 84 *n.* 8.

52. In omnibus autem casibus in quibus procuratori est permissum transgredi fines mandati, hoc tamen illi concessum esse intelligitur dummodo ex fide gerat, et secundum naturam rei mandatae, videlicet ad utilitatem mandantis, *Bald. in L.* 1 *n.* 15 *cod. de bon. matern., Dec. cons.* 493 *n.* 11, *Sebastian. Medic. decis. March.* 7 *n.* 81.

53. Nam ex natura mandati est ut negocium geratur vel ad utilitatem solius mandantis, *L. si mandavero* § *si tibi centum*, *L. ex mandato*, *L. creditor* § *Lucius*, et ibi *Bart. n. . . . et Bald. n. . . . ff mand.*:

54. Vel gratia mandantis ac mandatarii, *Instit. de mand. in princ.*, *Curt. Jun. cons.* 132 *n.* 6:

55. Vel gratia mandantis et alterius, *d. princ. instit. de mandat.*, et sic semper in mandato continetur id quod respicit commodum et utilitatem mandantis, numquam autem utilitatem ipsius procuratoris et mandatarii.

« Mandatum potest dari, tam gratia mandantis, quam mandatarii, aut « alii, *Rot. decis.* 266 *n.* 7 *par.* 8 *Recent.*

56. Quoniam si procurator aliquid gereret ad sui dumtaxat utilitatem et commodum, ex dicto facto non remaneret obligatus mandans, *dict. princ. instit. de mand.*, *Decian. cons.* 68 *n.* 16 *lib.* 3, *Surd. cons.* 365 *n.* 11 *lib.* 3.

37. Nec procuratori daretur actio mandati contra mandantem, *L. potest ff mand.*

« Hic est advertendum id quod adnotatur *cap.* 100 *ad n.* 5, scilicet « mandantem posse conveniri actione contraria mandati, quamvis mandatum « sit datum in gratiam mandatarii et non mandantis, ut habetur ex *Rot.* « *decis.* 266 *n.* 1 *par.* 8 *Recent.*, quia scilicet mandans, licet det mandatum « gratia mandatarii vel aliena, attamen remanet obligatus nomine proprio; « *Rot. ibid. n.* 8.

CAPUT IC.

DE ACTIONE MANDATI DIRECTA.

SUMMARIUM

1. *Ex contractu mandati oritur actio generalis ad favorem tam mandantis quam mandatarii.*
2. *Nempe directa ad favorem mandantis, contraria ad favorem mandatarii.*
3. *Utraque est civilis,*
4. *Ac personalis;*
5. *De qua hic agatur.*
6. *Directa actio mandati est duplex, utilis et directa.*
7. *Utilis domino datur contra mandatarium actum explicantem non ex proprio ipsius domini sed alterius mandato.*
8. *Directa datur mandanti contra mandatarium ex ejus proprio mandato.*
9. *Et datur ut mandatarius ostendat se bona fide explicasse negocia commissa.*
10. *Et circa illa eam diligentiam adhibuisse, quam diligens homo in propriis rebus solet adhibere.*
11. *Mandatarius diligenter ac bona fide non exequens mandatum tenetur actione mandati.*
12. *Tam propter dolum.*
13. *Pro quo datur etiam contra ipsum actio de dolo;*
14. *Et notatur infamia.*
15. *Quam propter culpam non solum latam sed etiam levem.*
16. *Non vero levissimam.*
17. *Quod teneatur etiam de culpa levissima quando mandatum fuit factum tantum gratia mandantis.*
18. *Contraria refertur ac probatur sententia.*

19. *Quae tamen fallit quando mandatarius fuit monitus a mandante, ut uno vel altero modo negocium explicaret.*
20. *Et quando rei mandatae natura exactissimam exigeret industriam.*
21. *Et quando mandatarius suscipiat mandatum tamquam penitus, et ratione peritiae quam profiteretur.*
22. *Exemplificatur in suscipiente administrationem negocii mercaturae.*
23. *Et in procuratore ad lites.*
24. *Procurator cum libera constitutus, cum debeat ex fide agere, tenetur tantum de dolo.*
25. *Mandatarius cum non teneatur de culpa levissima, multo minus tenetur de casu fortuito.*
26. *Praesertim si casum illum praevidere non valuit.*
27. *Dummodo se pro casu etiam fortuito expresse non obligaverit.*
28. *Et nisi culpa sit ad casum ordinata.*
29. *Actio mandati directa non solum competit contra procuratorem, sed etiam contra ejus haeredem.*
30. *Ac etiam contra eum qui procuratorio nomine ea gessit ad quae non extendebatur mandatum.*
31. *Et contra procuratorem qui scripturas et instrumenta sibi tradita restituere recusat.*
32. *Et competit quoque contra tutorem qui alicui mandat explicanda negocia quae ab eo uti tali erant explicanda.*
33. *Si tutor mandet procuratori tam suo quam pupilli nomine, datur contra eum actio tam tutori, quam pupillo.*
34. *Tutori nempe directa et pupillo utilis.*
35. *Praedicta autem actio contra procuratorem non competit quando mandatur id quod est jam factum, sed tantum quando mandatur id quod erat faciendum.*
36. *Neque ubi mandatur id quod non est licitum neque honestum.*
37. *Nec competit contra eum cum quo mandatarius fuit negociatus.*
38. *Si procurator ad exigendum poenes tertium deponat pecunias exactas, illarum domino contra eum qui exegit datur actio mandati, et contra eum poenes quem fuerunt pecuniae depositatae, actio depositi.*
39. *Si procurator ipse dictas pecunias poenes se retineat, eas tamen ad domini creditum ponendo, contra illum non competit actio depositi, sed mandati.*
40. *Ista actio datur pro eo quod interest.*
41. *Cessante interesse cessat etiam actio mandati.*

42. *Interesse consideratur si mandantis intersit tempore quo agit, non vero alio tempore.*

43. *Cessante interesse, quamvis cesset actio mandati, mandatarius tamen in infamiam incurrit, si fuerit in dolo vel negligentia.*

44. *Infamia ratione ruptae fidei irrogatur.*

45. *Quando procuratori obiicitur culpa vel dolus, sive agendo, sive excipiendo, debet ab allegante probari, alias pro procuratore praesumitur.*

46. *Ille habet praesumptionem pro se quod explicaverit actum eo modo quo fuit sibi mandatum.*

1. Ex contractu mandati oritur actio generalis, tam ad favorem mandantis quam ad favorem mandatarii, *L. praeterea*, in illis verbis, *utrique actio nascitur ff mand.*

2. Directa scilicet ad favorem mandantis, contraria vero ad favorem mandatarii, et de utraque fit mentio *in rubr. ff eo tit.*, inscribitur enim *mandati vel e contra*: et expresse notat *Franc. Marc. decis.* 110 *par.* 1 et alii DD. passim.

3. Utraque est civilis, *Decian. cons.* 109 *n.* 94 *lib.* 2; nam cum non reperiantur introductae a praetore, sequitur quod sint de jure civili, quo omnes actiones fuerunt introductae, *L.* 2 *ff deinde ff de orig. jur.*

4. Et utraque est personalis, *L. mandati in princ. cod. de fidejuss.*, *Surd. decis.* 304 *n.* 15.

5. De utraque est separatim et distincte agendum, et primo de directa in hoc capite, mox in sequenti capite de contraria.

6. Directa autem actio mandati est rursus duplex: altera directa, altera utilis.

7. Utilis quidem est, (ut ab hac exordiamur) quae datur mandanti contra mandatarium explicantem actum non ex proprio ipsius mandantis mandato, sed alterius, puta patri ex mandato filii, domino ex mandato servi, mandanti ex mandato sui procuratoris, ut dicit *Placentin. in tract. de varietat. action. lib.* 2 *cap.* 20, et in aliis casibus de quibus meminit *JC. in L. si mandavero § interdum et § si is cui, et in L. si pro se ff mand.*, et forte alibi.

8. Directa vero est quae datur mandanti contra mandatarium ex ejus proprio mandato, *L. si remunerandi § si cui ff mand.*, *Ang. Aret. cons.* 61 *n.* 4 *in fin.*, *Franc. Marc. d. decis.* 110, *Decian. d. cons.* 109 *n.* 94 *lib.* 2, *Pic. ad statut. urbis Gloss.* 2 *n.* 43.

9. Datur autem actio ista contra mandatarium ad effectum ut ostendat se negocia commissa explicasse bona fide; licet enim mandatum datum sit

amplissimum, etiam cum libera administratione, semper tamen censetur datum ut mandatarius bona fide agat, *L. creditor* § *Lucius in fin. ff mand.*

10. Et doceat se adhibuisse circa negocia mandata eam diligentiam quam quilibet homo diligens in propriis negociis et causis est solitus adhibere, *Paris. cons.* 123 *n.* 5 *et* 6 *lib.* 1, *Connan. in commentar. jur. lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 7 *circa princ.*

11. Quod si mandatarius diligenter et bona fide mandatum non exequatur, utique tenetur actione mandati, *Decian. d. cons.* 109 *n.* 94 *lib.* 2.

12. Non solum propter dolum, *L. si procuratorem* 8 § *dolo autem, et L. dolus* 44 *ff mand.*, *Magon. decis. Lucens.* 2 *n.* 5.

13. Quo casu daretur contra illum etiam actio de dolo, *Ceph. cons.* 185 *n.* 37 *lib.* 2.

14. Immo notaretur etiam infamia, § *ex quibusdam instit. de poen. temer. litigant.*

15. Mandatarius tenetur etiam de culpa, *L. a procuratore cod. mand.*, non solum lata, verum etiam levi, *L. si procuratorem* 13 *cod. mandat.*, *L. si procuratorem ad fin. ff eo tit.*, *Dec. in L. contractus n.* 27, et ibi *Cagnol. n.* 30 *ff de regul. jur.*, *Odd. cons.* 75 *n.* 18, *Mastrill. decis.* 177 *n.* 13 *par.* 2, *Gloss. in L. a procuratore cod. mand.*, per rationem quam reddit *Connan. d. n.* 7 *circa princ.*

16. Non tamen tenetur de culpa levissima, *Bald. in L. quae fortuitis n.* 17 *cod. de pignor. act.*, *Soc. Sen. cons.* 149 *n.* 1 *lib.* 1, *Marcabr. cons.* 63 *n.* 2, *Rot. Genuen. decis.* 76 *n.* 8.

17. Et licet *Gloss. in L. in re mandata in verb. exact. et in L. a procuratore in verb. et omnem cod. mand.*, dicat aliquos voluisse mandatarium teneri etiam de culpa levissima, saltem quando mandatum fuit factum gratia mandantis tantum, licet secus quando mandatum fuit factum tam gratia mandantis quam mandatarii:

18. Contraria tamen opinio obtinuit quod neutro casu teneatur de culpa levissima, cum DD. qui hanc conclusionem firmant loquantur etiam quando mandatum fuit factum dumtaxat gratia mandantis, et expresse hoc firmat *Paris. d. cons.* 123 *n.* 4 *lib.* 1.

19. Uno autem vel altero casu fallit ista conclusio, et mandatarius tenetur etiam de culpa levissima: et quidem primo, quando fuisset monitus a mandante, ut uno vel altero modo negocium explicaret, *Mastrill. d. decis.* 177 *n.* 14 *par.* 2.

20. Secundo, quando natura rei super qua mandatum suscepit exigeret exactissimam industriam, juxta *Tex. in L. a procuratore*, et ibi *not. cod. mand.*, *et Dyn. in cap. contractus n.* 3 *de regul. jur. in* 6, *Alex. cons.* 41 *n.* 6 *lib.* 3, quod rursus dicitur *cons.* 52 *n.* 7 *lib.* 6, *Paris. d. cons.* 123 *n.* 5 *lib.* 1.

21. Tertio fallit, quando mandatarius suscepit mandatum tamquam peritus et ratione peritiae quam profitetur, *Rim. Jun. cons.* 441 *n.* 19 *lib.* 4.

22. Potest exemplificari in eo qui suscipit administrationem negocii mercaturae, ut per *Alex. cons.* 47 *n.* 1 *vers. post mortem vero lib.* 1, *Thom. Decc. cons.* 17 *n.* 2 *et* 3.

23. *Bartolus* autem *in L. quod Nerva, quaest.* 9 *n.* 31 *circa med. ff de posit.* exemplificat in procuratore ad lites; iste enim suscipiendo mandatum censetur se asserere peritum in illa peritia quae in judiciis requiritur, ut dicit idem *Bart. in L. eum qui* § *fin. n.* 3 *ff de furt.*, sequitur *Bald. in d. L. quae fortuitis n.* 17 *cod. de pignor. act.*, *et Dec. et Cagnol. in L. contractus ff de reg. jur.*, ille *n.* 27, iste 30.

24. Extra istos casus mandatarius tenetur dumtaxat de dolo et culpa lata et levi, ut supra dictum est, excepto tamen eo qui fuit constitutus cum libera administratione, qui cum ex fide agere debeat tenetur dumtaxat de dolo, *L. creditor* § *Lucius ff. mand.*, *Connan. d. cap.* 14 *n.* 7, et nos dicemus *cap. CIX*, dum nobis sermo erit de procuratore cum libera.

25. Cum itaque mandatarius non teneatur de culpa levissima, consequens est ut multo minus teneatur de casu fortuito, *L. et Aristoni* 39 *ff mand.*, *Rot. Genuen. decis.* 125 *n.* 4, *Connan. d. cap.* 14 *n.* 8 *in fin.*, *Paris. cons.* 47 *n.* 20 *lib.* 1, ubi multos allegat.

26. Maxime si casum illum praevidere non potuit, *Paris. d. cons.* 47 *n.* 18 *et seq.*

27. Dummodo non se obligaverit expresse etiam pro casu fortuito, *d. L. et Aristoni*, *Connan. d. n.* 8 *in fin.*

28. Et nisi culpa sit ordinata ad casum, *Bart. et Salic. in L. si ut certo* § *interdum ff commod.*, *Rim. Jun. cons.* 398 *n.* 20 *lib.* 4, *Alex. Ambrosinus decis. Perusin.* 18 *n. ultimo*, *Caesar Manent. decis. Mantuan.* 53 *n.* 15 *et seq.*

29. Supra firmata autem conclusio, quod contra mandatarium competat actio mandati directa, recipit aliquot extensiones et nonnullas restrictiones. Primo itaque ampliatur, ut competat non solum contra ipsum procuratorem, sed etiam contra ejus haeredem, *L. mandati*, *cod. mand.*, *L. si vero non remunerandi* § *fin.*, *cum legib. seqq. ff eo tit.*, *Rot. Genuen. decis.* 53 *n.* 2, *Magon. decis. florent.* 42 *n.* 3.

30. Secundo ampliatur, ut competat etiam contra eum qui procuratorio nomine gessit ea ad quae mandatum non se extendebat, eo enim casu mandatarius tenetur conservare indemnem mandantem, *Gloss.* et caeteri omnes *in L. diligenter* § 1 *ff mand.*, *et in L.* 1 § *Celsus ff de except. rei vendit.*

31. Tertio ampliatur, ut detur contra procuratorem qui vult retinere scripturas et instrumenta sibi tradita, et recusat restituere, *L. si procura-*

torem in princ. ff deposit., per quem *Tex.* et alia jura *Gratian. discept. forens. cap.* 273 *n.* 33.

32. Quarto ampliatur, ut competat etiam tutori qui alicui mandat explicanda negocia, quae ab ipso tamquam tutore explicanda erant, *L. si procuratorem* § *si tutores ff mand., Specul. in tit. de actor. ab universit. n.* 5 *vers. tutor autem, Ang. Aret. cons.* 29 *n.* 2 *et n.* 3 *vers. secunda responsio.*

33. Si autem tutor mandet procuratori tam suo quam pupilli nomine, tunc datur actio contra procuratorem tam ipsi tutori quam etiam pupillo, *L.* 3 § *apud Marcellum ff de negoc. gest.* per quem *Tex., Aret. d. cons.* 29 *n.* 3 *vers. praeterea ex forma.*

34. Ipsi quidem tutori directa pupillo autem utilis, per ea quae dicta sunt supra *hoc capite post. princ.*

35. Limitatur autem supra firmata conclusio: primo, ut non competat quando mandatur id quod jam factum erat, sed dumtaxat quando mandatur id quod faciendum est, *L. si vero non remunerandi* 12 § *si post creditum ff mand., Connan. d. lib.* 7 *cap.* 14 *n.* 3 *in fin. vers. at neque mandatum simile.*

36. Limitatur secundo, quando mandatur id quod non est honestum nec licitum, *L. si remunerandi* § *rei turpis, L. si vero non remunerandi,* § *si adolescens, L. si mandavero* § *qui Aedem sacram ff mand.*

37. Limitatur tertio, ut non competat contra eum cum quo mandatarius fuit negociatus, *Rot. Genuen. decis.* 187 *n.* 2.

38. Proindeque si procurator ad exigendum, pecunias exactas deponat poenes tertium, domino pecuniarum datur quidem actio mandati contra eum qui exegit, sed contra eum poenes quem pecuniae exactae fuerunt depositatae non datur dicta actio, sed actio depositi, *L.* 1 § *si te rogavero ff deposit.*

39. Secus autem si procurator qui exegit, poenes se pecunias illas retineat, ponendo tamen eas ad creditum domini, quia tunc non actio depositi, sed actio mandati domino competit contra mandatarium, quia debet esse differentia inter deponentem et depositarium, *d. L.* 1 § *quod si rem ff deposit., Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 7 *n.* 3 *et seqq.*

40. Limitatur quarto, quando mandantis non interest; nam actio ista datur pro eo quod interest, *L. ad comparandas cod. mand.*

41. Et ubi cessat interesse cessat etiam actio mandati, quia illa tunc competit cum coepit interesse ejus qui mandavit, et eatenus competit quatenus interest ut dicit ad literam *JC. in L. si procuratorem* § *mandati actio ff mand., Rim. Sen. cons.* 526 *n.* 9 *vers. nam pariformiter lib.* 3.

« Actio mandati cessat revocato ipso mandato, *Rot. decis.* 469 *n.* 1 « *part.* 2 *Recent.*

42. Istud autem interesse considerandum est si mandantis interesit eo tempore quo agit, non autem si alio tempore interfuit, *Gloss. in d. L. ad comparandas cod. mand.*

43. Cessante autem interesse, licet cesset actio mandati, non tamen liberatur mandatarius quominus incurrat in infamiam si fuerit in dolo vel negligentia, *Connan. d. cap.* 14 *n.* 14 *vers. haec ergo culpae.*

44. Nam infamia irrogatur ratione fidei ruptae, *Connan. d. n.* 7 *circa med. vers. quod ut autem semper*, *Surd. decis.* 304 *n.* 13.

45. Quando autem procuratori obijcitur culpa vel dolus sive agendo sive excipiendo, probari debet ab excipiente, alias pro procuratore praesumitur, *L. praetor edixit ff de injur. et famos. libell.* cum aliis apud *Dec. cons.* 562 *n.* 11, *Anton. Monach. decis. Lucens.* 35 *n.* 6.

46. Procurator enim habet praesumptionem pro se, quod explicaverit actum eo modo quo fuit sibi mandatum, *Vant. in tract. de nullitat. in tit. quib. mod. sent. null. reparetur n.* 105 *vers. si ratione ad fin.*, refert *Monach. d. decis.* 35 *n.* 8.

CAPUT C.

DE CONTRARIA ACTIONE MANDATI.

SUMMARIUM

1. *Actio mandati contraria mandatario competit contra mandantem.*
2. *Iste erga mandatarium tenetur non solum de dolo sed etiam de culpa tam lata et levi quam levissima.*
3. *Dicta actio mandatario competit ad repetendum quod de sua bona fide et pro mandati executione pro mandante aut ejus nomine expendit.*
4. *Ac etiam ut conservetur indemnis ab omni damno quod pati posset occasione mandati.*
5. *Acceptato per procuratorem mandato, mandans ad omnia quae continentur in mandato remanet obligatus.*
6. *Mandatario competit praedicta actio contra mandantem, quamvis non expressum sed tantum tacitum praecedat mandatum.*
7. *Et competit haeredibus quoque mandatarii.*
8. *Mandatario competit ad repetendum expensas ab eo factas in exequendo mandato, licet mandans minus expendisset.*

9. *Et competit tam pro sorte quam pro usuris.*
10. *Dummodo mandatarius sit solitus negociari.*
11. *Competit etiam habentibus mandatum a lege.*
12. *Fidejussor habet tale mandatum.*
13. *Et repetit non solum soluta sed damna quoque et interesse, passa occasione fidejussionis.*
14. *Quamvis tale damnum contigerit casu fortuito.*
15. *Potest repetere expensas quamvis succubuerit in causa.*
16. *Immo potest a suo principali petere ut pecunias subministraret pro expensis faciendis.*
17. *Et datur fidejussori dicta actio non solum contra mandantem, sed etiam contra illius haeredes.*
18. *Ac etiam haeredibus ipsius fidejussoris.*
19. *Praedicta actio non datur fidejussori solventi indebitum.*
20. *Unde nec repetit usuras ad quarum solutionem cogi non poterat.*
21. *Dummodo tamen sciverit ab eo solutum fuisse indebitum.*
22. *Quia debuit esse diligens, et debitas exceptiones opponere.*
23. *Neque ei datur si temere litigavit, nam succumbens a principali non repetit expensas.*
24. *Licet principalis promiserit illum absque damno conservare.*
25. *Neque illi datur qui contradicente principali fidejussit.*
26. *Sic quoque solvens pro debitore invito et contradicente ab eo solutum repetere non valet.*
27. *Similiter ei actio praedicta non datur si solvat non vero procuratori ejus pro quo fidejussit, quia non acquirit actionem contra principalem, sed condictionem ob causam contra ipsum procuratorem.*
28. *Per quam ab eo repetat solutum.*
29. *Mandatario non datur actio contra mandantem ad repetendum expensas, si domino sua culpa damnum dedit.*
30. *Nec recuperat damna sibi non contingentia immediate ex mandato, sed ex casu superveniente.*
31. *Dicta pariter actio mandatario non datur, ubi cessat ipsius interesse.*
32. *Cessante interesse, cessat actio mandati.*
33. *Sicuti etiam si ille non servavit fines mandati, et ejus formam non implevit.*
34. *Vel si aliquid solvit ob suam contumaciam.*
35. *Mandans an possit condemnari in expensis propter contumaciam procuratoris.*

36. *Quando non dominus sed procurator condemnari debeat in expensis.*

37. *Sibi imputare debet, qui negligentem et ignarum procuratorem elegit.*

1. Diximus in praecedenti capite quae venerunt in mentem circa actionem mandati directam, sequitur ut videamus in praesenti capite de contraria, quam diximus competere mandatario contra mandantem, *L. si vero non remunerandi* § *contrario et* § *si mihi*, *vers. sed et si*, *L. cum mandato*, *L. qui fide ff mand.*, *L. si litteras cod. eod.*, cum similibus, *Decian. cons.* 109 *n.* 94 *lib.* 2, *Rot. Genuen. decis.* 154 *n.* 1, *et decis.* 178 *n.* 1, et reliqui omnes quos citavimus supra, dum diximus ex mandato oriri duplicem actionem.

« Actio duplex ex eodem negocio nasci potest ad favorem agentis: una « mandati contra eum qui mandavit; altera negociorum gestorum adversus « eos pro quibus absque mandato utile negocium gestum fuit, *Saminiat. « controv.* 27 *n.* 46 *lib.* 1.

« Actio contraria mandati competit mandatario contra mandantem ad « totum id quod interest, *Card. de Luc. de tutor. et administrator. disc.* 16 « *num.* 3.

« Actio negociorum gestorum compatitur cum actione mandati, *Rot. « decis.* 732 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

« Actio mandati est contraria actioni negociorum gestorum, *Rot. de- « cis.* 813 *n.* 26 *par.* 18 *tom.* 2 *Recent.*

« Hujusmodi actio complicata cum actione negociorum gestorum com- « petit agenti, ut pecunias alienas recipiens, de eis rationem reddere teneatur, « *Rot. decis.* 361 *n.* 4 *et* 5 *par.* 16 *Recent.*

« Mandatarius potest agere contra mandantem, si doceat de adimple- « mento mandati, *Rot. decis.* 235 *n.* 5 *par.* 11 *Recent.*

2. Tenetur autem mandans erga mandatarium non solum de dolo, sed etiam de culpa lata et levi, immo etiam de levissima, *L. si servus communis* § *quod vero ad mandati vers. justissime enim*, et ibi *Bart. n.* 2, dicens non reperiri alibi, *ff de furt.*, idem *Bart. in L. quod Nerva, quaest.* 9 *n.* 31 *vers. tu vero sic distingue ff depos.*, *Dec. in L. contractus n.* 27 *in fin. ff de reg. jur.*

3. Competit autem ista actio mandatario, non solum ad repetendum, si quid de suo bona fide et pro executione mandati expendit pro mandante aut ejus nomine, *L. etiam cod. mand. cap. cum pro causa de procur.*, *Decian. cons.* 109 *n.* 94 *lib.* 2, *Paris. cons.* 90 *n.* 38 *lib.* 1; ne contra honestatem afficiatur damno, dum mandatum adimplevit, ut subdit ibi *Paris.* per bona jura.

« An procurator teneatur de proprio ad mercedem notarii pro expedi-
« tionibus et aliis expensis actorum absque promissione, et an super ista
« credatur ipsius notarii libro, disputari solet; atque regula videtur nega-
« tiva ex stylo tribunalis, vel ex aliis circumstantiis limitari solita, *Card.*
« *de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 20.

« Audiri solent quaestiones inter notarios et procuratores vel sollicita-
« tores, an scilicet et quando isti teneantur pro principalibus, et praesertim
« pro absentibus ad solutionem emolumentorum pro expeditionibus, magis
« vero pro registris vel extractibus in quibus quaestiones cadere solent, cum
« pro causarum qualitate notabiles summas importent. Hujusmodi autem
« quaestionum decisio non de facili certam habet regulam generalem, cum
« pendeat a singulorum casuum circumstantiis et a stylo currenti, qui per
« reformationes vel novas provisiones variari solet, *Card. de Luc. in relat.*
« *Rom. Cur. disc.* 47, *n.* 13.

« Solvens pro alio, sive ex mandato debitoris, sive simpliciter, acquirit
« actionem contra debitorem, vel negociorum gestorum, vel contrariam man-
« dati, *Rot. decis.* 55 *n.* 1 *et* 2 *par.* 7 *Recent.*

« Mandans tenetur ad expensas factas per mandatarium, illumque debet
« indemnem servare, *Rot. decis.* 10 *n.* 4, *decis.* 158 *n.* 2, *decis.* 342 *n.* 4
« *par.* 6, *et decis.* 138 *n.* 10 *part.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

« Mandatario qui exequutus fuit mandatum competit actio contraria
« mandati pro pecunia ab eo soluta pro mandante, et pro damno et inte-
« resse, *Rot. decis.* 157 *n.* 3 *par.* 12 *Recent.*

« Amplia etiam si mandatum exequutum fuerit nomine proprio non
« nomine mandantis, *Rot. ibidem n.* 4.

« Declara tamen hoc procedere quando praecedit mandatum speciale,
« *Rot. ibid. n.* 5.

« Quia tali casu censetur actus procuratorio nomine factus, quamvis
« de illo nulla mentio sit facta, *Rot. ibidem n.* 6, et taciturnitas nominis
« mandantis operatur quidem ut contrahens possit agere contra mandata-
« rium, *Rot. ibid. n.* 7, non vero excludit actionem contrariam mandati,
« *Rot. ibid. n.* 8.

« Ad expensas a procuratore factas tenetur principalis, constito de
« mandato, scientia et ratificatione, *Rot. decis.* 327 *n.* 1 *par.* 5 *tom.* 1
« *Recent.*

4. Sed etiam ut conservetur indemnis ab omni damno quod occasione et virtute mandati pati posset, *L. inter causas* § *si cum servus ff mand.*, cum aliis per *Jas. in L. si servus Titii in* 3 *notab. n.* 6 *ff de leg.* 1, refert et sequitur *Paris. cons.* 47 *n.* 21 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 178 *n.* 2.

« Mandatarius debet servari indemnis in eo quod pro mandante fecit,
« *Rot. decis.* 70 *n.* 1 *par.* 6 *Recent.* Illi enim damnosum esse non debet

« quod mandantis nomine gessit, *Rot. ibidem n.* 7, *et decis.* 10 *n.* 5 *par.* 6
« *Recent.*

« Mandatum admittit indemnitatem ad expensas, damna et interesse,
« et specialiter trajectitiae pecuniae ac lucri cessantis, *Rot. decis.* 92 *n.* 2
« *et* 3 *part.* 16 *Recent.*

5. Nam acceptato per procuratorem mandato, mandans remanet obligatus ad omnia quae in mandato continentur, *Bart.*, *Bald.*, *Alex.*, *Mattheus Mathesilanus*, *Jas.*, *Veronens.*, *Felin.*, *et Dec.* in locis a *Paris.* allegatis *d. cons.* 47 *n.* 15.

« Est advertendum, mandantem posse conveniri actione contraria man-
« dati, quamvis mandatum sit datum in gratiam mandatarii et non man-
« dantis, *Rot. decis* 266 *n.* 1 *par.* 8 *Recent.*

« Mandans enim licet det mandatum gratia mandatarii vel aliena, at-
« tamen remanet obligatus nomine proprio, *Rot. ibid. n.* 8.

« Sicuti mandans nomine proprio tantum remanet solus obligatus,
« *Rot. ibid. n.* 6.

« Dicitur autem mandari nomine proprio quando in mandato nulla fit
« mentio alterius personae et res est dubia, *Rot. ibid. n.* 9.

« Licet secus sit quando mandans habet mandatum a domino, quia
« tunc non est necessaria dicta mentio, si tamen constet de mandato do-
« mini cujus probatio spectat ad procuratorem, *Rot. ibid. n.* 10 *et seqq.*

« Item est advertendum mandantes plures teneri in solidum, inspecto
« jure antiquo, *Rot. decis.* 237 *n.* 6 *par.* 8 *Recent.* De jure autem novo
« censentur obligati tantum pro virili, nisi actum fuerit ut teneantur in so-
« lidum, *Rot. ibid. n.* 7.

6. Ista quoque conclusio principalis debet nonnullis modis ampliari et aliis limitari. Ampliatur autem primo, ut mandatario competat actio contra mandantem, etiam si non praecedat mandatum expressum, sed dumtaxat tacitum, ex eo quod sciverit et passus fuerit negocia sua per illum peragi, *L. qui patitur ff mand.*, *Rim. Sen. cons.* 526 *n.* 9 *lib.* 3.

« Quamvis autem actio mandati contraria non competat dum non
« praecessit mandatum, *Rot. decis.* 222 *n.* 11 *part.* 6 *Recent.*, sufficit ta-
« men mandatum tacitum vel praesumptum, quamvis a lege vel statuto
« expresse requiratur, *Rot. ibid. n.* 12 *et* 13. Est enim inverisimile quod
« alter pro altero irrequisitus se obligare voluerit, praesertim aliis admi-
« niculis concurrentibus, *Rot. ibid. n.* 16.

7. Ampliatur secundo, ut ista actio competat haeredibus mandatarii, *L. haeredem in princ. ff mand.*, ubi *JC.* respondit non esse dubium quod haeres fidejussoris habeat actionem mandati.

8. Ampliatur tertio, ut mandatarius detur actio contra mandantem ad

repetendum expensas ab eo factas in exequendo mandato, etiam si mandans minus expendisset, *L. si quis alicui § impendia*, *L. si vero non remunerandi § si mihi ff mand.*

9. Ampliatur quarto, ut actio praefata competat non solum pro sorte sed etiam pro usuris, *L.* 1 *cod. mand.*, *d. L. si vero non remunerandi § si mihi mandaveris ff eod. tit.*

10. Quod tamen intellige, si iste mandatarius erat solitus negotiari, *L. qui semisses § fin. ff de usur.*, per quem *Tex. Placent. in tract. de varietat. action. lib.* 2 *cap.* 20 *circa fin.*, est similis *Tex. in L. at qui natura § non tantum ff de negoc gest.*

11. Ampliatur quinto, in iis qui habent mandatum a lege, de quibus dictum fuit supra *cap. III.*

« Hinc actio mandati contraria datur socio tamquam fidejussori, ad « repetendum a consociis id quod solvit, et ad indemnitatem consequendam, « *Rot. decis.* 168 *n.* 3 *par.* 15 *Recent.*

12. Nam et hi, si quid expendant utiliter pro eorum principali, repetunt ab eo hac actione ut de fidejussore, quem habere simile mandatum diximus *d. cap. III.*

13. Quod scilicet repetat non solum soluta, § *si quid autem instit. de fidejussor.*, *L. indebitum ff de cond. indeb.*, *Soc. Jun. cons.* 131 *n.* 19 *lib.* 3, *Bec. cons.* 57 *n.* 2 *lib.* 1, sed etiam damna et interesse passa occasione fidejussionis factae, subjungit ibi *Bec. d. n.* 2 *ex Bald. et Abb.*, quos allegat *Bertaz. de clausul. instrum. clausul.* 43 *Gloss.* 1 *n.* 1.

14. Etiam si tale damnum contigerit casu fortuito, *Abb. cons.* 60 *n.* 1 *et* 4 *lib.* . . . , *Marsil. in rubr. de fidejussor. quaest.* 26 *n.* 193 *vers. et subdit quod principalis*, *Bec. d. cons.* 57 *n.* 3.

15. Haec tamen quinta ampliatio est subamplianda, ut fidejussor possit repetere expensas etiam si succubuerit in causa, *Bart. in L. exceptione in fin. n.* 10 *ff de fidejuss.*, sequitur *Marsil. d. n.* 193 *circa fin.*

16. Immo, ut subdit ibi *Bart.* et sequitur *Marsil.*, poterit fidejussor repetere a suo principali pro quo fidejussit, ut sibi subministret et praestet pecunias pro expensis faciendis, quia illius negocium gerit, *L. si vero non remunerandi § fin. ff mand.*

17. Subampliatur secundo, ut actio dicta detur fidejussori non solum contra mandantem, sed etiam contra illius haeredes, *L.* 2 *cod. mand.*

18. Nec non etiam ejus haeredibus, ut est dictum supra in secunda ampliatione *n.* 7.

19. Restringitur etiam haec quinta ampliatio principalis, ut fidejussori non detur actio contra suum principalem, primo, si solvat indebitum; nam ad id ejus mandatum non extenditur, *Honded. cons.* 17 *n.* 2 *lib.* 2.

20. Et proinde non recuperat usuras ad quarum solutionem cogi non poterat, *Bec. in L. quod quis ex culpa n.* 3, et ibi *Cagnol.* similiter *n.* 3 *ff de reg. jur.*;

21. Si tamen sciebat id quod solvit esse indebitum, *L. si fidejussor in princ. et* § 1 *et* 2 *ff mand.*

22. Tunc enim debuit esse diligens et opponere debitas exceptiones, ut post *Abb. d. cons.* 60 *n.* . . . , *et cons.* 83 *conditor omnium circa fin. lib.* . . . , dicit *Marsil. d. n.* 193 *vers. praedicta tamen*, *Honded. d. cons.* 17 *n.* 4 *et* 12 *lib.* 2.

23. Restringe secundo, si temere litigavit; quia tunc si succumbat non potest a principali suo expensas repetere, quia debebat solvere et non temere litigare, *Paris. cons.* 104 *n.* 1 *et seqq. lib.* 3.

24. Licet mandans promiserit illum absque damno conservare, quia ista promissio intelligitur respectu damnorum et interesse, quae absque sua culpa patitur, *cap. pervenit*, *et cap. constitutus*, et ibi *DD. extr. de fidejuss.*, *Paris. d. cons.* 104 *n.* 11 *et seq. lib.* 3, benefacit *Bart. in L. jam tamen* § *in hac el.* 2 *n.* 2 *vers.* « *si vero habebat mandatum ad solvendum, tunc siquidem* » *ff judic. solut.*

25. Restringe tertio, si fidejussit contradicente principali, nam eo casu, si solvat, ab omni actione excluditur, *L. si pro te*, *L. si remunerandi* § *si passus vers. et nisi*, *L. qui fide ff mand.*

26. Prout si quis solvat pro debitore invito et contradicente, non potest ab eo repetere solutum, *Gloss. in L. Sisticum* § *fin. ff de novat.*, quam sequitur *Bart. in L. solvendo n.* 2 *vers. sed contra hoc ff de negoc. gest.*, reprobata *Gloss. ibi in verb. liberatur*, quae contrarium dicit, et pro *Bart.* est *Tex. in L. si pro te ff mand.*, et cum eo transit ibi *Paul. de Castr. n.* 1, rejecta distinctione *Bald. et Angel. n.* 12 *in fin.* qui testatur de communi.

27. Restringe quarto, si solvat non vero procuratori ejus pro quo fidejussit, qui non acquirit actionem contra principalem suum pro quo solvit, sed condictionem ob causam contra procuratorem recipientem, *L. inter causas* § *mandato tuo ff mand.*

28. Per quam repetet quod solvit, ut dicit ibi *Gloss. per Tex. in L. si procuratori ff de cond. caus. dat.*, et probat *Tex. in L. si procurator* § *idem Labeo ff de condict. indeb.*

29. Debet etiam principalis conclusio nonnullis modis limitari, et primo: ut mandatario non detur actio contra mandantem ad repetendum expensas, si dedit damnum domino culpa sua, *Gloss. in L. sive haereditaria in verb. sed ita ff de negoc. gest.*, *Bart. in L. jam tamen* § *in hac el.* 2 *n.* 2 *vers.* « *si vero habebat mandatum ad solvendum, tunc siquidem* » *ff judic. solu.*,

qui loquitur de procuratore, qui suscepit litem injustam calumniose et evidenter, *Alex. de Naev. cons.* 85 *n.* 15.

30. Limitatur secundo, ut non recuperet damna quae sibi contingerent non immediate ex mandato, sed ex casu superveniente, *L. inter causas* § *non omnia ff mand.*

31. Limitatur tertio, ubi cessat interesse mandatarii ipsius, et ei nihil obest, *Rim. Sen. cons.* 526 *n.* 9 *lib.* 3.

32. Nam ubi cessat interesse, cessat actio mandati, ut diximus *cap. praecedenti in quarta limitat. n.* 41.

33. Limitatur quarto, si iste mandatarius non servavit fines mandati et ejus formam non implevit, *Rot. Genuen. decis.* 174 *n.* 6 *et* 7, *arg. Tex. in L.* 1 § *igitur ff de exercitor. act.*

« Denegatur mandatario actio mandati, ubi ille rem minus utiliter « gessit, vel excessit fines mandati, *Rot. decis.* 158 *n.* 4 *par.* 6 *Recent.*

34. Limitatur quinto, si mandatarius aliquid solvit ob suam contumaciam, *L. qui proprio* § *procurator vers. poenam ff de procur.*, sui enim facti poenam meretur, ut dicit *JC. in L. si communis familia ff de noxal. act.*, *L. inter cohaeredes* § *quod ex facto ff fam. haerciscund.*, *Dec. in L. quod quis ex culpa n.* 1 *ff de regul. jur.*

35. An autem mandans possit condemnari in expensis propter contumaciam procuratoris allegat pro utraque parte, *Asin. in sua prax. judic.* § 32 *cap.* 34, ubi finaliter videtur transire cum distinctione, *Andr. Barbat. in cap.* 1 *n.* 77 *et seq. extr. ut lit. non contest.*

36. Quod aut dominus constituens, constituit procuratorem eum qui communi reputatione diligens habebatur, et eo casu debeat condemnari in expensis non dominus sed procurator.

37. Aut vero eum in procuratorem elegit de quo talis communis opinio diligentiae non habebatur, et eo casu debeat condemnari non procurator sed dominus; sibi enim debet imputare qui negligentiam et ignarum procuratorem elegit. Vide quae diximus *capite LV contumacia, et negligentia procuratoris an noceat domino.*

CAPUT CI.

DE EXCEPTIONE MANDATI.

SUMMARIUM

1. *Nemo cogitur litigare vel negociari cum procuratore non habente mandatum, vel inefficax ac insufficiens habente.*

2. *Nemo in judicio pro alio admittitur nisi legitime comparat.*
3. *Paria sunt non habere mandatum vel habere insufficiens, et non se extendens ad actum quem gerit.*
4. *Processus fabricatus cum comparente pro alio in judicio non legitime, est ipso jure nullus.*
5. *Hinc inolevit praxis contra comparentem in judicio pro alio de mandato illiusque defectu excipiendi.*
6. *Et parte id negligente, potest judex opponere ex officio, ne judicium reddatur elusorium.*
7. *Judex summa ope niti debet ut acta et processus coram eo fabricatus sit validus.*
8. *Mandati defectus est adeo potens, ut illius exceptio non censeatur rejecta a statuto rejiciente quascumque exceptiones.*
9. *Cum respiciat defectum consensus et inhabilitatis personae comparentis, reddit judicium retro nullum.*
10. *Et est insanabilis.*
11. *Ita ut nec signatura soleat illum sanare etiam refectis expensis.*
12. *Est major quam defectus juris agentis.*
13. *Talis autem exceptio debet opponi in specie, nec sufficit generalis exceptio nullitatis actorum.*
14. *Et cum sit tantum dilatoria ad impediendum processum, videtur ante litis contestationem opponenda.*
15. *Procurator per litis contestationem efficitur dominus litis.*
16. *Ideoque talis defectus et exceptio per ipsam extinguitur.*
17. *Contra quod hujusmodi exceptio quandocumque opponi valeat.*
18. *Triplex competit exceptio contra procuratorem.*
19. *Prima, quod nempe non habeat mandatum, potest semper opponi.*
20. *Secunda, quod scilicet non caverit de rato, ante litis contestationem est opponenda.*
21. *Tertia, videlicet impotentia comparendi pro alio in judicio ex triplici fonte oriri potest, nempe:*
22. *Ex jure naturali vel civili aliquem inhabilitante ad comparendum uti procuratorem.*
23. *Ope exceptionis.*
24. *Et ex natura causae.*
25. *Si quis tantum ope exceptionis repellatur a procuratoris officio, ista exceptio ante litis contestationem est opponenda, alias processus cum eo fabricatus est validus.*
26. *Si vero ipso jure vel ex natura causae sit inhabilis, processus est ipso jure nullus, et exceptio quandocumque potest opponi.*

27. *Et non solum post conclusum in causa;*
28. *Sed etiam post sententiam.*
29. *Distinctio* Hostiensis in cap. quod sicut de elect.
30. *Reprehenditur.*
31. *Salvatur cum altera superius allata distinctione.*
32. *Exceptio post sententiam non potest opponi quando ista transivit in rem judicatam.*
33. *Secus si ab ea fuerit appellatum. tunc enim potest opponi etiam in gradu appellationis.*
34. *Immo in executione quoque sententiae.*
35. *Praedicta pariter exceptio, cum sit rigorosa et de apicibus juris, non admittitur post sententiam, quando proceditur sola facti veritate inspecta.*
36. *Contra, quod talis exceptio non sit de juris apicibus.*
37. *Quomodo id sit intelligendum.*
38. *Facta oppositione de nullitate mandati, dum de hac disputatur cessat cursus instantiae causae principalis.*
39. *Dum disputatur da aliquo emergenti, non currit instantia negocii principalis.*
40. *Dummodo ex probabili causa fuerit coepta disputatio super emergenti.*
41. *Quod cognoscitur ex litis eventu.*
42. *Qui litigavit cum aliquo uti adversarii procuratore, si ante litis contestationem non excepit de mandato, quod postea de illo nequeat excipere.*
43. *Praesertim si fuit ille uti procurator citatus.*
44. *Contraria refertur sententia.*
45. *Quae saltem procedit ubi dicta exceptio per viam abnegationis opponitur.*
46. *Admissio in procuratorem non spectat ad adversarium, sed ad constituentem.*
47. *Praedictae opiniones conciliantur.*
48. *Conciliationes opinionum sequuntur.*
49. *Si opponatur dicta exceptio mandati onus probandi negativam spectat ad excipientem.*
50. *Secus si opponatur ab initio, tunc enim asserens procurator se debet talem probare.*
51. *Opposita mandati exceptione, tenetur asserens procurator suum exhibere mandatum, alias totus processus cum omnibus inde sequutis esset nullus.*
52. *Si comparens habeat mandatum, sed inefficax et minus legiti-*

mum, et pars adversa non opponat, videtur tacite illud approbare.

53. *Et censetur renunciasse huic exceptioni.*

54. *Facta oppositione mandati, an judicium cum asserto procuratore prosequi valeat, postquam judex pronunciavit expresse super legitimitate ejus personae, vel tacite decernendo processum ad ulteriora.*

1. Vidimus abunde de constitutione et potestate procuratorum. Verum quia nemo cogitur litigare vel negociari cum procuratore non habente mandatum, vel habente inefficax et insufficiens, *L. jusjurandum quod ex conventione § fin. ff de jurejur.*, *L.* 1 § *quod si vers. et quidem ff quod cujusq. universit. nom.*, cum aliis relatis *a Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 16 *in princ.:*

2. Et nemo admittitur in judicio pro alio nisi legitime comparat, *Osasch.*, qui multos allegat, *decis. Pedem.* 1 *n.* 35 *et seq.*

« Quilibet procurator comparens in actis tenetur docere de legitimo « mandato procurae, alias, parte opponente non potest audiri, *Ridolphin.* « *in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 38.

3. Quia paria sunt non habere mandatum vel habere insufficiens et non se extendens ad actum quem gerit, *Bald. in L. licet in princ. n. . . .*, quem ibi caeteri communiter sequuntur, *cod. de procur.*, cum aliis apud *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 74 *et* 121.

« Pro eo quod attinet ad insufficientiam mandati potest adnotari, quod « juramentum extensum a notario et in mandato procurae non contentum, « non suffragatur, *Rot. decis.* 21 *n.* 22 *par.* 19 *tom.* 1 *Recent.*

« Similiter notari potest, quod in Hispaniis mandatum procurae non « admittitur nisi fuerit subscriptum ab advocato declarante esse sufficiens, « *Rot. decis.* 320 *n.* 35 *par.* 10 *Recent.*

4. In tantum ut processus fabricatus cum eo qui non potest pro alio in judicio comparere legitime, est ipso jure nullus, *Vant. ibidem n.* 73 *vers. necesse est ergo.*

5. Hinc inolevit practica ut contra comparentem pro alio in judicio excipiatur de mandato et illius defectu, *Ruin. cons.* 129 *n.* 11 *lib.* 5, *Anton. Monach. decis. Bonon.* 13 *n.* 104, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 264 *n.* 1.

« Si tamen non fiat oppositio mandati, censetur procurator a parte « approbatus, licet non constet de mandato procurae, *Ridolphin. in prax.* « *par.* 1 *cap.* 2 *n.* 182.

« Quamvis in causis summariis non requiratur de jure personarum « legitimatio, attamen id forsan procedere potest parte non opponente; « quoniam si pars defectum legitimationis et mandati opponat, tunc etiam « in summariis judiciis ante omnia personarum comparentium legitimatio « requiritur, ut bene distinguunt *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 5 *n.* 25 « *et* 33, *Post. resolut.* 68 *n.* 75, cum aliis adductis per *Saminiat. controv.* 82 « *n.* 28 *lib.* 1.

« Procurator sine mandato admittitur parte non opponente, *Thomat.* « *decis.* 117 *n.* 12 *par.* 1.

6. Et si pars in hoc fuerit negligens potest ipse judex ex officio illam opponere ne judicium reddatur elusorium, *Gloss. in cap.* 1 *in verb. impugnat de elect. lib.* 6, *Aret. in L. licet in fin. cod. de procur.*, *Amat. decis. March.* 21 *n.* 78 *et seq.*, *Anton. Monach. d. decis. Bonon.* 13 *n.* 105.

« Judex etiam post litem contestatam poterit cogere ex officio citatum « uti procuratorem ad docendum de legitimo mandato procurae, vel ca- « vendum de rato antequam ad ulteriora in causa procedatur, si de man- « dato dubitatur, ne alias, citato procuratore non existente, frustratorie « laboraret, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 2 *n.* 191, et adnotatur etiam « *sub. n.* 43.

7. Debet enim judex summa ope niti ut acta et processus coram eo fabricatus sit validus, *cap. causam quae*, et ibi *not. extr. de judic.*, *Capic. decis.* 1 *n.* 12 *vers. an autem*, *Paseth. cons.* 78 *n.* 12, *Ant. Monach. d. decis.* 13 *n.* 105, *Amat. d. decis. March.* 21 *n.* 79.

8. Nam defectus mandati comparentis est adeo magnus et potens ut illius exceptio non censeatur rejecta a statuto rejiciente quascumque exceptiones, *Bald. in L. Divus n.* . . . *cod. de inoff. testam.*, et ejus auctoritate *Asin. in sua prax.* § 31 *cap.* 32 *n.* 4.

« Quamvis in Romana Curia nimium commendabiliter resecatae sint illae « omnes nullitates quae ex legum superstitiosa subtilitate super judiciali « ordine manant, cum restrictione ad tres tantum substantiales, attamen « nullitatis species quae resultat ex defectu mandati inter dictas tres re- « censetur, una enim est jurisdictionis, altera citationis, et altera mandati, « *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 2.

« Statutum simpliciter prohibens opponi nullitates, non habet locum in « nullitatibus ex defectu jurisdictionis, citationis et mandati, atque etiam « in resultantibus ex dispositione alterius statuti et in nullitate notoria, « *Conciol. ad Statut. Eugub. L.* 3 *rubr.* 7 *n.* 3.

9. Et cum respiciat defectum consensus et inhabilitatis personae comparentis reddit judicium retro nullum, *DD. in d. L. licet cod. de procur.*, et signanter *Bart. n.* 1, *Bald. n.* . . ., et alii, idem *Bart. in L. Pomponius* § *ratihabitio n.* 1 *ff eo tit.*, *Sim. de Praet. cons.* 77 *n.* 8 *lib.* 1.

10. Et est insanabilis, *Vant. ubi supra n.* 60, post alios quos allegat *Eugen. cons.* 39 *n.* 30 *lib.* 2.

11. Adeo ut nec etiam *signatura* soleat illam sanare, etiam refectis expensis, *Joan. Staphileus de liter. grat. et justit. fol. mihi* 246, *Gomes in compend. utriusq. signat. n.* 72.

12. Est enim major quam defectus juris agentis, *Gloss. in L.* 1 § 1 *in verb. his personis circa fin. ff qui satisd. cogan.*, post quam et alios, *Rim. Jun. cons.* 615 *n.* 26 *lib.* 6.

13. Ista autem exceptio debet opponi in specie, nec sufficit quod opponatur de nullitate actorum et agendorum, ista enim generalis exceptio nullitatis non comprehendit nullitatem ex defectu mandati, ut resolvit, *Rot. coram Coccin. decis.* 28. *n.* 4.

14. Et cum ista exceptio sit dilatoria dumtaxat ad impediendum processum, videtur quod opponenda sit ante litis contestationem, *cap.* 1, et ibi *Abb. n.* . . . et alii, et signanter *Beroius n.* 31 *extr. de accus.*

15. Nam cum procurator per litis contestationem efficiatur dominus litis, ut diximus *cap. LVIII de procuratore domino litis effecto:*

16. Defectus iste, et hujusmodi exceptio extinguitur, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 135 *vers. exceptio.*

17. Verum quia plerique affirmant hanc exceptionem posse quandocumque opponi;

18. Pro resolutione hujus difficultatis notandum est, quod contra procuratorem triplex potest opponi exceptio, uti distinguit *Bald. in d. L. licet n.* 5 *cod. de procur.* Prima est quod non habeat mandatum; secunda, quod non caverit de rato; tertia, quod non possit esse procurator.

19. Prima exceptio potest quandocumque opponi, *d. L. licet*, quoniam ob defectum mandati redditur judicium nullum cum deficiat una persona de substantialibus illius, de quibus in *cap. forus extr. de verbor. signific.*, *Bald. in d. L. licet n.* 5.

20. Secunda exceptio debet opponi ante litis contestationem, *L. Pomponius* § *rati ff de procur.*, *Bald. in d. L. licet n.* 5 *vers. tertia*, nisi compareat post litem contestatam, ut *in L.* 2, et ibi *Gloss. cod. de consort. ejusd. litis*, et subdit *Bald. d. vers. tertia*, et nos diximus *cap. LXIV de satisdatione praestanda a procuratore ad lites.*

21. Circa tertiam exceptionem sciendum est, quod inhabilitas et impotentia comparendi in judicio alieno nomine, potest ex triplici fonte oriri.

22. Primo quidem ex ipso jure naturali vel civili poenitus inhabilitante vel resistente potentiae comparendi procuratorio nomine, ut in servo, infante, furioso et his similibus, de quibus diximus supra *capitè XXII de iis qui procuratores constitui possunt.*

23. Secundo, ope exceptionis quis est inhabilis, ut est miles, clericus, foemina, et his similes, de quibus dictum fuit *d. cap. XXII.*

24. Tertio, ex natura causae; ut in causa publici judicii, in qua quando quis comparet tamquam unus de populo debet per semetipsum causam agere, nec admittitur procurator, *L. licet in princ. de procur.*, *L. qui populari in princ. ff de popular. action.*, unde poterit opponi quandocumque.

25. Quamobrem si procurator est de his qui repelluntur ab officio procuratoris non ipso jure nec ex natura causae, sed ope exceptionis, ista exceptio debet opponi in principio et ante litis contestationem, alias judicium et processus cum eo fabricatus tenebit et valebit, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 134.

« Mandati ad lites defectus, si non fuit in causa oppositus, non potest « amplius post latam sententiam opponi, *Rota decis.* 195 *n.* 5 *par.* 4 *tom.* 2 « *Recent.*

26. Si autem sit de iis qui sunt inhabiles ipso jure vel ex natura causae, processus est ipso jure nullus ab initio, et potest quandocumque ista exceptio opponi, *Alex. in L. ita demum n.* 3 *cod. de procur.*, *et cons.* 191 *n.* 6 *lib.* 1, *DD. in d. L. licet*, et signanter *Bald. n.* 4 *et* 5, *Aret. n.* 4 *vers. nunc*, *opponi potest*, *et Jas. n.* 7 *et* 8, *Vant. in d. tit. n.* 58 *vers. transeamus et n.* 125, *Eugen. cons.* 39 *n.* 28 *lib.* 2, *Asin. in sua prax.* § 2 *cap.* 2 *n.* 10, *et limit.* 8, *Galles. de oblig. Camer. quaest.* 3 *n.* 61, *Andr. Gayl. practic. observat. lib.* 1 *observat.* 47 *n.* 2, *Jacob Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 10 *circa med.*, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 264 *num.* 1.

27. Ita ut opponi possit non solum post conclusum in causa, *Alex. cons.* 72 *sub n.* 3 *lib.* 4, *et cons.* 147 *n.* 4 *lib.* 6, *Decian. cons.* 18 *n.* 3 *lib.* 1, *Jas. in d. L. licet n.* 2 *cod. de procur.*, *Paseth. cons.* 46 *n.* 4 *et cons.* 62 *n.* 7, *Sim. de Praet. cons.* 177 *n.* 8 *lib.* 1:

28. Sed etiam post sententiam, *L. ita demum*, et ibi *Alex. n.* 3 *de procur. et cons.* 147 *n.* 4 *lib.* 6, *Vant. d. tract. in tit. quib. mod. senten. null. repar. n.* 57, *Asin. in d. sua prax.* § 13 *cap.* 2 *limit.* 8 *n.* 2, *Jacob Laurent. d. cap.* 6 *n.* 8 *post princ.*, ubi allegat *Vivium* de communi testantem.

29. Et licet in hoc ultimo *Hostiensis in cap. quod sicut n. . . . extr. de elect.*, dicat esse ponderanda verba exceptionis, quae si sonent quod comparens non est procurator et quod falso tamquam talis compareat, et hoc casu dicta exceptio non possit opponi, nec debeat admitti post sententiam; si autem sonent quod non debeat admitti, quia ejus mandatum sit revocatum, et possit opponi quandoeumque etiam post sententiam, et hanc distinctionem videatur

amplecti etiam *Gloss. in cap. in nostra circa finem extr. de procur.*, et sequatur *Beroius in cap. ex parte Decani in fin. extr. de rescr.:*

30. Illam tamen repraehendit *Abb. in d. cap. in nostra n. . . . extr. de procur.*

31. Sed salvari posset, ut procedat juxta distinctionem quam supra fecimus, de inhabilitate ipso jure, vel ope exceptionis, ut quando comparens est inhabilis ipso jure, hujusmodi exceptio possit opponi etiam post sententiam; si autem inhabilitas provenit ope exceptionis, debeat opponi ante litis contestationem, ut supra dictum fuit.

32. Illa autem conclusio, quod exceptio possit opponi post sententiam, debet restringi ut non procedat si sententia transivit in rem judicatam; nam non posset impugnari sub praetextu quod procurator comparens non haberet legitimum mandatum, *Burs. cons.* 242 *n.* 12 *lib.* 3, *Bertaz. cons. crimin.* 260 *n.* 13 *lib.* 2.

33. Si autem ab ea fuit appellatum, ita ut in judicatum non transierit, poterit etiam in gradu appellationis opponi, *Paseth. d. cons.* 46 *n.* 4, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 63 *ad fin.*

34. Immo etiam in executione sententiae, *Jas.* post alios *in d. L. licet n.* 2 *cod. de proc.*

35. Secundo restringitur, ubi proceditur sola facti veritate inspecta; nam tunc ista exceptio tamquam rigorosa et de apicibus juris non esset post sententiam admittenda, *Rim. Jun. cons.* 666 *n.* 3 *lib.* 6, *Burs. cons.* 129 *n.* 19 *lib.* 2, *Asin. in sua prax.* § 3 *cap.* 13 *n.* 12 *et seq.*

36. Haec tamen secunda restrictio, vel non debet recipi, quia non videtur verum quod ista exceptio sit de apicibus juris, cum contrarium probetur per *Tex. in cap. in nostra*, et ibi notant *Interpretes extr. de procur.*, et deducit *Sim. de Praet. cons.* 177 *n.* 19 *lib.* 1;

37. Vel debet intelligi non simpliciter et indistincte, sed dumtaxat post quam parti fuit jus quaesitum per oppositionem, vel aliter, *Rim. Jun. d. cons.* 666 *n.* 29 *ad fin. et n.* 30.

38. Facta autem oppositione de nullitate mandati, dum de hac disputatur, cessat cursus instantiae causae principalis, *Bald. in L. contra majores col. fin. n. . . . cod. de inoff. testam.*, post quem et alios, *Asin. in d. prax.* § 2 *cap.* 11 *n.* 3.

39. Regulare enim est, quod dum disputatur de aliquo emergente non currat instantia negocii principalis, *Beroius cons.* 36 *n.* 2 *et seq.*, *et cons.* 115 *n.* 3 *lib.* 3, *Emilian. cons.* 62 *n.* 1, *Alex. cons.* 42 *n.* 72 *lib.* 3, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 10 *n.* 40 *et seq.*, *Catelian. Cotta memorab. lib.* 1, *in verb. instantia ad med.*, *Odd. de restit. in integr. quaest.* 71 *n.* 11, *Honded. cons.* 27 *n.* 38 *lib.* 1, *Asinius in sua prax.* § 1 *cap. . . . n.* 3,

et seq., *Bald. in auth. ei qui in princ. n. . . cod. de tempor. appellat.*, *Curt. Jun. cons.* 312 *n.* 30 *lib.* 3.

40. Dummodo ex probabili causa fuerit coepta disputatio super emergenti, *Tiraq. d. Gloss.* 10 *n.* 42.

41. Quod ex eventu litis cognosci dicit *Tiraq. eod. tract.* § 4 *Gloss.* 3 *n.* 1, quod voluit *Rot.* etiam *decis.* 102 *quae est* 15 *de appell. in nov. ad fin.*, et declarat *Franch. in cap. ex ratione n.* 47 *et seqq. extr. de appellat.*, *Alex. cons.* 42 *n.* 12 *lib.* 3, *Jas. cons.* 35 *sub n.* 2 *vers. ad idem et quinto lib.* 1.

42. Caeterum circa hanc exceptionem dubitant DD: an is qui cum aliquo litigavit tamquam cum procuratore adversarii, si ante litis contestationem de mandato non excepit, possit postea excipere: In qua dubitatione partem negativam videtur amplexus *Alex. cons.* 72 *n.* 2 *et seqq. lib.* 4, *Paseth. cons.* 46 *n.* 4, *Thom. Trivis. dec.* 68 *n.* 3 *lib.* 1, *Rot. decis.* 105 *n.* 5 *et* 6 *part.* 1 *divers.*

« Contestans litem cum aliquo uti procuratore, non potest deinde op-
« ponere quod non sit procurator, vel non possit agere, *Ridolphin. in prax.*
« *part.* 1 *cap.* 5 *n.* 38.

« Procurator semel approbatus non potest impugnari, *Palma Nepos*
« *decis.* 38 *n.* 4 *lib.* 1.

43. Et maxime contra eum qui fuit citatus tamquam procurator; nam per dictam citationem videtur approbatus tamquam verus et legitimus procurator, *Paul. de Castr. cons.* 12 *in princ. lib.* 1, late *Felin. in cap. cum inter sub n.* 11 *vers. unde generaliter extr. de except.*, quos et alios refert *Rot. coram Coccin. decis.* 65 *n.* 3.

« Si quis citaverit aliquem simpliciter uti alterius procuratorem, vide-
« tur ex hoc illius personam approbasse, et ob id non poterit amplius sic
« approbans contra eum opponere defectum mandati procurae, et praeser-
« tim si agatur de substinenda sententia jam lata pro valida contra appro-
« bantem, et eo magis si aliae conjecturae pro mandato concurrant, *Ridol-*
« *phin. in prax. part.* 1 *cap.* 2 *n.* 188 *et seq.*

« Sed hoc, primo, non procedit, quando quis fuit citatus uti praetensus
« vel assertus procurator, ut solent facere practici. Secundo, non procedit,
« quando citatus esset approbatus a procuratore. Tertio, non procedit, quando
« in actis constaret de minus legitimo mandato procurae, *Ridolphin. ibid.*
« *n.* 190. Quarto, denique non procedit, quoad judicem qui etiam post litem
« contestatam poterit cogere ex officio citatum uti procuratorem, ad do-
« cendum de legitimo mandato procurae, vel cavendum de rato antequam
« ad ulteriora in causa procedatur, si de mandato dubitatur, ne alias, citato
« procuratore non existente, frustratorie laboret, *idem Ridolphin. ibid. n.* 191.

« Procurator, qui uti talis semel fuit approbatus, amplius reprobari « non potest, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 45 « *n.* 9 *tom.* 1.

« Sicuti etiam quis non potest pro re sibi favorabili aliquem habere « pro procuratore legitimo, et in contrariis in eadem re facultates procu- « ratoris intervertere, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 « *decis.* 47 *n.* 8 *tom.* 1.

« Licet in pluribus actis cum aliquo uti procuratore gestis, quis illum « procuratorem assertum nominaverit, attamen si eodem tempore cum ipso « ea expleverit quae nonnisi cum vero procuratore compleri quaeunt, fru- « stra adhibetur talis praeservativa utpote contraria facto, *Rot. in Mantiss.* « *ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 46 *n.* 33 *tom.* 1.

« De mandati procurae defectu dari non potest exceptio si quis eumdem « procuratorem uti talem citaverit, *Rot. decis.* 78 *n.* 10 *par.* 7 *Recent.*

« Et sic contrahens agnoscens aliquem in procuratorem, nulla ratiha- « bitione conventa, non potest exinde illius personam impugnare et man- « dati defectum objicere, *Rot. decis.* 59 *n.* 12 *par.* 14 *Recent.*

44. Contraria tamen sententia videtur probari per *Tex. in L.* 2 *cod. de eo qui pro tutor., et in L. qui neque cod. qui dar. tutor. poss., et in L. non dubium cod. de tutor.*, et illam amplexi sunt *Bellamer. decis.* 650, *Paris. cons.* 52 *n.* 13 *lib.* 3, *Surd. decis.* 104 *n.* 11 *et* 12, *et decis.* 108 *n.* 12 *et* 13, *Bertaz. cons. crimin.* 260 *n.* 5 *lib.* 2, *Laderch. cons.* 12 *n.* 2, *Rot. decis.* 169 *n.* 3 *par.* 2 *Recent., Addent. ad Gregor. XV decis.* 280 *n.* 11, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 121 *vers. quam cum qui*, ubi alios refert.

45. Et haec ultima opinio procedit saltem, si dicta exceptio opponatur per viam abnegationis, dicendo quod in processu non probatur illum esse procuratorem; quia licet in judicio de facto fuerit admissum tamquam procurator, attamen ad detegendam nullitatem gestorum potest quandocumque opponi quod comparens non erat procurator, *Alex. cons.* 72 *n.* 2 *lib.* 4, post quem et alios, *Vant. d. tit. n.* 63 *vers. nihilominus.*

46. Neque obstat ratio pro contraria opinione allegata; quia admissio in procuratorem non spectat ad adversarium, qui non potest facere procuratorem eum qui non est, sed spectat ad constituentem et mandantem, *Bald. in d. L. licet n.* 8 *in fin. cod. de procur., Alex. d. cons.* 72 *per tot. lib.* 4, *Vant. ubi proxime n.* 73, *Trivisan. decis.* 14 *n.* 13 *lib.* 1.

47. Vel si velimus has opiniones conciliare, possumus dicere quod haec secunda affirmativa sententia procedat quoad praejudicium veri domini, nisi actus illi fuerint gesti cum ipsomet, *Rot. coram Caesar. de Grass. decis.* 17 *n.* 5 *et decis.* 688 *n.* 2 *par.* 1 *divers.*

48. Prima vero opinio negativa recipi possit respectu praejudicii ejus

qui in procuratorem admisit et litigavit cum eo qui non habebat legitimum mandatum; nequit enim postea opponere quod non sit procurator, ut praeter eos quos supra pro hac parte allegavimus, volunt plures quos congerunt *Addent. ad Gregor. XV d. decis.* 280 *n.* 11.

49. Et quatenus opponatur, spectat ad excipientem onus probandi dictam negativam, illum scilicet non esse procuratorem, non autem ad assertum procuratorem justificandi suum mandatum, *Alex. in d. L. licet n.* 5 *cod. de procur.*, *Laderch. cons.* 12 *n.* 2.

50. Secus autem si opponeretur ab initio, quia non ad negantem, sed ad ipsum comparentem procuratorio nomine spectaret onus probandi se esse talem, qualem se facit, *Bald. in d. L. licet n.* 11 *vers. sed hic quaero*, reddit rationem *Gratian. decis. March.* 205 *n.* 2 *et seqq.*

« Si lis fuerit cum procuratore contestata, non poterit postea citari « ad docendum de legitimo mandato procurae, quia illius persona censetur « approbata, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 45, vel si defectus man- « dati adhuc contra procuratorem in hoc casu potest opponi, tamen ex quo « procurator per contestationem litis dicitur constitutus in quasi possessione « procurationis, onus probandi eum non fuisse procuratorem est opponentis, « *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 46, *ubi ex Mascard. de probat.* « *conclus.* 693, ait, quod judex tamen, si vult, potest cogere procuratorem « ad docendum de mandato procurae.

51. Opposita autem exceptione mandati, tenetur assertus procurator, dicto procuratorio nomine comparens, mandatum suum exhibere, alias totus processus cum omnibus inde sequutis redderetur nullus et nullius roboris, ut dicemus late *cap. sequenti de mandati productione.*

« Protestatio quod nemo audiatur, nisi docto de mandato procurae, « operatur nullitatem actorum tam in pupillo quam in majori, *Rot. de-* « *cis.* 176 *n.* 10 *par.* 14 *Recent.*

« Et reddit nullum quidquid actum fuit, *decis.* 320 *n.* 30 *par.* 10 « *Recent.*

« Et operatur quod actus sine eo gestus peccet in substantialibus, « quem procura superveniens et ratificatio convalidare nequit, *decis.* 236 « *n.* 12 *part.* 9 *tom.* 1, *et decis.* 239 *n.* 10 *par.* 16 *Recent.*

« Et operatur nullitatem gestorum, etiamsi jam factum fuerit man- « datum sed non productum, *decis.* 236 *n.* 9 *part.* 9 *tom.* 1 *Recent.*

« Et ubi fuit oppositus mandati defectus ante sententiam, et de eo « non constat, judicium redditur eluserium, *decis.* 552 *n.* 2 *par.* 3 *Recent.*

« Nullitas tamen mandati ex defectu proveniens non est attendenda si « sit turbida et dubia, *decis.* 156 *n.* 21 *part.* 8 *Recent.*

52. Si autem comparens habeat quidem mandatum sed inefficax et minus legitimum, quando pars adversa non opponit, tacite videtur illud ap-

probare, *Crav. cons.* 150 *col.* 2 *n.* . . . *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 73 *lib.* 2.

« Mandatum procurae minus legitimum, censetur a parte non oppo-
« nente, approbatum, et sententia substinetur si non fuit oppositum, jura
« non esse in forma probante, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 10 *n.* 28.

« Ad validitatem subhastationis inter alia requiritur, quod si procu-
« rator instat pro subhastatione, parte opponente, doceat de legitimo man-
« dato procurae, adeo quod de mandato procurae non docto, tunc corruat
« subhastatio; sicut procuratore legitimo non citato, *Ridolphin. in prax.*
« *par.* 1 *cap.* 15 *n.* 110.

53. Et censetur huic exceptioni renunciasse, *Crav. cons.* 121 *num.* 4 *lib.* 1.

« Protestatio *neminem audiri etc.*, tollitur per comparitiones subsequu-
« tas in quibus non fuit repetita eadem protestatio, *Thomat. decis.* 115
« *n.* 7 *par.* 1.

« De mandati viribus obijcere non potest qui habet simile mandatum,
« *Rot. decis.* 175 *n.* 5 *part.* 10 *Recent.*

54. An autem postquam fuit opposita exceptio mandati possit cum comparente procuratorio nomine judicium prosequi, stante pronuncia judicis expressa super legitimitatem personae ipsius comparentis, vel tacita pronunciando esse ad ulteriora procedendum, late discutit *Jacob Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 16 *per tot. et n.* 17.

CAPUT CII.

DE MANDATI PRODUCTIONE.

SUMMARIUM

1. *Opposita exceptione mandati, illud ab asserto procuratore debet produci.*
2. *Stante oppositione, mandatum non praesumitur.*
3. *Mandatum non productum non relevat.*
4. *Comparens, non producto mandato, illud inefficax et insufficiens habere censetur.*
5. *Efficacia et sufficientia mandati ex verbis et clausulis in eo contentis est expiscanda.*
6. *Procuratoris facultas regulatur ex forma mandati.*
7. *Et ex illius clausulis ampliatur atque restringitur.*
8. *Judex non debet aliquem credere, nec uti procuratorem admit-*

tere nisi prius sciat quod vere sit talis, quodque illius mandatum sit sufficiens.

9. *De mandato debet constare in actis.*
10. *Facta illius oppositione, nisi producatur, insurgit suspicio quod non sit legitimum.*
11. *Illius productio est necessaria tam respectu judicis et partium;*
12. *Quam respectu ipsiusmet asserti procuratoris.*
13. *Comparens absque mandato, vel cum mandato insufficienti, multas patitur poenas.*
14. *Mandati productio est adeo necessaria ut assertus procurator possit etiam cogi ad illud exhibendum.*
15. *Productum in uno judicio, in altero ad partis petitionem est denuo producendum, alias illius inefficaciae insurgit praesumptio.*
16. *Etiam accedente longissimi temporis diuturnitate.*
17. *Mandatum debet produci realiter et cum effectu.*
18. *Potest produci verbaliter in termino assignato, dummodo postea realiter producatur.*
19. *Contra, quod non relevet verbalis productio.*
20. *Mandatum quod exhibetur debet esse legitimum.*
21. *Paria sunt non habere mandatum vel illud insufficiens, et non legitimum habere.*
22. *Procurator non dicitur comparere legitime nisi doceat de legitimo et efficaci mandato.*
23. *Habens duplex mandatum, si alterum producat quod sit insufficiens ad actum quem gerit, talis actus non substinetur ex altero mandato licet sufficiente, ab eo non producto.*
24. *Minusque actus gestus vigore dicti mandati insufficientis substineri valet ex mandato praesumpto.*
25. *Substineretur tamen si ex conjecturis et praesumptionibus colligeretur illud pro valido et efficaci fuisse habitum.*
26. *Si procurator neutro mandato utatur, praesumitur quod sufficienti uti voluerit ut actus valeat.*
27. *Dummodo eo tempore habuerit de illo notitiam.*
28. *Atque eo casu teneretur ad partis instantiam declarare quo mandato uti vellet.*
29. *Ut mandati productio sit relevans, illius copia est adversario decernenda.*
30. *De stylo Curiae Romanae et provinciae Marchiae circa hoc.*
31. *Mandatum, ut illius productio relevet producentem, fieri debet de actis, et si sit generale debet registrari, si autem speciale debet apud acta relinqui.*

32. *Alias si statim a producente reportetur, non relevat.*
33. *Sufficit tamen si relinquatur copia collationata.*
34. *Vel si in actorum libro fiat mentio de ejus productione, et describatur illius principium et finis, licet ejus tenor integre non registretur.*
35. *Tunc vero ut illius vigore feratur sententia, rursus est producendum.*
36. *Mandati productio non requiritur in causa spolii.*
37. *Secus in Rota.*
38. *Neque est necessaria in procuratore rei.*
39. *Maxime si a procuratore actoris fuit admissus absque protestatione.*
40. *Nec requiritur ubi Notarius actuarius illud fuisse exhibitum testetur.*
41. *Praecipue si illius attestatio sit aliquibus praesumptionibus coadiuvata.*
42. *Vel si producatur aliqua scriptura authentica in qua ipsum mandatum de verbo ad verbum sit registratum.*
43. *Aut si quis in judicio compareat tamquam ab asserto procuratore substitutus.*
44. *Dummodo ab adversario mandatum non opponatur.*
45. *Perusinae Curiae totiusque Provinciae Marchiae stylus refertur.*
46. *Quando sit producendum mandatum tam in judicialibus quam in extrajudicialibus; remissive.*

1. Diximus in fine praecedentis capitis, quod opposita exceptione mandati illud debet ab asserto procuratore produci, *Rot. decis.* 6 *de dol. et contum. in nov.*, *Caputaq. decis.* 102 *par.* 3, *Rota in Ottonensi pensionis coram Pamphil. apud Marches. de commis. par.* 1 *fol.* 278, *Addent. ad Gregor. XV decis.* 430 *n.* 7.

2. Facta enim oppositione, mandatum non praesumitur, *Rom. in L. sciendum n. . .* , et ibi *Alex. n. . . . ff de verb. oblig. cum concordantibus*, apud *Felin. in cap. sicut n.* 33 *extr. de re judic.*, post quos *Decian. cons.* 121 *n.* 11 *lib.* 3.

« Quoties fuit facta generalis protestatio, quae pro stylo in omnibus « causis fieri solet in prima comparitione quae fiat per citatos seu provocatos « ad judicium, et quae vulgo dicitur *generalia contra*, cujus formula id « praesertim continet ut nemo audiri debeat nisi docto de legitimo mandato « procurae aliisque justificatis justificandis, in isto casu non admittitur illud « mandatum praesumptum quod ex praesumptionibus et conjecturis vel ex

« notabili impensa desumi solet, juxta ea quae circa mandati praesumptionem « traduntur; quoniam ea recte procedunt ad substinendum judicium seu « processum, salvandamque eam nullitatem, quae deduci solet ex defectu « mandati, quando de illo opponat idem mandans, sub cujus nomine ille « procurator comparuit et actitavit; secus autem ubi altera pars de hoc « expresse opponit, quoniam recte dicere potest sua interesse ut doceatur « de expresso mandato; tum ad effectum inspiciendi an illud sit verum, ne « alias cuilibet tertio sub nomine ac persona alterius litigare in animo non « habentis, licentia tribuatur lites promovere ac aliquem vexare; tum etiam « ad alium effectum inspiciendi an illud sit legitimum, ut in casu victoriae « collitigans certus reddatur de validitate judicii et actorum, ac etiam de « facultate recuperandi expensas. Ideoque magna est differentia agere de « sufficienti mandato etiam praesumpto vel legali sine partis oppositione, « ad effectum validitatis actorum et ad alterum effectum formalis opposi- « tionis pro legitimatione personae, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 12 *n.* 4 « *et* 5, et hic quoque possunt referri ea quae adnotantur *cap.* 3 *ad n.* 37 « circa comparentes pro capitulo vel monasterio vel civitate, quae habentur « apud *Card. de Luc. de judiciis hoc eodem disc.* 12 *n.* 6.

« Non sufficiunt praesumptivae probationes quando est facta protestatio, « neminem audiri nisi docto de legitimo mandato procurae, *Rot. decis.* 320 « *n.* 32 *par.* 10, *et decis.* 105 *n.* 8 *par.* 8 *Recent.*

« Quo casu mandatum ex praesumptione resultans non admittitur, nisi « procurator cautionem praestet de rato, *Rot. d. decis.* 320 *sub n.* 41 *par.* 10 « *Recent.*

« *Rota* tamen, non obstante protestatione, admittere solet mandatum « praesumptivum, *decis.* 58 *n.* 1 *par.* 11 *Recent.*

« Nam ab eadem *Rota* tamquam validissima firmatur conclusio, quod « mandatum procurae probetur ex conjecturis et praesumptionibus, *decis.* 89 « *n.* 1, *decis.* 169 *n.* 4, *decis.* 440 *n.* 5 *par.* 2, *decis.* 174 *sub n.* 3, *de-* « *cis.* 445 *sub n.* 2, *decis.* 722 *n.* 4 *par.* 3, *decis.* 166 *n.* 1 *et* 3, *de-* « *cis.* 441 *n.* 7 *par.* 4 *tom.* 1, *decis.* 666 *n.* 13, *decis.* 670 *n.* 28 *par.* 4 « *tom.* 3, *decis.* 140 *n.* 13 *par.* 5 *tom.* 1, *decis.* 187 *n.* 14 *par.* 6, *de-* « *cis.* 294 *n.* 16 *par.* 9 *tom.* 1, *decis.* 454 *n.* 2 *et* 12, *decis.* 472 *n.* 12 « *par.* 9 *tom.* 2, *decis.* 320 *n.* 44 *par.* 10, *decis.* 194 *n.* 9 *et* 10 *par.* 13, « *et decis.* 59 *n.* 2 *part.* 14 *Recent.* Atque istae *Rotae* auctoritates poterunt « etiam referri *cap.* 31 *ad n.* 6, ubi pluries adnotatur haec eadem con- « clusio.

3. Ultra quod, mandatum non productum non relevat, *Decian. cons.* 65 *n.* 17 *lib.* 5, *Pontan. de spol. lib.* 1 *sub n.* 147, *Cornazan. decis. Lucens.* 96 *n.* 1, et facit *Rut. decis.* 287 *n.* 2 *in correct.*

4. Et procurator comparens, non producto mandato, censetur habere

inefficax et insufficiens, *L. sed et si unius § procuratorem*, et ibi *Gloss.*, *Bart. n.* 1, *et Bald. n. . . . ff de injur.*, *L. falsus.*, et ibi *Bald. n. . . . cod. de furt.*, *Port. Imol. cons.* 134 *n.* 8.

5. Nam efficacia et sufficientia mandatorum est exspiscanda ex verbis et clausulis in procuratorio adhibitis et expressis, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 75, quem sequitur *Bertaz. cons. civil.* 70 *n.* 12 *lib.* 1.

6. Facultas enim procuratoris a forma mandati regulatur, *L. generaliter ff mand.*

7. Et illud ampliatur et restringitur ex clausulis quibus mandans usus est, *Vant. d. tit. n.* 114 *vers. idcirco.*

8. Et judex non debet credere asserenti se esse procuratorem, neque illum tamquam talem admittere, nisi prius certificetur quod vere sit procurator, et quod illius mandatum sit sufficiens, *Bart. in L. si quis inficiatus n.* 1 *ff deposit.*, *et in L.* 1 *quaest.* 10 *n.* 19 *ff de nov. oper. nunc.*, *Angel. Aret. cons.* 11 *n.* 7 *et* 8, *Put. d. decis.* 287 *n.* 2.

9. Nam de mandato constare debet in actis, *Rot. decis.* 476 *n.* 4 *ad med. part.* 2 *Recent.*

10. Immo si facta oppositione de mandato illud non producatur, insurgit suspicio quod assertum mandatum non sit legitimum, *L. fin. cod. de fid. instrum.* cum aliis apud *Decian. cons.* 121 *n.* 16 *lib.* 1.

11. Ac proinde mandati productio est necessaria non solum respectu judicis et partium quarum interest ne judicium reddatur nullum et elusorium, *Marcabr. cons.* 32 *n.* 190, *Sim. de Praet. con.* 177 *n.* 9 *vers. secundo lib.* 1;

12. Sed etiam respectu ipsiusmet qui comparet tamquam procurator, cujus valde interest docere de sua potestate et mandato, ne uti falsus procurator teneatur reficere parti adversae omnia damna et expensas, *Bertaz. cons. civil.* 69 *n.* 14, *et cons.* 101 *n.* 3 *lib.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 985 *n.* 22.

13. Nam procurator comparens sine mandato, vel cum mandato insufficienti multas patitur poenas, ut dicemus infra *cap. CXII de falso procuratore*, et *cap. seq. CXIII.*

14. Ista autem productio mandati reputatur adeo necessaria, ut assertus procurator possit etiam cogi ad illud exhibendum, *Bertaz. d. cons.* 69 *n.* 13, *et d. cons.* 106 *n.* 30, *Gratian. d. n.* 22, qui alios allegant.

15. Nec sufficit quod semel fuerit productum in uno judicio, sed ad partis petitionem est rursus in judicio quod agitur producendum, alias insurgit praesumptio quod illud sit illegitimum et inefficax ad causam quae agitur, ut fuit dictum supra.

16. Quamvis concurrat longissimi temporis diuturnitas, *Decian. d. cons.* 121 *n.* 13 *ad fin.*, *et n.* 16 *lib.* 3.

17. Productio autem mandati ut sit revelans, multa debent concurrere; et primo, ut illud producatur realiter et cum effectu, nam verbalis productio non esset relevans, *Angel. Aret. cons.* 132 *n.* 18 per notat. *a DD. in auth. si quis in aliquo*, *cod. de eden.*, *Caesar Manent. decis.* 61 *n.* 15 *et infra.*

18. Posset tamen in termino assignato produci mandatum verbo, dummodo postea producatur realiter et cum effectu, *Crav. cons.* 254 *n.* 2, *Paul. de Castr. cons.* 247 *n.* . . . *lib.* 1., *Marcabr. d. cons.* 72 *n.* 119.

19. Quibus tamen non assentit *Rim. Jun. cons.* 666 *n.* 19 *cum multis seqq. lib.* 6, immo illis singillatim respondet, et eorum opinionem reprobat, maxime quando productio esset facienda ex dispositione statuti intra certum terminum.

20. Secundo, mandatum quod exhibetur debet esse legitimum, alias productio non relevaret, *Marstl. sing.* 81, *Jas. in L. ait Praetor* § *si judex n.* 21 *ff de re judic.*, *Cornaz. decis. Lucens.* 96 *n.* 6.

21. Nam paria sunt non habere mandatum, et habere insufficiens et non legitimum, *Cornaz.*, post alios, *decis. Lucens.* 108 *n.* 1.

22. Et procurator non dicitur legitime comparere nisi doceat de mandato legitimo et efficaci, *Grat. cons.* 25 *n.* 11 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 92 *n.* 6.

23. Si autem procurator habeat duplex mandatum, unum quidem sufficiens ad actum quem gerit; alterum vero insufficiens; si producat minus bonum, cujus vigore actus ille valide explicari non potest, non sustinetur actus ex mandato bono et sufficienti, *Paris. cons.* 43 *n.* 11 *lib.* 2, *Rom. cons.* 446 *n.* . . , et ibi, *Mandos. in litera F*, *Magon. decis. Lucens.* 51 *n.* 16, *Put. decis.* 373 *ante n.* 1 *lib.* 2, *et decis.* 297 *n.* 1 *lib.* 3 *in correctis*, *Mohaed. decis.* 101, *quae est* 5 *de procur.*, *Rot. decis.* 211 *n.* 5 *par.* 2 *Recent.*, obstat enim illi regula *L. multum interest*, *cod. si quis alter.*, *vel sib.*, *nam quod potuit noluit. etc.*

24. Et multo minus substineretur actus gestus vigore dicti mandati insufficientis ex mandato praesumpto et ex praesumptionibus et conjecturis elicito, *Paris. cons.* 43 *n.* 75 *lib.* 2, *Rot. coram Coccin. decis.* 86 *n.* 3.

25. Verum si ex conjecturis et praesumptionibus colligeretur illud mandatum fuisse habitum pro valido et efficaci, actus ejus vigore factus substineretur, ut fuit resolutum in *Rot. coram Cavaller. decis.* 182 *n.* 6, maxime cum non desint qui simpliciter velint actum factum vigore mandati invalidi substineri ex valido, ut testatur ibi *Rot. d. n.* 6 *in fin.*

26. Caeterum si neutrum mandatum fuit exhibitum, sed procurator

gerat actum simpliciter tamquam procurator, nec magis uno quam altero mandato utatur, nec magis ad unum quam ad alterum se restringat, praesumitur quod voluerit uti mandato sufficienti ut actus valeat et non pereat, *Rom. cons.* 343 *n.* . . , *Rim. Jun. cons.* 561 *n.* 11 *lib.* 5, *Put. d. decis.* 373 *n.* 2 *lib.* 2, *Mohaed. decis.* 101 *quae est* 5 *de procur. ad fin.*, *et decis.* 204 *quae est* 7 *eo tit. in fin.*, *Rot. decis.* 248 *quae est* 19 *de procur. in antiq.*

« Habens mandatum speciale et generale, si eo usus fuit cum clausulis « *omnibus, modo, via, jure, causa et forma quibus de jure potuit et potest,* « tunc dicitur eo usum fuisse quo contractum substinere potuisset, *Rot.* « *decis.* 130 *n.* 16 *par.* 11 *Recent.*

27. Dummodo tamen eo tempore procurator ille haberet notitiam de dicto mandato valido et efficaci, alias si de eo notitiam non habuisset, cessaret fundamentum suae intentionis et actus substineri nequiret ex mandato valido et sufficienti, *Crav. cons.* 171 *n.* 18, *Martinus Monterus decis. Aragon.* 41 *n.* 87.

28. Teneretur tamen procurator eo casu declarare ad partis instantiam quo mandato uti velit, *Paul. de Castr. in L.* 3 § *si procurator n.* 1 *ff quod quisq. jur.* illius enim interest fieri hujusmodi declarationem ne actus et processus reddatur nullus et elusorius, ad quod judex debet animadvertere, *Marcabr. cons.* 32 *n.* 192, et supra dictum fuit.

29. Tertio, ad effectum ut mandatum legitime productum dicatur, et illius productio sit relevans, necesse est ut ejus copia adversario decernatur, *Surd. decis.* 341 *n.* 13.

30. De stylo autem Curiae Romanae et totius provinciae Marchiae hujusmodi copia non datur parti quando de mandato fuit rogatus notarius actuarius, nisi quando quis esset constitutus procurator et sindicus ab aliquo collegio, monasterio, universitate, muliere, minore vel similibus personis, in quarum contractibus de jure vel ex forma statutorum vel constitutionum certae solemnitates requirerentur, ut de tali stylo testatur, *Joseph Ludovic. decis. Perusin.* 107 *per tot. et seq.* Ita pluries ego servari vidi in hac curia Perusina.

31. Quarto, productio mandati ut relevet producentem, debet ita fieri ut mandatum fiat de actis, adeo ut si sit generale debeat registrari, si autem sit speciale debeat apud acta relinqui, *Decian. cons.* 3 *n.* 32 *lib.* 5.

32. Alias si non relinquatur, sed statim a producente reportetur non relevat, *Curt. Sen. cons.* 76 *col.* 1 *in fin. n.* 1 *vers. quinimmo*, *Decian. cons.* 121 *n.* 15 *et* 19 *lib.* 3, *et cons.* 3 *n.* 31 *et* 32 *lib.* 5, *Crav. de antiq. tempor. par.* 1 § *quaeritur n.* 10 *et seq.*, *Asinius in sua prax. Judic.* § 22 *cap.* 8 *n.* 3, *Aret. cons.* 109 *col.* 2 *n.* . . ., *Mascard. de probat. vol.* 3 *conclus.* 1004 *n.* 66 *et seq.*, *Rot. post Zacch. de oblig. camer. decis.* 40 *num.* 3.

33. Sufficeret tamen si apud acta relinqueretur copia dicti instrumenti mandati collationata cum suo originali, *Bald. in L. fin. col.* 5 *n. . . . cod. de edict. D. Adr. toll.*, *Boer. decis.* 281 *n. . . .*, *Osasch. decis. Pedemont.* 1 *n.* 38, *Marant. de ord. judic. par.* 6 *actu.* 10 *de actorum aedition. n.* 6, *Gloss. Bart.*, et alii communiter, *in auth. si quis in aliquo cod. de eden.*, *Ang. in* § *illud n. . . . auth. ut patr. fil.*

34. Prout etiam sufficeret si in libro actorum fieret mentio de productione mandati et describeretur principium et finis dicti instrumenti mandati, licet apud acta non dimitteretur originale ipsius mandati, nec illius tenor integraliter registraretur, ut post *Boer. d. decis.* 281 *n.* 9 *et* 10 dicit *Osasch. d. decis.* 1 *n.* 38.

35. Bene verum est, quod tunc ad effectum ut illius vigore feratur sententia deberet rursus produci, ut multorum auctoritate dicit *Osasch. d. decis.* 1 *n.* 50 *et seqq.*

36. Haec autem necessitas producendi instrumentum mandati in actis cessat primo, in causa spolii, *Cyn. in L.* 1 *cod. si per vim vel alio mod. n. . . .*, et ibi *Bart. in princ. et Bald. n. . . . Gloss. in cap.* 1 *extr. de Cleric. peregrin.*, *Hostiens. in summ. eod. tit. in fin.*

37. Quod tamen non recipi in sacro *Rotae* auditorio, dicit *Pontan. de spol. lib.* 1 *sub n.* 147 *et lib.* 4 *n.* 26.

38. Secundo, cessat in procuratore rei; nam licet procurator actoris teneatur suum mandatum exhibere, *Minsinger singul. observ. centur.* 5 *observat.* 75 *n.* 2, attamen procurator rei, si suum mandatum non producat, non poterit impugnare processum ex defectu sui mandati, quia id quod est inductum ad illius damnum non debet ei prodesse, *Bertaz. cons. crimin.* 200 *n.* 2 *lib.* 2.

39. Maxime si iste procurator rei fuit admissus a procuratore actoris absque protestatione, ut dicit ibi *Bertaz. n.* 3.

40. Tertio, cesset dicta necessitas si notarius actuarius attestetur mandatum fuisse exhibitum, *Marcabr. cons.* 32 *n.* 11 *et seqq.*

41. Maxime si hujusmodi attestatio coadiuvetur aliquibus praesumptionibus, *Rot. coram Mantic. decis.* 352 *n.* 4 *vers. et licet.*

42. Quarto, cessat si producatur aliqua scriptura authentica in qua sit de verbo ad verbum registratum ipsum mandatum, *Bald. in L. si donatio n. . . . cod. de donat.*, *Rom. cons.* 63 *n. . . .*, *Boer. decis.* 281 *n. . . .*, nam iste est unus ex modis probandi mandatum, ut diximus *cap.* XXV *de mandato expresso.*

43. Quinto, cessat si quis compareat in judicio tamquam substitutus ab asserto procuratore; nam non potest cogi ad exhibendum mandatum substituentis cum facultate substituendi, si aliquae concurrant praesumptiones et conjecturae quod vere sit substitutus, ut defendit *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 215

cum seq., *et cons.* 90 *n.* 25 *et seqq. per Tex. in L. licet*, cum ibi notat. *cod. de procur.*, sequitur *Anton. Monach. decis. Bonon.* 18 *n.* 27.

44. Dummodo tamen ab adversario non opponatur; ut declarat idem *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 204 *et seqq. arg. Tex. in cap. cum in jure*, et ibi *Felin.* et alii *extr. de offic. deleg.*, cum declaratione tamen quam affert, *Marcabr. ibidem n.* 211 cum multis sequentibus.

45. De stylo tamen Curiae Perusinae et totius provinciae Marchiae, substitutus tenetur non solum producere mandatum substituentis ut doceatur de facultate substituendi, sed etiam dare illius copiam adversario petenti, ut testatur *Joseph Ludovic. decis. Perus.* 107 *n.* 2, in quibus locis ipse locumtenentis generalis officio honorifice functus fuit, et ego semper in hac Curia Perusina observatum fuisse per multos annos, quibus in ea advocationis munus exercui, pro veritate testari possum.

46. Quando autem mandatum tam in judicialibus quam in extrajudicialibus sit producendum dicemus mox *sequenti capite.*

CAPUT CIII.

MANDATUM QUANDO SIT PRODUCENDUM IN JUDICIALIBUS.

SUMMARIUM

1. *Mandatum in judicialibus potest produci etiam ubi nulla sit data dilatio et terminus ad illud producendum.*
2. *Debet secundum aliquos produci in litis exordio.*
3. *Ita ut quod fit ante illius productionem nulliter fiat.*
4. *Quod potest intelligi de productione verbali, dummodo postea realiter producatur.*
5. *Vel ubi judex ad partis instantiam vel ex officio illud mandat produci.*
6. *Secus autem non petente parte, vel judice non cogente.*
7. *Quod mandatum sit producendum ante conclusum in causa, et quod postea neque in judiciis summariis possit produci.*
8. Baldus in L. fin. n. 43 cod. de edict. D. Adrian. Toll. *perpenditur.*
9. *Quod secundum alios ante sententiae prolationem sit producendum.*
10. *Dominus gesta per eum qui non erat procurator ante sententiam potest etiam ratificare ad sui favorem, postea vero nonnisi ad sui praejudicium.*
11. *Ratificatio aequiparatur mandato.*
12. *Praedicta reprobatur opinio.*

13. *Mandatum, secundum veriorem et magis communem sententiam potest quandocumque produci.*
14. *Etiam post appellationem, et in ultima instantia.*
15. *Dummodo mandatum ante sententiam fuerit factum, quia tunc potest etiam postea produci.*
16. *Quamvis procurator illud antea non recepisset.*
17. *Acta praecedentia validantur per subsequens mandatum.*
18. *Maxime si in illo adsit clausula ratificativa actorum gestorum.*
19. Speculator in tit. de procur. § 1 vers. sed quid si receptum, *declaratur, ut quis constituatur in mora solvendi, vel implendi requiritur speciale mandatum.*
20. *Ubi a statuto praefigitur ad producendum mandatum terminus, illius productio postea facta non relevat, et processus redditur nullus.*
21. *Secus tamen est si non fuerit oppositum de mandato.*
22. *Vel si in termino praefixo producatur mandati exemplum, dummodo postea producatur authenticum.*
23. *Aut si in eodem termino a procuratore substituto, producatur instrumentum suae substitutionis.*
24. *Vel si producatur mandatum praesumptum, dummodo non sit fictum.*
25. *Quoties a parte opponitur de mandato, debet illud statim produci.*
26. *Mandatum productum post dictam oppositionem non validat acta antea gesta.*
27. *Et si non producatur, processus postea factus est nullus.*
28. *Et nulla quoque est sententia ad favorem principalis asserti procuratoris lata.*
29. *Et ista nullitas potest quandocumque opponi etiam post mille annos.*
30. *Acta tamen ante oppositionem facta, sunt valida.*
31. *Licet subsequentia sint nulla, praesertim ubi oppositio fuit facta cum protestatione, quod assertus procurator non audiatur nisi docto de legitimo mandato.*
32. *Praedicta protestatio fieri potest a quocumque habente mandatum, quamvis illud non exhibeat, dummodo contra eum quoque non fuerit oppositum.*
33. *Nec est necessaria contra procuratorem nullum habentem mandatum.*
34. *Et potest quandocumque fieri, etiam ubi cum asserto procuratore plures actus fuerint gesti.*

35. *Nisi expresse vel tacite per processum ad ulteriora, mandatum esse legitimum fuerit ab judice pronunciatum.*
36. *Et dicta protestatio, ad hoc ut per eam subsequens processus reddatur nullus, repeti debet in quolibet actu.*
37. *Prout etiam protestatio super legitimatione personarum.*
38. *Et quaelibet protestatio in judicio facta.*
39. *Contrarium procedit ubi compareat falsus procurator.*
40. *Facta dicta protestatione, si, non exhibito mandato, judex procedat ad ulteriora, protestans debet ab hujusmodi processu ad ulteriora appellare; alias processus substinetur.*
41. *Idem locum obtinet in judicio quod fit cum asserto procuratore minoris.*
42. *Opponens tamen non debet prosequi judicium cum ipso; nam alias acta contra ipsum valerent; licet secus, contra minorem.*
43. *Procurator aliquem volens constituere in mora aliquid solvendi vel implendi, realiter tenetur exhibere mandatum.*
44. *Facta et admissa productione mandati, illud amplius impugnari non valet.*
45. *Limitatur, quando tempore productionis fuit impugnatum et contra illud oppositum.*
46. *Sed debet in tali casu impugnatio et oppositio repeti in quolibet actu.*
47. *Mandati exceptionem opponens, potest illi renunciare tam expresse quam tacite, procedendo ad ulteriora absque dicta oppositione.*

1. Cognita necessitate producendi mandatum, sequitur ut videamus quando illud sit producendum tam in judicialibus quam in extrajudicialibus. Et quoad judicialia, cum illud produci possit etiam absque eo quod sit data dilatio et terminus ad producendum mandatum, *Bald. in L. fin. n.* 3 *ff de feriis*, *Sim. de Praet. cons.* 177 *n.* 6 *lib.* 1; difficultas versatur in qua parte judicii sit producendum, circa quam diversae sunt *DD.* opiniones.

2. Nam aliqui voluerunt quod sit producendum in litis exordio, ut apud *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1004 *n.* 3.

3. Et proinde quidquid fit ante illius productionem sit nullum, et nulliter fiat, *Decian. cons.* 18 *n.* 3 *lib.* 1.

4. Quorum opinio posset recipi quoad productionem verbalem, dummodo postea producatur realiter et cum effectu quandocumque, ut animadvertit *Rim. Jun. cons.* 666 *n.* 2 *lib.* 6.

5. Vel possumus respondere horum opinionem procedere, quando judex ad partis instantiam vel ex mero suo officio mandat produci instrumentum mandati in principio judicii; potest enim cogi ad illud exhibendum, et in his terminis loquuntur allegati a *Mascard. d. n.* 3, et ita etiam loquitur *Decian. d. cons.* 18, ut ipsemet respondet ibi *n.* 11.

6. Secus autem parte non petente, nec judice cogente, ut est de mente *Bald. in rubr. cod. deposit. n.* 4, sequitur *Marcabr. cons.* 32 *n.* 87, *Marescot. var. resol. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 1.

7. Aliqui vero fuerunt in sententia quod produci debeat ante conclusum in causa, et quod postea non possit produci etiam in judiciis summariis, *cap. cum dilectus*, et ibi *Butr.*, *Card. Zabar.*, *Abb. et Felin. extr. de fid. instr.*, *Bald. in L. fin. n.* 43 *cod. de edict. D. Adr. Toll.*, *Alex. cons.* 101 *n.* 8 *lib.* 5, *Port. Imol. cons.* 134 *n.* 16.

8. Sed advertendum est, quod *Baldus d. n.* 43, cujus auctoritate movetur *Alex. d. n.* 8, non loquitur de productione mandati, sed de productione testamenti facienda in judicio moto ex *L. fin. cod. de Edict. D. Adrian. Toll.*, ut apparet ibi per discursum, et colligitur ex praecedentibus verbis *in vers. item consideret an actor*, ubi *Bald.* loquitur de productione testamenti, et quod *d. n.* 43 loquatur de dicta productione, colligitur ex illo relativo *istam* productionem.

9. Alii autem senserunt illud esse producendum ante prolationem sententiae, *Rot. decis.* 13, *quae est* 1 *de proc. in antiq.*

10. Dum ibi deciditur, quod dominus potest ratificare gesta per eum qui non erat procurator etiam ad sui favorem, dummodo ratificet ante latam sententiam, secus autem post, nisi ad sui praejudicium; sicut enim ratificatio debet fieri ante prolationem sententiae, eodem modo videtur quod mandatum sit producendum antequam feratur sententia.

11. Cum ratificatio mandato aequiparetur, ut dicemus infra *cap. CV de ratificatione gestorum.*

12. Sed videtur quod dicta *Rotae* decisio debeat stricte intelligi in propriis terminis in quibus emanavit, videlicet in ratificatione gestorum ab eo qui nullum habebat mandatum, quae debeat fieri ante prolationem sententiae; secus autem, quoad gesta per verum procuratorem, et eum qui habebat praecedens mandatum, pro quorum validitate non sit opus exhibere mandatum ante latam sententiam, *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 228, *et cons.* 35 *n.* 39.

13. Alii denique, quorum opinio verior et magis communis reputatur, firmarunt, quod mandatum possit produci et exhiberi quandocumque, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 1, *Ant. Monach. decis. Bonon.* 18 *n.* 27 *et* 28, etiam post sententiam, *Crav. d. cons.* 108 *n.* 1, *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 88 *cum seqq.*, *Decian. cons.* 18 *n.* 11 *lib.* 1, *Rot. divers.*

decis. 599 *n.* 1, *et decis.* 688 *n.* 2 *par.* 1, *et decis.* 79 *n.* 3 *par.* 4, *et in Recent. decis.* 305 *n.* 4 *par.* 1, *et coram Coccin. decis.* 54 *n.* 3.

« De mandato potest doceri quandocumque, atque etiam post senten-
« tiam, si de eo non fuit oppositum, *Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2
« *rubr.* 3 *n.* 40.

« Mandatum potest produci in qualibet parte judicii, immo etiam
« post tres sententias, si producatur cum opponitur, *Romaguer. post Con-*
« *ciol. ad Statut. Eugub. lib.* 2 *rubr.* 4 *n.* 16 *et* 19.

« Parte non opponente, mandatum potest produci quandocumque et
« sufficit quod producatur quando de eo opponitur, *Ridolph. in prax. par.* 1
« *cap.* 2 *n.* 186.

« Defectus mandati non obstat quando de eo non fuit oppositum, de
« quo quandocumque doceri potest, *Rot. decis.* 646 *n.* 6 *par.* 2 *Recent.*

14. Immo etiam post appellationem, et in ultima instantia, *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 78 *et n.* 91, et infra, ubi multos allegat, *et n.* 98 *et* 99, *Crav. d. cons.* 108 *n.* 1, *Rot. coram Achill. decis.* 6 *de procur.*, et cum hac ultima opinione, tamquam veriori et magis recepta, transeundum esse existimo, cum infrascriptis tamen restrictionibus et limitationibus, in quorum terminis possent verificari et recipi praecedentes opiniones.

15. Limitatur itaque communis et recepta sententia, primo, ut procedat dummodo interveniens haberet mandatum ante prolationem sententiae; nam illud poterit produci postea etiam lata sententia, ut praeter *Alex.*, *Crav.*, *Marcabr.*, *Decian.*, *et Rot.* supra allegatos, volunt *Rim. Jun. cons.* 666 *n.* 14, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 3, *Gratian. discept. forens. cap.* 330 *in fin.*, *Rot. in Recentior. decis.* 530 *n.* 15 *in fin. par.* 1.

« Mandati defectus ante sententiam non oppositus potest suppleri, si
« post sententiam de eo docetur, quoties mandatum vere sententiam prae-
« cessit, *Rot. decis.* 678, *alias decis.* 674 *n.* 2 *par.* 3 *Recent.*

16. Quamvis procurator mandatum illud non recepisset; nam valere acta facta ab illo ante receptionem mandati, si mandatum sit simplex absque aliqua speciali forma, qua procurator uno modo potius quam alio actum gerat, voluit *Alex. post Bald. cons.* 146 *n.* 33 *vers. praeterea*, ut dicit *Bald. lib.* 5, sequitur *Decian. cons.* 18 *n.* 12 *lib.* 1.

17. Immo licet mandatum fuerit factum postquam dictus procurator in causa multa acta fecit, quia per subsequens mandatum validantur acta praecedentia, *Decian.*, qui multos allegat, *d. cons.* 18 *n.* 12 *vers. quinto respondeo.*

18. Maxime si in illo adsit clausula ratificativa actorum per dictum procuratorem gestorum, *Calder. cons.* 4 *in tit. de procurat.*, *Decian. d. cons.* 18 *n.* 14 *lib.* 1.

19. Et licet *Speculator in tit. de procur.* § 1 *vers. sed quid si receptum*, videatur sentire quod acta facta per procuratorem ante receptionem mandati sint nulla, quia eo tempore nullam habebat potestatem et facultatem, *L. observare in fin. ff de offic. procons. et legat. cap. super eo extr. de appellat.*, potest tamen responderi, quod *Speculator* ibi loquitur in procuratore qui vult constituere aliquem in mora, tunc enim debet exhibere mandatum, *L. si quis inficiatus ff depos.*, *Bar. in L. non solum* § *morte n.* 37 *ff de nov. oper. nunc.*, quod certe exhibere non potest ante illius receptionem ex *regul. ejus qui ff si cert. pet.:* cum enim ad constituendum aliquem in mora solvendi vel implendi requiratur mandatum speciale, ut diximus *cap. LXIX cas.* 103, *in quibus casibus requiritur mandatum speciale*, si non producatur non potest cognosci an sit speciale et sufficiens ad constituendum in mora, ut dicemus infra in *quarta limitatione.*

20. Secundo limitatur, communis conclusio ut non procedat, si statuto praefigatur terminus in qui mandatum sit producendum; nam tunc debet produci in termino a statuto praefixo, et productio postea facta non est relevans, et processus cum dicto procuratore fabricatus redditur nullus et invalidus, *Rim. Jun. cons.* 666 *n.* 3 *cum seqq. lib.* 5, *Sim. de Praet. cons.* 177 *n.* 12 *et* 16.

21. Ista tamen secunda limitatio debet intelligi, primo, ut procedat si pars adversa opposuerit de mandato, secus alias, ut declarat *Marcabr. ibid. n.* 165 *et* 189.

22. Secundo, quod satisfiat huic statuto et illius formae, si in termino per statutum praefixo producatur exemplum ipsius mandati, dummodo postea etiam extra terminum statutarium producatur authenticum, *Marcabr. cons.* 32 *n.* 216 *et seqq.*, *Surd. decis.* 166 *n.* 2.

23. Satisfit similiter dicto statuto, si in termino praefixo compareat procurator substitutus a vero procuratore, et producat instrumentum substitutionis de se factae; nam non habet necesse producere instrumentum mandati procuratoris substituentis, nam illud praesumitur extare, cum de illo fiat mentio in instrumento substitutionis, *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 102, cum multis seqq., et nos diximus supra *capite praecedenti.*

24. Prout pariter satisfit dicto statuto, si in termino statutario producatur mandatum praesumptum, dummodo non sit fictum, *Rot. in Recent. decis.* 55 *n.* 4 *part.* 2, *quae est coram Gregor. XV decis.* 44 *n.* 6, *et coram eodem decis.* 86 *n.* 3, et saepe in aliis causis, ut per *Addent. ad eumdem Gregor. XV decis.* 330.

25. Tertio limitatur dicta communis conclusio, ut non procedat si ab adversario fuerit oppositum de mandato, quia stante partis oppositione, mandatum debet statim produci, *Crav. cons.* 108 *n.* 7 *lib.* 1, *Rot. coram Mantic. decis.* 172 *n.* 1, *et decis.* 328 *n.* 3, *coram Cavaller. decis.* 337

n. 6, *et in Recent. decis.* 305 *n.* 4 *lib.* 1, *Crav. cons.* 108 *n.* 1, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 118.

« Si procurator compareat absque aliquo mandato sive speciali sive « generali, et opponatur incontinenti de defectu mandati, ejus comparitio « in aliqua consideratione haberi non potest, *Saminiat. controv.* 82 *n.* 21 « *lib.* 1.

« Nec sufficit mandatum esse factum in tempore, nisi fuerit etiam in « tempore productum, stante praesertim partis protestatione; et ante pro- « ductionem acta omnia remanent poenitus nulla, *idem ibidem n.* 26.

26. Nam ista oppositio est tantae efficaciae, ut mandatum productum post factam oppositionem non validet acta antea gesta, *Rot. Genuen. decis.* 54 *n.* 6, *Lap. alleg.* 81 *n.* 1, *Rim. Sen. cons.* 101 *n.* 6 *lib.* 1, *Lancell. de attent. par.* 2 *cap.* 6 *n.* 7, *Alex. cons.* 73 *n.* 12 *lib.* 5, *Gabr. cons.* 25 *n.* 27 *et seq. lib.* 2, ubi testatur ita fuisse saepius resolutum, allegans *Rotae* decisiones, et addi potest *decis.* 83 *n.* 1 *par.* 4 *divers.*, *et decis.* 105 *n.* 2 *et seqq. par.* 1.

27. Et quatenus mandatum non producatur, processus, post dictam oppositionem factus, est nullus, *Bald. cons.* 122 *n.* 1 *vers. modo videamus lib.* 3, *Alex. cons.* 146 *in fin. lib.* 5, *Rot. decis.* 135 *n.* 4 *par.* 1 *Recent.*

28. Prout est etiam nulla sententia ad favorem principalis dicti asserti procuratoris exinde lata, ut dicunt *allegati DD.*

29. Et ista nullitas potest quandocumque opponi, etiam post mille annos, *Gloss. in verb. inveniatur in L. licet cod. de procur.*, *Bald. in L.* 2 *n.* 2 *cod. si ex fals. instrum.*, quem magis communiter approbari testatur *Eugen.*, post multos quos allegat, *cons.* 39 *n.* 28 *et seq. lib.* 2.

30. Licet quoad acta facta ante oppositionem non possit dubitari quin sint valida, *Bald. in L.* 1 *in* 2 *Lect. n.* 3 *ff de procur.*, sequitur *Alex. cons.* 146 *n.* 34 *vers. plus dixit lib.* 5, quos refert et sequitur *Decian. cons.* 18 *n.* 11 *lib.* 1, *Crav. d. cons.* 108 *n.* 1, *Marcabr. d. cons.* 32 *n.* 80, *Rot. coram Coccin. decis.* 255 *n.* 3.

« Acta facta non producto mandato, quando de eo a parte non fuit « oppositum, sunt valida, *Romaguer. post Conciol. ad Statut. Eugubin.* « *lib.* 2 *rubr.* 4 *n.* 15.

« Acta gesta ante oppositionem mandati substinentur, si illud erat « factum, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 2 *n.* 187.

31. Quae oppositio multo magis invalidat acta quae post illam fierent si adiiciatur protestatio, quod dictus assertus procurator non audiatur nisi docto de legitimo mandato, *Gloss. in cap.* 1 *in verb. positionibus extr. de procur.*, *Scacc. de judic. lib.* 1 *cap.* 101 *n.* 32, *Rot. coram Mantic. decis.* 219 *n.* 2, *et decis.* 223 *n.* 1, *et par.* 4 *divers.*, *decis.* 61 *n.* 3, *et*

decis. 196 *n.* 1, *et decis.* 105 *n.* 2 *et seqq. par.* 1, ubi *Rota* testatur ita pluries fuisse resolutum.

« Ubi de mandati defectu fuit oppositum, omnia acta actitata post « ipsam oppositionem sunt nulla, *Romaguer. post Conciol. ad Statut. Eugub.* « *lib.* 2 *rubr.* 4 *n.* 17.

« Protestatio quod nemo ex adverso comparens audiatur nisi docto « de legitimo mandato procurae, relevat in tantum quod si mandatum non « producatur, acta sunt nulla ex defectu mandati, *Ridolphin. in prax.* « *par.* 1 *cap.* 2 *n.* 181.

« Hujusmodi vero protestatio operatur, ut productio mandati licet « antea facti suffragari non possit ad substinendum et revalidandum acta « ante productionem, post tamen protestationem gesta, *Ridolphin. ibidem* « *n.* 185.

32. Ad faciendum autem hujusmodi protestationem admittitur quilibet qui habet mandatum, licet illud non exhibeat, dummodo contra eum quoque non fuerit oppositum de mandato, *Rot. d. decis.* 196 *num.* 2 *par.* 4 *Divers.*

33. Ista tamen protestatio non est necessaria quando procurator interveniens nullum habet mandatum; nam eo casu judicium est nullum etiam nulla facta protestatione, ut allegando *Rot.* decisiones dicit *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 4 *et* 5, et declarat *Rot. d. decis.* 105 *n.* 6 *par.* 1 *divers.*

34. Ista autem exceptio et oppositio potest quandocumque fieri, nec impeditur quod cum asserto procuratore fuerit deventum ad plures actus; quia nihilominus potest opponi de ejus mandato, *Alex.*, post alios, *cons.* 72 *n.* 2 *et* 3 *lib.* 4, *Marsil. in L. si quis ne quaestio n.* 84 *ff de quaestion.*, *Rot. decis.* 105 *n.* 6 *par.* 1 *divers.*

35. Quod tamen fallit si super dicta exceptione fuerit cognitum, et per judicium expresse vel tacite per processum ad ulteriora pronunciatum, mandatum esse legitimum, ut per *Alex. et Rotam ibid.*

36. Dummodo dicta protestatio fuerit repetita in quolibet actu, prout repeti debet ad effectum ut reddat nullum processum subsequentem, nec sufficit quod protestatio fiat una vice dumtaxat.

« Quamvis mandati oppositio fuerit facta, nisi fuerit repetita in uno « quoque actu nihil relevat, quia censetur ab ea recessum, *Ridolphin. in* « *prax. par.* 1 *cap.* 2 *n.* 183.

37. Ut de protestatione respiciente legitimationem personarum intervenientium, voluit *Rot. coram Seraph. decis.* 1467 *n.* 2, *coram. Gregor. XV decis.* 44 *n.* 7, *coram Cavaller. decis.* 483 *n.* 8, et in *Recentior. decis.* 51 *n.* 2 *par.* 2, *et decis.* 29 *n.* 10 *et seq.*, *et decis.* 80 *n.* 5 *par.* 4 *divers.*

38. Et in qualibet protestatione in judicio facta, *Rot. coram Mohed. decis.* 2 *de judic.*, *coram Seraph. decis.* 502 *n.* 2, *et decis.* 1169 *n.* 7, *et coram Coccin. decis.* 54 *n.* 4, *et decis.* 599 *n.* 2, *et decis.* 688 *n.* 2 *par.* 1 *divers.*, *et in Recent. decis.* 55 *n.* 5 *par.* 2, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 92 *n.* 2.

39. Praeterquam quando comparet falsus procurator, nam eo casu non est opus ut dicta protestatio repetatur in quolibet actu, *Marescott. d. cap.* 92 *n.* 5.

40. Quod si dicta protestatione non obstante, judex procedat ad ulteriora, non exhibito mandato, debet protestans non tacere, ne videatur a dicta protestatione recedere, sed debet appellare a processu ad ulteriora, alias processus sustineretur, *Rot. d. decis.* 80 *n.* 5 *par.* 4 *divers.*

41. Etiam si judicium fiat cum eo qui tamquam procurator minoris intervenit, prout etiam contra istum posse excipi de mandato, et dictam exceptionem officere, post *Jas. et alios in L. non eo minus cod. de procur.* dixit *Rot. d. decis.* 105 *n.* 3 *par.* 1 *divers.*, adeo ut si facta oppositione contra procuratorem pro minore interveniente, judex procedat ad ulteriora, nulliter agat, ut subdit ibi *Rot. n.* 5 *vers. adde quod*, post alios quos allegat.

42. Hoc tamen casu ultra oppositionem cavere debet opponens, quod cum eo judicium non prosequatur cum dicto procuratore, quia tunc acta tenerent ad favorem minoris, licet secus contra ipsum, *Joannes de Anania cons.* 93 *n.* 1 *ad fin. vers. circa primum*, *Marescott. d. cap.* 92 *n.* 3.

43. Quarto limitatur, ad effectum constituendi aliquem in mora, *Alex. cons.* 78 *n.* 8 *lib.* 5, *Marcabr. cons.* 32 *n.* 82, nam qui vult constituere aliquem in mora solvendi vel implendi aliquid, quod procurator petat solvi vel impleri suo principali, opus est reali et effectuali mandati exhibitione, ut supra fuit dictum in fine primae limitationis.

44. Postquam autem mandatum fuit productum et admissum, non potest amplius impugnari, *Marsil. in L. si quis ne quaestio n.* 84 *de quaest.*, *Rot. in Recent. decis.* 754 *n.* 3 *par.* 2, *et d. decis.* 105 *n.* 7 *par.* 1 *divers.*

45. Nisi tempore productionis fuerit impugnatum, et contra illud oppositum, quia poterit postea impugnari, ut dixit *Rot. d. decis.* 754 *n.* 3.

46. Sed eo casu necesse est ut in quolibet actu dicta oppositio et impugnatio repetatur, ut supra fuit dictum.

47. Opponens autem hanc exceptionem mandati potest huic exceptioni renunciare non solum expresse, sed etiam tacite, procedendo ad ulteriora absque dicta oppositione, ut resolvit *Rot. coram Caesar. de Grass. decis.* 17 *quae est* 2 *de procur. n.* 5.

« Non potest procedi per contradictas quando procurator est in actis « constitutus vel comparuit in actis, et procedendo, mandatum procurae

« acceptavit, protestans nihil fieri nisi ipso in quolibet actu legitime citato,
« *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 30.

« Fallit hoc, si dictus procurator moriatur vel se absentet non relicto
« substituto, nam poterit hoc casu procedi per contradictas etiam non in-
« timata morte vel absentia a principali, *Ridolphin. ibid. n.* 31, qui *ex Bel-*
« *tramin. ad Gregor. decis.* 430 *n.* 8, ait quod decisio *Egid.*, quae facit in
« contrarium non servatur in praxi.

« Et sufficit de absentia procuratoris docere postea, licet tempore
« obtenti decreti de ea non constet in actis, dummodo revera procurator
« esset eo tempore absens; prout idem juris est de partis contumacia, cum
« possit etiam de ea postea doceri, *Ridolphin. ibid. n.* 32.

CAPUT CIV.

MANDATUM IN EXTRAJUDICIALIBUS QUANDO SIT PRODUCENDUM.

SUMMARIUM

1. *In extrajudicialibus debet produci mandatum, licet non fuerit oppositum, alias quidquid geritur est nullum.*
2. *Procurator habens speciale mandatum ad protestandum et interpellandum, illud debet in ipsa protestatione et interpellatione exhibere.*
3. *Idem procedit si lis mota venditori sit denuncianda.*
4. *Actus quando dicatur judicialis, sive potius extrajudicialis.*
5. *Qui actus remaneant mere extrajudiciales.*
6. *Praedicta denunciatio ipsimet venditori, non vero ejus procuratori fieri debet.*
7. *Limitatur, ubi nuncio non datur ad principalem tutus accessus.*
8. *Quid, ubi iste latitet vel sit absens?*
9. *Forma data a statuto in dubio censetur substantialis.*
10. *Et actus contra illam factus est ipso jure nullus.*
11. *Procuratori ad exigendum non recte solvitur, nisi per eum ostenso mandato.*
12. *Quid si caverit suum principalem solutionem ratam habiturum.*
13. *Procurator ad contrahendum, suum tenetur exhibere mandatum priusquam ad contrahendi actum accedat.*
14. *Nec sufficit quod tantum doceat se ad talem contractum esse legitimum procuratorem.*

15. *Alias tenetur parti ad omne damnum et interesse.*
16. *Cur sit necessaria praedicta mandati exhibitio; remissive.*

1. Vidimus in praecedenti capite quando sit producendum mandatum in judicialibus, sequitur ut videamus quando debeat produci in actibus qui fiunt extra judicium. In quo juris articulo est firmanda conclusio, quod in explicatione actuum extra judicium facienda, constet de mandato asserti procuratoris qui procuratorio nomine actum explicare vult per illius productionem, quamvis de illo non excipiatur; alias quidquid geritur est nullum et nullius effectus, *Bald. in rubr. cod. de poss. quaest.* 4 *n.* 4, *Chassan. ad consuetud. Burgund. rubr.* 4 § 5 *in Tex. sans procuration n.* 5 *col. mihi* 568.

2. Hinc procurator quamvis habeat mandatum speciale ad protestandum et interpellandum, quale ad effectum praefatum requiri diximus supra *cap. LXIX in quibus casibus requiritur mandatum speciale* ad hoc ut protestatio et interpellatio afficiat, procurator tenetur etiam non requisitus in ipsa protestatione et interpellatione suum mandatum exhibere, *Bart. in L. si quis inficiatus n.* 1 *ff depos.*, *Bald. in d. rubr. cod. eo tit. n.* 4, *Affl. decis.* 316 *n.* 3, *Ang. in L. de pupillo* § *qui procuratorio n.* 2 *ff de nov. oper. nunc.*, *et in L. ait praetor* § *quod ait circa fin. ff de iis quae in fraud. credit.*, *Sim. de Pret.*, qui alios allegat, *cons.* 125 *n.* 30 *lib.* 1, *Rot. decis.* 535 *n.* 8 *in fin. par.* 1 *Recent.*

3. Similiter si per procuratorem sit denuncianda venditori lis mota emptori, procurator iste debet de suo mandato in ipsa denunciatione docere, *Bart. in L. qui absentem n.* 4 *et* 5 *ff de procur.*, *Rim. Sen. cons.* 147 *n.* 4 *lib.* 1.

4. Et licet ista litis denunciatio, protestatio et interpellatio fiant judicis auctoritate, non possunt tamen dici actus judiciales, sed debent considerari tamquam actus facti extra judicium: non enim dicitur judiciarius quilibet actus, qui per judicem vel illius auctoritate explicatur, sed ille dumtaxat qui non potest explicari nisi in illis diebus in quibus jus redditur, et judice sedente pro tribunali, ut bene declarat *Alex. cons.* 78 *n.* 16 *cum duobus seqq. lib.* 5.

5. Et proinde cum actus praefati possint fieri singulis diebus, praecedente tamen judicis auctoritate etiam in camera et deambulando interposita, ut experientia ipsa demonstrat, remanent actus mere extrajudiciales.

6. Caeterum circa denunciationem lubet adnectere dubitationem, licet ea videatur extra propositum articulum; an illa fieri possit procuratori venditoris, an vero sit facienda ipsi venditori. Et quod non possit fieri procuratori sed debeat fieri ipsimet principali dicit *Bart. in L. non solum* § *morte*

n. 61 *ff de nov. oper. nunc.*, quem ibi sequuntur DD. communiter, *Sim. de Praet. cons.* 125 *n.* 30, *Rot. decis.* 535 *n.* 8 *par.* 1 *Recent.* Qui licet loquantur in casu quando copia venditoris haberi potest, et propterea videantur sentire quod quando copia principalis venditoris haberi non potest, denunciatio possit fieri illius procuratori, ut dicit *Rot. d. n.* 8.

7. Ista tamen illatio videtur restringenda ad unum casum dumtaxat, videlicet, quando non posset haberi copia principalis ex eo quia reperiatur in loco ad quem nuncio non detur tutus accessus, prout ad dictum casum se restrinxit *Rot. decis.* 132 *n.* 1 *lib.* 2 *par.* 3 *divers.*

8. Secus autem si non possit haberi copia principalis ex eo forte quod latitet; ita ut ignoretur uti moram trahat, vel est in remotis vel longinquis partibus: in his enim casibus non est facienda denunciatio procuratori sed debet fieri per aedictum, si per statutum loci non sit data alia forma procedendi contra absentes et absentatos, prout data est in hac Perusina civitate, *lib.* 1 *statutor rubr.* 171 *in addict. et in* 2 *lib. rubr.* 26, quae forma esset praecise observanda sub poena nullitatis.

9. Nam forma data a statuto in dubio censetur substantialis, *Bec. cons.* 12 *n.* 15 *lib.* 1, *Paris. cons.* 95 *n.* 23 *lib.* 1, *Osasch. decis. Pedemont.* 165 *n.* 16, *Tiraq. de retract. lign.* § 36 *Gloss.* 2 *n.* 29, *Rim. Jun. cons.* 207 *n.* 19 *lib.* 2.

10. Et proinde actus factus contra formam statuti est ipso jure nullus, *Bald. in L. cessante col. fin. cod. quomod., et quand. judex*, *Alex. cons.* 137 *n.* 16 *lib.* 2, *Rol. cons.* 63 *n.* 24 *lib.* 4, *Natt. cons.* 272 *n.* 4, *Rim. Jun. cons.* 79 *n.* 15 *lib.* 1, *Felin. in cap. cum dilecta n.* 36 *et* 55 *vers. nono ampl. extr. de rescript.*, *Bec. d. cons.* 12 *n.* 18 *lib.* 1, *Asinius in sua prax. judic.* § 3 *cap.* 36 *n.* 5.

11. Prout etiam procuratori ad exigendum non potest recte solvi nisi ostenso per eum mandato per publicum et authenticum instrumentum, *Bald. in L. falsus n.* 27 *cod. de furt.*, *Boer. decis.* 281 *n.* 211, *Sim. de Praet. cons.* 83 *n.* 7 *lib.* 1, *Gloss. in L. non solum* § *qui nomine alieno in verb. debet circa med. ff de procur.*, et alii relati a *Jas. in L.* 1 *in* 5 *fallent. n.* 1 *cod. eo tit.*

12. Coeterum posset dubitari an recte solvatur huic procuratori non exhibenti mandatum, si caverit suum principalem ratum habiturum dictam solutionem: pro resolutione cujus dubitationis videnda sunt dicta per nos *cap. LXIV de satisdatione praestanda a procuratore.*

13. Et de procuratore ad contrahendum quod antequam ad actum contrahendi accedat, debeat de sua facultate et potestate fidem facere, *Bart.*, et communiter alii, *L.* 1 *cod. creditor eviction. pignor. non deber.*, cum aliis cumulatis a *Bertaz. cons. civil.* 70 *n.* 13, *et cons.* 106 *n.* 30 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 641 *n.* 12 *et seqq. lib.* 6.

14. Immo non sufficit quod doceat se esse procuratorem legitimum ad contractum illum peragendum, sed opus est ut mandatum exhibeat, *Bart. in L. procurator, qui pro evictione n.* 4, et ibi *Paul. de Castr. n. . . ff de procur.*, quos et alios refert *Mastrill. decis.* 179 *n.* 7 *lib.* 2, *Bertaz. d. cons.* 70 *n.* 13 *et d. cons.* 106 *n.* 30.

15. Alias tenetur parti cum qua contraxit ad omne damnum et interesse, *Alex. cons.* 136 *n.* 1 *lib.* 6, *Bertaz. ubi supra, Rim. Jun. d. cons.* 641 *num.* 15.

16. Cur autem sit necessaria haec mandati ad contrahendum exhibitio diximus supra *cap. LXX de mandato ad contrahendum.*

CAPUT CV.

DE RATIFICATIONE GESTORUM.

SUMMARIUM

1. *Ubi nullum praecessit mandatum vel insufficiens ad actum gestum, ne iste remaneat irritus debet ratificari.*
2. *Ratificatio supplet defectum mandati.*
3. *Quare ubi illud praecessit non est necessaria.*
4. *Aequiparatur mandato.*
5. *Idem est actum ratificare ac ipsum gerere.*
6. *Ratificatio retrotrahitur ad tempus actus gesti.*
7. *Tantum operatur ubi non praecessit necessarium mandatum.*
8. *Non requiritur si constituens in procuratorio promittat se ratum habiturum quidquid erit gestum per ejus procuratorem.*
9. *Clausula et promissio de rato tacite inest mandato.*
10. *Est tamen utilis illius adiectio, et de ratione.*
11. *Et est ampliativa mandati.*
12. *Contra, quod praecedens mandatum non extendat.*
13. *Et sit intelligenda restrictive ad expressa et specificata in mandato.*
14. *Nec tamen quoad illa operetur speciale mandatum.*
15. *Si constituens promittat ratum habere quidquid a procuratore legitime gestum fuerit, mandatum redditur invalidum.*
16. *Item si dicat quidquid a procuratore utiliter gestum fuerit.*
17. *Per procuratorem gesta, pro parte acceptare, et pro parte improbare non potest.*
18. *Tunc posset semper opponere gesta per procuratorem non esse sibi utilia vel legitime facta.*

19. *Contra hujusmodi mandata semper est opponendum.*
20. *Quamvis essent juramento firmata.*
21. *Juramentum ad specificata restringitur.*
22. *Ratificatio est triplex, expressa, tacita et praesumpta.*
23. *Praesumpta ab ipsa lege inducitur ob temporis lapsum.*
24. *Mandatum ob lapsum longissimi temporis non praesumitur.*
25. *Minor absque solemnitatibus rem alienans, si major factus per quadriennium taceat, lex illam ratam habere eum praesumit.*
26. *Nec valet amplius opponere de illius nullitate.*
27. *De jure quoque canonico in terris Ecclesiae.*
28. *Praedicti temporis lapsus non praesumptionem sed ratihabitionem inducit.*
29. *In hujusmodi ratificatione praesumpta nullae requiruntur solemnitates.*
30. *Et insurgit etiam ex actu qui citra jus et nomen ratificationis fieri non potuit.*

1. Diximus de mandato dato tam ad lites et ad judicialia, quam ad negocia extra judicium peragenda: verum quia aliquando nullum praecedit mandatum ad actum gestum vel non est sufficiens ad dicti actus legitimam explicationem; ideo ne actus praefatus remaneat irritus et nullius effectus, receptum est ut is cujus nomine et ad cujus utilitatem actus ille gestus fuerat, illum ratificet, et mediante ratificatione validum reddat.

« Mandatum solet praecedere non subsequi actum, *Rota decis.* 298 *n.* 4 « *par.* 8 *Recent.* Quia mandati natura est, ut conferatur super futuro, et « detur super eo quod est faciendum, non autem super id quod est jam « factum, *Rot. decis.* 134 *n.* 14 *et* 15 *par.* 9 *tom.* 1, *et decis.* 109 « *n.* 27 *par.* 17 *Recent.* Unde potius dicitur actus praeparatorius ad actum « quam actus perfectus, *Rot. decis.* 178 *sub n.* 6 *par.* 10 *Recent.*

2. Nam sequens ratihabitio et ratificatio, defectum mandati supplet.

3. Ac proinde quando praecessit mandatum, ratificatio non est necessaria, *L. si procurator*, in illis verbis *neque postea expectandum est*, et ibi *Jas. n.* 2 *ff de cond. indeb.*

4. Et tunc mandato aequiparatur, *L. fin. cod. ad Macedon. cap. ratihabitio de regul. jur. in* 6, *Paris. cons.* 47 *n.* 33 *lib.* 1, *Laurentius Tenninus Rodulphus Cautel.* 97 *n.* 1, *Menoch. lib.* 2 *praesumpt.* 39 *in princ., Honded. cons.* 38 *n.* 4 *lib.* 1, *Jas. in L. licet n.* 11 *cod. de procur.*, cum aliis relatis a *Burs. cons.* 193 *n.* 31 *lib.* 2.

« Ratificatio obtinet vim mandati, *Actolin. resolut.* 110 *n.* 43.

« Sanatur aliquando defectus mandati per ratificationem, *Ridolphin. in* « *prax. par.* 1 *cap.* 13 *n.* 364.

« Ratificatio aequipollet mandato, et ubi mandatum speciale requiri- « tur, *Palma Nepos decis.* 169 *n.* 12 *lib.* 2.

« Ratificatio idem operatur ac mandatum de tempore actus, *Saminiat.* « *controv.* 32 *n.* 71 *lib.* 1.

« Ratificatio aequipollet mandato, ejusque vicem habet etiam in iis in « quibus illud speciale requiritur, *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 84 « *n.* 10, *et disc.* 110 *n.* 2, *Rota in Mantiss. ad Card. de Luc. de jurisdict.* « *lib.* 3 *decis.* 5 *n.* 12 *tom.* 1.

« Ratificatio multum prodest ad declarandum quae non fuerit domini « voluntas a principio, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 « *decis.* 46 *n.* 34 *tom.* 1.

« Ratificatio obtinet vires verae et realis confessionis etiam in iis in « quibus requiritur speciale mandatum, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc.* « *de usur. lib.* 5 *decis.* 1 *n.* 8 *tom.* 3.

« Ratificatio aequiparatur mandato, *Thomat. decis.* 149 *n.* 2 *par.* 2.

5. Et perinde est ac si qui actum ratificat, actum ipsum gessisset, *Alex. cons.* 117 *n.* 2 *lib.* 5, *Corn. cons.* 104 *n.* 5 *vers. quantum autem lib.* 4.

6. Nam retrotrahitur ad tempus actus gesti, *L. licet ff de judic., d. L. fin. cod. ad Macedon.*, *cap. cum quis de sentes. excommun. lib.* 6, *Dec. cons.* 58, *Crav. cons.* 904 *n.* 2 *lib.* 2, *Soc. Jun. cons.* 134 *n.* 63 *lib.* 3, *Honded. d. cons.* 38 *n.* 7, *Alex. d. cons.* 117 *n.* 2 *vers. et talis.*

« Ratificatio retrotrahitur ad tempus actus gesti et initi contractus, « *Saminiat. controv.* 32 *n.* 84, *et controv.* 33 *n.* 51 *lib.* 1.

« Ratificatio retrotrahitur ad tempus celebrati contractus; et ideo pe- « rinde est ac si ille ab initio validus fuisset, *Thomat. decis.* 159 *num.* 4 « *par.* 2.

7. Operatur enim dumtaxat, ubi non praecessit necessarium mandatum, *Rot. decis.* 211 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*

8. Quae tamen ratificatio multo minus esset necessaria, si constituens in procuratorio promitteret se habiturum ratum quidquid per dictum procuratorem gestum erit; nam illa clausula operatur ut dicto procuratori censeatur datum mandatum ad illum actum explicandum *cap. cum dilecti in princ.* juncta *Gloss.* 1 *in fin. extr. de dol. et contumac.*, per quem Tex. *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilitat. seu mand. n.* 113 *vers. posset tamen*, et quamvis ubi praecessit mandatum et clausulam illam dicat esse superfluam, *Gloss. in L. si procuratorem in verb. ratum ff. de procur.*

9. Quia in mandato dicta clausula et promissio rati tacite inest, *Alex.*

cons. 41 *n.* 5 *lib.* 3, *et d. Gloss. dicit singularem Angel. in L. si procurator n.* 2 *ff de condict. indeb.*

10. Est tamen utilis, ut subdit ibidem *Angel.*, quia promittens de rato poterit conveniri, ubi alias non posset

11. Et ampliat mandatum; nam virtute dictae clausulae ampliatur mandatum, quia procurator poterit compromittere et transigere, ut post alios dicit *Angel. in d. L. si procuratorem n.* 4.

12. Quod tamen ultimum a DD. communiter non recipitur, dum firmant, quod dicta clausula non extendit mandatum praecedens, *Abb. in cap. pro illorum super Gloss.* 1 *n.... extr. de praeben., Vant. ubi supra n.* 213.

13. Sed debet intelligi restrictive ad expressa et specificata in procuratorio, *Rim. Sen. cons.* 67 *n.* 11 *lib.* 1, *Marcabr. cons.* 66 *n.* 94 *et seq., Surd. cons.* 160 *n.* 35 *lib.* 2, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 21.

14. Non tamen circa expressa et specificata in procuratorio operatur mandatum speciale, ut multorum auctoritate firmat *Beroius quaest.* 25 *n.* 6, contra *Bart. in L. procurator cui n.* 4 *ff de procur.*

15. Si autem dictae clausulae esset adjectum verbum, *legitime*, puta si dominus constituens promittat habere ratum et firmum quidquid a procuratore constituto legitime gestum fuerit, mandatum reddetur invalidum, *Franc. Marc. decis.* 691 *par.* 2, *Mantic. d. tit.* 16 *n.* 21.

16. Prout si in procuratorio diceretur « quidquid a procuratore constituto utiliter gestum fuerit ».

17. Non enim potest constituens gesta per procuratorem pro parte acceptare, et pro parte improbare, *Bald., Salic., et Alex. n.* 5 *in L. si procurator cod. de procur., Jas.*, qui testatur de communi, *in L. fin. n.* 3 *ff de offic. procur., Caesar Mantic. d. tit.* 16 *n.* 22, *Cepoll. cons. crimin.* 47 *sub n.* 8, *Decian. cons.* 68 *n.* 16 *lib.* 3.

18. Nám constituens potest semper opponere id quod a procuratore gestum fuit non esse sibi utile nec legitime factum, *Vant. ubi supra n.* 112, qui alios allegat.

19. Admonens contra dicta mandata esse semper opponendum, ne negligentiae ipsius quod cum tali procuratore litigaverit vel contraxerit imputari possit.

20. Quod procedit, licet constituens firmasset tale mandatum juramento, *Vant. ubi supra n.* 114, *Seraph. de privileg. juram. privil.* 148 *n.* 3 *et seqq.*

21. Juramentum enim restringitur ad specificata.

22. Quamobrem, cum gesta per assertum procuratorem vel nullum habentem mandatum, vel habentem insufficiens, possint ab eo cujus nomine et ad cujus utilitatem gesta sunt per sequentem ratificationem vali-

dari; operae praetium esse duxi, ut aliqua breviter de hujusmodi ratificatione dissererem; et quoniam illa est triplicis generis, quia alia est expressa, alia quae inducitur ob lapsum temporis, quam praesumptam appellat *Gozad. cons.* 11 *n.* 16 *et n.* 19 *vers. praeterea ex alio*, *et Gabr. cons.* 13 *n.* 13 *vers. sed difficultatem*, *et cons.* 36 *n.* 55 *lib.* 1, et alia est tacita, *Curt. Jun. cons.* 50 *n.* 9, *Soc. Jun. cons.* 146 *n.* 14 *lib.* 3, *Gabr. d. cons.* 36 *n.* 55 *lib.* 1, *Menoch. de recuper. poss. remed.* 15 *n.* 111, *et multis seqq.*, *Sim. de Praet. cons.* 79 *n.* 74 *et seq. lib.* 1. De ea specie, quam lex praesumit ex patientia et taciturnitate ob temporis lapsum, aliqua breviter in hoc capite subnectemus; sed in sequentibus capitibus circa expressam et tacitam sermo noster aliquantulum evagabitur.

23. Praesumpta igitur ratificatio inducitur ob lapsum temporis ab ipsa lege, quae praesumit hanc esse vuluntatem ejus de cujus praejudicio agitur, ut dicit *Gabr. d. cons.* 13 *n.* 14 *et d. cons.* 36 *n.* 59.

« Ratificatio contractus inducitur ex diuturna triginta annorum obser-
« vantia, *Thomat. decis.* 159 *n.* 6 *par.* 2.

« Ratificatio praesumitur ex longo temporis intervallo, puta per lap-
« sum septuaginta annorum absque ulla contradictione, *Rot. in Mantiss.*
« *ad Card. de Luc. de fideicommissis lib.* 10 *decis.* 50 *n.* 18 *tom.* 2.

24. Licet enim mandatum ob lapsum longissimi temporis non praesumatur, ut diximus *cap. XXX mandatum an praesumatur ob temporis diuturnitatem*, praesumitur tamen ratificatio, *Dec. cons.* 297 *n.* 3 *in fin. et n.* 4, *Gozadin. cons.* 11 *n.* 16 *per Tex. in L. filii cod. de petit. haered.*, *Gabr. de procur. concl.* 1 *n.* 14 *et* 15, *Pappon. cons.* 174 *n.* 3, *Menoch. cons.* 1 *n.* 82 *et praesumpt.* 33 *n.* 30 *et seqq. lib.* 2, *Rot. coram Cavaller. decis.* 10 *n.* 2, *et in Romana Census* 17 *Februarii* 1634 *coram Merlino.*

25. Potest dari exemplum in minore qui rem suam alienavit non adhibitis solemnitatibus a jure requisitis; nam si factus major taceat per quadriennium, lex praesumit eum habere ratam dictam alienationem ex novo consensu, *L. fin. cod. si major factus lib.* 5.

26. Ita ut non possit amplius de nullitate dictae alienationis opponere, *Crav. cons.* 102 *n.* 7 *circa princ. lib.* 1, *Paris. cons.* 49 *n.* 14, 24 *et* 55 *lib.* 1, *et cons.* 16 *n.* 95 *et seq. lib.* 2, *Soc. Sen. cons.* 147 *sub num.* 10 *lib.* 1, *Grat. cons.* 47 *in fin. lib.* 1, *Gabr. d. cons.* 13 *n.* 13 *vers. difficultatem lib.* 1, *Natt. cons.* 593 *n.* 14 *lib.* 3, *Menoch. de recup. possess. remed.* 15 *n.* 114 *et seqq.*, *Joannes de Imol. cons.* 98 *n.* 16, *Soc. Jun. cons.* 18 *n.* 32 *lib.* 3, *Ceph. cons.* 240 *n.* 7 *lib.* 2, *Alex. Raudens. cons.* 10 *n.* 126, *Barz. decis.* 75 *n.* 13 *et decis.* 96 *n.* 47, *Achilles Pedroccha cons.* 37 *n.* 40 *lib.* 1, *Vincentius Fusarius* late *cons.* 142 *n.* 2 *lib.* 2, *Simoncell. de decret. lib.* 3 *tit.* 9 *inspect.* 1 *n.* 3 *et seqq.*

27. Etiam in terris Ecclesiae de jure canonico, *Menoch. d. remed.* 15 *num.* 189.

28. Quia cursus hujus temporis non praesumptionem, sed ratihabitionem inducit, ut omnes crebrius tenere testatur ibi *Menoch. n.* 188, et sequitur *Simoncell. de decret. d. tit.* 9 *inspect.* 2 *n.* 43.

Aliter etiam exemplificat *Soc. Jun. cons.* 139 *n.* 12 *vers. tertio etiam* et infra, *et cons.* 146 *n.* 12 *et seqq. lib.* 3, *et Sim. de Praet. cons.* 79 *n.* 13 *vers. postremo* et infra *lib.* 1, et alii in aliis locis, quae cum non faciant ad materiam nostri tractatus consulto omitto.

29. Unum tamen omittere nolui, quod in ista praesumpta ratificatione, cum fiat per legem absque ullo facto hominis, nullae sunt necessariae solemnitates, *Paris. cons.* 49 *n.* 24 *lib.* 1, *Ceph. cons.* 315 *n.* 2 *et seqq.*, et expressius *cons.* 316 *n.* 84 *lib.* 3.

30. Insurgit etiam praesumptio ratificationis ex actu qui citra jus et nomen ratificationis fieri non poterat, *Corn. cons.* 269 *n.* 2 *lib.* 1, *Cels. Hug. cons.* 22 *n.* 27, *Bursat. cons.* 119 *n.* 19 *lib.* 1, *Surd. cons.* 164 *n.* 46 *lib.* 2, *Turret. cons.* 58 *n.* 12 *lib.* 2.

« Ratificatio insurgit ex actu qui citra jus et nomen ratificantis fieri « non potest, *Thomat. decis.* 159 *n.* 5 *par.* 2 *et decis.* 274 *n.* 12 *par.* 2.

« Nota, quod hic videntur forsan posse magis congrue referri ea quae « ex *Saminiato* adnotantur *cap.* 108 *ad n.* 2.

« Ratificatio inducitur per actus necessario illam inferentes juncta scien- « tia omnium pactorum contractus ratificati, *Rot. in Mantiss. ad Card. de* « *Luc. de credit. et debit. lib.* 8 *decis.* 51 *n.* 7 *tom.* 3.

CAPUT CVI.

DE EXPRESSA RATIFICATIONE ET EJUS EFFECTIBUS.

SUMMARIUM

1. *Ratificatio quando dicatur expressa.*
2. *Circa hujusmodi ratificationis speciem, de quibus auctor agere intendat.*
3. *Ratificatio sequens convalidat actum antea etiam nulliter gestum.*
4. *Non valet tamen ut ex tunc, sed ut ex nunc.*
5. *Idem procedit in gestis per falsum procuratorem.*
6. *Sive sint gesta in actibus judicialibus sive in extrajudicialibus.*
7. *Dummodo talis procurator sit alioquin habilis ad procuratoris munus exercendum.*
8. *Et actus non fuerint gesti in audientia Principis, vel Senatus.*

9. *Obreptio in Principis audientia est detestabilis.*
10. *Et dummodo eadem gesta, fuerint ratificata prius quam dictum fuerit de nullitate ex dicto capite.*
11. *Quid si ratificans declaret se dicta gesta habuisse rata antequam de illorum nullitate esset dictum?*
12. *Sequens ratificatio convalidat etiam gesta per assertum procuratorem, et quae alioquin requirerent speciale mandatum.*
13. *Contraria affertur opinio.*
14. Calcan. cons. 77 n. 10 *atque illius asseclae refutantur, et datur intellectus* Glossae fin. in L. si maritus cod. mand.
15. *Gesta per procuratorem non habentem mandatum non solum possunt ratificari a domino, sed etiam ab ejus procuratore domino litis effecto; licet iste expresse tantum ea ratificare valeat.*
16. *Contrarium tamen procedit, ut scilicet non possint ratificari, ubi illorum ratificatio tenderet in praejudicium tertii cui ex eis jam esset jus quaesitum.*
17. *Contraria refertur opinio, quae quando procedat.*
18. *Jus dicitur tertio quaesitum quando ejus nomine de actorum nullitate fuit oppositum.*
19. *Quo casu nec minor gesta ab asserto ejus procuratore ratificare valet.*
20. *Quando negativa procedat sententia.*
21. *Item quando procedat sententia negativa.*
22. *Similiter gesta per hujusmodi procuratorem ratificari non possunt ubi lex vel statutum ab initio requirit mandatum.*
23. *Ratificatio tamen in damnum ratificantis valet.*
24. *Sic etiam ubi mandatum pro forma actus gesti requiritur.*
25. *Et postquam fuit oppositum de mandato cum protestatione quando gesta ratificari non possint, quia tunc res non dicitur integra.*
26. *Ratificatio, ut relevet, re integra fieri debet.*
27. *Vel ubi agitur de actu qui non dependet ab ipso ratificante.*
28. *Pater non potest ratificare legitimationem factam a Principe ad petitionem falsi procuratoris, quia illa non ab eo sed ab ipso Principe dependet.*
29. *Nemo potest ratificare actum quem ipse gerere non poterat.*
30. *Non potest pariter ratificari actus in cujus explicatione fuit peccatum in forma.*
31. *Vel qui fuit ab initio nullus.*

32. *Ob ratificationem sequitur validatio actus nulli, et actus valet ut ex nunc.*

33. *Contra, ubi aliquando habuerit statum validitatis.*

34. *Opinio* Surdi decis. 215 n. 7 *reiicitur.*

35. *Ratificatio nullam similiter vim habet quoties rigor et non aequitas servari debet.*

36. *Solum enim per fictionem aequiparatur mandato.*

1. Expressa ratificatio fit quando expressis verbis exprimitur, puta, si pendente judicio inter Mevium et Titium, assertum procuratorem Sempronii, superveniat mandatum Sempronii in personam Titii cum expressa ratificatione gestorum per ipsum Titium in dicta lite et causa, *L. Paulus, L. cum minor § fin., L. Julianus ff rem. rat. haber., Gabr.*, qui multos allegat, *in tit. de judic. conclus.* 3 *n.* 16, *Menoch. de recup. possess. remed.* 15 *n.* 112 *et seq.*

« Est notandum, quod si in aliquo instrumento aliqua scriptura fuerit « inserta, vel tenor alicujus apochae de verbo ad verbum fuerit recensitus « ubi principalis ratificaverit et approbaverit omnia in instrumento contenta, « utique ratificatio et approbatio complectitur etiam apocham seu scripturam « in eodem instrumento contentam, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de « credit. et debit. lib.* 8 *decis.* 24 *n.* 17 *tom.* 3.

2. Circa hanc ratificationis speciem de duobus est agendum, videlicet de illius effectibus, in praesenti capite, et quae requirantur ad effectum ut dicta ratificatio relevet, in sequenti capitulo.

3. Primus itaque effectus est, ut ratificatio sequens convalidet actum retro gestum, licet esset gestus nulliter, *L. fin. cod. ad Macedon., cap. ratihabitionem de regul. jur. in* 6, *Alex. cons.* 117 *n.* 2 *lib.* 5, *Ceph. cons.* 51 *n.* 43 *lib.* 1, *Ang. Aret. cons.* 128 *n.* 3 *vers. secunda species, Bald. cons.* 475 *n.* 3 *lib.* 1, *Surd. decis.* 245 *n.* . . , *Honded. cons.* 38 *n.* 6 *et seqq. lib.* 1.

4. Quo autem ad convalidationem actus nulliter gesti, hoc intelligendum est, ut valeat non ut ex tunc tempore quo gestus fuit, sed ut ex nunc tempore ratificationis, *Honded. d. cons.* 38 *n.* 22, *Simoncell. de decret. lib.* 3 *tit.* 9 *n.* 18, *Petr. Caball. cons.* 142 *n.* 26 *lib.* 1.

« Ratificatio actus invalidi, nihil aliud est quam novus actus, *Thomat. « decis.* 100 *n.* 13 *par.* 1.

« Unde in ratificatione actus nulli consideratur tempus ratificationis, « *Thomat. ibid. n.* 14.

« Ita ut operetur validitatem non ex tunc, sed ex nunc, *Thomat. ubi* « *supra n.* 15, *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 13 *n.* 10.

« Quidquid autem sit circa praejudicium tertii qui medio tempore jus « quaesivit, quo casu intrat distinctio an ratificatio esset necessaria vel « voluntaria, adeo ut respective operetur ut nunc vel ut tunc; attamen « quoad ipsum principalem atque in ejus praejudicium ita fingitur, ac si « primus actus a mandatario gestus, per se ipsum gestus esset, *Card. de* « *Luc. de credit. et debit. disc.* 36 *n.* 6, a quo allegantur *Gabr. cons.* 80 « *n.* 3 *et cons.* 144 *n.* 5 *lib.* 1, *Surd. decis.* 69 *et decis.* 245, *Salgad. in* « *Labyrint. par.* 2 *cap.* 10 *n.* 58 *et cap.* 21 *n.* 53, *Rot. decis.* 35 *n.* 10 « *et* 11 *post Merlin. de pignor.*, apud quos de dicta distinctione.

« Ubi actus est ab initio irritus, ipsoque jure nullus, tunc subsequens « consensus seu ratificatio, cum nullum inveniat principium conservabile, « impossibile est dare retrotractionem, sed ratificatio operari dicitur ut « nunc, atque importare actum omnino novum, *Card. de Luc. de legitima* « *disc.* 23 *n.* 8.

« Ratificatio actus ab initio nulli non retrotrahitur ut actus ex tunc « valeat, sed solum operatur validitatem ut ex nunc, *Rot. in Mantiss. ad* « *Card. de Luc. super conflictu legali lib.* 16 *decis.* 3 *n.* 32 *tom.* 4.

5. Iste autem effectus operatur etiam respectu eorum quae gesta fuerunt per falsum procuratorem, *Felin. in cap. nonnulli* § *sunt et alii n.* 39 *extr. de rescr.*, *L. si procuratori ff de condict. caus. dat.*, et ibi *Jas. n.* 1, *Cels. Hug. cons.* 73 *n.* 8 *vers. cum tamen alias per Tex. in L. licet*, et ibi *Gloss. et Bart. n. . . . ff de judic.*, *Rot. decis.* 455, *quae est* 39 *in fin. de rescr. in nov.*, et ibi *Addent. n.* 2, *Thesaur. decis.* 7 *per tot.*

6. Sive sint gesta in actibus judicialibus, sive in extrajudicialibus, *L. licet*, et ibi *Jas. n.* 10 *cod. de procur.*, *L. licet ff de judic.*, *L.* 3 § *falsus ff rem rat. haber.*, *Jas. in L. si procuratori n.* 1 *ff de cond. caus. dat.*

7. Hoc tamen de ratificatione gestorum per falsum procuratorem est tripliciter declarandum; primo, ut procedat dummodo talis procurator esset alioquin habilis ad exercendum officium procuratoris, secus si procuratoris munus exercere non posset, *Gloss. et Bart. n. . . . in d. L. licet ff de judic.*, *Ruin. cons.* 129 *n.* 11. *lib.* 5.

8. Secundo, ut non procedat in actibus per falsum procuratorem gestis in audientia Principis vel Senatus, in quibus ratificatio non operatur.

9. Quia in audientia Principis obreptio est detestabilis, *Jas. in d. L. licet n.* 1 *et* 7 *auctorit. Bald. in L. procurator falsus col.* 1 *n. . . . cod. de furt.*, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 19 *vers. illudque circa praefata*, qui allegat *Tex.*, et ibi *Innoc. in cap. ex parte Decani vers. quia vero extr. de rescr.*

10. Tertio, declaratur dummodo gesta per dictum falsum procuratorem

fuerint ratificata antequam dictum fuerit de nullitate ex dicto capite, *Thesaur. decis.* 7 *n.* 1 *in fin.*

11. Potest tamen ratificans in actu ratificationis declarare quod ipse habuit rata acta gesta per dictum procuratorem antequam de illorum nullitate dictum esset, et sic evitare dictam acceptationem nullitatis ab adversario factam, *Dec. in L. semper qui non prohibet n.* 14 *ff de regul. jur.*, *Pancirol. cons.* 24 *n.* 8 *et cons.* 71 *n.* 12.

12. Tertius effectus est, ut ratificatio sequens convalidet etiam gesta per assertum procuratorem, et quae alioquin requirerent speciale mandatum, *L. si de speciali ff de minor.*, *Alex. cons.* 78 *n.* 19 *lib.* 5, *Felin. in cap. nulli n.* 43, *Ludovicus Zunbus in responso pro uxore n.* 55, *Tiraq. de retract. lignag. tom.* 1 § 1 *Gloss.* 10 *n.* 62, *Gabr. cons.* 194 *n.* 5 *et* 6 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 23 *n.* 31 *lib.* 2 *et cons.* 381 *n.* 92 *et cons.* 454 *n.* 10 *lib.* 4 *et cons.* 813 *n.* 9 *et seqq. lib.* 7, *Honded. cons.* 38 *n.* 5 *lib.* 1, *Surd. cons.* 43 *n.* 13 *et cons.* 60 *n.* 14 *lib.* 1 *et decis.* 154 *n.* 12 *et* 15, *idem Surd. cons.* 55 *n.* 19 *et decis.* 231 *n.* 11, *Grat. cons.* 127 *n.* 3 *et seq. lib.* 1, *Sylvan. cons.* 35 *n.* 36 *lib.* 1, *Mandos. in tract. de inhibit. quaest.* 33 *n.* 3, *Rot. Genuen. decis.* 76 *n.* 4, *Gratian. discept. forens. cap.* 704 *n.* 25, *Rot. decis.* 275 *n.* 4 *par.* 1 *Recent.*, *et coram Gregor. XV decis.* 295 *n.* 6.

13. Et licet *Calcan. cons.* 77 *n.* 10, *Paseth. cons.* 194 *n.* 20 *vers. vel secundo*, *Seraph. de privileg. juram. privil.* 148 *n.* 7, *Cephal. cons.* 441 *n.* 8 *lib.* 3, *Amat. decis. Ferrarien.* 46 *n.* 51, teneant contrarium, per *Gloss. fin. in L. si maritus cod. mand.*, respondentes *Tex. in d. L. si de speciali ff de minor.*, quod procedat dumtaxat quando dubitaretur an procurator habeat mandatum speciale, nec ne.

14. Non tamen existimo esse recedendum a prima opinione, quae communiter tenetur a scribentibus. Nam intellectus quem dat *Calcan.* et sequuntur alii ad *d. L. si de speciali*, est divinativus, et *Gloss. in d. L. si maritus* tantum abest ut neget ratihabitionem operari in iis quae requirunt mandatum speciale, ut potius id affirmare videatur dum dicit, quod petitio bonorum possessionis quae requirit mandatum speciale, ut suo loco diximus, si fiat a procuratore habente mandatum generale potest ratificari.

15. Stat igitur conclusio, quod acta gesta per procuratorem non habentem mandatum, per sequentem ratificationem convalidantur; quae procedit ut illa possit ratificare expresse non solum dominus ipse, cujus nomine gesta fuerunt, sed etiam illius procurator effectus dominus litis, licet ipse tacite ratificare non possit, *Rot. decis.* 454, *quae est* 38 *de procur. in nov.*, *et coram Crescent. decis.* 181, *quae est* 8 *de sentent. excomm. n.* 5.

16. Dantur tamen plures casus in quibus ista ratificatio operari non potest. Quorum primus afferri potest, quando ratificatio tendit ad praejudi-

cium tertii cui ante ratificationem, ex actu per assertum procuratorem facto, sit jus quaesitum, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 55 *lib.* 2, *Beroius cons.* 164 *n.* 6 *lib.* 1, *Paseth. cons.* 194 *n.* 21, *Alex. cons.* 78 *n.* 20 *lib.* 5, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 10 *n.* 69, *Cacheran. decis.* 119 *n.* 25 *et* 28, *Honded. cons.* 38 *n.* 23 *et seqq. lib.* 1, *Dec. cons.* 460 *n.* 35, *Rol. cons.* 97 *n.* 38 *lib.* 1, *Curt. Jun. cons.* 74 *n.* 9, *Ruin. cons.* 33 *n.* 4 *lib.* 1 *cons.* 200 *n.* 18 *lib.* 2 *et cons.* 73 *n.* 13 *lib.* 3, *Soc. Jun. cons.* 77 *n.* 118 *lib.* 1, *Soc. Sen. cons.* 126 *n.* 1 *lib.* 4, *Jo. Bapt. Ferrett. cons.* 8 *n.* 18 *et cons.* 209 *n.* 6.

17. Quidquid contrarium affirmet, ratificationem operari etiam ad commodum ratificantis, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 13.

18. Diceretur autem jus tertio quaesitum, quando ejus nomine fuisset oppositum de nullitate actorum, *Thesaur. decis.* 7 *in fin.*

19. Unde nec etiam minor, post oppositionem ab adversario factam, actum factum ab ejus asserto procuratore posset ratificare, *Paul. de Castr. in L. non ideo minus n. . . . cod. de procur., Beroius quaest.* 103 *n. . .*, qui de magis communi testatur, *Pinel. in L.* 1 *par.* 3 *n.* 31 *et seq. cod. de bon. matern.*, quos refert *Jacob. Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 15 *in fin.*

20. Negativam autem sententiam intelligas procedere, quoad effectum acquirendi actionem ratificanti contra tertium; secus autem quoad effectum quaerendi exceptionem contra tertium illi qui gessit actum qui ratificatur, *Paul. de Castr. in L. dispensatorem in fin. col. fin. n. . . . ff de solut., Loffred. cons.* 41 *n.* 7.

21. Secundo intellige procedere, quando defectus supervenit ex parte ratum habentis, secus si ex parte actum gerentis, *Paris. cons.* 11 *n.* 102 *lib.* 1, *Rol. cons.* 97 *n.* 61 *lib.* 1, qui inducit pro se theoricam *Bart. in L. bonorum ff rem. rat. haber.*

22. Secundus casus, quando lex vel statutum requirit mandatum ab initio, *Petr. Ant. Anguis. cons.* 45 *n.* 2 *lib.* 2, *Honded. cons.* 30 *n.* 27 *lib.* 1, *Paseth. d. cons.* 194 *n.* 20 *vers. tertio*, *Gabr. cons.* 194 *n.* 6 *lib.* 1, *Ant. Monach. decis. florent.* 18 *n.* 5, 7 *et* 8, *Cels. Hug. cons.* 73 *n.* 9 *vers. nec satis est*, *Rim. Jun. cons.* 666 *n.* 4 *et seqq. lib.* 6, ubi *n.* 4 reddit rationem ex mente *Bald.*

23. Ad damnum tamen ratificantis hujusmodi ratificatio operaretur suum effectum, ut dicit *Honded. d. n.* 27.

24. Tertius est casus, quando mandatum requiritur pro forma actus gesti, *Cels. Hug. cons.* 73 *sub n.* 9 *vers. nec satis est*, *Bald. in L. executorem n.* 5 *cod. de execut. rei judicat.*, *et in cap. ex parte Decani n.* 7 *vers. considera extr. de rescript.*, *Anguiss. d. cons.* 45 *n.* 2, *Beroius cons.* 134 *n.* 5 *et* 6 *lib.* 1.

25. Quartus casus est, in ratificatione facta postquam fuit oppositum de mandato, cum protestatione quod gesta ratificari non possint; tunc enim res desinit esse integra, *DD. in L. inter quos § alieno ff de damn. infect.*, *Felin. in cap. causam quae col. fin. n.* 14 *extr. de judic.*, *Paseth. cons.* 200 *n.* 6, *Jacob. Laurent. d. tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 14, *Burs. cons.* 191 *n.* 31 *lib.* 2.

« Statutum admittens, ad convalidandum judicium, mandatum factum « quandocumque ante sententiam cum ratificatione gestorum, locum non « obtinet quando opponens de mandato protestatus fuit nullam velle rati- « habitionem admittere, *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 3 *n.* 39.

26. Ratificatio autem fieri debet re integra, ut relevet, sicuti dicemus capite sequenti in 6 requisito.

27. Quintus est casus, in actibus qui non dependent ab ipso ratificante sed ab alia persona, *Cels. Hug. d. cons.* 73 *n.* 8 *vers. tunc enim demum.*

28. Ubi concludit quod pater non potest ratificare legitimationem factam a Principe ad petitionem et instantiam falsi procuratoris, quia legitimatio non pendet a patre, cum ipse in illa nihil disponat, sed dumtaxat consentiat Principi legitimanti.

29. Princeps autem est qui legitimat; et regulare est quod nemo potest ratificare actum quem ipse gerere non poterat, *Honded. d. cons.* 38 *n.* 26 *lib.* 1.

30. Sextus casus est, quando in explicatione actus qui ratificatur fuit peccatum in forma, *L. sicut ff de arbitr.*, *Corn. cons.* 187 *n.* . . . *lib.* 3, *Bald. in L. observare § fin. n.* . . . *ff de offic. procons.*, post quos et alios, *Cels. Hug. cons.* 108 *n.* 7 *vers. et posito quod ratificasset*, *Ruin. cons.* 172 *n.* 8 *lib.* 1, *Ciof. cons.* 66 *n.* 5 *lib.* 2.

31. Septimus afferri potest casus, in actu qui fuit ab initio nullus qui ratificari non potest, *Bart. in d. L. observare per illum Tex. in fin. ff de offic. procons.*, *Alex. cons.* 78 *n.* 24 *lib.* 5, *Surd. decis.* 215 *n.* 7, ubi dicit per ratificationem non validari denunciationem factam a procuratore non habente speciale mandatum, quale ad dictum effectum requiri alibi diximus, et sic nulliter.

32. Sed quia supra in primo effectu diximus, ratificationem sequentem validare etiam actum nulliter gestum, pro conciliatione repetendum est id quod ibi diximus, quod ob ratificationem sequatur validatio actus nulli, non tamen quod ratificatio retrotrahatur ad tempus quo actus gestus fuit, ita ut ille actus valeat ut ex tunc, sed referatur ad ipsum tempus ratificationis, ut sic actus valeat ut ex nunc, ut ibi diximus auctoritate *Honded. Simoncell. et Petr. Caball.*

33. Vel possumus hanc contrarietatem conciliare ex mente *Alex. d. cons.* 78 *n.* 24, ut ratificatio sequens validet quidem actum nulliter gestum,

dummodo habuerit aliquando statum validitatis, sed ex post facto potest annullari.

34. Ad illud vero quod dicit *Surdus d. decis.* 215, quod denunciatio facta a procuratore non habente speciale mandatum non possit validari per sequentem ratificationem, est advertendum, cum repugnet communi conclusioni formatae supra in tertio effectu, quod ratificatio operatur etiam in casibus in quibus requiritur mandatum speciale.

35. Octavus, et pro nunc ultimus casus est, in omnibus casibus in quibus est servandus rigor et non aequitas, *Paseth. d. cons.* 194 *n.* 20 *vers. quarto.*

36. Nam ratificatio aequiparatur mandato, non per veritatem sed per fictionem, *Alex. d. cons.* 78 *n.* 20 *vers. secundo lib.* 5, *Tiraq. de retract. lignag.* § 1 *Gloss.* 10 *n.* 72.

CAPUT CVII.

RATIFICATIO UT SUFFRAGETUR QUAE SINT NECESSARIA.

SUMMARIUM

1. *Ad hoc ut gestorum ratificatio sit relevans, multa debent concurrere.*
2. *Ratificans debet habere notitiam omnium praecedentium actorum, cum omnibus eorum qualitatibus et circumstantiis.*
3. *Ista scientia debet esse certa et specifica.*
4. *Unde resultet illius probatio.*
5. *In ratificatione tacita non requiritur.*
6. *Fieri debet realis ratificatio, nec sufficit quod is cujus gesta sunt ratificanda pro domino promittat de rato.*
7. *Nec quod fiat asserto procuratori novum mandatum simpliciter absque gestorum ratificatione.*
8. *Natura mandati est ut habeat oculos ante et non retro.*
9. *Ratificatio actum gestum sequitur, mandatum vero praecedit.*
10. *Quamvis aliquando etiam sequatur.*
11. *Mandatum cum gestorum ratificatione in illius personam fieri debet qui uti assertus procurator actum fecit.*
12. *Et fieri debet ad illam eamdem causam in qua fecit acta hujusmodi procurator.*
13. *Ubi ratificans sine solemnitatibus contrahere nequeat, ratificatio fieri debet cum illismet solemnitatibus quae fuissent necessariae in explicatione actus ratificandi.*

14. *Fallit in ratificatione tacita.*
15. *Ratificatio re integra est facienda.*
16. *Etiam ad commodum ratificantis.*
17. *Secus est in foro mercatorum.*
18. *Res in proposito non dicitur integra quando fuit oppositum de nullitate actorum.*
19. *Vel quando fuit facta protestatio quod gesta ratificari non possint.*
20. *Acta per asserium procuratorem facta ratificari non possunt, ubi etiam illa fuerunt tantum impugnata ex defectu mandati.*
21. *Contraria refertur sententia.*
22. *Ubi ratificatio non valet an aliquid operetur.*
23. *Quid aliud operetur ratificatio.*
24. *Quod ratificatur debet esse gestum nomine ratificantis.*
25. *Quod non est gestum meo nomine ratum habere non possum.*
26. *Ratificatio est facienda post paucos dies a die scientiae actus gesti.*
27. *Quando post paucos dies facta dicatur.*
28. *In praejudicium tamen ratificantis quandocumque fieri valet.*
29. *Quod in judicis arbitrio sit repositum, quando ratificatio dicatur facta post paucos dies.*
30. *Ubi sunt ratificanda gesta super quibus instrumentum fuit celebratum, necesse est ut ratificanti totus instrumenti tenor legatur.*
31. *Contraria reijcitur opinio.*
32. *Ubi ratificatio fit judicialiter, sufficit quod instrumentum fuerit productum et in actis relictum.*
33. *Tunc tamen ratificatio esset potius tacita quam expressa.*

1. Altera succedit indagatio in qua videndum est quae requirantur ad effectum ut ratificatio gestorum sit relevans; multa enim debent concurrere, et primo quidem:

2. Ut ratificans habuerit notitiam omnium praecedentium actorum cum omnibus illorum qualitatibus et circumstantiis, *Gloss. in cap. concertatione in verb. sciperit de appellat. lib.* 6, *Natt. cons.* 162 *n.* 32 *lib.* 1, *Paris. cons.* 47 *n.* 97 *lib.* 1, *Ceph. cons.* 441 *n.* 94 *lib.* 3, *Crav. cons.* 770 *n.* 6 *lib.* 4, *Menoch. cons.* 189 *n.* 12 *et cons.* 23 *n.* 37 *lib.* 2, *Thobias Nonius cons.* 89 *n.* 38, et in puneto *Jas.* post *Jo. Andr. in L. Julianus n. . . . ff qui satisd. cogan., Lancell. de attent. par. . . . in praefat. cap.* 4

n. 65, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 311 *n.* 15 *et* 16, *et decis.* 576 *n.* 14, et ibi *Addent. n. . . . et coram Coccin. decis.* 378 *n.* 10.

3. Et ista scientia debet esse certa et specifica, *Gloss. in d. cap. concertatione*, *in d. verb. sciverit*, *Coccin. d. decis.* 378 *n.* 10, *Rim. Jun. cons.* 194 *n.* 101 *lib.* 2, quidquid dixerit *Burs. cons.* 118 *n.* 12 *lib.* 1, sufficere scientiam in genere.

« Ratificatio requirit scientiam actus, non quidem confusam et gene-
« ricam, sed specificam, distinctam et certam cum omnibus facti qualita-
« tibus per eum qui in illa se fundat probandam, *Actolin. resolut.* 28 *n.* 27.

« Ratihabitio actorum per procuratorem gestorum generaliter facta
« non trahitur ad actus praejudiciales, nisi constet dominum de illis indi-
« viduam scientiam habuisse, *Actolin. resolut.* 44 *n.* 43.

« Ratificatio ad ignorata extendi non valet; ideoque illam allegans
« tenetur probare scientiam actus, quem praetendit ratificatum, et quidem
« non genericam et confusam sed specificam atque distinctam, *Actolin.*
« *resolut.* 66 *n.* 22 *cum duobus seqq.*

« Ratificatio ad ejus validitatem requirit scientiam actus gesti in
« omnibus ejus partibus et cum omnibus suis qualitatibus; ita ut non
« sufficiat praesumpta, sed requiratur certa, clara et specifica tam respectu
« facti, quam juris, *Actolin. resolut.* 110 *n.* 44 *cum duobus seqq.*

« Atque hinc dominus ex subsecuta ratificatione minime tenetur,
« quoties non habuit scientiam juris sibi competentis, actum scilicet nulliter
« gestum impugnandi, *idem ibidem n.* 48.

« Ratificatio dari non potest sine scientia ratificantis, cum voluntas
« non feratur in incognitum, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 76 *lib.* 1.

« Et ista scientia debet esse tam facti quam juris, hoc est principalis
« scire debet actum fuisse factum potuisse irritari, et ipsi jus competisse
« pro eo anullando, *Saminiat. controv.* 47 *n.* 32 *lib.* 1.

« Ratum quis habere non potest quod ignorat, *Thomat. decis.* 2 *n.* 32
« *et* 33 *par.* 1; nec sufficit scientia praesumpta, simplex et generica, *idem*
« *Thomat. ibidem n.* 34.

« Ratificatio gestorum per procuratorem non inducitur, nisi data scien-
« tia rei gestae cum omnibus suis qualitatibus et conditionibus, *Thomat.*
« *decis.* 263 *n.* 21 *par.* 2.

« Ad inducendam ratificationem exigitur individualis scientia omnium
« nullitatum facti et juris, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de donat.*
« *lib.* 7 *decis.* 30 *n.* 20 *tom.* 1.

4. Resultat autem illius probatio si dominus faciat mentionem de actu ipso gesto a procuratore, *Rot. decis.* 436 *n.* 4 *part.* 4 *divers.*, *et coram Mantic. decis.* 336 *n.* 3, *et decis.* 373 *n.* 9, *et coram Merlino in Romana*

Census 17 *Februarii* 1634 *vers. quoniam visum*, *Dec. cons.* 267 *n.* 1 *et* 2, *Cravett. cons.* 276 *n.* 5, *Gratian. discept. forens. cap.* 301 *n.* 63.

« Caeterum dici nequit quod dicta scientia non possit justificari per « conjecturas, ea scilicet ratione ne detur praesumptio praesumptionis taci- « tum ex tacito, quod jura non permittunt, quia dum ex praedictis conje- « cturis demonstratur ratificatio facta, utique etiam in consequentiam venit « praesupponenda scientia et regula adducta de non admittenda praesumptione « ex altera praesumptione, non procedit quando, ut hic, una praesumptio « venit in consequentiam alterius, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 77 *cum duo- « bus seqq. lib.* 1.

« Et conclusio quod scientia ratificare debentis deducatur ex conje- « cturis, maxime procedit quando plures conjecturae simul junguntur, *Sa- « miniat. d. controv.* 32 *n.* 80 *lib.* 1.

5. Quae tamen certa et specifica scientia non est necessaria in tacita ratificatione, *Surd. cons.* 82 *n.* 38 *vers. pariter non obstat*, *et cons.* 150 *n.* 31 *lib.* 1.

6. Secundo requiritur, ut fiat realis et effectualis ratificatio, et non esset satis quod is cujus gesta sunt ratificanda promittat de rato pro domino, *Gloss. in cap. nonnulli in verb. mandato speciali extr. de rescrip.*, *Felin. in cap. causam quae n.* 12 *vers. fallit primo extr. de judic.*, *Jas. in L. licet sub n.* 10 *vers. quarto cod. de procur.*, *Calcan. cons.* 77 *n.* 10.

7. Nec quod is cujus nomine acta sunt gesta, faciat asserto procuratori novum mandatum simpliciter absque gestorum ratificatione: nam ex illo novo mandato non induceretur expressa ratificatio eorum quae antea gesta erant, *Rot. decis.* 295 *n.* 3 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

8. Natura enim mandati est ut habeat oculos ante et respiciat futura, non autem habeat oculos retro et respiciat praeterita, *L. si vero non remunerandi* § *si post creditum ff mand.*

9. Et in hoc differt a ratificatione, quia illa sequitur actum gestum, mandatum autem debet illum praecedere, *Sim. de Praet. cons.* 159 *n.* 5 *lib.* 1.

10. Licet mandatum etiam aliquando sequatur, ut dicemus in sequenti capite, dum agemus de mandati ratificatione tacita.

11. Tertio requiritur, ut mandatum quod fit cum ratificatione gestorum, fiat in personam illiusmet qui actum fecit tamquam assertus procurator, *Lancellot. d. cap.* 4 *n.* . . .

12. Quarto, opus est ut simile mandatum fiat ad illammet causam in qua fuerunt per assertum procuratorem gesta acta quae ratificantur, nec sufficeret mandatum generale ad omnes causas, ut fuisse resolutum in *Rota* testantur *Addent. ad Gregor. XV d. decis.* 570 *n.* 20.

13. Quinto, quatenus ratificans sit de personis quae non possunt contrahere sine certis solemnitatibus, requiritur, quod ratificatio fiat cum eisdem solemnitatibus, quae fuissent necessariae in explicatione dicti actus qui ratificari debet, *Crav. cons.* 771 *n.* 12 *lib.* 4, *Aret. cons.* 128 *col.* 2, *Dec. cons.* 536 *n.* 6, *Calcan. cons.* 57 *n.* 6, *Surd. decis.* 159 *in fin.*, *Corn. cons.* 224 *n.* 18 *lib.* 4, *Menoch. cons.* 2 *n.* 297, *et cons.* 80 *n.* 66 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 248 *n.* 5 *lib.* 3, *Osasch. decis.* 166 *n.* 13, *Purpur. cons.* 466 *n.* 1 *lib.* 2, *Burs. cons.* 158 *n.* 28 *lib.* 2, *Beroius cons.* 134 *n.* 6 *lib.* 1, *Odd. cons.* 40 *n.* 17 *lib.* 1, *Sim. de Praet. cons.* 139 *n.* 9 *lib.* 1, *Rot. decis.* 204 *n.* 10 *par.* 4 *divers.*, *et coram Gregor. XV decis.* 395 *n.* 11, *et decis.* 473 *n.* 9, *Seraph. decis.* 1242 *n.* 2.

« Ad validitatem ratificationis eaedem requiruntur solemnitates quae « in ipsius actus confectione sunt necessariae, *Actolin. resolut.* 110 *n.* 49 « *cum tribus sequentibus.*

« Quia ratificatio reconciliat solum ea quae pendent ab animo, non « autem quae dependent a forma vel alia exteriori potentia, de qua partes « disponere non possunt, nec illi renunciare cum earum voluntati non su- « bijciantur, *idem Actolin. d. resolut.* 110 *n.* 54 *et* 56.

« Idem docet *Actolin. resolut.* 11 *n.* 17, et ratio est, quia ratificatio « solum operari valet circa ea quae pendent ab animo, non vero quae a « forma vel alia exteriori potentia dependent, *idem Actolin. d. resolut.* 110 « *num.* 18.

« Solemnitas eadem requiritur in ratificatione actus nulli, quae erat « necessaria in celebratione ipsius actus, *Thomat. decis.* 263 *n.* 22 *par.* 2.

« Ratificatio exigit easdem solemnitates quae in actus celebratione exi- « guntur, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. super conflictu legali lib.* 16 « *decis.* 4 *n.* 25 *tom.* 4.

14. Secus autem est in ratificatione tacita, ut dicemus in sequenti capite.

15. Sexto, est necesse ut ratificatio fiat re integra, alias nullius esset effectus, *Bart. in L. inter quos* § *alieno in fin. n. . . . ff de damn. infect.*, *et in L. licet n. . . . cod. de procur.*, *Rom. singul.* 686 *in* 3 *limit. n. . .*, et ibi *Addent.*, *Cepoll. cautel.* 15, *Paseth. cons.* 194 *n.* 20, *et cons.* 200 *n.* 6, *Thesaur. decis.* 7 *n.* 1, *et in fin.*, *Benint. decis.* 56 *n. . .*, *Cornazan. decis. Lucens.* 179 *n.* 5 *et seq.*, *Gozad. cons.* 14 *n.* 7 *et* 8, *Alex. cons.* 110 *n.* 3 *lib.* 1, *et cons.* 78 *n.* 23, *et cons.* 81 *n.* 6 *lib.* 5, *et in L. non solum* § *morte n. . . . ff de nov. oper. nunciat.*, *Ruin. cons.* 119 *n.* 4, *et cons.* 172 *n.* 13 *lib.* 1, *Port. Imol. cons.* 176 *n.* 7, *Dec. cons.* 460 *n.* 37, *Rol. a Vall. cons.* 63 *n.* 53 *lib.* 4, *Soc. Jun. cons.* 77 *num.* 115 *lib.* 1, *Burs. cons.* 370 *n.* 17 *lib.* 4, *Ceph. cons.* 745 *n.* 16 *et seq. lib.* 5, *Menoch. cons.* 180 *n.* 76, *et cons.* 191 *n.* 84 *lib.* 2, *Rot. decis.* 32 *sub*

n. 2 *par.* 2 *divers.*, *et coram Coccin. decis.* 255 *n.* 4, *Rim. Jun. cons.* 203 *n.* 56 *lib.* 2.

« Ratificatio debet fieri de tempore habili., *Saminiat. controv.* 82 *n.* 24
« *lib.* 1.

« Ratificatio facta re non integra non attenditur, *Saminiat. controv.* 32
« *n.* 82, *controv.* 33 *n.* 50, *et controv.* 82 *n.* 25 *lib.* 1.

« Posita autem validitate actus ab initio, potest quandocumque fieri
« ratificatio etiam re non integra, quidquid aliud sit quando actus a pri-
« mordio est nullus, et per ratificationem venit convalidandus, *Saminiat.*
« *controv.* 33 *n.* 52 *lib.* 1.

« Ratificatio superventa, re non amplius integra, nihil proficit, *Rot. in*
« *Mantiss. ad Card. de Luc. super conflictu legali lib.* 16 *decis.* 3 *n.* 31
« *tom.* 4.

« Ratificatio possessionis captae absque mandato non retrotrahitur
« quando medio tempore jus fuit alteri quaesitum et res non est amplius
« in eodem statu, *Thomat. decis.* 228 *n.* 35 *par.* 2, *et ibidem num.* 38
« *et* 39.

« Ratificatio autem in praedicto casu dicitur facta re integra, dum facta
« apparet de tempore quo possidet ille qui nomine ratificantis possessionem
« coepit cum promissione de rato, *Thomat. d. decis.* 228 *n.* 41 *par.* 2, et
« aequiparatur mandato quod est sufficiens ad manutentionem, *Thomat.*
« *ibidem n.* 42; ac operatur ut omnia ab ipsomet ratificante gesta dicantur
« *ibidem n.* 43; et quidem ab initio, cum ratificatio retrotrahatur, *ibidem*
« *n.* 44. Neque dicitur novus actus, *idem Thomat. ibidem n.* 45:

16. Etiam ad commodum ratificantis, *Bart. in d.* § *alieno in fin. n.* . . , et ibi *Angel. n.* . . . . , *Imol. n.* . . . *et alii*: comprobat *Jas. in d. L. licet n.* 70 *cod. de procur.*, *Sim. de Praet. cons.* 177 *n.* 10 *lib.* 1.

17. Hoc tamen fallit in foro mercatorum et inter mercatores, si credimus *Benvenut. Stracc. in tract. de mercatur. par. ult. in tit. de exception. n.* 3, *et Sebastian. Medic. decis. March.* 5 *n.* 8.

18. In proposito autem res desinit esse integra, vel quando fuit oppositum de nullitate gestorum, *Crav. cons.* 246 *col. fin. vers. tertio lib.* 2, *Paseth. d. cons.* 200 *n.* 5;

19. Vel quando fuit facta protestatio quod gesta ratificari non possint, ut fuit dictum supra *in cap. praeced. in quarto casu sub n.* 25.

20. An autem res desinat esse integra ita ut ratificatio reddatur inefficax in praejudicium adversarii, etiam quando ille impugnavit acta facta per assertum procuratorem ex defectu mandati, non tamen fuit protestatus quod gesta ratificari non possint, variant Doctores. Nam partem affirmativam magis communiter teneri testatum reliquit, *Gratian. decis. March.* 105 *n.* 10 *et seq.*

21. Contraria autem et negativa sententia placuit *Rotae decis.* 1 *de procur. in antiq.*, quam magis quam dicit *Mandos. ad regul. Cancellar.* 29 *quaest.* 10 *n.* 4., *et ad regul.* 34 *quaest.* 39 *n.* 6, ut refert idem *Gratian. in addition. ad d. decis.* 105 *n.* 8 *vers. et hanc.*

22. Retenta autem hac secunda negativa opinione, non propterea remanet sine effectu dicta ratificatio: operatur enim primo: quod ratificans praesumatur habuisse eum qui acta gessit pro suo procuratore etiam ante ratificationem, *Rot. decis.* 32 *sub n.* 4 *par.* 2 *divers.*, licet de hoc dubitaverit coram *Coccin. decis.* 255 *n.* 7.

23. Secundo operatur; ut dicto procuratori censeatur data facultas ut in futurum possit se gerere pro procuratore ratificantis, ita ut mandatum illud valeat saltem prout ex nunc, ut diximus supra in *praecedenti cap.* in primo effectu sub *n.* 4, ex *Hondtd. cons.* 38 *n.* 22 *lib.* 1, *Simoncell. de decret. lib.* 3 *tit.* 9 *n.* 18, *et Petr. Caball. cons. civil.* 142 *n.* 26 *lib.* 1.

24. Septimo requiritur, ut id quod ratificatur sit gestum nomine ratificantis, et ipse illud ratificet tamquam factum suo nomine, alias ratificatio non suffragatur, nec praejudicat adversario, *Bart. in L.* 1 § *sed et si n.* 1 *ff de vi et vi armat.*

25. Quod enim non est gestum nomine meo ratum habere non possum, *Gloss. in L. si pupilli* § *sed si ego ff de negot. gest.*, *Anchar. cons.* 227, *Surd. cons.* 183 *n.* 40 *lib.* 1, *Rot. decis.* 149 *n.* 7 *par.* 1 *in Recent.*

26. Octavo, necesse est ut ratificatio fiat paucos post dies a die scientiae actum fuisse gestum nomine ratificantis, *L. ratum*, *L. quod dicimus ff de solut.*, cum aliis apud *Jacob. Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *num.* 14.

27. Dicitur autem ratificatio facta paucos post dies si fiat intra tempus intra quod actus poterant explicari, *Alex. cons.* 78 *n.* 22 *lib.* 5, *Petr. Ant. Anguiss. cons.* 45 *n.* 4 *lib.* 2, *Rim. Jun.*, qui exemplis hoc exornat, *cons.* 203 *n.* 53 *lib.* 2.

28. Hoc tamen intellige, quando ratificatio fit ad praejudicium tertii, sed ad praejudicium ratificantis potest fieri quandocumque, *Beroius cons.* 25 *n.* 24 *lib.* 3, *Rim. Jun. d. cons.* 203 *n.* 54 *lib.* 2, *Hondtd. d. cons.* 38 *n.* 24 *lib.* 1.

29. Vel dicas esse repositum in judicis arbitrio, quando ratificatio dicatur facta post paucos dies a die scientiae, *Menoch. de arbitr. judic. quaest. casu* 32 *n.* 3, refert et sequitur *Jacob Laurent. d. cap.* 6 *n.* 14.

30. Nono et ultimo, pro nunc, si sint ratificanda gesta super quibus fuit confectum instrumentum, requiritur ut ratificanti legatur totus tenor instrumenti, *Ruin. cons.* 63 *n.* 24, *et cons.* 91 *n.* 20 *vers. et tanto magis lib.* 1, non obscure *Speculat. in tit. de empt. et vendit.* § *tertio incipit*, *tertio loco n.* 26, *Decian. cons.* 5 *n.* 22 *cum seqq. lib.* 5, *Paul. de Castr.*

cons. 466 *n.* 5 *vers. sed ad primum lib.* 1, *Paseth. cons.* 112 *n.* 5 *vers. quarta, et cons.* 122 *n.* 15, *Bertazol. cons. civil.* 1 *n.* 129 *lib.* 1, *Ant. Ciof. cons.* 28 *n.* 21 *lib.* 2, *Rot. decis.* 447 *n.* 8 *par.* 5, *et tom.* 2.

31. Quidquid contrarium videatur sentire, *Menoch. cons.* 561 *n.* 57 *et seq. lib.* 6.

32. Cujus tamen sententia posset recipi in ratificatione facta judicialiter, quo casu sufficit quod instrumentum fuerit productum et in actis relictum, *Paul. de Castr. cons.* 383 *vers. non obstat praefatis, et infra n.* 2 *et* 3 *lib.* 2.

33. Sed ista non posset dici ratificatio expressa, sed esset potius tacita, de qua dicemus *capite sequenti.*

CAPUT CVIII.

DE TACITA RATIFICATIONE GESTORUM ET QUOMODO INDUCATUR.

SUMMARIUM

1. *Materiae continuatio.*
2. *Ratificatio tacita est quae ex aliquo facto inducitur.*
3. *Et est potentior expressa.*
4. *Censetur inducta si quis utatur actis per assertum procuratorem ejus nomine factis.*
5. *Vel prosequatur acta et judicium ejus nomine ab asserto procuratore coeptum.*
6. *Aut si quis, sciens suam causam a falso procuratore agi, non prohibeat.*
7. *Vel appellet a sententia contra assertum procuratorem lata.*
8. *Praesertim si post appellationem illum constituat procuratorem ad prosequendum judicium in secunda instantia.*
9. *Et absque dubio si ei fuerit intimata dicta sententia et illi acquieverit.*
10. *Aut aliquid faciat quod sine ratificatione facere non posset.*
11. *Vel asserto procuratori faciat mandatum ad prosequendum judicium.*
12. *Judicium est individuum.*
13. *Sequentia habent dependentiam a praecedentibus.*
14. *Qui vult consequens vult omne necessarium antecedens etiam.*
15. *Dummodo constituens sciverit acta praecedentia ab hujusmodi procuratore ejus nomine facta.*

16. *Consensus et voluntas ad ignorata non extenditur.*
17. *Vel si actibus ejus nomine ab asserto procuratore factis inhaereat.*
18. *Petens in judicio praetium rei ab asserto procuratore ejus nomine venditae, censetur ipsam venditionem ratificare.*
19. *Et multo magis si praetium recipiat.*
20. *Inducitur etiam predicta ratificatio si quis percipiat commodum et utilitatem ex contractu ab asserto procuratore ejus nomine celebrato.*
21. *Vel si producat in judicio instrumentum pariter ab hujusmodi procuratore ejus nomine celebratum.*
22. *Et sine dubio si producatur instrumentum proprium ipsius producentis.*
23. *Quamvis produceretur cum clausula* « in parte et partibus ».
24. *Maxime si productio fuit cum eadem clausula ab adversario acceptata.*
25. *Si procurator promittat principalem ratificaturum aliquem actum, an non sequuta ratificatione talis actus substineatur.*
26. *Hujusmodi promissio habet tacitam conditionem, si opus erit.*
27. *Et quatenus partis intersit.*
28. *Actus gestus a vero procuratore valet etiam si non sequatur ratificatio.*
29. *Ubi intervenit tacita ratificatio illa sufficit ad actus validitatem.*
30. *Dummodo pro forma non requiratur mandatum.*

1. Diximus de ratificatione quae ob lapsum temporis praesumitur, nec non etiam de expressa, quomodo inducatur, qui sint illius effectus, in quibus casibus non possit fieri, et quae requirantur ad effectum ut sit valida et suffragetur; reliquum est ut aliqua dicamus de tacita, et quomodo inducatur.

2. Tacita itaque ratificatio est quae ex aliquo facto inducitur, *Menoch. de recuper. possess. remed.* 15 *n.* 118, *L. Paul. ff rem rat. haber., Surd. cons.* 38 *n.* 18 *et infra lib.* 1, *Thesaur. decis.* 7 *sub n.* 1.

« Ratificatio probatur etiam ex conjecturis, *Saminiat. controv.* 32 « *n.* 72 *lib.* 1, *et controv.* 33 *n.* 44 *pariter lib.* 1. Maxime ex pluribus « conjecturis simul junctis, *idem Saminiat. d. controv.* 33 *n.* 45 *lib.* 1.

« Conjecturae autem sunt, consanguineitas; qualitas procuratoris arguens « certiorationem principalis; interesse quod habebat principalis in actu gesto « et ipsius notabilitas; relevantia summae aerogatae, quae sicuti soluta, sim« plicitor est de se apta ad praesumendum mandatum, ita non repetita ef-

« ficax praebet argumentum ratificationis; et demum silentium et acquie-
« scentia per triginta annos inter partes, quae de se sola in quocumque actu,
« sive agatur de modico, sive de magno praejudicio, convincit scientiam et
« ratificationem, rejecta omni contraria distinctione quae cadit tantum su-
« per decennali taciturnitate; nec non denique superviventia principalis per
« plures annos cum successiva actus observantia, *Saminiat controv.* 32 *n.* 73
« *et* 74, *et controv.* 33 *n.* 38 *cum quatuor seqq. lib.* 1.

« Si agatur de negocio utili ad favorem illius qui ratificasse dicitur,
« stat praesumptio per ratificatione, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 75, *et con-*
« *trov.* 33 *n.* 37 *lib.* 1.

« Ratificatio etiam deducitur ex generali solidatione computorum inter
« partes sequuta, *Saminiat. controv.* 32 *n.* 81, *et controv.* 33 *n.* 46 *et* 47
« *lib.* 1.

« Ratificatio non solum verbis, sed etiam factis fieri potest, *Rot. in*
« *Mantiss. ad Card. de Luc. de credit. et debit. lib.* 8 *decis.* 21 *n.* 7 *tom.* 3.

3. Et ista dicitur potentior quam sit ea quae fit verbis expressis, *Crav. cons.* 298 *n.* 15, *Vant. de nullit. in tit. qualit. sentent. null. reparen. num.* 103.

4. Inducitur autem multis modis, et quidem primo: si quis utatur actis per assertum procuratorem factis ejus nomine, *Gratian. discept. forens. cap.* 706 *n.* 9 *et* 10, *Amat. decis. March.* 8 *n.* 41, ubi testatur de communi, et magis communi scribentium opinione.

« Qui non utitur actu gesto ab aliquo tamquam procuratore, non cen-
« setur approbare pro tali, *Thomat. decis.* 263 *n.* 20 *part.* 2.

« Mandans, utendo juribus productis a suo procuratore, censetur ea
« approbare, *Rot. decis.* 360 *n.* 6 *par.* 5 *tom.* 1 *Recent.*

5. Secundo; si quis prosequatur acta et judicium per assertum ejus procuratorem illius nomine coeptum, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 176 *n.* 9, et ibi *Addent. n.* 13.

« Principalis, si litem prosequitur, censetur ratificare acta gesta per
« suum procuratorem, *Thomat. decis.* 119 *n.* 24 *par.* 1.

« Idem procedit in vero procuratore qui litem prosequitur absque
« protestatione nullitatis actorum per alium procuratorem sine mandato;
« nam iste pariter censetur ratificare acta priora, *Thomat. d. decis.* 119
« *n.* 25 *par.* 1.

6. Tertio; si quis sciat causam suam per falsum procuratorem agi, et non prohibeat, censetur gesta per illum ratificare, *Innoc. in cap. ex parte Decani n. . . . extr. de rescript.*, *Auffrer. ad Capell. Tholos. decis.* 125, quos sequitur *Jacob. Laurent. in tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 13 *in fin.*, *Menoch. de praesumpt. lib.* 2 *praesumpt.* 33 *n.* 7, qui alios allegat.

7. Quarto; si quis appellet a sententia contra suum assertum procura-

torem lata in judicio per dictum assertum procuratorem agitato, *L. licet cod. de judic.*, *L. cum minor* § *fin. ff rem rat. haber.* per quae jura *Gloss. in L.* 1 *in verb. non provocaverit cod. si ex fals. instrumen.*, *Beroius cons.* 104 *n.* 10 *et* 14 *lib.* 3.

8. Et multo magis si post appellationem interpositam, constituat illum procuratorem ad prosequendum judicium in secunda instantia; nam per dictam constitutionem inducitur ratificatio omnium quae dictus assertus procurator in prima instantia gesserat, non obstante quod mandatum respiceret futura et non praeterita, *Bart. in d. L. cum minor. in fin. n. . . . ff rem rat. haber.*, *Natt.*, post alios quos allegat, *cons.* 143 *n.* 5 *et seqq. lib.* 1, *Rot. Lucens. divers. decis.* 132 *col.* 1 *vers. et quamvis*, quae est apud *Cornazan. decis. Lucens.* 152 *n.* 2 *et seqq.*

9. Et absque dubio si ei fuerit intimata dicta sententia et ipse acquieverit, *Gozad. cons.* 96 *n.* 13, et illius auctoritate *Bertaz. cons.* 259 *n.* 9 *lib.* 2 *criminal.*

10. Quinto; si quis faciat aliquid quod sine ratificatione facere non posset, *Paul. de Castr. in L. non tantum n. . . . ff rem rat. haber.*, *Thesaur. decis.* 3 *n. . .*, refert *Jacob. Laurent. in tract. de judice suspecto d. cap.* 6 *n.* 14 *in fin.*

11. Sexto (et hic modus videtur habere connexitatem cum quarto, *vers. et multo magis n.* 8); si quis asserto procuratori faciat mandatum ad prosequendum judicium.

12. Quod cum sit individuum, *L. in hoc judicio ff fam. haercisc.*, mandatum illud porrigit vires suas ad totum processum, et sic ad acta etiam praeterita, et tale mandatum intelligitur ab initio intervenisse, *L. Julianus in princ.*, et ibi *Alex. n. . . . et alii ff qui satisd. cogant.*

13. Quia sequentia habent dependentiam a praecedentibus, et non posset sustineri mandatum et processus nisi intelligerentur ratificata acta praecedentia, *Bart. in d. L. Julianus col. fin. n.* 7, et ibi *Paul. de Castr. col. fin. n. . . .*, *Jas. n.* 3 *ff qui satisd. cogant.*, *Ang. in L. licet n. . . ff de judic.*, *Jo. Andr. ad Specul. in tit. de procur.* § 1 *vers. sed quid si procuratorium n. . .*, *Cornazan. decis. Lucens.* 157 *n.* 1 *et seqq.*, *Rim. Sen. cons.* 445 *n.* 23 *lib.* 3.

14. Et qui vult consequens vult etiam omne necessarium antecedens ad illud, *L.* 2 *ff de jurisd. omn. judic.* cum vulgaribus.

15. Hoc tamen intelligit, *Ruin. cons.* 8 *n.* 4 *lib.* 4, si dominus constituens procuratorem scivit acta praecedentia facta ejus nomine ab illo procuratore, secus si ignoravit.

16. Nam consensus et voluntas ad ignorata non extenditur, *L. qui cum tutoribus ff de transact.*, *Clemen. si sumus de sentent. excommun.*

17. Septimo; si quis inhereat actibus factis ejus nomine ab asserto procuratore, *Rot. coram Cavaller. decis.* 501 *n.* 1.

18. Unde si quis petat in judicio praetium rei ab ejus asserto procuratore, ipsius nomine venditae, censetur venditionem ipsam approbare et ratificare, *Crav. cons.* 159 *n.* 5 *lib.* 1, *Menoch. de recuper. possess. remed.* 15 *n.* 123 *et n.* 150.

19. Et multo magis si dominus recipiat praetium, *Crav. cons.* 237 *n.* 1 *in fin.*, et infra *cons.* 276 *n.* 6, *Alex. cons.* 117 *n.* 2 *lib.* 5, *Dec. cons.* 231 *n.* 3 *in fin.*, *Ceph. cons.* 51 *n.* 15 *lib.* 1, *Menoch. cons.* 98 *n.* 43 *lib.* 1, *Surd. cons.* 60 *n.* 13 *lib.* 1, *Calcan. cons.* 72 *n.* 4 *vers. tertio quaero.*

« Per receptionem pecuniae provenientis ab aliquo contractu, istius « ratihabitio inducitur, *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 84 *n.* 10.

20. Octavo; inducitur etiam praedicta ratificatio, si quis recipiat commodum et utilitatem ex contractu ab ejus asserto procuratore celebrato ipsius nomine, *Franch. Viv. decis.* 534 *n.* 46 *par.* 3, *Menoch. cons.* 98 *n.* 47 *lib.* 1, *Surd. cons.* 28 *n.* 20 *et seq. lib.* 1, *et cons.* 519 *n.* 7 *lib.* 4, *et decis.* 208 *n.* 8.

« Ad hoc, ut ex facto receptionis solutionum inducatur scientia et ra« tihabitio praesumpta, necesse est quod factum aequivaleat verbis, ac sit « tale quod fieri non possit, nisi actus ratus habeatur, secus autem si factum « necessario ratihabitionem non arguat, *Thomat. decis.* 2 *n.* 36 *par.* 1.

« Contractum census invalidum ex defectu mandati ratificat qui recipit « praetium illius, quique illius solvit fructus, *Thomat. decis.* 159 *n.* 3 *et* 4 « *par.* 2, *et decis.* 274 *n.* 10 *et* 11 *pariter par.* 2.

21. Nono; si quis producat in judicio instrumentum ab asserto procuratore ejus nomine celebratum, *Franc. Bec. cons.* 3 *n.* 18 *lib.* 1, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 915 *n.* 2, *Menoch. praesumpt.* 45 *n.* 1 *lib.* 2, *Gabr. in tit. de confess. conclus.* 4 *n.* 14, *Surd. cons.* 5 *n.* 37 *cons.* 28 *n.* 47, *cons.* 99 *n.* 38, *et cons.* 131 *n.* 44 *lib.* 1, *et decis.* 167 *n.* 1.

22. Et absque dubio si producatur instrumentum proprium ipsius producentis, *Rot. decis.* 3 *de fid. instrum. in nov.*, *Osasch. decis.* 39 *n.* 26, *Alex. cons.* 124 *n.* 6 *lib.* 2, *Mascard. d. conclus.* 915 *n.* 19, *Honded. cons.* 59 *n.* 69 *lib.* 2, *Surd. cons.* 432 *n.* 20 *lib.* 3.

23. Etiam si dictum instrumentum produceretur cum clausula et protestatione « *in parte et partibus* », *Jas. in L. edita n.* 42 *cod. de eden.*, *Dec. in L. fin. n.* 25 *et seq. cod. eo tit.*, *Crav. cons.* 201 *n.* 5 *lib.* 2, *Natt. cons.* 365 *in fin. lib.* 2, *Osasch. d. decis.* 39 *n.* 26, ubi testatur de veriori et magis communi sententia, *Cels. Hug. cons.* 120 *n.* 35, qui pariter de communi testatur, *Surd. d. cons.* 432 *n.* 30, qui similiter de magis communi testatur.

24. Et absque difficultate quando productio fuit acceptata ab adversario cum eadem clausula et protestatione « *in parte et partibus* », *Dec. in cap. cum venerabilis n.* 101 *extr. de except.*, *Mascard. d. conclus.* 915 *n.* 23, *Menoch. d. praesumpt.* 45 *n.* 21 *lib.* 2.

25. Sed dubitatur, an si procurator promittat suum principalem ratificaturum aliquem actum procuratorio nomine illius factum, actus ille non sequuta ratificatione, sustineatur.

26. Et quia dicta promissio habet tacitam conditionem, si opus erit, *Paul. de Castr. in L. bonorum*, alias si sine judice § *cum autem sub n.* 2 *ff rem rat. haber.*, *Paris. cons.* 1 *n.* 130 *lib.* 1, *Gabr. cons.* 92 *n.* 7 *lib.* 1.

27. Et quatenus partis intersit, *Rot. coram Crescent. decis.* 17 *de probat.* facit *decis. coram Gregor. XV* 505 *n.* 5.

28. Utique si partis non intersit, et actus sit gestus a vero procuratore, valebit etiam si non sequatur ratificatio, cum illa non sit necessaria in actu facto a vero procuratore, *Angel. Aret. cons.* 100 *n.* 3, *Gabr. d. cons.* 92 *num.* 8.

29. Ubicumque autem intervenit tacita ratificatio, illa sufficit ad actus validitatem, *Purpur. cons.* 71 *n.* 57 *lib.* 1, *et cons.* 541 *n.* 29 *lib.* 2, *Sim. de Praet. cons.* 54 *n.* 62 *lib.* 1.

« Ratificatio mandantis ita dicitur convalidare mandatum ut contra « illud quidquam opponi non possit, *Rot. decis.* 362 *n.* 23 *par.* 10 *Recent.*

30. Dummodo pro forma non requiratur mandatum, *Beroius cons.* 134 *n.* 5 *et* 6 *lib.* 1, et diximus *cap. ab hinc* secundo *de expressa ratificatione in* 2 *et* 3 *casu.*

CAPUT CIX.

DE MANDATO CUM LIBERA ADMINISTRATIONE.

SUMMARIUM

1. *Continuatio materiae.*
2. *Quod per clausulas generales et multum praegnantes procuratori intelligatur concessum mandatum cum libera.*
3. *Contraria sententia est verior magisque recepta.*
4. *Clausulae in mandato appositae debent intelligi respectu expressarum in eodem mandato.*
5. *Nemo dicitur habere mandatum cum libera, nisi hoc in mandato expresse fuerit dictum.*
6. *Quamvis dominus promiserit pro ipso procuratore de rato.*
7. *Non omnes clausulae generales inducunt mandatum cum libera.*

8. *Mandatum cum libera censetur datum quoties procuratori conceditur facultas explicandi omnia quae ipse dominus si esset praesens facere posset.*
9. *Dummodo praefata clausula in parte dispositiva, non vero in executiva, reperiatur posita.*
10. *Sic pariter si procuratori concedatur totalis potestas.*
11. *Vel tribuatur facultas faciendi quidquid vult.*
12. *Verbum* « voluerit » *regulariter liberam et assolutam voluntatem importat.*
13. *Verbum* « quidquid » *est universalissimum, comprehendens cuncta etiam minima.*
14. *Et casus quoque alioquin privilegiatos.*
15. *Secus est si procuratori sit data facultas quidquid ei placuerit faciendi.*
16. *Verbum* « placuerit » *boni viri arbitrium importat.*
17. *Intelligitur similiter datum mandatum cum libera, si dominus promittat se ratum habiturum quidquid per procuratorem fuerit factum.*
18. *Contraria refertur sententia.*
19. *Vel si dominus faciat mandatum cum hypotheca omnium suorum bonorum.*
20. *Vel si procuratori det plenam administrationem.*
21. *Clausula* « cum plena administratione » *quomodo extendatur.*

1. Quoniam supra saepius facta est mentio de procuratore cum libera, et infra quoque de eo verba forte facturi erimus, ne per ignota ambulemus, necessarium esse duxi ut per caput separatum videamus quando procurator censeatur constitutus cum libera administratione; visuri in proximo sequenti capite quae sit illius facultas et potestas.

2. Circa primum, licet *Bart. in L. procurator cui pro evictione n.* 3 *ff de procur.*, teneat per clausulas generales et multum praegnantes, intelligi datum procuratori mandatum cum libera, quam sententiam late defendit, *Monter. decis. Aragon.* 38 *n.* 37.

3. Quia tamen contrariam sententiam dicit esse veriorem et magis receptam, *Rot. coram Seraph. decis.* 1124 *n.* 3, et illam pluribus confirmat *Beroius quaest.* 25 *n.* 5.

« Clausulae generales positae in fine mandati importare non possunt « mandatum cum libera, *Rot. decis.* 300 *n.* 24. *par.* 11 *Recent.*

« Et potissimum, cum clausulae generales importantes mandatum cum « libera in fine mandatorum procurae de stylo magis notariorum, quam de

« consensu constituentium ponuntur, *Rot. d. decis.* 300 *n.* 27 *par.* 11 « *Recent.*

4. Ea ratione quia omnes clausulae in instrumento procuratorio appositae debent intelligi respectu expressorum in eodem instrumento, et hanc sequitur *Gratian. in Addit. ad suas decis. March. decis.* 79 *n.* 4 *et* 5.

5. Ideo videtur constituenda conclusio, quod nemo dicatur habere mandatum cum libera, nisi hoc expresse in procuratorio dictum fuerit, *L. quam Tuberonis* § *alia ff de pecul.*, per quem *Tex. Franch. in cap. qui ad agendum* § *procurator n.* 6 *de procur. lib.* 6, *Jas. in L. si procurator n.* 18 *vers. Gloss.*, 1 in illis verbis, *secundo fortius ff de condict. indeb.* dicens ex mente *Bald. in cap. cum contingat extr. de transact.* illum Tex. esse ad hoc meliorem de corpore juris, refert *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 24.

6. Ubi *n.* 21 dicit hoc procedere quamvis dominus promiserit de rato pro ipso procuratore, *Dec. cons.* 305 *n.* 11, *Soc. Sen. cons.* 18 *n.* 37 *lib.* 1, *Boer. decis.* 283 *n.* 17.

7. Verum quoniam *Mantic. d. n.* 24, quasi adherens opinioni *Bart. in d. L. procurator qui pro evictione*, dicit quod mandatum cum libera censeatur datum per clausulas generales, sed non quaelibet clausulae ad hoc sufficiant, ut dicit *Rot. coram Seraphin.*, et qui cum ea transeunt; ideo videndum est quae sint illae clausulae ob quarum praegnantiam et generalitatem censeatur datum hoc mandatum cum libera.

8. Multae autem sunt clausulae importantes mandatum cum libera, et offert sese primo loco clausula per quam procuratori constituto datur facultas et potestas explicandi omnia et singula quae facere posset ipsae constituens si esset praesens, *Bart.*, *Bald.*, *Jo. Andr.*, *Butr.*, *Imol.*, *et Guido de Baisio Archidiaconus* in locis citatis a *Franch. in d.* § *procurator n.* 6 *vers. tertio fallit*, *Bart. in L. procurator n.* 23 *ff de procur.*, *Grat.*, qui multos congerit, *cons.* 159 *n.* 8 *lib.* 2, *Osasch. decis.* 39 *n.* 37, *Ruin. cons.* 137 *n.* 7 *ad med. lib.* 2, *et cons.* 93 *n.* 5 *lib.* 5, *Surd. cons.* 1 *n.* 35 *ad fin. lib.* 1, *Bur. cons.* 395 *n.* 3 *lib.* 4, *Franc. Viv. decis.* 34 *n.* 34 *par.* 1, *Torniol. cons.* 70 *n.* 23 *vers. secundo respondetur*, *Caroce.*, qui alios allegat, *de locat. in tit. de procur. n.* 10 *in fin.*, *Rot. coram Mantic. decis.* 11 *n.* 2, *Paris. cons.* 78 *n.* 31 *lib.* 1, *Decian. cons.* 91 *n.* 1 *lib.* 3, *Alex. cons.* 44 *n.* 1 *lib.* 2, *Barz. decis.* 125 *n.* 2, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 24 *vers. secundus*, *et n.* 43, *Gratian. discept. forens. cap.* 738 *n.* 24, *et decis. March.* 79 *n.* 2.

9. Quod tamen intelligendum est procedere, quando dicta clausula est posita in parte dispositiva, secus si in parte executiva, *Decian. cons.* 63 *n.* 50 *lib.* 4. Nam regulare est quod clausulae positae in parte executiva non alterent naturam dispositionis, *Clem.* 1 *de praeben.*, *Dec. in L. non*

omnes in princ. n. 11 *ff si cert. pet.*, cum aliis apud *Bec. cons.* 24 *n.* 21 *lib.* 1.

10. Secunda est clausula, si procuratori constituto concedatur totalis potestas, *L. creditor* § *Lucius ff mand.*, *Bald. in L. procurator n. . . . cod. de procur.*, *Franch. in d.* § *procurator n.* 6 *vers. secundo fallit*, *Mantic. d. n.* 24 *vers. tertius.*

11. Tertia est clausula, si procuratori tribuatur facultas faciendi quidquid vult, *L.* 1 *in princ.*, et ibi *Gloss. ff quod jussu*, quam dicit notabilem *Franch. d. n.* 6 *in fin.*, qui ponderat etiam *Tex. in d. L. creditor.* § *Lucius*, *in illis verbis si vis ff mand.*, alios allegat *Mantic. d. n.* 24 *vers. quartus.*

12. Et licet nonnulli relati a *Carocc. d. tit. de procur. n.* 13, contrarium in hoc tenuerint, non videtur tamen a praefata opinione recedendum, ponderando illud verbum *voluerit*, quod regulariter liberam et absolutam voluntatem importat, *L. cum quidam ff de leg.* 2, *Bart. in extr. ad reprimendum in verb. videbitur in princ.*, *Dec. in rubr. extr. de judic. n.* 44, *Rim. Sen. cons.* 336 *n.* 5 *lib.* 2, *Tennin. cautel.* 101 *n.* 10 *vers. illa autem*, *Menoch. de arbitrar. quaest.* 7 *n.* 2, *et quaest.* 8 *n.* 18 *in princ.*, *Cevall. de commun. contra commun. quaest.* 265 *n.* 8, *Sylvester Aldobrandinus cons.* 20 *n.* 46 *lib.* 1, *Ant. Galeatius Malvasia cons.* 81 *n.* 45 *et seq. vers. sed illud verbum lib.* 1, *Guid. Pap. decis.* 475 *n.* 2 *vers. reperiuntur etiam*, *et vers. secundo reperiuntur*, *Magon. decis. Florent.* 7 *n.* 5, *Barz. decis.* 79 *n.* 14.

13. Quod multo magis recipiendum est quia habet adiunctum illud verbum *quidquid*, quod est universalissimum, cuncta comprehendens etiam minima, ut post alios firmat *Tiraq. ad L. si umquam in verb. quidquid n.* 1 *et* 2 *cod. de revocat. donat. L. in fideicommissi* § *cum Pollidius ff de usur.*

14. Etiam casus alioquin privilegiatos, *Menoch. de praesumpt. lib.* 4 *praesumpt.* 145 *n.* 13.

15. Secus tamen esset si procuratoris facultas esset concepta per verba *quidquid sibi placuerit*; *Ruin. cons.* 137 *sub n.* 7 *lib.* 2.

16. Nam illud verbum *placuerit* arbitrium boni viri importat, *L. Thais*, § *sororem*, *L. Lucius*, et ibi *Bart. n.* 4 *ff de fideic. libert.*

17. Quarta consideratur formula mandati, si mandans in procuratorio promittat se ratum habiturum quidquid per procuratorem constitutum factum fuerit, *Bart. in L. procurator n.* 4 *ff de procur.*, quam sententiam dixit veriorem *Franch. d. n.* 6 *vers. quarto fallit*, et pro ea ponderat *Tex. in d. L. creditor* § *Lucius in illis verbis omnino firma etc. ff mand.*, *Decian. cons.* 91 *n.* 1 *lib.* 3.

18. Contrariam tamen sententiam amplexus fuit *Bald. in cap. contingit extr. de trans.*, *Soc. Sen. cons.* 18 *n.* 37 *lib.* 1, *Alex.*, testans de communi, *in L. si procurator n.* 4 *vers. sed communiter tenetur*, *cod. de procur.*, *et cons.* 52 *n.* 6 *lib.* 6, *Franc. Maro decis.* 691, *et decis.* 694 *n.* 4 *ad fin.*

par. 2, *Jas. in L. si procurator n.* 3, ubi alios allegat, *ff de condit. indeb. per Tex.* quem dicit esse meliorem de jure, *in L. cum Tuberonis* § *alia ff de pecul.*, et hanc esse veriorem et magis communem testatur, *Carocc. de locat. in d. tit. de procur. n.* 11, ubi multos congerit.

19. Quinta, est formula si constituens faciat mandatum cum hypotheca omnium suorum bonorum, *Bart. in L. praeses n. . . . cod. de transact.*, *Dec. cons.* 404 *n.* 5, *Mastrill. decis.* 204 *n.* 2 *vers. et maxime in casu.*

20. Sexta, et indubitabilis est formula si procuratori constituto committatur et detur plena administratio, *L. si procuratori*, et ibi *Alex. n.* 2 plures allegat, *et Jas. n.* 3 *notab. cod. de procur.*, *Bart. in L. procurator cum libera n.* 2 *ff eo tit.*, *Franch. in d.* § *procurator n.* 6 *vers. et circa*, *Decian. cons.* 3 *n.* 59 *lib.* 4, *Mantic. d. tit.* 16 *n.* 24 *vers. primus*, *Paris. cons.* 78 *n.* 31 *lib.* 1, *Jas. in L.* 1 *col.* 4 *n.* 22 *ff de offic. procur. Caesaris.*

21. Nam ista clausula, cum plena administratione, extenditur, dans et concedens dicto procuratori constituto plenum, liberum, speciale et generale mandatum, facultatemque, cum plena, libera, speciali et generali administratione, etiam si talia forent quae mandatum speciale requirerent, ut admonet *Rim. Jun. cons.* 546 *n.* 10 *lib.* 5.

CAPUT CX.

DE POTESTATE PROCURATORIS CUM LIBERA.

SUMMARIUM

1. *Mandatum cum libera fieri potest tam procuratori generali, quam ad unum tantum actum constituto.*
2. *Constitutio facta cum libera ad unum actum, illius respectu operatur idem ac in generali mandato quoad omnia.*
3. *Constitutus ad unum tantum actum non potest egredi terminos actus in mandato expressos.*
4. *Procurator generalis cum libera potest facere ea omnia quae constituens facere posset.*
5. *Etiam ea quae requirunt mandatum speciale, cum mandatum cum libera isti aequipolleat.*
6. *Immo specialissimo et individuo.*
7. *Ideo forsan dicitur procurator in rem propriam.*
8. *Eorum tamen respectu quae contingunt expressa et specificata in mandato non quoad alia.*
9. *Hinc potest subire et referre juramentum.*

10. *Et potest transigere.*
11. *Licet habeat mandatum cum libera a lege, qualis est procurator Fisci.*
12. *Procurator ad lites an possit transigere super tota causa.*
13. *Quando procurator transigere potest super tota causa.*
14. *Praedictus procurator cum libera potest novare obligationem.*
15. *Compromittere.*
16. *Vendere.*
17. *Praesenti tamen pecunia, et non habita fide de praetio.*
18. *Et praetium domino tenetur restituere.*
19. *Habens mandatum cum libera a lege, ut procurator fiscalis, non potest alienare, nisi faciat meliorem domini conditionem.*
20. *Rem magni praejudicii alienare non valet.*
21. *De venditionibus a Fisci procuratore faciendis; remissive.*
22. *Procurator cum libera potest acceptare beneficium ecclesiasticum.*
23. *Et prorogare debitori tempus ad solvendum.*
24. *Dummodo sit procurator generalis cum libera.*
25. *Procurator ad lites cum libera non potest renunciare exceptionibus peremptoriis domino competentibus.*
26. *Neque dilatoriis.*
27. *Neque liti, causae et instantiae.*
28. *Nisi ex justa et rationabili causa.*
29. *Unde nec appellationi.*
30. *Scilicet expresse; nam tacite potest.*
31. *Dictae renunciationes sapiunt donationem.*
32. *Procurator cum libera non potest donare.*
33. *Ulterius non admittitur ad respondendum positionibus adversarii si iste petat responderi per principalemmet tamquam melius informatum.*
34. *Nec potest explicare ea quae tendunt in merum favorem adversarii, et in praejudicium mandantis.*
35. *Procurator ad negocia cum libera non potest transferre possessionem rei domini per clausulam constituti.*
36. *Neque solvere indebitum.*
37. *Nec potest quae sunt illicita atque inhonesta.*
38. *Nec potest explicare ea quae requirunt expressionem aliquarum qualitatum respectu rei mandatae vel personarum.*
39. *Neque censetur ei data facultas delinquendi.*
40. *Neque dilapidandi.*
41. *Et consequenter nec donandi.*

42. *Unde non valet per acceptilationem domini debitorem liberare.*
43. *Neque ipsi facultas data censetur explicandi majora expressis.*
44. *Facultas procuratoris specialis cum libera non extenditur ultra expressa in mandato.*
45. *Mandatum factum cum libera subijcitur mandato facto ad certum aliquem actum peragendum.*
46. *Facultas procuratoris generaliter constituti cum libera ad expressa in mandato non restringitur.*
47. *Procurator ad extrajudicialia cum libera debet contrahere bona fide et absque dolo.*
48. *Et ad commodum et utilitatem mandantis; illum obligando pro facto suo proprio, non vero ipsius procuratoris vel alterius.*
49. *Illius facultas quae respiciat.*
50. *Si aliter exequatur quam fuerit ei mandatum, non tenetur nisi de dolo, non autem de culpa.*

1. Vidimus in praecedenti capite quomodo constituatur procurator cum libera, sequitur ut videamus quae sit ejus potestas et facultas. Pro cujus declaratione sciendum est, quod hujusmodi mandatum potest fieri tam procuratori generali, quam constituto ad unum tantum actum, *Decian. cons.* 91 *n.* 33 *lib.* 3.

2. Et idem operatur constitutio facta cum libera ad unum actum respectu illius actus quod operatur in mandato generali quoad omnia, *Bart. in L. procurator n.* 1 *ff de procur.*, *Ruin. cons.* 106 *n.* 6 *in fin. lib.* 1.

3. In hoc tamen differunt quod constitutus ad unum tantum actum non potest egredi terminos actus in procuratorio expressos, *Bart. in L. procurator cum libera n.* 2 *ff de procur.*, *Paul. de Castr. in L. jusjurandum* § *procurator n. . . . ff de jurejur.*, *Decian. d. cons.* 91 *n.* 33, *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 3 *par.* 2, *Addent. ad Magon. decis. Lucens.* 51 *in litera B.*

« Clausula *cum libera* et similes appositae mandato procurae non am-
« pliant mandatum ad alias causas, sed augent potestatem procuratoris
« super speciali causa in mandato expressa, *Rot. decis.* 754 *n.* 2 *par.* 2
« *Recent.*

4. Procurator autem generalis cum libera potest facere ea omnia quae constituens facere posset, *Bart. in L. procurator n.* 5 *ff de procur.*, *Mastrill. decis.* 204 *sub n.* 2, *Grat. cons.* 159 *n.* 8 *lib.* 2, *Decian. cons.* 3 *n.* 59 *lib.* 4, *Viv. decis.* 34 *n.* 34 *lib.* 1.

5. Etiam ea quae requirunt mandatum speciale, ex quo mandatum cum libera mandato speciali aequipollet, *Alex. cons.* 135 *n.* 5 *lib.* 6, *et in L.*

si procurator n. 2 *vers. quod comprobo cod. de procur., Dec. cons.* 2 *in ultimo dubio, Burs. cons.* 395 *n.* 2 *lib.* 4, *Cotta in memorab. in verb. procurator generalis*, ubi multos allegat, dicentes hoc communiter teneri, *Grat. d. cons.* 159 *n.* 7, *Torniol. cons.* 70 *n.* 23 *vers. secundo respondetur, Carocc. de locat. in tit. de procur. n.* 8 *vers. ampliatur tertio, Addent. ad Bertaz. cons.* 465 *in litera D lib.* 2 *crimin., Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 87, *Gratian. discept. forens. cap.* 738 *n.* 25, *Rim. Jun. cons.* 546 *n.* 12 *et* 13 *lib.* 5, *Paris. cons.* 78 *n.* 3 *lib.* 1, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 35, *et decis.* 10 *n.* 5, *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 2 *par.* 2, *Beroius cons.* 25 *n.* 12 *lib.* 3, *Borell. in summ. decision. cap.* 66 *n.* 241, *Rot. decis.* 186 *n.* 2 *post nostrum tractatum de Censibus.*

« Mandatum generale cum libera aequipollet speciali, *Actolin. resolut.* 91 « *n.* 30.

6. Immo aequiparari mandato specialissimo et individuo dicit *Magon. decis. Lucens.* 15 *n.* 18, *Bertaz. cons. crimin.* 407 *n.* 9 *lib.* 2.

7. Et hinc forte dicitur procurator in rem propriam a *Calder. cons.* 105 *quod est* 3 *de procur.*, sequitur *Mastrill. d. decis.* 204 *sub n.* 2, et sentit *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 1 *par.* 2.

8. Quod tamen intelligendum est respectu eorum quae contingunt expressa et specificata in procuratorio, non quoad alia, *Gloss. not. in L. si quis iniquum n.* 1, et ibi *Alber. et Jas. n.* 13 *ff quod quisq. jur., Decian. d. cons.* 91 *n.* 35 *lib.* 3, *Rim. Jun. cons.* 496 *n.* 11 *lib.* 5.

9. Et proinde poterit subire et referre juramentum, *L. jusjurand. L.* 1 § *procurator ff de jurejur.*, et ibi *Alex. post Bald. in L. qui bona* § *si aliena in* 3 *quaest. princ. ff de damn. infect., Crav. cons.* 278 *n. . . . Seraph. de privil. juram., privil.* 111 *n.* 4 *et infra, Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 1 *par.* 2.

« Procurator non potest deferre juramentum decisorium seu decisivum « litis, nisi habeat ad hoc mandatum, speciale vel cum libera, vel in rem « suam, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 10 *n.* 136.

10. Poterit transigere, *L. procurator cui generaliter ff de procur., L. procurator cum libera, L. procurator tutorum, L. mandato ff eo tit., cap. qui ad agendum* § *procurator eo tit. lib.* 6, *Andr. Gail. practic. observat. lib.* 2, *observat.* 72 *n.* 8, *L. praeses, L. transactionis cod. de transact.*

« Mandatum continens facultatem confitendi debitum, quodcumque ju- « ramentum praestandi, cum facultate non contraveniendi et habendi ratum, « importat mandatum cum libera et facultatem transigendi, *Rot. decis.* 300 « *n.* 23 *par.* 11 *Recent.*, et adnotatur etiam *cap.* 65 *ad n.* 8, *et cap.* 82 « *ad n.* 2.

11. Etiam si habeat mandatum cum libera a lege, qualis est procurator Fisci, *Jas. per illum Tex. in d. L. praeses n.* 11.

12. Sed an procurator ad lites possit transigere super tota causa? Distinguendum est: nam si sit constitutus ad agendum, defendendum, libellandum *etc.*, cum plena et libera facultate, censetur illi data facultas dumtaxat respectu instantiae, non autem totius causae, et proinde non posset transigere super tota causa, sed tantum super instantia, *Bart. in L. qui Romae § Callimacus n.* 2 *ff de verb. oblig.*, *Franch. in d. cap. qui ad agendum § procurator n.* 2 *de procur. lib.* 6, *Franc. Marc. decis.* 694 *n.* 1 *par.* 2.

13. Si autem est constitutus procurator in causa quam constituens habet vel habere intendit cum tali, concedendo ei in praedictis liberam administrationem cum plena et libera facultate et potestate, censetur illi concessa libera administratio totius causae, et poterit transigere super tota causa, *Bart. in d. § Callimacus n.* 3, *Franc. Marc. d. decis.* 694 *num.* 2.

14. Iste etiam procurator potest novare obligationem, *Rot. decis.* 149 *n.* 4 *par.* 1 *divers.*

15. Item potest compromittere, *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 4 *par.* 2.

16. Potest etiam vendere, *L. procurator cui generaliter*, et ibi *Bart. n.* 1 *ff de procur.*, *idem Bart. in L. filiae n.* 1 *ff de solut.*

17. Dummodo vendat praesenti pecunia, non autem habita fide de praetio, *Gratian. discept. forens. cap.* 329 *n.* 3, ubi testatur ita fuisse in *Rota* resolutum.

18. Tenetur tamen praetium domino restituere, *L. filiusfam. § videamus ff de donat. cum aliis apud Paul. Pic. cons.* 3 *n.* 14.

19. Secus autem est in eo qui habet mandatum cum libera a lege, qualem diximus esse procuratorem fiscalem; iste enim non potest alienare nisi faciat meliorem conditionem domini, *Bald. in L.* 1 *n. . . . cod. de offic. procur. Caesar.*, *Jas. in L. procurator n.* 2 *cod. de eden.*, *Franc. a Pont. cons.* 49 *n.* 83, *Gratian. d. cap.* 329 *n.* 38 *et seqq.*

20. Et proinde non posset alienare rem magni praejudicii ex sententia *Bald. in L.* 1 *in fin. n. . . . cod. de bon. mater.*, *Alex. in L. procurator n. . . . cod. de procur.*

21. De venditionibus autem a procuratore Fisci faciendis plura cumulat *Peregr. de jur. fisc. lib.* 6 *tit.* 4 *per tot.*

22. Potest etiam procurator cum libera acceptare beneficium ecclesiasticum, *Rota coram Bisignett. decis.* 8 *de procur.*

23. Similiter potest prorogare debitori tempus ad solvendum, *Rim. Sen. cons.* 173 *n.* 10 *lib.* 1, et ibi *Rim. Jun. in addit. in littera B*, qui allegat *Paris. cons.* 117 *n.* 24 *lib.* 1.

24. Hoc tamen intellige, dummodo sit procurator generalis cum libera, secus si sit specialis cum libera, quia iste non potest agere nisi specificata

in mandato, ut supra dictum fuit circa principium hujus capitis, et citatis ibi adde *Camill. Borell. in summa decis. cap.* 66 *n.* 251.

« Habens hujusmodi generale mandatum cum libera declarare valet « caducitatem incursam; praecipue ubi talis declaratio resultat in eviden- « tem utilitatem Ecclesiae: quidquid aliter sit dicendum quando illi potest « esse damnosa, *Actolin. resolut.* 91 *n.* 31 *cum duobus seqq.*

25. Verum enim vero quae supra diximus de procuratore cum libera quod possit explicare ea quae exigunt mandatum speciale, recipiunt nonnullas restrictiones et declarationes, tam respectu procuratoris ad lites et causas, quam respectu procuratoris ad negocia. Respectu quidem procuratoris ad lites ut non possit renunciare exceptionibus peremptoriis mandati competentibus, *Dec. cons.* 482 *n.* 9, *Calcan. cons.* 25 *n.* 1, *et n.* 15, *Beroius quaest.* 33 *n.* . . , *Rim. Jun. cons.* 81 *n.* 27 *lib.* 1, *Menoch. cons.* 31 *n.* 39 *lib.* 1 *cap.* 2, *ubi not. extr. de donat.*, *Bart. in L. fin. n.* 1 *ff de iis quae in fraud. credit.*, *et in L. debitorem n.* . . . *ff de novat.*, *Alex. cons.* 22 *n.* . . . *lib.* 1.

26. Neque exceptionibus dilatoriis, *Alex. in L.* 1 *n.* 11 *cod. de feriis.*

27. Nec etiam liti, causae et instantiae, *DD. in cap. cum olim. extr. de offic. deleg.*, *Beroius cons.* 187 *n.* 52 *lib.* 1, *et quaest.* 33 *n.* 10 *vers. quia licet.*

28. Nisi ex justa et rationabili causa, *Purpur. in L. postquam liti n.* 65 *cod. de pact.*, *Gratian. decis. March.* 79 *n.* 5.

29. Et proinde neque etiam appellationi, *Jas. in L. praeses n.* 13 *cod. de transact.*

30. Scilicet expresse, nam tacite posset, *Bald. in L. fin.* § 2 *col.* 2 *n.* . . . *cod. de tempor. appellat.*, *Ang. in L. ab executore n.* . . , et ibi *Imol. n.* . . . *ff de appell.*, *Franch. in cap. Nicolao* 64 *n.* 13 *extr. eod. tit.*, *Jafred. Balb. decis.* 135.

31. Nam istae renunciationes sapiunt donationem, *L. si quis delegaverit ff de novat.*, *L. postquam liti*, et ibi *Jas. n.* . . . *cod. de pact.*, *Alex. cons.* 22 *n.* 8 *lib.* 1, *et cons.* 115 *n.* 1 *et* 3 *lib.* 5, *Dec. cons.* 482 *n.* 9, *Jas. in d. L. praeses n.* 13.

32. Et iste procurator cum libera non potest donare, *L. contra juris civilis* § *fin. ff de pact.*, *L. filiusfam.* et ibi *not.*, *Bart. n.* 8 *ff de donat.*, *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 8 *par.* 2.

« Procurator habens mandatum etiam cum libera, donare non potest, « *Thomat. decis.* 290 *n.* 7 *par.* 2.

33. Neque etiam admitteretur ad respondendum positionibus adversarii si ille peteret responderi per principalemmet, tamquam melius informatum, *Bart. in L. qui bona* § *si alieno n.* 15 *ff de damn. infect.*, *Franc. Marc. d. decis.* 693 *in fin.*

34. Neque etiam potest explicare ea quae tendunt in merum favorem adversarii et in praejudicium mandantis: quia eo casu requiritur mandatum specificum ad illum actum, *Beroius d. quaest.* 33 *n.* 10.

35. Respectu vero procuratoris ad negocia, limitatur primo; quod cum iste procurator non possideat, non potest transferre possessionem rei mandatarii per clausulam constituti, *Soc. Sen. cons.* 239 *in fin. lib.* 2, *Laurent. de Pinu cons.* 97 *n.* 2.

36. Secundo limitatur, ut non possit solvere indebitum, *L. si procurator de condict. indebit.*, inducendo illam, ut per *Jas. ibi n.* 18 *vers. tertio et adhuc.*

37. Tertio limitatur, ut non possit illicita, et inhonesta, *L. si pater ff de iis quae in fraud. credit.* quem *Tex.* dicit mirabilem *Jas. in d. L. si procurator n.* 4 *vers. amplia ista*, ubi alii notant in *Gloss.*

38. Quarto limitatur, ut non possit explicare ea quae requirunt expressionem aliquarum qualitatum respectu rei mandatae vel respectu personarum; unde non defuerunt qui dicunt, in illis casibus requiri mandatum singulare et individuum, *Angel. Aret. in § praeterea el.* 2 *col.* 21 *sub n.* 28 *vers. ad unum tamen singulariter instit. de except.*, sequitur *Cotta in memorial. procurator generalis*, *Soc. Jun. cons.* 59 *n.* 8, *et cons.* 129 *n.* 52 *lib.* 1, *Magon. decis. Lucens.* 51 *n.* 18, *Bertaz. cons. criminal.* 407 *n.* 9 *lib.* 2, *Joseph Ludovic. in suis commun. conclus. in tit. de mandat. conclus.* 32 *vers.* 33.

39. Quinto limitatur, ut non censeatur data facultas delinquendi, quia in dubio numquam censetur datum mandatum ad delinquendum, *L. creditor § Lucius ff mand.*, *Alex. in L. si procurator n.* 3 *cod. de procur.*, *Natt. cons.* 10 *n.* 4 *lib.* 1, *Franc. Marc. decis.* 693 *n.* 8 *par.* 2.

40. Sexto limitatur, ut huic procuratori non censeatur data facultas dilapidandi, quae censetur semper excepta, *d. § Lucius*, et ibi *DD.*, *Alex. cons.* 28 *n.* 1 *lib.* 7, *Paul. Pic. cons.* 3 *n.* 14, *Rim. Jun. cons.* 178 *n.* 18 *lib.* 2.

41. Et consequenter, neque etiam donandi, *L. filiusfam. § videamus ff de donat.*, *L. contra juris § fin. ff de pact.*, *d. § Lucius*, *Gloss. in L. procurator cui generaliter ff de procur.*, *Alex. in L. si procurator n.* 3 *cod. eo tit.*, *Natt. cons.* 10 *n.* 4, *et cons.* 115 *n.* 8 *lib.* 1, *Gail. practic. observat. lib.* 2 *cap.* 72 *n.* 8, *Burs. cons.* 395 *n.* 38 *lib.* 4, *Franc. Marc. decis.* 618 *n.* 12 *lib.* 1, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 93 *n.* 5, *Gratian. discept. forens. cap.* 750 *n.* 5, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 38, *Rim. Jun. d. cons.* 178 *n.* 38, *Sebast. Medic. decis. March.* 7 *n.* 9, *Borell. in summa decis. cap.* 66 *n.* 248, *Rot. decis.* 696 *n.* 4 *par.* 2 *Recent.*

42. Et propter eamdem rationem non potest liberare debitorem constituentis per acceptilationem, *Gloss. in L. praeses* et ibi *Jas. n.* 14 *cod. de trans.*, *Bart. in L. per procuratorem ff de acceptilat.*

43. Septimo limitatur, ut non censeatur data facultas explicandi majora expressis, *Roman. cons.* 271 *n.* 1, et ibi *Adden. Paul. de Castr. cons.* 63 *in fin. lib.* 1, *Rub. Alexand. cons.* 50 *n.* 5, *Crav. cons.* 209 *n.* 8 *lib.* 2, *Clem. non potest de procur. cap. si sedes extr. de rescript.*, *Bald. in L. aliquando in* 15 *quaest. n.... ff de offic. Procons. et Legat.*, *Gemin. in cap. fin. n.... de offic. delegat. in* 6, *Franc. Marc. decis.* 694 *n.* 2 *et* 4 *par.* 2.

44. Declaratur etiam supra firmata conclusio in procuratore speciali cum libera, ut illius facultas non extendatur ultra expressa in mandato, *Bart. in L. qui Romae* § *Callimacus n. . .*, et ibi *Alex. n. . .*, et alii *ff de verb. oblig.*, *Rim. Jun. cons.* 496 *n.* 11 *lib.* 5, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 40, *Soc. Jun. cons.* 22 *n.* 29 *et seq. lib.* 3, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 8.

« Mandatum licet factum cum libera, aliisque clausulis generalibus « atque praegnantibus, haud tamen comprehendit majora expressis, cum « immo hujusmodi clausulae tantum ad expressa debeant restringi, nec « tantae sint virtutis, ut per illas speciale mandatum in causis in quibus re- « quiritur censeatur inductum, *Actolin. resolut.* 66 *n.* 13 *cum duobus seqq.*

45. Et licet praedicti DD. loquantur indistincte, debent tamen intelligi ut non senserint de procuratore generali cum libera administratione, alias destrueretur conclusio firmata supra circa principium hujus capitis; sed dumtaxat de mandato facto cum clausula cum libera, quae subijcitur mandato facto ad aliquem actum certum peragendum, ut declarat *Mantic. d. n.* 40 *vers. sed advertendum est.*

46. Secus autem de procuratore constituto generaliter cum libera administratione, cujus facultatem non esse restrictam ad expressa in procuratorio, dicunt *Bart.*, *Alex.* et alii *in d. L. qui Romae* § *Callimacus ff de verb. obligat.*, refert alios *Decian. d. cons.* 91 *n.* 33 *lib.* 3, *Addent. ad Magon. decis. Lucens.* 51 *in Litera B*, et supra dictum fuit.

« Quod dicitur de restrictione facienda mandati cum libera ad supe « rius expressa, procedit quando mandatum fuit factum ad certas causas et « lites superius expressas, non autem quando generaliter fuit factum ad « omnes lites motas et movendas, *Actolin. resolut.* 91 *n.* 34.

47. Declaratur etiam generaliter supra firmata conclusio circa procuratorem ad extrajudicialia, ut procedat dummodo iste contrahat bona fide et absque dolo, *Benvenut. Stracc. de mercatur. in tit. de mandat. n.* 50, *Sebast. Medic. decis. March.* 7 *n.* 9.

48. Et ad commodum et utilitatem mandantis, et obliget mandantem pro facto suo proprio, secus si pro facto ipsius procuratoris vel alterius, *L. si mandatum ff si tibi centum*, *L. ex mandato*, *L. creditor* § *Lucius*, et ibi *Bart. n. . . et Bald. n. . .*, *Salic.*, *Fulgos.*, *et alii ff mand.*, *Mantic. de tacit. d. lib.* 7 *tit.* 16 *n.* 37, *Natt. cons.* 115 *n.* 8 *lib.* 1, *Sebast. Medic.*

d. decis. 7 *n.* 8, *Rot.* post nostrum tractatum de Censibus *decis.* 190 *n.* 1 *et* 2, *Dec. cons.* 493 *n.* 11.

49. Declaratur secundo, ut procedat quoad contrahendum, et quoad ea quae respiciunt administrationem rerum constituentis, secus respectu eorum quae fiunt extra administrationem, *Jas. in L.* 3 § *si procuratori col. fin. n.* 13 *ff quod quis. jur., Rim. Jun. cons.* 345 *n.* 11 *et seq. lib.* 3, *Mantic. d. tit.* 16 *n.* 37.

50. Declaratur tertio, quod si iste procurator aliter exequatur quam fuerit sibi demandatum, et excedat fines mandati, non tenetur nisi de dolo, non autem de culpa, ut post *Bart. in L. in venditione* § *si unus* 1 *n.*.. *ff de bon. auctor. judic. possid., et in L. procurator cui generaliter libera in fin. ff de procur.*, dicit *Rim. Sen. cons.* 201 *n.* 24 *lib.* 2.

CAPUT CXI.

DE PROCURATORE IN REM SUAM.

SUMMARIUM

1. *Procurator in rem suam quis dicatur.*
2. *Quomodo differat a simplici procuratore.*
3. *Non comprehenditur sub statuto loquente de simplici procuratore.*
4. *A legum latoribus proprietas vocabulorum desumitur.*
5. *Proprie dicitur procurator.*
6. *Quomodo a nonnullis asseratur, improprie talem appellari.*
7. *Quidquid potest simplex procurator etiam habens speciale mandatum, idem et multo magis potest procurator in rem suam.*
8. *Tribus modis constituitur.*
9. *Primo modo, quando alicui mandantur directae actiones, et caeduntur utiles.*
10. *Quomodo tunc agere valeat.*
11. *Si intentet utiles actiones nomine proprio, vel directas nomine constituentis et ipse constituens reconveniatur, tenetur illum defendere in dicto reconventionis judicio absque novo mandato.*
12. *Ubi tamen fuerit constitutus procurator in rem suam ex causa lucrativa.*
13. *Praesertim si illius constitutio sit facta in fraudem creditorum.*
14. *Secundo modo, quis constituitur procurator in rem suam quando illi ceduntur actiones utiles et non mandantur directae.*
15. *Utroque casu quamvis remaneant actiones directae poenes constituentem, sunt tamen inanes et inefficaces.*

16. *Illarum exercitium transfertur in dictum procuratorem tamquam in cessionarium.*
17. *Qui agit in sui utilitatem.*
18. *Tertio modo, constituitur quis procurator in rem suam, quando illi absque utilium cessione, directae actiones mandantur.*
19. *Quo casu mandantis tantum nomine actiones exercet.*
20. *Ulterius in rem suam procurator quis constituitur, quando donationis titulo ei ceduntur actiones, et constituitur procurator ad illas intentandas.*
21. *Etiam ubi ceditur officium judicis vel obligatio tantum civilis.*
22. *Immo ubi sola jura extrajudicialia ceduntur.*
23. *Hoc mandatum numquam praesumitur datum nisi sit expressum in procuratorio.*
24. *Ista qualitas quod quis sit procurator in rem suam est quid extrinsecum a mandato, et ideo non praesumitur.*
25. *Sufficit tamen ut id in mandato exprimatur, vel verbis expressis, vel aequipollentibus, ut si mandans rem cum suis juribus mandatario concedat.*
26. *Vel ponat mandatarium in locum suum absque alia jurium actionumque cessione.*
27. *Clausula praefata jurium et actionum cessionem importat.*
28. *Contraria refertur opinio.*
29. *Vel si donatarius in instrumento donationis simpliciter constituatur procurator.*
30. *Verba, semper secundum subjectam materiam intelligi debent.*
31. *Et secundum naturam actus super quo sunt emissa.*
32. *De natura donationis est, ut in donatarium transferatur rei dominium.*
33. *Vel si dicatur in mandato quod mandatarius possit disponere de re in qua fuit constitutus procurator tamquam de re propria.*
34. *Contraria affertur opinio.*
35. *Vel si constituatur procurator ad exigendum ad hoc ut sibi de suo credito satisfaciat.*
36. *Si emptor de consensu venditoris rei venditae praetium solvere promittat alicui, is censetur constitutus procurator ad ipsum praetium exigendum.*
37. *Non tamen dicitur constitutus procurator in rem propriam.*
38. *Sed potius adiectus solutioni in rem propriam et ad sui utilitatem.*
39. *Et in hunc trasferuntur actiones absque cessione.*

40. *Praeter quam in venditione haereditatis vel actionum.*
41. *Quis dicitur procurator in rem suam, si illi mandentur actiones directae, absque cessione utilium.*
42. *Ex eo quod quis sit constitutus procurator in rem propriam censentur illi cessae actiones, licet id in mandato non sit expressum.*
43. *In praedicto tamen casu mandans procuratorem praeveniendo, a debitore exigere potest.*
44. *Procurator quis in rem suam potest constitui tam ab actore et creditore;*
45. *Quam a reo et debitore.*
46. *Si constituatur a reo, ista constitutio operatur in quantum pertinet ad ipsius rei praejudicium, non vero actoris.*
47. *Nisi a debitore id fiat ex necessitate, puta per judicis adjudicationem.*
48. *Ut quis dicatur constitutus procurator in rem propriam et utiles actiones acquirat, necesse est ut sit praesens.*
49. *Hujusmodi procurator rei dominium acquirit.*
50. *Et aequiparatur domino.*
51. *Immo domino praefertur, et qua ratione.*
52. *Potest paciscendo praejudicare mandanti.*
53. *Et si tantum habeat mandatum in rem suam et procuratorio nomine simpliciter agat, intelligitur agere virtute dicti mandati.*
54. *Agens nomine proprio utiles actiones intentando cum ad eum spectet emolumentum, debet de proprio facere litis expensas.*
55. *Hujusmodi mandatum ad mandatarii haeredes transit.*
56. *Nisi fiat absque jurium cessione, quia tunc mandatarii morte expirat.*

1. Procurator in rem suam ille dicitur qui agit ex persona alterius in proprium commodum, *Bart. in L. si consorti n.* 66 *ff sol. matr.*, et qui ad sui ipsius utilitatem et commodum actiones exercet et ad quem utilitas et damnum actus qui geritur pertinet, *L.* 1 § *in propria causa ff quand. appelland. sit, Gloss. in L.* 1 *in verb. aliena in princ. ff de procur., et in L. qui stipendia in verb. rem suam cod. eo tit., Bertaz. cons. civil.* 42 *n.* 25 *lib.* 1, *Scipio Rouit. cons.* 38 *n.* 4, *Gratian. discept. forens. cap.* 666 *n.* 21.

2. Et hac ratione differt a simplici procuratore qui non ad propriam sed ad mandantis utilitatem et commodum, actum gerit, *L.* 1 *ff de procur., Bertazol. de clausul. instrum. clausul.* 29 *Gloss.* 1 *n.* 1.

3. Licet autem *Gloss. in L. non solum in princ. in verb. interrogationibus vers. sed tu dic ff de procur.*, *Bald. in L.* 1 *in* 2 *lect. n.* 7 *ff de procur.*, dicat hunc improprie dici procuratorem et non compraehendi sub statuto loquente de procuratore, idem *Bald. in L.* 1 *col.* 4 *n.* 14 *cod. de act. et oblig.*, *Jas. in d. L. qui stipendia n.* 2 *vers. et iste procurator.*, *Dec. in L. si quis iniquum* § *si procurator n.* 7 *ff quid quisq. jur.*, *Costa de portion. ratae quaest.* 20 *n.* 11, *Bertazol. d. Gloss.* 1 *n.* 1.

4. Quia tamen legum latores (a quibus proprietas vocabulorum desumitur, *Bart. in L. omnes Populi n.* 59 *ff de justit. et jur. L. proprie, L. ferri ff de verb. sign.*), istum procuratorem appellant, *in L. si quis in rem suam ff de procur.*, *in L. procurator in rem suam ff eo tit.*, *in L. jusjurandum quod ex conventione ff de jurejur.* et forte alibi.

5. Hunc procuratorem proprie dici concludendum videtur, prout concludit *Jo. Andr. in addit. ad Specul. in tit. de procurat.* § *fin. vers. utrum autem*, referente *Mandell. Alb. cons.* 406 *n.* 8.

6. Neque ex eo quod non comprehendatur sub statuto simpliciter loquente de procuratore, sequitur quod non sit proprie procurator, ut infert *Bald.* et qui illum sequuntur. Huic enim obiecto multipliciter respondet *Paul. de Castr. in L.* 1 *col.* 4 *vers. in princip. Gloss. ff de procurat.*, et dum aliqui DD. dicunt quod dicatur procurator improprie, debet intelligi, ut procurator in rem suam dicatur improprie procurator eo respectu, quod habeat jus fortius et potentius quam simplex procurator; ideoque statuta requirentia aliquam solemnitatem in simplicibus procuratoribus, non comprehendant procuratorem in rem suam, ut considerat *Mandell. Alb. cons.* 226 *n.* 46 *lib.* 2 *et cons.* 406 *n.* 5, *et cons.* 415 *n.* 7 *et seqq. lib.* 3.

7. Quinimmo affirmative semper valet argumentum hoc modo, quidquid potest procurator simplex etiam habens speciale mandatum, idem et multo magis potest procurator in rem suam, ut post *Jas. in L. jusjurand. quod ex conventione* § *procurator in* 6 *notab. ff de jurejur.* dicit *Alb. cons.* 226 *n.* 47.

8. Constituitur autem procurator in rem suam tribus modis ex mente *Baldi in L. quae omnia* § *plane n.* 1 *ff de procur.*, *et Jas. in d. L. qui stipendia n.* 2 *cod. eod. tit.*

9. Primo, quando alicui mandantur directae actiones et ceduntur utiles, *L.* 1, et ibi *Gloss. cod. de act. et obligat.*

10. Et hoc casu iste procurator potest agere vel utilibus actionibus, concludendo dari sibi ad suimet utilitatem et commodum, vel experiri directis actionibus quarum exercitium habet, concludendo dari mandanti, ut notant *Dyn. et Bart. n. . . in L. si duo ff de solut. Gloss.*, *Cyn.*, *Bart. et omnes in d. L. qui stipendia*, *ubi Bald. n.* 4, *Jas. n.* 3, *DD. in L.* 1 *cod. de act. et obligat.*, *Angel. Aret. cons.* 54 *n.* 4 *vers. sed tamen*, *Beroius*

cons. 187 *n.* 45 *lib.* 1, *Mandell. Alb. cons.* 226 *sub n.* 4 *lib.* 2, *post Paul. de Castr. in L.* 1 *col.* 4 *n. . . . ff de procur.*, *Bart. in L. plane ff famil. haercisc.*

11. Sed dubitari potest an si, dum iste procurator intentat utiles actiones nomine suo proprio vel directas nomine constituentis, ipse constituens reconveniatur; teneatur iste procurator illum defendere in dicto judicio reconventionis absque novo mandato, et partem affirmativam videtur firmare *JC. in L. servum* § *si quis in rem suam*, *et L. si quis in rem suam*, et ibi *Gloss.* 1 *ff de procur.*

12. Quae tamen conclusio procederet in eo qui fuit constitutus procurator in rem suam ex causa lucrativa, *Gloss. in d. L. si quis in rem suam in verb. et non in fraudem*, quae ita intelligit *Tex. in L. servum* § *equum ff eo tit.*

13. Maxime si talis constitutio procuratoris sit facta in fraudem creditorum, *Gloss. in d. verb. et non in fraudem*, *vers. item*, ubi quae ita intelligit *d. L. si quis in rem suam.*

14. Secundo modo constituitur quis procurator in rem suam, quando illi ceduntur actiones utiles absque eo quod illi mandentur directae, *L. si procuratorem* § *fin. in fin. ff mand.*, *Gloss. in cap.* 1 *de procur. lib.* 6 *cum concordant. apud Felin. in cap. licet undique n.* 3 *extr. de offic. deleg.*, *Bald. in L.* 1 *praesertim n.* 10 *cod. de act. et oblig.*, *Ang. Aret. cons.* 125 *n.* 1 *vers. et pro intelligentia*, *Beroius*, *cons.* 187 *n.* 45 *lib.* 1, *Jas. in d. L. qui stipendia n.* 2 *vers. vel quando solum.*

15. Et iis duobus casibus licet remaneant actiones directae poenes constituentem, illae tamen sunt inanes et inefficaces, *Bart. decis.* 26 *n.* 7.

16. Nam illarum exercitium transfertur in dictum procuratorem tamquam in cessionarium, *Rot. divers. decis.* 174 *n.* 6 *par.* 2.

« Cessionarius dicitur procurator in rem propriam, *Thomat. decis.* 29 « *n.* 20 *par.* 1.

17. Et agit in sui utilitatem, *L.* 1 § *in propria ff quand. appellan. sit*, *Rebuff. in L. rei appellatio* 5 *vers. secundo ff de verb. signif. fol. mihi* 54.

18. Tertio modo, dicitur quis constitutus procurator in rem propriam, quando illi mandantur actiones directae absque cessione utilium, *Gloss. et Bart. n.* 1 *in L. ad eum in princ. ff de donat.*, *Angel. Aret. cons.* 125 *n.* 1 *et* 2, ubi plene, *Jas. in d. L. qui stipendia n.* 2 *vers. tertio.*

19. Et hoc casu procurator non proprio sed mandantis nomine actiones exercere debet, *Bertazol. de clausul. instrum. clausul.* 28 *Gloss.* 1 *n.* 1 post multos quos allegat, *Bald. in L. qui stipendia n.* 4 *cod. de procur.*, *Mandell. Alb. cons.* 226 *sub n.* 4 *lib.* 2 post *Paul. de Castr. in L.* 1 *col.* 4 *n. . . . ff de procur.*

20. Ultra praedictos modos constituitur quis procurator in rem propriam, quando donationis titulo ceduntur actiones et constituitur procurator ad illas intentandas, *L. illam subtilem cod. de donat.*, *Gloss. in cap.* 1 *in verb. in rem de probat. lib.* 6, quam communiter ab omnibus esse approbatam dicit *Gozadin. cons.* 3 *n.* 9.

21. Non solum cedendo actiones, ut supra dictum est, sed cedendo etiam officium judicis vel obligationem civilem dumtaxat, ut deducit *Angel. Aret. in* § *praeterea* 2 *sub n.* 42 *instit. de except.*

22. Immo cedendo jura extrajudicialia, *L.* 1 *in fin. cum L. qui suam in princ. ff de nov. oper. nunciat.*, quos textus esse meliores de mundo ad hoc dicit *Bart. in d. L.* 1 § *fin. n.* 2, et licet contradicant *Bald.*, *Petr. Cyn. et Salic. in L. officium cod. commun. divid.*, *Bart.* tamen opinionem esse communiter receptam et veriorem probat *Aret. sub d. n.* 42, ubi respondet contrariis.

23. Mandatum autem hoc numquam praesumitur datum, nisi hoc sit expressum in procuratorio, *Bald. in L. quae omnia* § *plane n.* 2 *ff de procur.*, *et in L.* 3 *quaest.* 1 *n.* 1, et ibi *Salic. cod. mand.*, *Paris. cons.* 8 *n.* 9 *lib.* 4, *Bertaz. de clausul. in clausul.* 29 *Gloss.* 1 *n.* 9, *Addentes ad Mandell. Alb. cons.* 226 *in prima addit. in fin. lib.* 2.

24. Nam ista qualitas, quod quis sit procurator in rem suam est quod extrinsecum a mandato, et propterea non praesumitur, *L. quaecumque* § *fin. ff de public. notant. DD. in L. sciendum ff de verb. oblig.*

25. Sufficit tamen quod id in procuratorio exprimatur, vel verbis expressis, vel aequipollentibus, puta si mandans concedat mandatario rem cum suis juribus, *Angel. Aret. cons.* 117 *n.* 2.

26. Vel si mandans ponat mandatarium in locum suum absque eo quod in procuratorii instrumento legatur cessio jurium et actionum, *Bart. in L. qui quadringenta n.* 2 *ff ad Trebell.*, *Rim. Sen. cons.* 86 *n.* 10 *lib.* 1, *Paris. cons.* 107 *n.* 34 *lib.* 3, *Beroius cons.* 188 *n.* 4 *lib.* 1, *Barz. decis.* 26 *n.* 6, *Rot. decis.* 174 *n.* 4 *par.* 2 *divers.*, *Angel. Aret. in d.* § *praeterea n.* 46, *Bertaz. cons. civil.* 42 *n.* 24 *ad fin. lib.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 682 *n.* 9.

27. Nam clausula praefata importat cessionem jurium et actionum, *L. plane ff famil. haercisc.*, *L. qui quadringenta*, et ibi *Angel. n.* 1 *in fin.*, *et n.* 2 *ff ad Trebell.*, *Bertaz. d. cons.* 42 *n.* 23, per quam jurium cessionem induci mandatum in rem suam supra dictum fuit.

28. Contrarium tamen in hoc ultimo firmat *Paris. cons.* 8 *n.* 14 *lib.* 4 auctoritate *Alex.* et aliorum.

29. Vel si donatarius in instrumento donationis constituatur procurator simpliciter, *Bertaz. consil. civil.* 42 *n.* 24 *in princ. lib.* 1.

30. Et hoc ratione subiectae materiae secundum quam verba semper intelligi debent, *L. si uno ff locat.*, *Surd. decis.* 288 *n.* 43.

31. Et secundum naturam actus super quo emissa sunt, *Surd. decis.* 11 *n.* 16.

32. De natura enim donationis est ut in donatarium transferatur rei dominium, *L.* 1 *cod. de donat.*, *Paris. cons.* 128 *n.* 43 *lib.* 1, *cons.* 89 *n.* 37 *lib.* 3, *Burs. cons.* 33 *n.* 2 *lib.* 1.

33. Dicitur similiter quis constitutus procurator in rem propriam eo ipso, quod in procuratorio dicitur quod procurator possit disponere de re in qua fuit constitutus procurator, tamquam de re propria, *Paris. cons.* 107 *n.* 35 *lib.* 3, *Angel. in L. in provinciali* § *si ego n.* 1 *ad fin. ff de novi oper. nunciat.*

34. Et licet *Paris. cons.* 8 *n.* 11 *et seqq.*, velit per ista verba non resultare mandatum in rem propriam, sequutus *Alex. in L. in provinciali* § *si ego n.* 5 *et seq. ff de novi oper. nunciat.*

35. Vel si constituatur procurator ad exigendum ad effectum ut cum pecunia exigenda sibimet de suo proprio credito satisfaciat, *Aret. cons.* 125 *n.* 2, *Paul. de Castr. in L. fin. n.* 22 *vers. et si facta procuratio ff de donat.*, *Rot. decis.* 129 *n.* 2 *par.* 1 *Recent.*

36. Sed quid si in contractu venditionis, emptor de consensu venditoris promittat solvere praetium rei venditae Titio, an Titius censeatur constitutus procurator in rem propriam ad exigendum ab emptore praetium illud? Et licet per illa verba Titius intelligatur constitutus procurator ad exigendum praetium rei venditae, *Bart. in L.* 1 *n.* 3 *circa fin. ff de pact.*, *Benvenut. Stracc. in tract. de adiet. par.* 4 *quaest.* 7 *n.* 4 *et sub n.* 5.

37. Non tamen dicitur constitutus procurator in rem propriam.

38. Sed verius dici debet adiectus solutioni in rem propriam et ad sui utilitatem.

39. Et in hunc actiones transferuntur absque cessione, *Paris. d. cons.* 107 *n.* 32 *et seq. et n.* 46 *et seq. lib.* 3, *Stracc. d. tract. par.* 1 *n.* 39.

40. Praeterquam in venditione haereditatis vel actionum, *Alex. in L. qui quadringenta sub n.* 4 *vers. de Romano*, et ibi *Jas. n.* 8 *ff ad Trebell.*, *Bertaz.*, qui alios allegat, *d. claus.* 28 *Gloss.* 2 *n.* 1, ea ratione, quia nulla appareat facta cessio actionum sine qua constitui non posse aliquem procuratorem in rem suam, dicit ibi *n.* 10 *et* 15.

41. Ista tamen ratio videtur confundi ex iis quae dicta sunt supra ex *Bald.* et aliis, quod procurator in rem suam constitutus quis dicitur, si illi mandentur actiones directae, absque cessione utilium.

42. Immo eo ipso quod quis constituitur procurator in rem propriam censentur illi cessae actiones, etiamsi in procuratorio id non sit expressum,

d. L. plane, *et d. L. qui quadringenta*, et ibi *Angel. n.* 1 *et* 2, *DD. in L. in provinciali* § *si ego*, et ibi *Bart. n.* 3, *Alex. n.* 7 *vers. quinto fallit ff de novi operis nunciat.*, *Joann. Petr. de Ferrariis Practic. Papien. in form. libell. in caus. vendit. in verb. ponens ipsum*, *Angel. Aret. in d.* § *praeterea n.* 36, *Bertaz. d. cons.* 42 *n.* 23 *lib.* 1 *civil.*

43. Bene verum est, quod hoc caso mandans praeveniendo procuratorem, potest a debitore exigere, et ab eo solutiones recipere, *Bald. in L. si pater n.* 1 *cod. mandat.*, *Alex.* post plures *in d. L. in provincial.* § 1 *n. . .* , *Jas. in L. si cum emptore col.* 2 *n.* 4 *in* 1 *limitat. ff de pactis*, quem refert et sequitur *Riminal. jun. cons.* 4 *n.* 43 *lib.* 4.

44. Potest autem quis constitui procurator in rem suam tam ab actore et creditore, *L. qui stipendia cod. de procur.*,

45. Quam a reo et debitore, *L. plane*, et ibi *Gloss. in verb. suo loco ff familiae haerciscundae*, *L. fin.* § *Titius ff de condit. indebit.*, *Gloss. in L. non solum in princ. in verb. interrogationibus circa princip. vers. ad quod dic ff de procurat.*, *Angel. Aret. in d.* § *praeterea n.* 42.

46. Sed si constituatur a reo, ista constitutio operatur in quantum pertinet ad ipsius rei praejudicium, secus autem quoad praejudicium actoris, ut per *Paul. de Castr. d.* § *Titius.*

47. Nisi debitor hoc faciat ex necessitate, puta per judicis adjudicationem, *d. L. plane in fin.*, et ibi, *Gloss. in verb. loco suo*, quem *Text.* ita intelligit *Petrus Ant. Anguiss. cons.* 15 *n.* 1 *et seq. lib.* 3.

48. Ad effectum autem ut quis dicatur constitutus procurator in rem suam, et acquirat utiles actiones, dubitatur an necesse sit ut sit praesens constitutioni, *Bald. in L.* 1 *n.* 20 *in septima quaest. cod. de act. et obligat.*, affirmat non esse necessariam praesentiam procuratoris constituendi; contrariam tamen sententiam tenent plerique: nam si sit absens nullae possunt in eum transire actiones, et illarum cessio esset irrelevans et inanis, *Rom. cons.* 86 *n.* 12, *Becc. cons.* 65 *n.* 4 *et seq.*, *et in fin. cons. lib.* 1, *Paris. cons.* 107 *n.* 47 *lib.* 3, *Stracc. in tract. de adiect. par.* 4 *quaest.* 14 *n.* 3.

49. Et cum iste procurator acquirat rei dominium, *Marta vot.* 109 *n.* 9, *Bertaz. d. clausul.* 29, *Gloss.* 1 *sub n.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 873 *n.* 23.

50. Aequiparatur domino, *Riminal. jun. cons.* 65 *n.* 23 *lib.* 1.

« Qua propter procurator in rem propriam potest alium substituere « etiam ante litem contestatam, licet facultatem hujusmodi in specie non « habeat, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 56, et fuit etiam adno- « tatum supra *cap. XXXVIII n.* 5.

« Et potest deferre juramentum decisorium seu decisivum litis, *Ri-* « *dolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 10 *n.* 136.

51. Immo mediantibus actionibus utilibus quas habet in agendo prae-

fertur domino habenti tantum directas, *L. procuratore in rem suam dato ff de procurat.*, *L. si cum emptore in princ. ff de pact.*, *Riminal. Jun. d. cons.* 65 *n.* 23 *vers. immo vero lib.* 1, *et cons.* 124 *n.* 13 *lib.* 2.

52. Et proinde potest paciscendo praejudicare mandanti, *L. rescriptum § fin.*, et ibi, *Alex. n.* . . . et alii *ff de pactis*, *Sim. de Praet. cons.* 120 *n.* 61 *lib.* 1.

53. Si autem procurator iste nullum aliud habeat mandatum quam in rem suam et agat simpliciter procuratorio nomine, nulla facta mentione quod sit procurator in rem suam, intelligitur tamen egisse virtute dicti mandati, ut actus potius valeat quam corruat, ut per hanc rationem concludit *Angel. Aret. cons.* 53 *n.* 5 *in fin.*

54. Quando vero agit nomine proprio intentando actiones utiles, cum ad eum spectet emolumentum, debet facere expensas litis de suo proprio, *Bald. in L.* 1 *n.* . . . *cod. de evict.*, quem refert et sequitur *Jas. in L. qui stipendia n.* 2 *in fin. cod. de procurat.*

55. Hoc mandatum transit ad haeredes mandatarii, *L. illam cod. de donation.*, *Scipio Rouitus cons.* 38 *n.* 5.

56. Limitatur si fiat absque cessione jurium, quia eo casu expirat morte mandatarii, *Petrus a Bellapertica*, *et Cyn. in L. si quidem cod. de action. et oblig.*, et post eos *Rouit. d. cons.* 38 *n.* 5.

CAPUT CXII.

DE FALSO PROCURATORE.

SUMMARIUM

1. *Is proprie dicitur falsus procurator qui absque ullo mandato, se uti alicujus procurator gerit.*
2. *Item is qui, licet habeat legitimum mandatum, se tamen intromittit in procuratoris officio priusquam habeat mandati exercitium per illius receptionem.*
3. *Mandatum reducitur ad tempus quo procurationis literae praesentantur.*
4. *Est de contractibus qui solo consensu contrahuntur.*
5. *Et ideo priusquam recipiatur, nulla oriri potest inter mandantem et mandatarium mutua obligatio.*
6. *Is quoque dicitur falsus procurator qui habet quidem mandatum, sed a persona quae de jure procuratorem constituere nequit.*

7. *Quae sint personae quae procuratorem constituere non possunt; remissive.*
8. *Similiter is qui habuit legitimum mandatum, sed illud fuit legitime revocatum.*
9. *Et quidem proprie.*
10. *Non dicitur falsus origine, sed perseverantia.*
11. *Revocato, vel resoluto mandato, perinde est ac si ab initio factum non fuisset.*
12. *Falsus etiam is dicitur qui habet legitimum mandatum, sed non sufficiens ad actum quem gerit.*
13. *Ut si procurator cum generali mandato se intromittat in actu requirente mandatum speciale.*
14. *Paria sunt non habere mandatum, vel habere insufficiens.*
15. *Habens mandatum ad lites de quo dubitatur an sit sufficiens ad defendendum dominum in causa reconventionis, si non satisdet ante litis contestationem, potest etiam postea uti falsus procurator revocari.*
16. *Falsus pariter dicitur procurator qui habet legitimum et efficax mandatum, sed illud non exhibet.*
17. *Quomodo id intelligendum; remissive.*
18. *Praedicta generaliter procedunt in quolibet procuratore tam ad negocia, quam ad lites.*
19. *Multoque magis in comparente absque mandato, vel cum revocato et non idoneo coram Principe.*
20. *Detestabilis et punibilis est falsus procurator comparens in Principis auditorio.*
21. *Ubi in legitimatione quae fit a Principe requiritur speciale mandatum, non sufficit ratificatio petitionis factae a falso procuratore.*

Quoniam supra saepius est facta mentio de falso procuratore, operae praetium esse existimavi ut de illo particulariter agamus; de quo duas faciemus inspectiones quas duplici capite explicabimus. In praesenti videbimus quis dicatur falsus procurator; in proximo sequenti agemus de illius poenis.

Circa primam inspectionem, licet *Bald. in L. falsus in princ. n. . . . cod. de furtis, et in L. licet n. 2 et 8 cod. de procurat., Bertachin. in suo repertor. in verb. procurator falsus, Andr. Gaill. practic. observ. lib. 1 observat. 47 n. 1*, et alii aliis in locis declarent quot modis procurator possit dici falsus; ego tamen illorum dicta colligens, aliquot faciam con-

clusiones, prout plures sunt causae propter quas procurator potest dici falsus.

1. Primo quidem et propriissime is dicitur falsus procurator, qui gerit se tamquam procurator alicujus absque eo quod ab illo aliquod habeat mandatum, *Barbat. cons.* 15 *col.* 3 *in princ. lib.* 2 *per Tex. in cap. ex parte Decani extr. de rescript., Bonifac. de Vitalin. in rubr. de fals. n.* 2 *ante fin. vers. item et ille committit, Bossius in sua practic. criminal. in tit. de falsitat. n.* 173 *et seq., Natta cons.* 588 *n.* 10 *lib.* 3, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 68, *et Rota decis.* 12 *de procur. per Bisignett.*, refert *Farinacc. in sua practic. crimin. quaest.* 150 *n.* 89, *L. si procurator in fin.*, et ibi *Bart. n. . . . ff de condict. ob caus. dat., et in L. falsus procurator n.* 8 *cod. de furt.*

2. Secundo, dicitur falsus procurator is qui, licet habeat legitimum mandatum, attamen se intromittit in officio procuratoris antequam habeat exercitium mandati quod per receptionem instrumenti vel literarum sui procuratoris acquirit, *L. quaero ff de eo qui pro tutor.*, per quem Tex. *Bald. in d. L. licet n.* 3 *cod. de procur. post Archidiac., et Jo. Andr. in cap. qui ad agendum de procur. lib.* 6, *Rim. Sen. cons.* 1, *n.* 29 *lib.* 1, *Jas. in L. si procurator n.* 6 *vera similiter est falsus ff de condict. caus. dat.*

3. Nam ante praesentationem literarum seu instrumenti mandati non potest quis dici vere procurator, cum mandatum reducatur ad tempus quo literae procurationis praesentantur, *Rim. Sen. cons.* 5 *n. . . lib.* 1, *Decian. cons.* 119 *n.* 17 *lib.* 2.

4. Ea ratione quia cum mandatum sit de contractibus qui solo consensu contrahuntur, *Instit. de mandat. in princ.*

5. Quando is ad quem literae missae sunt, illas recipit et tacet, tunc dicitur et ipse consentire, et ex tunc oritur mutua inter scribentem et recipientem literas obligatio, *L. qui absenti in princ. ff de acquir. possess., L. absenti ff de donat.*, et deducunt *Rim.* et *Decian.* in locis proxime allegatis, et nos late diximus supra *cap. XXIV n.* 24.

6. Tertio, is etiam dicitur falsus procurator qui habet quidem mandatum, sed a persona quae de jure procuratorem constituere non potest, *Guid. de Bajsio Archidiac. in d. cap. qui ad agendum de proc. in* 6, sequitur *Bald. in d. L. licet n.* 2 *in fin. cod. de procur.*, licet contrarium teneat *Bania cons.* 32, *n.* 14 *lib.* 2.

7. Quae autem sint personae quae procuratorem constituere non possunt diximus supra *capitibus XX et XXI.*

8. Quarto, falsus procurator is quoque dicitur qui habuit quidem mandatum legitime factum, sed illud fuit legitime revocatum, qui, si post revocationem se ingerat, dicitur falsus procurator, *Bald. in L. falsus n. . . cod. de furt., et in L. cum quis in princ., et* § 1 *ff de solut., et in d. L.*

licet n. 2 *cod. de procur.*, *L. ejus qui in provincia ff si cert. pet.*, *Gloss. in L. procuratori falso in verb. falso ff de condict. caus. dat.*

9. Et quidem proprie, *Barbat. dicto cons.* 15 *col.* 3 *in princ. lib.* 3.

10. Licet enim non possit dici falsus origine, quia habuit mandatum, est tamen falsus perseverantia, quia utitur mandato revocato et annichilato, sive sit revocatum expresse, sive tacite, *Barbat. d. col.* 3 *in princ.*

11. Revocato enim vel resoluto mandato perinde est ac si factum ab initio non fuisset, *Boer. decis.* 274 *n.* 6, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 155 *vers. qui ergo a principio*, *Rot. decis.* 469 *n.* 1 *par.* 2 *Recentior.*

12. Quinto, procurator falsus is quoque dicitur qui licet habeat mandatum, et illud quidem legitimum, non est tamen sufficiens et idoneum ad actum quem gerit, *Bald. in d. L. falsus n. . . cod. de furt.*, *et in cap. nonnulli col.* 1 *n. . . . extr. de rescript.*, *Jas. in d. L. licet n.* 4 *et* 7 *cod. de procur.*, *Mastrill. decis.* 179 *n.* 9, *Soc. Sen. cons.* 29 *n.* 1 *lib.* 3, *Bertazol. consil. crim.* 412 *n.* 29 *lib.* 2, *Gratian. discept. forens. cap.* 985 *n.* 24.

13. Puta si procurator cum mandato generali se intromittat in actu in quo requiritur mandatum speciale, *Jas. in d. L. licet n.* 4, *et in L. procurator n.* 6 *ff de condict. caus. dat.*, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 91, *Bald. in cap. non solum col.* 1 *n. . . . extr. de rescript.*, sequitur *Felin. in cap. ex parte decani n.* 7 *in fin. extr. eod. tit.*

14. Nam paria sunt non habere mandatum vel habere insufficiens et non idoneum ad actum qui geritur, *Bald. in d. L. falsus in princ. n. . . cod. de furt.*, cum aliis apud *Decian. cons.* 65 *n.* 30 *lib.* 5, *Bertaz. d. cons.* 412 *n.* 9, *Gratian. d. cap.* 985 *n.* 23, et per hanc rationem *Bald. in d. L. licet n.* 2 *vers. certe iste casus*, dicebat, quod iste quintus modus erat idem cum primo, quia qui habet mandatum insufficiens ad actum, dicitur nullum habere mandatum ad actum illum gerendum.

15. Sexto, falsus procurator is quoque dici potest qui habet mandatum ad lites, sed dubitatur an sit sufficiens ad defendendum dominum in causa reconventionis, et non satisdat ante litis contestationem; nam potest revocari etiam post litem contestatam tamquam falsus procurator, *Specul. in tit. de satisdat. in rubr. procur. actor. qualit. satisd. deb. n.* 10 *per Tex. in d. L. licet cod. de procur.*

16. Septimo et ultimo, dicitur falsus procurator is qui habet quidem mandatum, et illud est legitimum et efficax et sufficiens ad actum quem gerit, sed illud non exhibet, *d. L. licet*, et ibi *Bart. n.* 1, *Bald. num.* 2 *vers. primo modo*, *Alex. n. . .*, *Jas. n.* 4 *cod. de procur.*, *Port. Imol. cons.* 134 *num.* 7.

17. Quod tamen intelligendum est secundum ea quae diximus supra in *capite CII de mandati productione.*

18. Haec autem omnia quae supra diximus, procedunt generaliter in quocumque procuratore, sive sit constitutus ad negocia et ad extrajudicialia, sive ad lites et causas et ad judicialia.

19. Et multo magis si quis sine mandato, vel cum revocato vel minus sufficienti et inidoneo, compareat coram Principe.

20. Nam detestabile et punibile est falsum procuratorem comparere in Principis auditorio, *Bald. in d. L. falsus n. . . cod. de furt.*, *Paul. de Castr. in L. licet n. . . . ff de judic.*, *per Tex. in L. fin. ff de his qui a non domin. manumitt. in illis verbis « conscientiam Principis fefellit »* sequitur *Purpur. cons.* 492 *n.* 9 *lib.* 2.

21. Et hac ratione *Cels. Hug. cons.* 73 *n.* 8 inferebat, quod ubi in legitimatione quae fit a Principe requiritur mandatum speciale, ratificatio petitionis factae a falso procuratore non sufficit ad convalidandam dictam instantiam et petitionem, et hoc in odium falsi procuratoris coram Principe comparentis, ut ibi dicit *Cels. post Innoc.*, *Bald et Abb.*, quos allegat *d. n.* 8 *vers. dico enim* et infra.

CAPUT CXIII.

FALSUS PROCURATOR QUAS POENAS INCURRAT.

SUMMARIUM

1. *Falsus procurator punitur, quia tenetur parti cum qua contraxit, vel in cujus praejudicium in judicio comparuit ad interesse.*
2. *Tenetur etiam de dolo, si non habens mandatum se procuratorem faciat.*
3. *Unde contra eum juratur in litem.*
4. *Tenetur quoque poena falsi.*
5. *Falsi tamen poena tantum extraordinaria punitur.*
6. *Ab hac poena excusatur si procurator enuncietur in aliquo instrumento.*
7. *Talis enunciatio illum excusat a dolo.*
8. *Praedicta falsi poena punitur etiam verus procurator, si adversario literas et instrumenta sui principalis ostendat.*
9. *Vel ei revelet secreta sui principalis.*
10. *Falsus procurator faciens actum illicitum et domino praejudicialem, illo praesente et non prohibente, non incidit in poenam.*
11. *Ubi lis cum procuratore fuit contestata, si postea adversarius*

opponat quod ille sit procurator falsus; et opponat exceptionem mandati, ipse tenetur dictam exceptionem probare.

12. *Per litis contestationem procurator ponitur in quasi possessione officii procuratoris.*
13. *Falsus procurator ab alicujus debitore solutiones recipiens illum non liberat.*
14. *Per falsum procuratorem gesta sunt nulla.*
15. *In praejudicium nempe aliorum, secus sui ipsius.*
16. *Quamvis processus cum tali procuratore factus sit nullus, et sententia inde prolata sit invalida, valet tamen in illius praejudicium.*
17. *Et potest executioni mandari contra illum respectu expensarum.*
18. *Liberatur tamen debitor si certam speciem et aliquam rem specialem solvat, et habeat justam causam credendi illum cui solvit verum procuratorem.*
19. *Praedictus procurator dicitur furtum committere.*
20. *Praecipue si recipiat indebitum.*
21. *Tenetur actione furti et conditione furtiva.*
22. *Quando id procedat.*

1. Sequitur ut in praesenti capite agamus de poenis quibus falsus procurator puniri debeat. In quo articulo conclusive procedendo, dicimus quod falsus procurator punitur non solum quia tenetur parti cum qua contraxit, vel in cujus praejudicium in judicio comparuit ad interesse, *L. si uno § ubicumque ff locat., Alex. cons.* 136 *n.* 1 *lib.* 6; *Soc. Sen. cons.* 29 *n. . . . lib.* 3, *Natt. cons.* 262 *n.* 11 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 381 *n.* 93 *lib.* 4, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 66 *et* 67, *Bertaz. consil. civil.* 70 *n.* 14, *et cons.* 106 *n.* 31 *lib.* 1, *Mastrill. decis.* 179 *n.* 22, *Farinacc. de simulat. et falsitat. quaest.* 150 *n.* 49 *et* 50.

2. Sed tenetur etiam de dolo si faciat se procuratorem, quando non habet mandatum, *Bald. cons.* 14 *n.* 1 *lib.* 1, *Natt. cons.* 588 *n.* 10 *lib.* 3, *Bertazolius cons.* 106 *n.* 32.

3. Et propterea contra eum juratur in litem, *Plot. de in litem juran.* § 16 *n.* 2 *et seqq., Bertaz. d. cons.* 70 *n.* 15, *et d. cons.* 106 *n.* 33.

4. Nec non etiam tenetur poena falsi, *L. si procuratori falso ff de condit. caus. dat. caus. non secut. cap. ex parte Decani extr. de rescript.*, per quae jura *Bonifac. de Vitalin. in Clement. de fals. in rubr. n.* 2 *ante fin. vers. item et ille, Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 68, *Farinacc. d. quaest.* 150 *n.* 89, *Gratian. discept. forens. cap.* 985 *n.* 23.

5. Sed quod non puniatur poena falsi ordinaria, sed tantum extraordinaria, dicit *Boss. in sua practic. crimin. in tit. de falsitat. n.* 173 *et seq.*

6. Ab hac tamen poena falsi excusaretur, si in aliquo instrumento enunciaretur procurator, ut sub dubio dicit *Vant. d. tit. num.* 71 *vers. licet forsan.*

7. Cum dicta enunciatio illum excuset a dolo.

8. Qua etiam poena falsi puniretur verus procurator si ostendat adversario literas vel instrumenta sui principalis, *L.* 1 § *instrumenta ff de fals., Franc. Marc. decis.* 740 *n.* 3 *par.* 1.

9. Prout etiam si revelet et propalet adversario secreta sui principalis, *L. si quis aliquid* § 1 *et* § *instrumenta ff de poen. L. saccularii* § 1 *ff de extraord. crimin., Plot. de in litem juran.* § 16 *n.* 3.

10. Caeterum si falsus procurator faciat actum illicitum et domino praejudicialem, illo praesente et non prohibente, non incidit in poenam, *Jas.*, qui hoc comprobat in *L. si procurator n.* 17 *vers. ex iis infero ff de condict. indeb.*

11. Licet autem procurator debeat docere de sua potestate et suo mandato, attamen si cum procuratore fuerit lis contestata, si postea adversarius opponat quod ille sit procurator falsus et opponat exceptionem mandati, ipse tenetur dictam exceptionem probare.

12. Quia cum per litis contestationem dictus procurator sit positus in quasi possessione officii procuratoris, transfertur onus probandi contrarium in opponentem, *Felin. in cap. quoniam contra n.* 51 *extr. de probat., Alex. in L. licet n.* . . *cod. de procur.*, cujus auctoritate *Gygas*, qui testatur de veriori et magis communi, *cons.* 85 *n.* 7, quos et alios refert *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 18, *Natt. cons.* 142 *n.* 8 *lib.* 1, *Joseph Ludovic. commun. concluss. conclus.* 14 *illatio* 165.

13. Sed posset dubitari, an falsus procurator recipiens a debitore alicujus solutiones, illum liberet, et an aliqua alia poena ultra praedictas debeat puniri? Et quoad primam partem dubii, certum est dictum debitorem non liberari, *L. falsus*, et ibi *Bald. n.* 18, *Alber. n.* 15 *cod. de furt.*, cum aliis per *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 93 *n.* 15 *et seq.*

« Solutio non habenti mandatum facta non relevat, *Rot. decis.* 57 *n.* 7 « *par.* 7 *Recent.*, quod etiam adnotatur, *cap.* 85 *ad n.* 27.

14. Nam gesta per falsum procuratorem sunt nulla, *d. L. falsus*, *L. si procuratori ff de condict. indeb.*, *Barbat. d. cons.* 15 *col.* 3 *in princ. lib.* 2.

15. Videlicet in praejudicium aliorum, secus autem in praejudicium sui ipsius.

16. Ac proinde licet processus factus cum hujusmodi procuratore sit nullus, et sententia inde prolata sit invalida; attamen valet contra falsum

procuratorem, et in illius praejudicium, *Gloss.* 1 *in L. si expressim ff de appellat.*, *Angel. cons.* 29 *sententia lata n.* . . .

17. Et potest mandari executioni contra illum respectu expensarum, *L. si se non obtulit in princ.*, et ibi *Rom. n.* . . *Alex. n.* . . *et Jas. n.* . . *ff de rejudicat.*, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 72.

« Qui nomine alterius sine mandato gessit et impensas fecit, eas « repetere non potest, *Rot. decis.* 473 *n.* 10 *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

18. Quod tamen limitandum est, si procuratori solvatur certa species et aliqua res specialis, et debitor habeat justam causam credendi illum cui solvit esse verum procuratorem creditoris, juxta terminos, *L. cum fundus* § *servum tuum ff si cert. pet.*, in quibus terminis existimo esse intelligendum *Bart. in L. si procuratori n.* 19, et ibi *Rom. n.* 11, *et Alex. n.* 16 *ff de condict. caus. dat.*, dum volunt debitorem liberari, videlicet si solvat ei quem ex aliqua justa causa credidit esse verum procuratorem creditoris.

19. Quo vero ad secundam partem dubii, quia talis procurator dicitur furtum committere, *L. falsus* § *fin. ff de furt.*, *L. falsus cod. eo tit.*, *Eugen. cons.* 19 *n.* 76 *lib.* 1, *Bertazol. cons. crimin.* 412 *n.* 6 *lib.* 2.

20. Et multo magis si recipiat indebitum.

21. Tenetur etiam actione furti et conditione furtiva, *Bart. in d. L. falsus n.* 8 *cod. de furt.*, *Jas. in L. si procuratori n.* 2, *per illum Tex. ff de condict. caus. dat.*, *Eugen. d. cons.* 19 *n.* 73, *Thom. Decc. cons.* 192 *n.* 2.

22. Hoc tamen intelligendum est quando iste falsus procurator liberavit debitorem ut ipse lucraretur, et ob dictam causam ipse aliquid extorsit a debitore, si vero nihil extorsit et nullum lucrum fuit consecutus, licet faciat contra bonos mores, nulla tamen est poena dignus, *Natt. cons.* 588 *n.* 10 *lib.* 3, *Plot. de in litem juran.* § 16 *n.* 6, refert *Farinacc. d. quaest.* 150 *n.* 91, et ita fuisse in *Rota* resolutum, testatur *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 93 *n.* 15 *et* 16, et cum hac distinctione videntur transire relati a *Mandell. Alb. cons.* 462 *n.* 2 *lib.* 3, et ibi *Addent. in litera A.*

CAPUT CXIV.

DE MANDATI REVOCATIONE EXPRESSA.

SUMMARIUM

1. *Data procuratoris constitutione, mandatum durare praesumitur si de illius revocatione non doceatur.*

2. *Mandatum durat quousque mandans velit.*
3. *Mandatum est fundamentum actuum per aliquem procuratorio nomine gestorum.*
4. *Resoluto vel revocato mandato perinde est ac si ab initio factum non fuisset.*
5. *Dummodo illius revocatio rite et recte fuerit facta.*
6. *Quot modis resolvatur et revocetur mandatum.*
7. *Mandatum solo consensu perficitur.*
8. *Ita etiam solo consensu et contraria voluntate revocatur.*
9. *Debet tamen de ista contraria voluntate legitime constare.*
10. *Alias qui semel consensit, quotidie consentire creditur donec de contraria voluntate non constet.*
11. *Mutatio voluntatis regulariter non praesumitur.*
12. *Constito de contraria voluntate, mandatum censetur revocatum.*
13. *Nihil est tam naturale quam eodem vinculo quo est colligatum quidquid dissolvi.*
14. *Sicuti libera fuit mandanti procuratoris constitutio, ita esse debet re integra illius revocatio.*
15. *Neque enim haec magni est praejudicii.*
16. *Procurator ad lites potest revocari tam ante litis contestationem,*
17. *Quam post litem contestatam.*
18. *Hoc tamen casu si procurator contradicat est audiendus.*
19. *Procuratoris revocatio fieri potest tam per publicum instrumentum, quam per privatam scripturam.*
20. *Ac etiam per testes.*
21. *Et ubi de illa non constet per publicum instrumentum vel aliam plenam probationem, potest probari per unicum testem cum juramento suppletorio.*
22. *Potest fieri non tantum a constituente, sed etiam ab judice ex officio.*
23. *Procurator enim, si in iis quae tenentur facere ex officio, negligenter se gerat, praesumitur in dolo.*
24. *Procurator potest revocari quamvis fuerit constitutus perpetuo duraturus.*
25. *Licet constituens promisisset illum non revocare.*
26. *Dummodo absit dolus, et maximum incommodum adversario non sequatur.*
27. *Mandatum non potest ex pacto fieri irrevocabile.*
28. *Dummodo constituens promiserit ipsi procuratori, non vero parti, quia tunc promissio est servanda.*
29. *Alias contra, quamvis esset juramento confirmata.*

30. *Quoties tamen adest justa causa.*
31. *Juramentum sequitur naturam contractus cui est adjectum.*
32. *Contractus mandati est de sui natura revocabilis: unde tale juramentum est contra illius naturam.*
33. *Mandatum revocari poterit non obstante juramento.*
34. Riminaldus Junior cons. 239 n. 10 lib. 3, *reprehenditur.*
35. *Ubi mandatum respicit aliquid spirituale, non valet illius revocatio facta contra juramentum praestitum de illo non revocando.*
36. *Cum in spiritualibus non cadat interesse nec ad illud agi possit, idcirco quidquid agitur contra juramentum non valet.*
37. *In prophanis cadit interesse et ad illud agi potest.*
38. *Et ideo tenet revocatio contra juramentum, sed succedit obligatio ad interesse.*
39. *Revocans tamen mandatum contra juramentum non evitat reatum perjurii.*
40. *Nec praedicta revocatio valet, ubi promissio jurata fuit facta parti habenti interesse ne illa fiat.*
41. *Nec ubi dicta jurata promissio non fuit simplex, sed amplis et praegnantibus clausulis fuit roborata.*
42. *Nec ubi fuit facta procuratori constituto in rem propriam.*
43. *Procurator constitutus ad lites et ad negocia, si revocetur quoad lites, non censetur revocatus quoad negocia, et e contra.*
44. *Constitutus ad omnes causas, si revocetur quoad unam, non censetur revocatus quoad alias.*
45. *Fallit in dependentibus et accessoriis, quorum respectu, revocatio mandati quoad unum operatur etiam quoad aliud.*
46. *Quoties mandatum ad lites fuit factum in judicio et apud acta, apud eadem acta debet revocari.*
47. *Principalis suprarelata conclusio procedit quoad procuratorem proprium, non vero partis adversae.*

1. Reliquum est ut pro complemento hujus tractationis de procuratore et illius mandato, videamus quomodo illud resolvatur, et procuratoris officium expiret. Data enim procuratoris constitutione, mandatum durare praesumitur, si de illius revocatione non doceatur, *Alex. cons.* 78 *n.* 2 *lib.* 1, *Rim. Sen. cons.* 201 *n.* 8 *lib.* 1, *Crav. cons.* 73 *n.* 16 *lib.* 1, *Paris. cons.* 10 *n.* 104 *lib.* 3, *Franc. Milanens. decis. Sicil.* 11 *n.* 47 *lib.* 1.

2. Mandatumque tamdiu durare quandiu is qui mandavit velit, *Tex. est. in L. si vero non remunerandi* § *si mandavero ff mand.* Ac proinde

necessaria videtur cognitio, an mandatum duret vel expiraverit, ne alioquin actus gesti a procuratore revocato et sine mandato, nullitatis vitio subjaceant.

« Mandatum de sui natura est revocabile, *Card. de Luc. de donation.* « *disc.* 36 *n.* 13.

« Cum procuratoris munus reputetur summae fiduciae, illud de sui « natura debet esse liberum et quandocumque revocabile, adeo ut neque « contractus expressus atque de sui natura obligatorius, juxta unam opi- « nionem ad id obliget, *Card. de Luc. de legat. disc.* 43 *n.* 4.

3. Cum enim mandatum sit fundamentum actuum per aliquem procuratorio nomine gestorum, perscrutandum propterea est non solum an dicto procuratori fuerit factum legitimum mandatum et sufficiens ad illum actum peragendum, sed etiam an illud duret, an vero sit resolutum, vel legitime revocatum.

4. Resoluto enim vel revocato mandato perinde est ac si ab initio factum non fuisset, *cap. ex insinuatione, et cap. in nostra extr. de procur., Alex. cons.* 104 *n.* 4 *in princ. post Gloss. in cap.* 2 *in verb. ipso volente lib.* 6, *Boer. decis.* 274 *n.* 6, *Rot. decis.* 469 *n.* 1 *par.* 2 *Recent.*, cum aliis apud *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 155 *vers. qui ergo a principio, Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 7 *in fin. et n.* 36.

5. Dummodo talis revocatio fuerit rite et recte facta, alioquin si fuerit facta nulliter, omnia gesta per dictum procuratorem valent pro utraque parte, *Sebastian. Medic. decis. March.* 2 *n.* 1, et nos alibi diximus.

6. Mandatum autem resolvitur et revocatur, aut contraria voluntate mandantis, aut ex aliquo illius facto, aut ex renunciatione procuratoris, aut re ipsa absque ullo facto mandantis vel procuratoris. De singulis est separatis et distinctis capitibus agendum. Videamus itaque primo: de revocatione quae ex contraria voluntate mandantis expresse explicita inducitur. Circa quam triplex est adhibenda inspectio; Prima; an procurator semel constitutus possit revocari; Secunda; an indistincte dicta revocatio sit permissa; Tertia; an in casibus in quibus est licita, sit necessaria illius intimatio, et cui sit facienda.

7. Circa primam inspectionem, sicut mandatum solo consensu inducitur et perficitur, *L.* 1 *ff de procur., L. consensu ff de act. et oblig. instit. de mand. in princ.*

« Mandatum est ex eo genere contractuum qui solo consensu perfi- « ciuntur, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de credit. et debit. lib.* 8 *de-* « *cis.* 24 *n.* 2 *tom.* 3.

8. Ita quoque solo consensu et contraria voluntate revocari posse dicendum est, *L. cum Cornelius ff de solut., L. ante litem ff de procur.*,

L. nihil., *L. nulla cod. eo tit.*, *Bart. in L. si non remunerandi § si mandavero ff mand.*, *Soc. Sen. cons.* 112 *n.* 15 *lib.* 1, *Dec. cons.* 521 *n.* 12 *circa med.*, *Ruin. cons.* 115 *n.* 7 *lib.* 1, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. seu mand. n.* 156 *et seq.*

9. Dummodo tamen de ista contraria voluntate legitima constet.

10. Alioquin cum mandans semel consenserit, quotidie consentire creditur, donec de contraria voluntate non constet, *L. si vero non remunerandi § si mandavero ff mand. L. si procurator ff de procur.*, *L.* 1 § *invito ff de offic. Praefect. urb.*, *Bart. in L. nuda ratio n.* 4, et ibi *Paul. de Castr. n. . . . ff de donat.*, *L. Publia in fin. ff de poss.*, *Vant. in puncto d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 157 *vers. nam qui semel.*

11. Cum mutatio voluntatis regulariter non praesumatur, *L. cum tantum*, *L. eum, qui voluntatem L. quinquaginta ad fin. ff de probat.*

12. Constito autem de contraria voluntate, mandatum censeri revocatum, non est in dubium revocandum.

13. Nihil enim est tam naturale quam eodem vinculo quidquid dissolvi quo colligatum est, *L. nihil tam naturale*, et ibi DD. *ff de reg. jur.*, *cap.* 1 *eo tit. in antiq.*, *L. ab emptione ff de pact.*, cum aliis congestis a *Simoncell. de decret. in praefat. n.* 91 *et seqq.*

14. Et sicut liberum fuit a principio mandanti procuratorem constituere, ut fuit dictum supra; ita etiam liberum fuit illum re integra revocare, *Angel. cons.* 225 *n. . . .*, sequitur *Barbat. cons.* 15 *col.* 4 *vers. et ex istis lib.* 2.

15. Ea ratione quia hujusmodi revocatio non magnum infert praejudicium, *Anchar. cons.* 263 *n.* 2, cujus auctoritate *Alex. cons.* 104 *n.* 3 *lib.* 5, quos refert *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 7, allegans praeterea *Boer. decis.* 258 *n.* 7 *in fin.*

16. Ista autem conclusio ampliatur primo, ut procurator ad lites possit revocari tam ante litis contestationem, *L. ante litem*, *cum L. seq. ff de procur.*, *cap. quamvis in princ. eod. tit. lib.* 6;

17. Quam etiam post litem contestatam, *Bart. in d.* § *si mandavero n. . .*, *Gutierez. pract. quaestiones lib.* 3 *quaest.* 11 *n.* 24.

« Ratio, quia mandatum ad lites exigit summam confidentiam; ideo-
« que non est dandum in eo de quo collitigans amplius non confidat,
« *Card. de Luc. de tutor. et administrator. disc.* 20 *n.* 11.

18. Hoc tamen secundo casu, si procurator contradiceret esset auditurus, ut dicemus infra *capite sequenti in* 5 *casu.*

19. Ampliatur secundo, ut ista revocatio possit fieri non solum per publicum instrumentum, sed etiam per privatam scripturam, puta per literas missivas, *Paris. de resignat. quaest.* 28 *lib.* 9, refert *Gratian. in addit. ad suas decisiones March. decis.* 105 *n.* 3 *et* 5.

20. Nec non etiam per testes; *cap. ex insinuatione extr. de procur.*

21. Et quatenus de dicta contraria voluntate et mandati revocatione non posset constare per publicum instrumentum vel aliam plenam probationem, poterit probari per unicum testem cum juramento suppletorio, *Seraph. de privileg. jur. privil.* 33 *n.* 80.

22. Ampliatur tertio, ut possit revocari non solum a constituente, sed etiam a judice qui debet procuratorem removere ab officio procuratoris etiam ex officio, nemine petente, *L. eum qui res cod. de procur.*, quem *Tex.* dicit esse notabilem ad hoc *Rom. cons.* 428 *in* 2 *dubio*, et refert *Crav. cons.* 132 *sub n.* 3 *vers. idem in simplici procuratore.*

23. Procurator enim si in iis quae ex officio facere tenetur negligenter se gerat, in dolo praesumitur, ut subdit ibi *Crav. n.* 4, auctoritate *Anch. et Socin., Jacob. Laurent. d. tract. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 10, *Grav. ad Vestr. in sua praxi lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 23, qui testantur de veriori et magis communi, contra *Boer. decis.* 171 *n.* 19, et alios qui contrarium tenent.

24. Ampliatur quarto, ut procurator possit revocari etiamsi fuerit constitutus perpetuo duraturus (prout constitui potest, *L. et in perpetuum ff de procur.*), *Ruin. cons.* 143 *n.* 2 *et* 7 *lib.* 4.

25. Subampliatur primo, etiam si constituens promisisset se illum non revocare, *Paris. cons.* 69 *n.* 118 *lib.* 3, *et cons.* 8 *n.* 23 *et seqq. lib.* 4, *Surd. cons.* 264 *n.* 39. *lib.* 2.

26. Dummodo dolus adsit maximumque incommodum ex revocatione adversario non sequatur, *Gutierez. d. quaest.* 11 *n.* 24.

27. Nam mandatum ex pacto non potest fieri irrevocabile, *L. cum praecario*, et ibi notat *Bart. n. . . ff de praecar.*, *DD. in cap. fin. de procur. lib.* 6, *Dec. cons.* 521 *n.* 12 *circa med.*, *Excobar de ratiocin. adminis. cap.* 6 *n.* 83 *vers. pro qua sententia*, *Ruin. cons.* 54 *n.* 12 *lib.* 1.

« Mandatum administratorium, non obstante pacto, est revocabile, « *Card. de Luc. de foeud. disc.* 120 *n.* 3.

« Quo ad punctum autem invalidae conventionis super irrevocabilitate « mandati, eatenus revocatio, non obstante pacto praesertim jurato, admit- « tenda venit quatenus intret eadem ratio ob quam interponatur judicis « officium, ne scilicet cogatur quis in officio summae confidentiae ac bene- « volentiae habere diffidentem ac malevolum; non autem ex infectione actus, « *Card. de Luc. de foeud. d. disc.* 120 *n.* 12.

« Adeo certa est de jure facultas revocandi procuratorem ad lites, ut « quamvis mandatum datum sit perpetuum et irrevocabile, adhuc tamen re- « vocari valeat; remanente actione mandatario adversus mandantem ad id « quod interest pro salario vel pro alio jure. Cum etenim istud dicatur « summae fiduciae munus, idcirco quoties cesset fiducia alias habita, tunc

« potestas revocandi nullatenus restringenda est, quacumque conventione « non obstante, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 13.

28. Ista autem subampliatio debet intelligi ut sit vera, quando constituens promisit ipsimet procuratori illum non revocare, sed quando promisit parti, talis promissio est servanda, et mandatum revocari non posset, *Bald. in rubr. extr. de procur. col.* 2 *n.* . . , *Jas. in L. si non sortem* § *si centum col.* 3 *n.* 7 *ff de cond. indeb.*, *Rol. cons.* 6 *n.* 50 *lib.* 1, *Surd. cons.* 419 *n.* 68 *et seq. lib.* 3.

29. Subampliatur secundo, etiam si talis promissio de non revocando procuratore esset juramento firmata, *Gloss. in cap. fin. in verb. revocatus de procur. in* 6, *Excobar d. cap.* 6 *n.* 83 *vers. ubi hanc conclusionem, Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 36, qui multos allegat et de communi testatur, *Paris. d. cons.* 69 *n.* 119, *et d. cons.* 8 *n.* 29, *Rim. Sen. cons.* 292 *n.* 9 *lib.* 2, *Dec. cons.* 521 *n.* 12 *in fin.*, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 158, qui plures congerit, *Jafred. Balb. decis.* 499 *cent.* 5, *Franc. Molin. de rit. nupt. lib.* 1 *compar.* 25 *n.* 52, *Mart. vot.* 11 *n.* 2, *Rot. coram. Achill. decis.* 71, *quae est* 11 *de procur.*, *coram Mohed. decis.* 189, *quae est* 28 *de renunc.*, *et decis.* 38 *post Galles de obligat. Cameral.*

« Procurator constitutus irrevocabiliter etiam cum juramento potest « semper revocari, *Thomat. decis.* 30 *n.* 28 *par.* 1.

« Quia revocatio procuratoris respectu initii et antequam mandatum « sit adimpletum, pendet a voluntate jurantis non revocare, et constitutio « ipsius est hujus naturae ut libere possit revocari; cum nemo possit, me « invito, nomine meo quidquam agere, ut habetur in *cap. fin. de procur.* « *in* 6, et hujusmodi promissio non revocandi etiam cum juramento per « hanc rationem videtur difformis ab ipso jure et quasi praeter jus, et ideo « contra illud ejusdem juris censura inspecta veniri potest, quamvis con- « traveniens graviter peccet, idem *Thomat. d. decis.* 30 *n.* 29 *par.* 1.

« Neque urgent in contrarium tradita per *Rolan. cons.* 6 *lib.* 1, *Rot.* « *in antiq. decis.* 104, *et Gregor. decis.* 362 *n.* 8, quia procedunt tantum « in casu quando ipsiusmet procuratoris interest ne revocetur, idem *Thomat.* « *ibidem n.* 30.

« Mandatum ad libitum mandantis est quandocumque revocabile quam- « vis accederet juramentum, quod dicitur famulativum contractus, et conse- « quenter operativum eo durante. Quemadmodum etenim in mandato quod « non sit in rem propriam ac principaliter in gratiam mandatarii, sed prin- « cipaliter in gratiam mandantis, intrat revocatio ipso jure per mortem « unius vel alterius, ita fortius intrare debet revocabilitas per consensum « expressum, ne alias plus operetur fictum quam verum, seu plus tacitum « quam expressum, cum revocatio quae resultat a morte pendeat a cessa- « tione consensus, *Card. de Luc. de tutor. et administrator. disc.* 20 *n.* 4.

« Quamvis autem de mandati natura sit, ut per unius vel alterius mor-
« tem vel consensum dissolvatur, attamen id plures recipit limitationes
« quae poterunt referri in *capite CXVI huius operis* recensitas per *Moz-*
« *zium de contract. tit. de mandat.* § *final.*, et per *Mantic. de tacit. lib.* 7
« *tit.* 23, ubi praesertim *n.* 40 *et seqq.*, illam tradit si mandatum ita factum
« sit ut irrevocabiliter perseveret usque ad certum tempus, *Card. de Luc.*
« *de tutor. et administrator. d. disc.* 20 *n.* 10.

« Mandatum datum ad praesentandum etiam cum juramento de non
« revocando, re integra revocari potest sed non petita absolutione a jura-
« mento, dominus erit perjurus, *Card. de Luc. de jure patronat. disc.* 62
« *n.* 13, et notatur hic etiam supra *cap.* 69 *ad n.* 8.

« Mandatum datum ad consentiendum pensioni, est quandocumque re-
« vocabile re integra etiamsi sit juratum, *Card. de Luc. de pensionibus disc.*
« 39 *n.* 2.

« Quod generaliter in hac materia beneficiali receptum est circa man-
« data, quamvis juramento data ad consentiendum sive circa ipsos consensus
« praestitos resignationi beneficii ad alterius favorem, vel permutationi vel
« coadjutoriae, ut admittant semper poenitentiam re integra, donec scilicet
« actus perficiatur per consensum Papae qui illum animat ac informat,
« *Card. de Luc. de pensionibus d. disc.* 39 *n.* 3.

30. Quod tamen procedit in hypothesi quod adsit aliqua justa causa revocandi, ut tradit *Gemin. et Franch. d. cap. fin. de procur. in* 6, *Frideric. de Senis cons.* 101 *in fin.*, *Alex. de Nevo*, qui alios cumulat, *quaest.* 207 *n.* 12 *lib.* 1.

31. Nam juramentum sequitur naturam contractus, cui adijcitur *cap. quemadmodum extr. de jurejur.*

32. Unde cum contractus mandati sit de sui natura revocabilis, ut dictum est, tale juramentum est contra naturam mandati, *Scacc. de judic. lib.* 1 *cap.* 10 *sub n.* 42.

33. Et ideo non obstante juramento revocari poterit, *Scacc. de sentent. et re judic. Gloss.* 7 *quaest.* 3 *lim.* 4 *n.* 49.

34. Et proinde non videtur fidendum de *Riminaldo Juniore* dum *cons.* 239 *n.* 10 *lib.* 3 dixit, mandatum fieri irrevocabile per juramentum, auctoritate *Rotae decis.* 104, *quae est* 8 *de procur. in antiq.* licet alleget *decis.* 103.

35. Sed illa loquitur de mandato respiciente aliquid spirituale, quo casu revocatio facta contra juramentum praestitum de illo non revocando, est nulla, ut resolvit ibi *Rota*, et sequitur *Crav. cons.* 170 *sub n.* 11 *vers.* 2 *respond. quod immo lib.* 1, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 158 *ad fin.*

36. Nostra autem disputatio est circa prophana; ratio autem diversitatis inter ea illa redditur, quia in spiritualibus non cadit interesse, et non

potest agi ad interesse, et ideo quidquid agitur contra juramentum non valet, ut multos allegans firmat *Addit. ad d. decis.* 8 *n.* 2.

37. In prophanis autem cadit interesse, et ad illud agi potest, ut diximus *capite IC de actione mandati directa.*

38. Et propterea revocatio contra juramentum non est nulla sed succedit obligatio ad interesse.

39. Ista autem subampliatio est declaranda, primo: ut revocans mandatum contra juramentum non evitet reatum perjurii, *Gloss. in cap. fin. in verb. revocatus de procur. in* 6, *Vant. ubi supra n.* 158, *Paris. cons.* 69 *n.* 119 *lib.* 3, *et cons.* 8 *n.* 25 *lib.* 4, *Jacob. Laurent. d. cap.* 6 *n.* 36.

40. Secundo, est declaranda ut non procedat quando promissio jurata fuit facta parti habenti interesse ne revocetur, *Bald. in rubr. extr. de procur. col.* 4 *vers. perjurium*, sequitur *Galles de obligat. Cameral. quaest.* 24 *n.* 4 *et* 5 *juxt. ordin. Zacch.*, *Boer. decis.* 207 *n.* 3, *Mancin. de juram. par.* 4 *effect.* 22 *n.* 11, ubi multos allegat, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 37, ubi reddit rationem.

Considera, quod ista declaratio videtur repugnari responsioni datae supra *ad Rim. Jun. cons.* 239 *n.* 10 *lib.* 3.

41. Tertio, est declaranda ut procedat dumtaxat quando promissio de non revocando mandatum etiam firmata cum juramento fuit simplex; secus autem si fuit facta cum clausulis amplis, et in dicta promissione fuerunt appositae clausulae praegnantes, ita *Paris. d. cons.* 69 *n.* 145, junctis dictis supra *n.* 109 *lib.* 3.

42. Quarto, est declaranda ut non procedat in procuratore constituto in rem propriam, *Dec. cons.* 521 *n.* 9 *et* 16, *Caballin. milleloquio jur.* 247 *n.* 2, *Jacob. Laurent. d. n.* 37, apud quem videas alias declarationes, et *Benint. decis.* 49 *per tot.*

43. Conclusio autem principalis est declaranda, quod si procurator sit constitutus ad lites et ad negocia, si revocetur quoad lites, remaneat in suo robore mandatum quoad negocia, et e contra, *Paris. cons.* 88 *n.* 23 *lib.* 4, *Rim. Sen. cons.* 67 *n.* 10 *lib.* 1, *et cons.* 320 *n.* 17 *lib.* 2, *Ruin. cons.* 108 *n.* 5 *lib.* 4, *Rot. decis.* 210 *n.* 2 *par.* 2 *in Recent.*

44. Et constitutus ad omnes causas, si revocetur quoad unam, non censetur revocatus quoad alias, *Rot. cor. Coccin. decis.* 341 *n.* 4.

45. Quod tamen fallit in dependentibus et accessoriis, quorum respectu revocatio mandati quoad unum operatur etiam quoad aliud, *Tiraq. de constit. possessor. par.* 3 *limitat.* 7, *sequitur Rot. coram Caesar. de Grass. decis.* 192, *quae est* 3 *de sentent. et rejud. n.* 4 *vers. secundo opponitur*, in illis verbis, *respondebatur.*

46. Secundo declaratur, ut non procedat in mandato ad lites facto in judicio et apud acta, quod non revocatur nuda voluntate, sed debet revo-

cari apud acta, *Bald.* et alii *in L. 1 per illum Tex. cod. de satisd., Paris. cons.* 69 *n.* 145 *in fin. lib.* 3, *Flavius Amendola in addit. ad Vinc. de Franch. decis.* 465 *n.* 7.

47. Conclusio principalis procedit quoad procuratorem proprium, secus quoad procuratorem partis adversae, *cap.* 2 *de procur. lib.* 6, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 8.

CAPUT CXV.

REVOCATIO MANDATI AN SIT INTIMANDA ET CUI.

SUMMARIUM

1. *Ubi mandatum expresse revocatur requiritur intimatio illius revocationis.*
2. *Mandatum praesumitur durare donec de illius revocatione appareat.*
3. *Licet illius vigore procurator per plures annos nihil gesserit, illud tamen non censetur tacite revocatum.*
4. Paulus de Castro *sibi ipsi contrarius*, cons. 12 n. 7 lib. 1, *reprobatur.*
5. *Procurator suam revocationem ignorans, potest negocia sibi commissa expedire.*
6. *Non facta revocationis intimatione valent gesta per procuratorem revocatum.*
7. *Revocatio procuratoris si non fuerit intimata, nihil releval.*
8. *Si notificatio fiat post conclusum in causa, processus antea factus et sententia inde sequuta est valida.*
9. *Et si ante praefatam notificationem procurator aliquid gerat ex quo pars damnum sentiat, revocans tenetur ad interesse, actione de dolo.*
10. *Ut relevet mandati revocatio, an sufficiat quod procurator de illa quomodocumque habeat notitiam?*
11. *Revocationis intimatio ad quid requiratur.*
12. *Sequuta legitima mandati revocatione res ad eum statum redigitur, ac si ab initio non fuisset datum mandatum.*
13. *Saltem eorum respectu quae revocantis commodum respiciunt, cum acta ad illius favorem facta sint nulla.*
14. *Non sufficit scientia revocationis, sed est necessaria intimatio effectualis.*
15. *Revocatio non est intimanda procuratori ad contrahendum matrimonium constituto.*

16. *Quamvis constituens promisisset cum juramento illum non revocare.*
17. *Neque ubi revocatio est tacita, ut ob mortem resultans.*
18. *Nec quoties mandati revocatio resultat ex alterius procuratoris constitutione, si aliunde sit habita notitia de dicto secundo mandato.*
19. *Nec quando mandatum expirat ob mutationem status ipsius mandantis.*
20. *In praedictis tamen casibus non est necessaria revocationis intimatio, ubi illa in adversarii praejudicium minime tendit.*
21. *Similiter non est necessaria ubi mandatum ad lites revocatur apud acta.*
22. *Intimatio praedicta fieri debet tam procuratore revocato,*
23. *Quam parti adversae.*
24. *Et si ista habeat procuratorem, sufficit quod intimatio illi fiat.*

1. Tertia superest inspectio circa revocationem expressam mandati, in qua agendum est: An dicta revocatio sit intimanda et cui? In prima parte dubii, licet DD. considerent varios casus, et signanter *Signorell. cons.* 59 *per tot.*, *Felin. in cap. ex parte decani n.* 7 *et seqq. extr. de rescript.*, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 160 *cum duobus seqq.*, *Addent. ad decis. Rot.* 20 *quae est* 2 *de procur. in nov.* Ego tamen in terminis hujus expressae revocationis constituo conclusionem generalem, quod indistincte requiratur intimatio revocationis mandati, *L. si mandatum ff mand.*, *L. mandatum cod. eo tit. lib.* 1 *cod. de satisd.*, *Barbat. cons.* 15 *col.* 3 *post princ. lib.* 2, *Thom. Sanchez de matrimon. lib.* 2, *disputat. XI n.* 6 *et* 7, reddit rationem *Crav. cons.* 73 *n.* 16 *lib.* 1, *Paris. cons.* 19 *n.* 104 *lib.* 9, *Alex. cons.* 78 *n.* 2 *lib.* 1, *Franc. Milanens. decis. Sicil.* 11 *n.* 47 *lib.* 1, *Rim. Sen. cons.* 201 *n.* 8 *lib.* 2, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1013 *n.* 1, et nos alibi consideravimus.

2. Quia mandatum praesumitur durare donec appareat de revocatione.

3. Neque ex eo quod procurator per aliquot annos aliquid vigore dicti mandati non gessit, illud censetur tacite revocatum, *Paul. de Castr. in L. sancimus n.* 2 et ibi *Jas. n.* 4 *cod. de testam.*

4. Et licet idem *Paul. de Castr.* contrarium sentiat in *cons.* 12 *n.* 7 *lib.* 1, in hoc tamen reprobatur a *Rot.* ut testatur *Marescott. var. resolut. lib.* 1 *cap.* 26 *n.* 4.

5. Et proinde procurator quantumvis revocatus, si dictam revocationem ignoraverit, potest negocia sibi commissa expedire, *L. inter causas ff mand.*

6. Et non facta notificatione et intimatione revocationis, gesta per pro-

curatorem revocatum valent et tenent, *Specul. in tit. de execut.* § 4 *vers. et si judex*, cum aliis per *Franc. Molin. de rit. nuptiar. lib.* 1 *comparat.* 25 *n.* 10, et per *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 160 *in fin.*, *Sebastian. Medic.* pro communi post multos *decis. March.* 2. *n.* 5.

« Ubi mandatum revocari velit, debet intimari parti, et procuratori « constituto, alias si tamquam talis citetur, valet citatio in praejudicium « constituentis, *Rot. decis.* 233 *n.* 7 *et* 8 *par.* 7 *Recent.*

7. Revocatio enim procuratoris si non fuerit intimata nihil relevat, *Put. decis.* 110 *n.* 2, *et decis.* 303 *n.* 2 *lib.* 2, *Rot. decis.* 410 *n.* 1 *par.* 1 *divers. et decis.* 52 *n.* 3 *post Zacch. de oblig. Cameral.*, *Felin. in d. cap. ex parte Decani n.* 19 *de rescript.*, ubi distinguit inter procuratorem absentem et praesentem.

« Quoties revocatur mandatum datum ad resignandum beneficium, « illius revocatio, si resignatio facienda fuerit simplex et pura in manibus « Papae, debet notificari procuratori vel officialibus Datariae; si vero fuerit « facienda ad favorem alicujus certae personae, sufficit notificare principali, « vel quod de ea scientiam habuisse constet, *Card. de Luc. de benefic.* « *disc.* 38 *n.* 7, *et disc.* 42 *n.* 10.

8. Et si notificatio fiat post conclusum in causa, processum antea factum et sententiam inde sequutam valida esse probat *Tex. in cap. auditis extr. de procur.*, *Rom. sing.* 316, *et cons.* 346 *n.* 8, cum aliis cumulatis per *Addent. ad Rom. d. singul.*, et post eos *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 45 *in fin. et sub n.* 46.

9. Bene verum est, quod si iste procurator revocatus, ante notificationem aliquid gerat ex quo remaneat damnificatus is qui cum eo tamquam cum procuratore contraxit, revocans tenetur ad interesse, actione de dolo, *L. quidem debitor*, et ibi *Gloss. et Bart. n.* . . . *ff de dol.*, *Barbat. cons.* 15 *col.* 3 *post. princ. lib.* 2.

« Si principalis habuisset notitiam revocationis praedicti mandati, de « tempore quo non potuerit commode certiorare procuratorem ut a man- « dati usu abstineret, unde propterea procurator ad formam mandati fe- « cisset expensas expeditionis, tunc mandans teneretur erga mandatarium, « sive erga eum in cujus gratiam datum est mandatum, ad quanti interest, « et sic ad refectionem expensarum erogatarum pro expeditionibus, ac etiam « pro cambiis ac transmissione literarum, cum aliis quas facere oportuit; « idque non ex aliquo jure speciali in beneficialibus, sed ex regulis gene- « ralibus quas in jure habemus in actione mandati, vel contraria, *Card.* « *de Luc. de benefic. disc.* 38 *n.* 8.

« Praedicta autem conclusio quod mandans teneatur ad interesse, in- « telligitur de interesse proveniente, ut dictum fuit, ab expensis factis,

« non autem a non assecutione beneficii, quod in materia beneficiali rece-
« ptum est non intrare, *Card. de Luc. de benefic. disc.* 51 *n.* 8.

10. Sed posset in dubium revocari an ad effectum ut mandati revocatio sit relevans et efficax, sufficiat quod procurator de illa quomodocumque notitiam habeat; et certe videtur concludendum, quod satis sit etiam extrajudicialis notificatio, ut dicit *Bald. in cap. ex parte Decani col. . . . n. . . . extr. de rescript.*, quem refert et sequitur *Barbat. cons.* 15 *col.* 4 *ad med. vers. et adduco ad praedicta lib.* 2, qui tamen hoc intelligunt dummodo alteri non possit praejudicare, alias secus. Ego autem adderem ut hoc sit verum dummodo ista revocatio perveniat ad notitiam procuratoris de mandato et imperio ipsius domini revocantis, puta, mediante ejus epistola vel nuncio, ut in casu super quo consuluit *Barbat. d. cons.* 15.

11. Alias cum dicta intimatio non requiratur simpliciter ad finem ut procurator de ea habeat notitiam et scientiam, sed ad finem et effectum, ut habita dicta notitia, abstineat se ab exercitio officii procuratoris.

12. Qua sequuta legitima revocatione mandati, res redigitur ad eum statum, ac si ab initio non fuisset datum mandatum, *Boer. decis.* 274 *n.* 6, *Rot. decis.* 469 *n.* 1 *par.* 2 *Recent.*, *Addent. ad Gregor. XV decis.* 548 *n.* 14 *in fin.*

13. Saltem respectu eorum quae concernunt commodum ipsius domini renunciantis, nam acta facta ad illius commodum et favorem sunt nulla, *Felin. in d. cap. ex parte decani n.* 24, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 161, *Laderch. Imol. cons.* 51 *n.* 3 *vers. sed etsi lib.* 1.

14. Ac proinde cum notificatio sit necessaria ad effectum praefatum, et non ad effectum solius inducendae scientiae, scientia non sufficit, sed est necessaria effectualis intimatio, *L. denunciasse* § *quid . . .*, et ibi *Bart. n.* 3 *vers. isto casu ff ad L. Jul. de adulter.*, quem communiter a scribentibus recipi testatur *Rim. Jun. cons.* 510 *n.* 67 *et* 68 *lib.* 5.

15. Ista autem necessitas intimandi et notificandi revocationem cessat in aliquibus casibus.

Et primo, in procuratore constituto ad contrahendum matrimonium; nam si revocetur, non est necessaria notificatio revocationis talis mandati, *L. si poenituit ff de divort. cap. fin.*, et ibi omnes *de procur. in* 6, *Franc. Molin. de ritu nupt. lib.* 1 *comparat.* 25 *n.* 13 *et seqq.*, *Sanchez de matrimon. lib.* 2 *disput.* 11 *n.* 6, ubi multos allegat.

16. Quod procedit etiam si constituens procuratorem ad contrahendum matrimonium promisisset cum juramento illum non revocare, *Sanchez d. disput.* 11 *n.* 8, et faciunt ea quae diximus *cap. praecedenti sub n.* 29 *et seqq.*

« Mandatum ad faciendam insinuationem revocari potest re integra,

« et non est opus notificatione, quod etiam procedit in mandato dato ad « resignandum beneficium, ut advertunt Beneficialistae, *Card. de Luc. de « donation. disc.* 60 *n.* 23.

17. Secundo, cessat necessitas dicta in revocatione tacita, puta, resultante ob mortem quam non esse necesse intimare et processum cum hujusmodi procuratore agitatum esse indistincte nullum, licet mors ad notitiam partis vel judicis non devenerit, firmat post multos *Vant. d. tit. n.* 175 *vers. in casu tamen quo*, *Bellamer. decis.* 404, *Put. decis.* 467 *n.* 6 *lib.* 2.

18. Tertio, quando revocatio mandati resultat ex constitutione alterius procuratoris, si aliunde habeat notitiam de dicto secundo mandato, *Gloss. et DD. in cap.* 1 *de renunc.*, *Felin. in d. cap. ex parte Decani n.* 25 *in prima limit. extr. de rescript.*, *Mohed. decis.* 26 *n.* 3 *et seq.*, *Rot. decis.* 171 *quae est* 11 *de proc. in antiq.*

19. Quarto, quando mandatum expirat ob mutationem status ipsius mandantis, *Soc. Sen. cons.* 112 *n.* 12 *lib.* 1, de quo latius dicemus infra *cap. CXXI.*

20. Dum autem diximus non esse necessariam intimationem revocationis mandati, quae ex supradictis casibus contingit, hoc declarandum est ut procedat dummodo illa tacita revocatio, vel potius resolutio mandati non tendat in praejudicium adversarii, sed tendat dumtaxat ad interesse et praejudicium ipsius constituentis, ut declarat *Rot. d. decis.* 11 *vers. quia ex quo de procur. in antiq.*

21. Quinto, non est necessaria intimatio revocationis mandati quando revocatur apud acta mandatum ad lites; quia tunc praesumitur quod hujusmodi revocatio devenerit ad notitiam tam ipsius procuratoris, quam adversarii, *Put. decis.* 110 *n.* 1 *lib.* 1.

22. Quoad secundam partem dubii, communis resolutio est quod hujusmodi intimatio debeat fieri tam procuratori revocato, *L. mandasse ff mand.*, *L. mandatum cod. eo tit. L.* 1 *cod. de satisdat.*, per quae jura *Barbat. d. cons.* 15 *col.* 3 *circa princ. vers. et debet notificari*, *et col.* 4 *circa fin.:*

23. Quam parti adversae, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 159 *et seq.*, ubi multos congerit, et reddit rationem, *Rot. coram Cavaller. decis.* 67 *n.* 5.

« Quoties mandatum purum et liberum praecedenter fuit factum, si « postea revocetur vel modificetur, illius revocatio vel modificatio ad partis « notitiam deduci debet; nam alias pars ignara de subsecuta modificatione, « recte mandatarii fidem sequi potest. Secus autem si restrictio seu modi- « ficatio contineretur in ipso primo mandato ab initio quia cum manda- « tario contrahens, de istius facultatibus inquirere debet, *Card. de Luc.* « *de regal. disc.* 115 *n.* 8.

24. Et si pars adversa constituit procuratorem ad illud negocium peragendum, sufficit quod ista intimatio et notificatio fiat dicto procuratori, *Clem.* 1 *in verb. et ipsius*, et ibi *Gloss. in verb. planum de renunc.*, *Bart. in L. qui hominem* § *si Titium n. . . . ff de solut.*, *Barbat. d. cons.* 15 *col.* 4 *in fin. lib.* 2.

CAPUT CXVI.

DE CASIBUS IN QUIBUS PROCURATOR REVOCARI NON POTEST.

SUMMARIUM

1. *Procurator ubi constituitur in judicio non potest sine testibus constitui.*
2. *Illius constitutio non est de actis judicii, sed de actis litis, unde perempta instantia non perit.*
3. *Et calore judicii fit irrevocabilis.*
4. *Procurator pariter constitutus in rem propriam, tribus exceptis casibus revocari non potest.*
5. *Mandatum enim illi ad meram sui utilitatem datum censetur.*
6. *Nisi ex conditionibus adjectis posset censeri factum ad solam utilitatem constituentis, quia tunc ad ipsius quoque libitum posset revocari.*
7. *Sic etiam revocari posset quoad dominium, quod procurator consequitur, licet secus quoad facultatem agendi.*
8. *Potest etiam revocari in aliis casibus; remissive.*
9. *Procurator similiter revocari non valet ubi fuit constitutus in contractu ad alterius utilitatem celebrato, et quod continetur in mandato fuit deductum in pactum, accedente partium stipulatione.*
10. *Mandatum factum a venditore emptori, ut de praetio extinguat censum, vel solvat illius creditori, revocari non potest.*
11. *Fortius si esset promissum cum juramento, talem procuratorem non revocare.*
12. *Idem procedit si notarius juramentum recipiens stipuletur pro omnibus quorum interest.*
13. *Obligatio cameralis stipulationem pro omnibus quorum interest in ventre habet.*
14. *Unde si cum dicta obligatione fiat promissio de non revocando procuratore, ille revocari non poterit.*

15. *Si procuratori in instrumento, eadem obligatione vallato, sit factum mandatum ad confitendum debitum, illud revocari non potest neque a domino neque ab illius haeredibus.*
16. *Ratio affertur.*
17. *Revocari pariter non potest mandatum, quando res non est integra.*
18. *Quando res integra dicatur.*
19. *Procurator constitutus ad resignandum beneficium ecclesiasticum non potest revocari postquam praestitit consensum resignationi et ille fuit extensus.*
29. *Mandatum ad lites regulariter ante litis contestationem et re integra potest revocari.*
21. *Secus ubi per litis contestationem res desiit esse integra et procurator fuit effectus dominus litis.*
22. *Et multo minus post conclusum in causa.*
23. *Idem procedit in substituto, nisi in mandato substituenti sit data expressa facultas revocandi substitutum.*
24. *Limitatur praedicta conclusio ubi adest juxta causa revocandi procuratorem.*
25. *Quaenam sint justae causae?*
26. *Si causa non sit in jure expressa, an sit justa judicis arbitrio relinquitur.*
27. *Judici quomodo sit arbitrandum.*
28. *Justa vero etiam accedente causa post litem contestatam ad illius revocationem procuratoris revocandi consensus requiritur.*
29. *Ideoque debet citari.*
30. *Ubi procurator revocationi se opponit, adhiberi debet causae cognitio.*
31. *Non est tamen necesse ut exprimatur causa revocationis, sed sufficit quod dominus juret de calumnia.*
32. *Pendente judicio super justitia hujusmodi causae procurator habetur pro suspecto.*
33. *Et judicium cum eo coeptum debet cessare.*
34. *Si vero procurator revocationi consentiat, non est necessaria causae cognitio.*
35. *Quare dicta cognitio requiratur, si procurator se opponat.*
36. *Quaelibet causa, licet laevis, sufficit ad dictam revocationem.*
37. *Dummodo per judicem sit declarata sufficiens.*
38. *Ad praedictam insuper revocationem requiritur etiam partis consensus post litem contestatam.*

39. *Praecipue si illius intersit ne procurator revocetur.*
40. *Et talis consensus requiritur ubi etiam consentiat procurator.*
41. *Non est tamen necessarius expressus, sed sufficit tacitus.*
42. *Si revocatio fiat adversario contradicente et in ejus fraudem, ei non nocet.*
43. *Secus tamen est si post litis contestationem emergat justa causa.*
44. *Ac etiam ubi procurator a tutore vel curatore fuit constitutus.*
45. *Quoties nec pars adversa nec procurator revocationi contradicit, illa valet etiam facta post litem contestatam.*
46. *Si revocatio fiat ex abrupto, nec ad notitiam partis vel judicis perveniat, est invalida.*
47. *Ubi procurator vel adversarius illi resistit adhuc tacite fieri potest.*
48. *Ut si dominus per se ipsum causam tractare incipiat.*
49. *Vel aliquo ex modis quibus tacite revocatur mandatum.*
50. *Immo finita per sententiam prima instantia, potest fieri etiam expresse.*
51. *Procurator per litis contestationem efficitur dominus litis respectu instantiae non vero causae.*
52. *Quoties dominus potest procuratorem revocare, debet ei ante revocationem reficere expensas ab ipso in causa factas, et solvere salarium.*
53. *Nisi ex justa causa a dicta solutione excusetur.*
54. *Domino non datur contra procuratorem actio mandati, nisi prius refectis expensis.*
55. *Et procuratori datur retentio scripturarum, instrumentorum et processus pro dictis expensis; licet secus sit pro salario.*
56. *Quam retentionem potest dominus impedire si offerat se paratum ad solvendum ipsas expensas.*
57. *Ubi procurator non valet revocari a mandante, nec potest ab ejus haeredibus.*
58. *Quando procuratoris revocatio est permissa, si de ea dubitetur potest probari per testes, sicut illius constitutio.*
59. *Vel aliis modis quibus similiter procuratoris constitutio probatur.*
60. *Immo etiam per unicum testem juncto juramento.*

Fuit in praecedenti capite firmata conclusio, quod is qui procuratorem constituit, possit illum suo arbitrio revocare, quod erat in prima inspectione discutiendum: sequitur ut secundam absolvamus; in qua aliquot casus

in quibus dicta conclusio non habet locum, loco limitationum ad praefatam conclusionem referemus.

1. Primus itaque casus est in procuratore constituto apud acta, qui licet constituatur in judicio, non tamen constitutio illa est de actis judicii, sed est merus contractus mandati, et propterea non potest procurator iste constitui sine testibus, *Bald. in rubr. cod. de fid. instr. n. 4 vers. tu dic*, *Lapus allegat.* 81 *n.* 2 *et* 4, *Butr. in cap. quoniam contra n.* 35 *in fin. extr. de probat.*

2. Et proinde cum non sit de actis judicii sed de actis litis, perempta instantia non perit, *Guid. Pap. decis.* 616 *n.* 4.

3. Et calore judicii fit irrevocabilis, *Paris. cons.* 69 *n.* 145 *lib.* 3.

4. Secundus casus est in procuratore constituto in rem propriam, de quo dictum fuit supra *Cap. CXI de procuratore in rem suam;* qui similiter revocari non potest, praeterquam in tribus casibus expressis in *L.* 3 *cod. de novat.*, *L. illud cod. de donat.*, et ita firmat, *Gloss. in L. sicut* § *si procurator ff quib. mod. pign. vel hypoth. solvit.*, *Bald. in L. quae omnia* § *plane n.* 2 *vers. in Gloss. sua ff de procur.*, *Gozad. cons.* 3 *sub n.* 9 *vers. sed procurator in rem suam*, *Beroius cons.* 187 *n.* 44 *lib.* 1 *ex Bald. in L.* 3 *cod. mand.*, *Bald. in L.* 1 *in* 2 *quaest. n.... cod. de act. et obligat.*, *Paul. de Castr. in L. fin. n.* 2 *vers. et si facta ff de donat.*, *Ruin. cons.* 222 *n.* 9 *lib.* 1, *Rim. Jun. cons.* 641 *n.* 25 *et seq. lib.* 6, *Mandell. Alb. cons.* 236 *n.* 10 *lib.* 2, *et cons.* 406 *n.* 4 *lib.* 3, *Rot. decis.* 443 *n.* 4 *par.* 1 *Recent.*

« Mandatum per actum correspectivum datum principaliter in rem et « gratiam mandatarii cum promissione irrevocabilitatis, revocari non potest, « *Card. de Luc. de donationib. disc.* 36 *n.* 13.

5. Censetur enim factum mandatum ad meram utilitatem ipsius procuratoris, *Scacc. in tract. de commerc.* § 2 *Gloss.* 5 *sub n.* 450 *vers. declar. et infra*, *et Gloss.* 7 *n.* 8, *et* § 6 *Gloss.* 1 *n.* 70.

6. Caeterum istud mandatum in rem propriam si esset factum cum aliquibus conditionibus restrictivis, et quae repugnarent naturae mandati in rem propriam, quia eo casu censetur factum dumtaxat ad utilitatem constituentis, ille poterit ad sui libitum illud revocare, *Paul. de Castr. in L. per diversas n.* 1 *cod. mand.*, *Dec. cons.* 521 *n.* 16, *Rot. d. decis.* 443 *num.* 4.

7. Prout etiam revocari posset quoad dominium quod procurator consequitur per dictam constitutionem, licet quoad facultatem agendi non possit revocari, *Ruin. d. cons.* 222 *n.* 15 *lib.* 1.

8. Posset etiam revocari in aliis casibus relatis a *Dec. d. cons.* 521 *n.* 15 *et* 16.

9. Tertius casus est in procuratore constituto in contractu ad alterius

utilitatem celebrato, et illud quod in mandato continetur fuit deductum in conventionem et pactum, accedente partium stipulatione, *Ceph. cons.* 91 *n.* 18 *et* 37 *lib.* 1 *per Tex. quem dicit singularem*, et ibi *not. DD. in L. si cum fundum ff de pact.*, *Ruin. cons.* 115 *n.* 15 *lib.* 1, *Torniol. cons.* 105 *num.* 27.

« Mandatum directum alicui circa onus cambiandi, non potest ab eo « avelli per quamcumque declarationem, *Rot. coram Crispo decis.* 121 *n.* 17 « *tom.* 1.

10. Et proinde mandatum factum a venditore emptori, ut praetio extinguat censum vel solvat creditori ipsius venditoris non posse revocari fuit resolutum in *Rot. coram Gregor. XV decis.* 362 *n.* 8, et ibi *Addent. n.* 12.

11. Quod multo magis procederet, si medio juramento esset promissum talem procuratorem non revocare, *Lup. ad rubr. extr. de donat. inter vir. et uxor.* § 54 *n.* 6 *vers. secus tamen est.*

12. Ubi ex *Bald.* dicit idem esse si notarius, qui tale juramentum recipit, stipuletur pro omnibus quorum interest.

13. Unde si talis promissio fiat cum obligatione Camerali, quae habet in ventre stipulationem pro omnibus quorum interest, *Rot. post Zacch. de obligat. cameral. decis.* 97 *n.* 1, *et decis.* 99 *n.* 7.

14. Si cum dicta, inquam, obligatione camerali fiat promissio de non revocando procuratore, ille revocari minime poterit.

15. Et proinde si procuratori in instrumento camerali obligatione vallato sit factum mandatum ad confitendum debitum quod illud non possit revocari, nec per ipsum constituentem dum vivit, nec per illius haeredes, eo mortuo, deducit *Galles de obligat. cameral. quaest.* 22 *n.* 2 *et* 7 *juxta ordinem Zacch.*

16. Non solum ea ratione quia illud quod in mandato continetur est deductum in conventionem et pactum stipulatione vallatum, propter quam est alteri parti jus quaesitum, sed etiam per alias rationes quas considerat ibi *Galles n.* 7, 9 *et seq.*

17. Quartus casus est, quando res mandata non est integra, nam licet re integra constituens habeat liberam facultatem et liberum arbitrium revocandi procuratorem, *Angel. cons.* 235, sequitur *Barbat. cons.* 15 *col.* 4 *vers. et ex istis lib.* 2, quando tamen res non est integra, cessat dicta libera facultas et liberum arbitrium, § *recte instit. de mandat.*

« Mandatum consumptum et adimpletum in totum fit irrevocabile, « *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 18 *n.* 8 *tom.* 1.

« Mandati revocatio facta re non integra non suffragatur, *Rot. in* « *Mantiss. ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 18 *n.* 11, *et decis.* 19 « *n.* 5 *tom.* 1.

18. Dicitur autem res integra quando procurator nihil circa negocium

mandatum gessit, *Barbat. cons.* 15 *col.* 3 *in princ.*, *et col.* 4 *vers. item oportet lib.* 2; secus autem si aliquid gessit, puta in mandato ad negocia, si sint facta praeparamenta ad negocium peragendum, *Gloss. in L. mandatum cod. mand.*, intelligendo de praeparamentis intrinsecis sine quibus negocium explicari non potest, secus si praeparamenta sint extrinseca, ut est de mente *Cyn. et Salic.* in locis relatis a *Ruin. cons.* 115 *n.* 14 *lib.* 1, *Barbat. d. cons.* 15 *col.* 4 *ad fin. vers. item oportet.*

19. Et hinc procurator constitutus ad resignandum beneficium Ecclesiasticum non potest revocari, post quam praestitit consensum resignationi, et ille extensus fuit, *Benintend. decis.* 49 *n.* 7 *Rot. decis.* 197 *n.* 2 *et* 3 *par.* 4 *divers.*

« Mandatum datum ad resignandum beneficium re integra est revo-
« cabile etiam quod sit juratum, *Card. de Luc. de benefic. disc.* 38 *n.* 2,
« *et disc.* 51 *n.* 5.

« Idem procedit in mandato dato ad permutandum beneficium, quo-
« niam ad hoc propositum ac pleraque alia, resignatio ac permutatio fra-
« ternizant, eodemque jure censentur, *Card. de Luc. de benefic. d. disc.* 38
« *num.* 3.

« Res autem hodie dicitur non integra postquam consensus fuerit for-
« miter praestitus in Cancellaria, *Card. de Luc. de beneficiis d. disc.* 38
« *num.* 5.

« Praedictum namque mandatum datum ad resignandum beneficium
« dicitur consumptum per praestationem consensus resignationis, *Card. de*
« *Luc. de benefic. disc.* 48 *n.* 10.

« Mandatum ad nominandum, sequuta nominatione, efficitur irrevo-
« cabile, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 20 *n.* 4
« *tom.* 1.

20. Si autem mandatum sit factum ad lites, licet regulariter possit revocari ante litis contestationem, et re integra, ut in principio praecedenti capitis fuit multorum auctoritate confirmatum, quibus addi potest *Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observat.* 46 *n.* 8, *et observat.* 74 *n.* 10, *Mynsinger singul. observat. centur.* 5 *observat.* 64 *n.* 1, *Rot. coram Coccin. decis.* 116 *n.* 6.

21. Attamen postquam per litis contestationem res desiit esse integra, et procurator est effectus dominus litis, non potest absque justa causa revocari, *L. ante litem L. post litem cum seqq. ff de procur. cap.* 2 *eod. tit. lib.* 6, *Oldr. cons.* 130 *n.* 3 *in fin.*, *et sub n.* 2, *Capell. Tholos. decis.* 277, *Rim. Sen. cons.* 176 *n.* 6 *lib.* 1, *Beroius cons.* 188 *n.* 14 *et seq. lib.* 1, *Osasch. decis.* 53 *n.* 16, *Rot. Genuen. decis.* 73 *n.* 2, *Benint. decis.* 49 *n.* 7, *et decis.* 80 *n.* 3 *et* 5, *Rot. decis.* 172 *n.* 1 *par.* 2 *Recent.*, *Sebastian. Medic. decis. March.* 2 *n.* 3, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 40.

« Procurator, dominus litis effectus, ab ipso mandante revocari non po-
« test, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 48.

22. Et multo minus post conclusum in causa, quia cum tunc nil supersit nisi ut feratur supradicta revocatio procurationis, nec admittenda, nec attendenda est, *Franch.* post alios quos allegat in *cap. cum speciali n.* 27 *extr. de procur.*, quem sequitur *Jacob. Laurent. d. cap.* 6 *n.* 47 *circa med.*

23. Haec autem conclusio quoad procuratorem ad lites, procedit etiam in procuratore substituto, qui postquam fuit litem contestatus non potest revocari per substituentem; nisi in procuratorio sit illi data facultas expressa revocandi substitutum, *Oldr. cons.* 130 *n.* 2 *in princ., et vers. post vero.*

24. Limitatur autem dicta conclusio, ut non habeat locum si emergat aliqua justa causa procuratorem revocandi, tunc enim non esset prohibita illius revocatio etiam post litem contestatam et re non integra, *Magon. decis. Lucens.* 26 *n.* 71, *Rot. decis.* 353 *n.* 1 *par.* 4 *divers., et coram Coccin. decis.* 288 *n.* 1.

25. Quae autem dicantur justae causae, exprimuntur tum in *cap. quamvis de procur. lib.* 6, et in aliis juris partibus.

26. Sed quoniam possent, ultra in jure expressas, aliae emergere, an illae sint justae judicis arbitrio judicandum est, *Rot. decis.* 172 *n.* 1 *par.* 2 *Recent.*, *coram Gregor. XV decis.* 548, et ibi *Addent. n.* 13, *et coram Coccin. d. decis.* 288 *n.* 2.

27. Judex autem illam arbitrabitur justam in qua viget par vel major aequitas quae viget in expressis in jure, *Gloss. in d. cap. quamvis in verb. in alia*; sequitur *Franc. Marc. decis.* 67 *n.* 4 *par.* 2.

28. Caeterum nec etiam sub praetextu justae et rationabilis causae, potest ex abrupto revocari procurator, postquam est effectus dominus litis, sed requiritur praeterea consensus ipsiusmet procuratoris revocandi, *Put. decis.* 303 *n.* 1 *lib.* 2, *Rot. decis.* 145 *n.* 1 *par.* 1 *divers.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 618 *n.* 10.

29. Et proinde citari debet, *Gail. dicta observat.* 46 *n.* 9, *Mynsing. d. observat.* 64 *n.* 4.

30. Quod si procurator revocationi se opponat, debet adhiberi cognitio causae: an causa sit justa et rationabilis ad revocandum illam, *L. mutari ff de procur.*, *L. post litem cod. eo tit. cum multis seqq.*, in quibus afferuntur multae causae propter quas procurator post litem motam possit revocari, *L. quae omnia § sed si advertatur*, et ibi *Gloss. in verb. mentiri ff eo tit.*, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 163, *Rot. d. decis.* 172 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*, *coram Gregor. XV d. decis.* 548, et ibi *Addent. n.* 13, *et coram Coccin. d. decis.* 288 *n.* 5, multas cumulat causas *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 40 *per tot.*

31. Bene verum est, quod per revocantem procuratorem non est necesse ut causa revocationis probetur, sed satis est quod juret de calumnia, *Anchar. cons.* 264 *n.* . . . , *Alex. cons.* 104 *n.* 2 *et* 3, *Rol. cons.* 31 *n.* 24 *cum seq. lib.* 3, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 45, quidquid contrarium sentiat *Bart. in L.* 1 § *si suspectus*, et ibi *Gloss. ff de procur.*

32. Pendente autem judicio super justitia causae revocationis procuratoris, ipse pro suspecto habetur, *Gloss. in L. quae omnia in verb. suspectus, et in verb. ipso nolente ff de procur.*

33. Judicium cum dicto procuratore coeptum cessare debet, ut dicit ibi *Gloss.*, quam refert *Jacob. Laurent. d. cap.* 6 *n.* 44.

34. Illo autem revocationi consentiente, non est necessaria dicta causae cognitio, *Gloss. in d. cap. quamvis in verb. nolente, et in verb. possit de procur. lib.* 6, *et in L. procuratoribus in fin. cod. eo tit.*

35. Quare autem requiratur causae cognitio, si procurator se opponat ejus revocationi, potest esse ratio quia tractatur de ipsius interesse, videlicet de conservatione suae famae et existimationis, ne videatur revocari ob dolum ab eo commissum vel ob aliam causam ex qua ejus fama posset denigrari, ut *per Rot. d. decis.* 548 *coram Gregor. XV.*

36. Bene verum est, quod quaelibet causa etiam levis videtur esse sufficiens ad dictam revocationem, *Rot. d. decis.* 353 *n.* 1 *par.* 4 *divers.*

37. Dummodo talis fuerit per judicem declarata, in cujus arbitrio hoc esse repositum paulo superius dictum fuit, et resolvit *Rot. d. decis.* 172 *n.* 1 *par.* 2 *Recent.*

38. Nec etiam sufficit consensus solius procuratoris ad effectum ut fieri possit ejus revocatio post litis contestationem, sed est necessarius etiam consensus partis adversae, *L. mutari, ubi Bart. n.* 5 *ff de procur.*, *L. quae omnia* § 1, et ibi *Bart. n.* 4, *et Paul. de Castr. n.* . . . *ff eo tit.*, *Put. decis.* 51 *n.* 2 *et seqq. lib.* 2, *Mynsinger d. observat.* 64 *n.* 5, *Benint. decis.* 80 *n.* 3 *et* 5, *Marta vot.* 194 *n.* 2 *et seq.*, *Laderch. cons.* 149 *n.* 3 *lib.* 1, alios allegat *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 40 *in princ.*

« Super revocationis potestate quandoque cadit quaestio, ut scilicet « quando procurator jam dominus causae effectus est, non possit amplius « revocari; non quidem respectu ipsius procuratoris deputati, ut scilicet « ejus remotio collitiganti non praejudicet, quia non intersit cum uno vel « cum altero judicium prosequi, sed pro interesse vel praejudicio collitigantis, ne scilicet revocetur procurator absque alterius deputatione, unde « propterea cogatur principalem denuo citare, quoniam, revocatione non « obstante, cum eodem causam poterit prosequi; secus autem si alium « deputet, cum tunc nulla cadat prohibitio, *Card. de Luc. de judiciis* « *disc.* 6 *n.* 11.

39. Maxime, si illius interest ne procurator revocetur, *Benint. decis.* 49 *n.* 8.

40. Qui consensus adversarii est adeo necessarius, ut etiam ipso procuratore volente, si ipse adversarius contradicat, ille non possit revocari, *Mohed. post Gloss.*, *Angel. et Felin.*, *decis.* 84 *quae est* 4 *de procur. n.* 2.

41. Non est tamen necessarius expressus consensus adversarii, sed sufficit tacitus, resultans ex eo quod tali revocationi non contradicit, *Rot. decis.* 2 *in fin. de procur. in nov.*, *Jo. Bapta. Ferrett. cons.* 226 *n.* 3 *et* 4, sequitur *Jacob. Laurent. d. cap.* 6 *n.* 40.

42. Et si fiat illo contradicente et in illius fraudem, ei non nocet, *Paris. cons.* 70 *n.* 14 *lib.* 4.

43. Quod tamen non procederet si post litem contestatam emergeret justa causa *d. cap. quamvis de procur. lib.* 6.

44. Nec etiam in procuratore constituto a tutore vel curatore, in cujus revocatione non esse necessarium consensum adversarii, dicit *Burs. cons.* 133 *n.* 67 *lib.* 2. Iste autem consensus adversarii sufficit, sive sit expressus, sive tacitus, resultans ex scientia et taciturnitate, *Put. decis.* 109 *n.* 1 *et* 3 *lib.* 3, *Gratian. discept. forens. cap.* 618 *n.* 15 *et seqq.*, et signanter *n.* 21.

Verum enim vero quia non est congruum nec expediens domino, quod ipso invito ejus lites per procuratorem suspectum pertractentur, ideo ut occurratur illius indemnitati, durante judicio super revocatione, supersedendum est in lite principali, et officium dicti procuratoris debet conquiescere, nec ipse debet in dicta causa et lite se intromittere, *Rot. decis.* 145 *n.* 2 *par.* 1 *divers.*, *et coram Coccin. decis.* 288 *n.* 5.

45. Si autem neque pars adversa neque ipse procurator revocationi contradicat, illa valet, quamvis fiat post litem contestatam, *Rot. coram Seraph. decis.* 195 *n.* 2, *Adden. ad Gregor. XV decis.* 588 *n.* 14.

46. Caeterum, si revocatio fiat ex abrupto absque eo quod veniat ad notitiam partis adversae, vel judicis, revocatio est invalida, et omnia gesta per dictum procuratorem post revocationem erunt valida pro utraque parte, ac si procurator non fuisset revocatus, *Bald. in L. si procuratorem col.* 2 *vers. secundo quaero*, et ibi *Paul. de Castr. sub n.* 7 *vers. aut quaerimus ff de procur.*, idem *Bald. in L. unic. n.* 6 *et* 7 *cod. de satisd.*, *DD. in cap. fin.*, et signanter *Franch. in ult. notab. de procur. lib.* 6, cum aliis apud *Sebastian. Medic. decis. March.* 2 *n.* 5, *Rot. decis.* 2 *de procur. in nov. n.* 1, in illis verbis, « si revocatio ad ipsum vel ad judicem perveniat » et *n.* 2, ibi « vel devenerit revocatio ad judicem vel ad ipsum procuratorem ».

47. Data autem resistentia ipsius procuratoris vel adversarii licet non

possit procurator expresse revocari, potest tamen tacite, *Cassiodor. decis.* 2 *de appell. n.* 4 *et* 5, *Rot. decis.* 386 *n.* 3 *par. . . . Recentior.*

48. Veluti si dominus per seipsum causam pertractare coeperit, *Rot. coram Ludovis. decis.* 586 *n.* 6.

49. Vel aliquo ex modis quibus tacite mandatum revocari dicemus *cap.* 121.

50. Immo potest etiam revocari expresse, finita per sententiam prima instantia, cujus procurator erat effectus dominus.

51. Quia licet procurator per litis contestationem efficiatur dominus litis, hoc tamen intelligitur respectu instantiae, non autem respectu causae, *Bellamer. decis.* 530.

52. Verum enim vero antequam dominus in casibus permissis deveniat ad procuratoris revocationem, aequum est ut illi reficiat omnes expensas per ipsum in dicta causa factas, et solvat eidem quidquid ipsi debetur de causa, etiam ratione salarii secum conventi, *Rot. decis.* 353 *n.* 2 *par.* 4 *divers., Gratian. discept. forens. cap.* 618 *n.* 10.

53. Nisi adsit justa causa, dictam solutionem recusandi, *Gratian. ibidem n.* 11.

54. Recusante autem domino, sine justa causa, dictam solutionem, et restitutionem facere, prout domino non datur contra ipsum procuratorem actio mandati nisi prius refectis expensis, *L. si vero non remunerandi* § *si mandavero ff mand., Rot. decis.* 491 *n.* 1 *par. . . . Recent.;*

55. Ita ipsi procuratori non datur retentio litis, scilicet scripturarum, instrumentorum et processus, donec sibi fuerit satisfactum de salario, sed bene potest illa retinere pro expensis a se aliter factis pro causa, *Rot. coram Coccin. decis.* 288 *n.* 6, *et decis.* 341 *n.* 2, *Gratian. d. cap.* 618 *n.* 7 *et* 9.

56. Quam retentionem poterit dominus impedire, si offerat se paratum solvere procuratori dictas expensas, *L. nisi dominus ff de procur., Coccin. d. decis.* 341 *n.* 3.

57. In casibus autem in quibus procurator revocari non potest, procedit tam respectu ipsius mandantis quam haeredum ipsius propter rationis identitatem, *Ruin. cons.* 115 *n.* 14 *lib.* 1.

58. Si autem dubitetur de revocatione in casibus in quibus est permissa, poterit etiam probari testibus, sicuti probari potest illius constitutio, *Rim. Sen. cons.* 34 *n.* 10 *lib.* 1, per regulam contrariorum.

59. Vel aliis modis quibus probari posse procuratoris constitutionem diximus supra *cap. XXV de mandato expresso.*

60. Immo hanc revocationem posse probari per unicum testem juncto juramento, *Tex. est in cap. ex insinuatione extr. de procur.*, quem dicit singularem ad hoc *Marcell. Cala de modo articulan.* § 2 *Gloss.* 1 *n.* 80,

qui ad hoc allegat etiam auctoritatem *Jo. Andr.*, et *Barbat. in cap. cum pro causa extr. eod. tit. de procur.*, et post eos *Antonius Corsetus singul. in verb. mandatum el.* 2.

CAPUT CXVII.

MANDATUM QUANDO EXTINGUATUR OB ALTERIUS CONSTITUTIONEM.

SUMMARIUM

1. *In procuratoris constitutione consideratur voluntas, vel expressa, vel tacita, vel praesumpta constituentis.*
2. *Ita etiam in illius revocatione eadem voluntas, vel expresse, vel tacite potest declarari.*
3. *Ubi dominus, alium procuratorem constituat ad illum eumdem actum vel litem, ad quam primum constituerat, iste intelligitur tacite revocatus.*
4. *Secundum mandatum semper est attendendum.*
5. *Quamvis in isto non dicatur quod primum censeatur revocatum.*
6. *Et licet primus procurator secundi constitutionem ignoret.*
7. *Et licet secundus non acceptet mandatum.*
8. *Et quamvis istius constitutio sit nulla.*
9. *Vel sit facta in secunda instantia.*
10. *Idem procedit in tacito mandato quod habent a jure maritus, conjunctus et hujusmodi personae.*
11. *Censetur enim revocatum ubi adest mandatum expressum.*
12. *Expressa hominis provisio tacitam legis provisionem cessare facit.*
13. *Si eidem personae sint facta diversa mandata tempore diverso, per secundum primum censetur revocatum.*
14. *Nisi in secundo prioris forma non sit alterata.*
15. *Vel nisi mandata sint facta eadem die, quia tunc quod est pinguius attenditur.*
16. *Non censetur primus procurator per alterius constitutionem revocatus, quando ex conjecturis apparet animus non recedendi a prima voluntate.*
17. *Neque quando res non est integra.*
18. *Nec ubi primum mandatum est speciale, secundum vero generale.*
19. *Species derogat generi, non autem genus speciei.*

20. *Neque ubi in primo mandato fuit ex necessitate adhibitum judicis decretum, secundum vero fuit absque illo factum.*

21. *Vel quando utrumque mandatum non concurrit in eamdem causam, vel negocium, vel contra eamdem personam.*

22. *Vel si alter reperiatur constitutus cum generali mandato procurator ad lites vel ad negocia, alter vero postea ad aliquam causam, vel ad aliquod negocium constituatur.*

23. *Tunc enim primus quoad illam tantum causam vel negocium censetur revocatus.*

24. *Dummodo tamen procurator specialiter constitutus acceptet mandatum.*

25. *Licet dominus in novi procuratoris constitutione, clausulam revocatoriam omnium aliorum procuratorum sub qualibet verborum forma datorum adhibeat.*

26. *Non censetur pariter primus revocatus procurator, quando post alterius constitutionem, sciente et patiente domino, compareat in judicio.*

27. *Ubi in secundo mandato apponitur clausula* « citra revocationem » *per hoc, revocatum non intelligitur primum mandatum.*

28. *Quando hujusmodi clausula operetur dictum effectum.*

1. Diximus de mandati expressa revocatione; sequitur ut dicamus de ea quae tacite resultat ex aliquo facto constituentis. Sicuti enim procuratoris constitutio procedit a voluntate constituentis, tam expressa, quam tacita, vel praesumpta, *Torniol. cons.* 93 *ante n.* 1 *vers. circa primum*, *et n.* 1 *et n.* 3 *vers. de tacito*, *et n.* 6, et nos supra latius explicavimus;

2. Ita etiam voluntas revocatoria mandati potest vel expresse vel tacite per aliquod factum declarari, *Vant. in tract. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 157 *in fin.*, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1013 *n.* 3.

3. Tacita autem mandati revocatio potest multis modis contingere, ut infra demonstrabimus; et in primis, si dominus constituat alium procuratorem ad illum eumdem actum vel illam litem ad quam primum procuratorem constituerat, *L. pluribus*, *L. si quis cum procuratorio* § *fin. ff de procur.*, *L. procuratorem cod. eod.*, *cap. non injuste in* 2 *respons. extr. eod. tit.*, *Rim. Sen. cons.* 320 *n.* 16 *lib.* 1, *Boer. decis.* 347 *n.* 3 *et seq.*, *Dec. cons.* 430 *n.* 10, *idem Dec. in L. singularia n.* 5 *ff si cert. pet.*, *Felin. in cap. ex parte Decani n.* 18 *extr. de rescript.*, *Vant. ubi supra n.* 163, *Cornazan. decis. Lucens.* 188 *n.* 2, *Laderch. cons.* 11 *n.* 3 *lib.* 1,

Magon. decis. Lucens. 2 *n.* 9, *Surd. cons.* 291 *n.* 1 *lib.* 3, *Menoch. de praesumpt. lib.* 2 *praesum.* 36 *n.* 6, *Gratian. discept. forens. cap.* 201 *n.* 15 *et seqq.*, *Rot. coram Crescent. decis.* 67 *lib.* 2, *quae est* 16 *de procur.*, *coram Gregor. XV decis.* 548 *n.* 4, *et coram Cavaller. decis.* 480 *n.* 3, *et decis.* 14 *de procur. alias* 175 *in antiq.*, *et decis.* 2 *eod. tit. in nov.*, *Put. decis.* 759 *n.* 3 *lib.* 2.

« Mandatum ad resignandum beneficium duobus concessum, per ac-
« ceptationem unius expirat in altero, *Card. de Luc. de benefic. disc.* 48
« *n.* 10.

4. Nam semper attendi debet secundum mandatum, *Paris. cons.* 90 *n.* 41 *lib.* 1, *Port. Imol. cons.* 125 *n.* 15.

5. Haec autem conclusio recipit nonnullas necessarias ampliationes et restrictiones; et primo, ampliatur ut procedat quamvis in secundo mandato minime dicatur quod primum censeatur revocatum, *Rim. Sen. d. cons.* 320 *n.* 18 *lib.* 2.

6. Secundo ampliatur, etiam quod primus procurator de constitutione secundi notitiam et scientiam non habuerit, *Rot. decis.* 171 *quae est* 11, *et decis.* 175 *quae est* 14 *de procur. in antiq.*, *Franc. Viv. decis.* 15 *n.* 5 *par.* 1.

7. Tertio ampliatur, etiam si secundus procurator non acceptet mandatum, *Gloss. in cap. si duo in verb. simul de procur. in* 6, quae bonam reddit rationem, *Bellamer. decis.* 26 *de procur.*, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 165, *Addent. ad decis.* 4 *de procur. in nov.*, *Rot. coram Gregor. XV decis.* 548 *n.* 7.

8. Quarto ampliatur, etiam si constitutio secundi procuratoris sit nulla, *Put. decis.* 267 *n.* 5 *lib.* 2, sequitur *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 38.

9. Quinto ampliatur, etiam si secundus procurator constituatur in secunda instantia et gradu appellationis, *Vant. d. tit. n.* 163 *vers. sive hoc faciat*, *Laderch. cons.* 11 *n.* 3 *lib.* 1.

10. Sexto ampliatur, etiam in mandato tacito quod habet maritus a jure in respicientibus dotem uxoris, et conjunctus in causis conjuncti, et aliae personae quae enumerantur supra *cap. III de procuratore constituto a lege.*

11. Nam hoc quoque expirat et revocatum esse censetur per mandatum expressum ab homine factum, *L. maritus ad fin. cod. mand.*, *Magon. decis. Lucens.* 6 *n.* 15, combinando *L.* 3 § *quod si forte ff judic. solut.*, cum *L. fin. cod. de pact. convent.*

12. Nam regulare est, quod expressa hominis provisio, faciat cessare tacitam provisionem legis, *d. L. fin.*, *Surd. cons.* 156 *n.* 21 *lib.* 2.

13. Septimo ampliatur, etiamsi diversa mandata sint facta eidem perso-

nae, diverso tamen tempore; nam per secundum censetur revocatum primum, *Gloss. et DD.* communiter *in L. si quis cum procuratorio § fin. ff de procur., Soc. Sen. cons.* 88 *col.* 1 *n.... lib.* 4, *Rot. in puncto decis.* 175, *quae est* 14 *de procur. in antiq.*, quos et alios allegat *Viv. decis.* 15 *n.* 4 *lib.* 1, qui dicit hanc esse magis communem opinionem, et probari in puncto in *L. si qui mutare § non ideo*, secundum intellectum *Guilelmi de Cuneo*, quem refert et sequitur ibi *Bald. in fin. n. . . . ff mand.*, et communem testatur, alios referens, *Thesaur. decis.* 107 *n.* 5 *vers. sed replicari, et Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 38 *in fin.* et proinde non videtur fidendum de *Magon.* qui contrarium sentit in *d. decis. Lucens.* 25 *n.* 50.

14. Haec autem septima ampliatio fallit in duobus casibus: primo, quando illa plura mandata sunt facta sub diversa forma; secus si in secundo non sit alterata forma prioris mandati, ut declarat *Angel. in L. si procuratorio § fin. n. . . .*, quem ibi sequitur *Paul. de Castr. n. . . . ff de procur.*, refert *Paris. cons.* 88 *sub n.* 25 *lib.* 4.

15. Secundo, si illa plura mandata sint facta eadem die, quia tunc primum non censetur revocatum per secundum, sed debet attendi id quod est pingiuus, *Rim. Sen. cons.* 272 *n.* 14 *lib.* 2.

16. Limitatur autem principalis conclusio: primo, si ex conjecturis posset apparere quod secundus procurator fuit constitutus potius animo continuandi in prima voluntate, et quod secundus procurator assisteret primo, quam animo novandi et recedendi a prima voluntate, *Paris. d. cons.* 88 *n.* 25 *lib.* 4.

« De tacita vel implicita revocatione procuratoris quandoque dubitari « contingit ob alterius constitutionem in eisdem actis atque in eadem causa. « Verum id certam non habet regulam, sed ex actorum qualitate pendet, « an scilicet talem incompatibilitatem importent ut implicitam redoleant re- « vocationem mandati, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 10.

17. Secundo limitatur, si res non sit integra; nam per secundum mandatum intelligitur revocatum primum, re integra existente, *Dominicus Azo in summa cod. mandat.*, *Jacob Bart. Imol. cons.* 135 *n.* 11, *Rot. coram Achill. decis.* 74, *quae est* 14 *de procur. n.* 1.

18. Tertio limitatur, quando praecedens mandatum est speciale, et sequitur secundum generale.

19. Nam cum regulare sit, quod in toto jure species deroget generi, non autem genus speciei, *L. in toto ff de reg. jur.*, cum similibus; per illud secundum generale non censetur revocatum primum speciale, *Put. decis.* 167 *lib.* 3, *Cornazan. decis. Lucens.* 140 *n.* 4, *Rot. decis.* 22 *de proc. in nov.*, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 38. Procurator generalis idcirco minime censetur revocatus per procuratorem specialem, *Addent. ad Buratt.*

decis. 723 *n.* 10, *Cremens singul.* 14, sicut e converso, si procedat mandatum generale, et sequatur speciale, non intelligi revocatum illud primum per secundum, fuit resolutum in *Senatu Pedemontano*, teste *Thesaur. decis.* 107 *n.* 3, *verb. Senatus et infra*, et comprobat *Jacob. Laurent. d. n.* 38 *post. med.*

20. Quarto limitatur, si primum mandatum fuit factum cum decreto judicis; nam si secundum fiat absque decreto, per illud non censetur revocatum primum, *Paul. de Castr. in d. L. si quis cum procuratorio* § *Julianus n.* 4 *ff de procur.* Quod tamen intelligitur quando decretum fuit adhibitum ex necessitate ad solemnizandum actum, secus autem si ex sola contrahentium voluntate, *Gratian. discept. forens. cap.* 909 *n.* 16 *et seqq.*

21. Quinto limitatur, si utrumque mandatum non concurrat in eamdem causam vel negocium vel contra eamdem personam, sed sit diversitas causae vel negocii aut personae; nam stante dicta diversitate, primum mandatum non censetur revocatum per secundum, ut post *Gloss. et DD. in L. cum simul ff de adulter.*, *et Paul. de Castr. in d. L. si quis cum procuratorio* § *fin. n. . . ff de procur.*, dicit *Boer. decis.* 346 *n.* 4, *Paris. d. cons.* 88 *n.* 22 *lib.* 4, *Rim. Jun. cons.* 488 *n.* 17 *lib.* 5, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 164, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 38.

22. Sexto limitatur, si praecedente mandato generali ad lites vel ad negocia in persona unius, postea constituatur alius specialis procurator ad aliquam causam vel aliquod negocium particulare.

23. Nam licet quoad illum articulum et negocium in quo alter fuit specialiter constitutus procurator, censeatur primum mandatum revocatum, remanet tamen in suo robore mandatum generale praecedens quoad alios articulos et alia negocia comprehensa in priori mandato, *Bellamer. d. decis.* 529 *n. . .*, *Rim. Sen. cons.* 320 *n.* 16 *lib.* 2, *Vant. d. tit. n.* 164.

24. Et licet *Bellamer. d. decis.* 529, dicat hoc procedere sive ille procurator specialiter constitutus acceptet mandatum, sive non; attamen *Paul. de Castr. in L. cum praetor n. . . ff de judic.*, *et Alex. in L. exigendi n. . .*, et ibi *Jas. n.* 9 *cod. de procur.*, et eorum auctoritate *Rot. decis.* 386 *n.* 5 *par.* 1 *Recent.*, intelligit hanc limitationem procedere dumtaxat quando procurator specialiter constitutus acceptavit mandatum, secus si non acceptaverit vel neglexerit.

25. Ista autem sexta limitatio extendi debet etiamsi in constitutione novi procuratoris, constituens adhibuisset clausulam revocatoriam omnium aliorum procuratorum sub quacumque forma verborum datorum, *Rim. Sen. cons.* 67 *n.* 10 *lib.* 1, *Rot. decis.* 18 *n.* 1 *de procur. in nov.* Et licet *Thesaur. decis.* 107 *n.* 2 *et* 3, videatur de veritate hujus sextae limitationis dubitare, ab ea tamen ex praedictis non videtur recedendum.

26. Septimo limitatur, si primus procurator vigore prioris mandati

compareat in judicio, sciente et patiente domino principali, *Rom. cons.* 76 *col.* 1 *n.* . . , *Alex. cons.* 128 *col. fin. n.* . . *lib.* 6, *Cornazan. decis. Lucens.* 188 *n.* 5. Similiter si post secundi procuratoris constitutionem, primus, sciente et patiente domino, acta faciat; censetur enim denuo constitutus procurator, ut post *Innoc. in cap. ex parte Decani n.* . . *extr. de rescript., et Jas. in L. judice n.* 10 *cod. de procurat.*, notat *Jacob Laurent. d. cap.* 6 *n.* 38 *vers. sicut non absimiliter*, ubi multos allegat.

27. Si quis autem noluerit per secundum mandatum, primum revocare, inolevit practica, ut in secundo mandato inseratur clausula « *citra revocationem* »: nam illa adhibita, primum mandatum remanet in suo robore, *cap. si quem de procur. in* 6, et declarávit *Rot. in una Hispalensi et Cauriensi permutationis* 4 *Decembris* 1625 *coram Gypsio.*

28. Dummodo dicta clausula respiciat omnes procuratores antea constitutos, et omnia praecedentia mandata; secus autem si respiciat illam solam personam quae in secundo mandato constituitur procurator; nam ejus dumtaxat respectu non censerentur revocata alia mandata ei facta, non autem respectu aliorum procuratorum antea constitutorum, *Port. Imol. cons.* 173 *n.* 2.

CAPUT CXVIII.

DE RESOLUTIONE MANDATI OB COMPARITIONEM DOMINI, CESSIONEM LITIS ET RESTITUTIONEM JURIUM.

SUMMARIUM

1. *Procurator intelligitur tacite revocatus si ipsemet dominus compareat in judicio absque protestatione, quod per dictam comparitionem non intendit procuratorem revocare.*
2. *Idem procedit in procuratore ad negocia.*
3. *Quoties dominus facit negocium procuratori commissum, expirat mandatum.*
4. *Contraria refertur sententia.*
5. *Idem in procuratore quoque substituto locum obtinet respectu substituentis.*
6. *Contrarium tamen procedit quoties apparet animus domini comparentis non revocandi procuratorem.*
7. *Vel ubi ille compareat ex necessitate et pro actu explicando qui a procuratore fieri non poterat.*
8. *Puta, ad declarandum animum.*

9. *Dominus dicitur facere actum ex necessitate, quando coactus a judice illum facit.*
10. *Aut si dominus post dictam comparitionem, sciens permittat causam tractari per dictum procuratorem.*
11. *Vel si appareat quod potius comparuit ut procuratori assisteret, quam ut per se causam ageret.*
12. *Vel si compareat absente procuratore.*
13. *Aut si post primam comparitionem rursus compareat et protestetur quod per illam non intendit procuratorem revocare.*
14. *Procurator censetur tacite revocatus per domini comparitionem quando ille tractat de acquirenda sibi actione; secus si compareat excipiendo.*
15. *Et si compareat praesente procuratore; secus si illo absente.*
16. *Et si compareat in eadem causa in qua procurator est constitutus; secus si in alia.*
17. *Si dominus cedat liti ad quam constitutus est procurator, iste intelligitur tacite revocatus.*
18. *Cessante constitutionis causa, censetur etiam cessare voluntas constituentis, et consequenter mandatum.*
19. *Licet non sit facta renunciatio litis sed juris, super quo lis versabatur.*
20. *Tunc, cum non adsit procurator, poterit procedi contra dominum per contradictas.*
21. *Ubi dicta cessio fiat post litem motam, processus postea fabricatus, et sententia lata cum procuratore non est nulla, saltem quoad expensarum effectum.*
22. *Procurator censetur pariter tacite revocatus, si dominus, re integra, ei auferat instrumenta et scripturas ad causam facientes illi datas.*
23. *Per traditionem instrumentorum et scripturarum censetur procuratori factum mandatum.*
24. *Per ablationem censetur inducta revocatio mandati.*

1. Prosequendo materiam revocationis mandati tacite resultantis ex aliquo facto mandantis, offert sese secundus modus, qui est, si principalismet compareat in judicio simpliciter absque protestatione, quod per dictam comparitionem non intendit procuratorem revocare, *cap. pen. extr. de procur., cap. si quem eo tit. lib. 6, Innoc. in cap. petitio sub n. 2 in verb. intentio, vers. alii tamen extr. de procur., Bart. in L. qui mutuam § non ideo minus n. . . . ff mand., Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect.*

inhabilit. n. 167, *Rot. decis.* 20 *n.* 1 *in fin. de procur. in nov.*, *Bertaz. cons. crimin.* 407 *n.* 22 *lib.* 2, *Marescott. variar. resolut. lib.* 1 *cap.* 69 *n.* 19, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 39.

« Per comparitionem principalis sine clausula « *citra etc.* » regulariter « censetur revocatum procuratoris mandatum, *Conciol. ad statut. Eugubin.* « *lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 4.

2. Quae conclusio ampliatur primo, ut etiam procedat respectu procuratoris ad negocia; nam si dominus apponat manus ad negocium coeptum per procuratorem, non tamen ab eo consummatum, censetur negocium illud a procuratore auferre, et illius mandatum revocare, *Put. decis.* 267 *n.* 4, *et decis.* 295 *n.* 1 *lib.* 2.

3. Nam eo ipso quod dominus facit negocium procuratori commissum, consumitur et expirat mandatum, *Paris. cons.* 112 *n.* 30 *lib.* 4.

4. Contrarium tamen tenet *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 26 *n.* 2.

5. Ampliatur secundo, quod si procurator, qui ex facultate sibi data, vel aliter sibi competente substituat alium procuratorem, et illum in locum suum ponat, et deinde ipsemet compareat in judicio absque protestatione quod non intendit dictam substitutionem revocare, censetur mandatum substituto factum, revocare, *Rot. decis.* 25 *de procur. in nov.*, postquam ita dicit *Felin. in cap. ex parte Decani sub n.* 54 *extr. de rescript.*

6. Limitatur etiam dicta conclusio: primo, ut non procedat si ex processatis appareat de animo principalis comparentis non revocandi dictum procuratorem, *Bellamer. decis.* 454, *Rot. coram Caesar. de Grassis decis.* 84, *quae est* 15 *de testib. n.* 1.

7. Limitatur secundo, si comparitio domini fiat de necessitate, et pro explicando actu quem procurator explicare non poterat, *Felin. in d. cap. ex parte Decani n.* 54, ubi aliquot *Rotae* decisiones allegat, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 167, *Gratian. discept. forens. cap.* 251 *n.* 58.

8. Ut ad declarandum animum, *Rot. decis.* 294 *n.* 12 *part.* 1 *Recent.*

9. Dicitur autem in proposito dominus facere actum ex necessitate, quando illum facit compulsus et coactus a judice, prout ille dicitur voluntarius, quem dominus faceret non compulsus a judice, ut declarat *Felin. d. n.* 54.

10. Limitatur tertio, si dominus postquam ipse in judicio comparuit, sciens prudensque permittat causam tractari per dictum procuratorem, *Vant. in d. tract. in tit. final. n.* 94 *et* 96, *Rot. Lucens. divers. decis.* 100 *col.* 4 *in fin.*

11. Limitatur quarto, si verisimiliter appareret quod dominus comparuit potius ut procuratori assistat, quam ut ipse per se causam peragat,

Paris. cons. 88 *n.* 24 *lib.* 4, *Rot. Genuen. decis.* 136 *n.* 11, vide adnotata per *Addent. in cap. praecedenti ad n.* 16.

12. Limitatur quinto, si dominus compareat absente dicto procuratore, *Addent. ad Guid. Pap. decis.* 40 *in litera B.*

13. Limitatur sexto, si post primam comparitionem rursus compareat dominus et faciat protestationem quod per suam comparitionem non intendit procuratorem revocare; nam si postea compareat procurator, censetur comparere in vim prioris mandati quod per comparitiones a domino factas non fuisse revocatum, dicunt *Bellamer. decis.* 454, *Bald. in L. mutari n... ff de procur. et Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 26 *n.* 3. Limitatur similiter, si domino comparenti fuerit ab adversario interdicta assumptio litis, *Innoc. in cap. petitio n.* 2 *ad fin. vers. et hoc verum extr. de procur.* Alias limitationes habere potes apud *Jacob. Laurent. d. cap.* 6 *n.* 39, *et Menoch. de praesumpt. lib.* 2 *praesumpt.* 33; verum declarari debet, quod cum ista revocatio procedat ex sola praesumptione, cessat si ex aliis praesumptionibus appareat, quod dominus comparens noluerit revocare mandatum, puta si ex aliqua justa causa comparuit, nempe ob infirmitatem procuratoris sui, vel quia dominus est melius informatus, vel cum protestatione citra revocationem, *Innoc. in cap. petitio n.* 2 *in fin. de procur.*, ut in sequentibus declarationibus.

14. Declarari etiam debet praecedens conclusio ut suprafirmata, primo: ut procedat quando mandans per suam comparitionem tractat de acquirenda sibi actione, secus si compareat excipiendo, *Bald. in L. dispensationem in fin. n.... ff de solut., per Gloss. ibi in verb. non puto*, *Rot. Genuen. decis.* 176 *sub n.* 4, ubi alii allegantur.

15. Declaratur secundo, ut sit vera conclusio, si dominus compareat praesente procuratore, secus si illo absente, *Bart. in L. mutari sub n.* 5 *vers. quia vero intervenit ff de procur.*, *Alex. cons.* 61 *sub n.* 3 *vers. quia ad hoc lib.* 5, *Addent. ad Guid. Pap. decis.* 4 *in litera B*, *Rot. decis.* 294 *n.* 12 *par.* 1 *Recent.*

16. Declaratur tertio, ut procedat si comparitio domini fiat in eadem causa in qua est constitutus procurator, secus si in diversa, *Bart. in d. L. mutari n.* 5, *Rot. d. decis.* 294 *n.* 12 *par.* 1 *Recent.*

17. Tertius modus per quem ex facto domini tacite censetur revocatum mandatum est, si ipse cedat liti ad quam procurator constitutus erat, *Clem. ultim. de procur.*, *Cassiodor. decis.* 2 *n.* 2 *de appell.*, *Rot. decis.* 32 *n.* 3 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

18. Nam cum principalis constituens desinat esse dominus, vel quasi illius litis, cujus contemplatione constituerat procuratorem, et sic cesset causa constitutionis, censetur etiam cessare voluntas constituentis, et consequenter cessare mandatum, ut dicit *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 168.

19. Ampliatur haec conclusio, ut procedat etiam si non sit facta renunciatio litis, sed juris, super quo lis versabatur, *Sarmient. decis.* 36 *n.* 3 *lib.* 1.

20. Et propterea cum tunc non extet procurator qui citari possit et cum quo processus fabricetur, poterit procedi contra dominum per contradictas, ut subdit ibi *Sarmient.*

21. Caeterum si hujusmodi cessio fiat post litem motam, processus postea factus, et sententia lata cum hoc procuratore, non erit nullus, nec nulla, saltem quoad effectum expensarum, *Rot. decis.* 55 *n.* 1 *lib.* 1 *par* 3 *divers.*

22. Alius et quartus potest addi casus, si dominus, re integra, auferat procuratori instrumenta et scripturas illi datas ad causam facientes, § *recte instit. de mandat.*, per quem *Tex. Gerard. Mazzol. cons.* 110 *n.* 93.

23. Sicut enim per traditionem instrumentorum et scripturarum censetur factum mandatum procuratori, *cap. coram* et ibi *Gloss. extr. de offic. deleg.*, *Ruin. cons.* 44 *n.* 9 *lib.* 1, et nos diximus supra *cap. XXXI de mandato praesumpto.*

24. Ita per ablationem debet censeri inducta revocatio mandati, *arg. L. nihil tam naturale ff de reg. jur.*, *et L. quemadmodum ff de acquir. possess.*

CAPUT CXIX.

MANDATUM AN PER RENUNCIATIONEM PROCURATORIS EXPIRET.

SUMMARIUM

1. *Procurator postquam mandatum acceptavit illud adimplere tenetur.*
2. *Nec potest illud deserere et illi renunciare.*
3. *Contractus sunt ab initio voluntatis, postea vero necessitatis.*
4. *Procurator quadam civili necessitate tenetur mandatum adimplere et exequi commissa.*
5. *Atque ad perfectionem perducere.*
6. *Per acceptationem mandati intelligitur se alligare ad omnium in eo contentorum observantiam.*
7. *Dantur tamen aliqui casus in quibus procuratori licet officium deserere.*
8. *Quoties nempe adest justa causa.*
9. *Causae justae sunt multae.*

10. *Debet tunc tamen domino jus integrum servari.*
11. *Et debet praecedere denunciatio ipsi domino facta.*
12. *Aut saltem summaria causae cognitio super veritate et justitia causae per procuratorem adductae.*
13. *Alias tenetur domino ad interesse.*
14. *Etiam nulla praecedente interpellatione.*
15. *Regulariter obligatio ad interesse non insurgit nisi praecedente mora.*
16. *Et haec non contrahitur nisi praecedat interpellatio.*
17. *Fortius procedit dicta conclusio ubi praecedat monitio et interpellatio ipsius mandantis.*
18. *Dummodo mandatum sit purum, non vero factum sub conditione.*

1. Diximus supra, *capite XXIV*, quod procurator postquam acceptavit mandatum, tenetur illud adimplere, et mandata executioni demandare: ubi polliciti fuimus discutere, an procurator postquam mandatum acceptavit, possit illud deserere, et illi renunciare. Quare ut promissa impleamus, hanc tractationem ad hunc locum dilatam breviter nunc expediendum operae praetium esse duxi.

2. In quo articulo constituenda est conclusio: quod procurator post mandati acceptationem illud deserere et illi renunciare non potest, *L. si mandavero* 2 § *fin.*, *et L. si quis alicui* § *qui mandatum ff mand.*, *Gail. practicar. observat. lib.* 1 *observat.* 46 *n.* 3.

3. Nam contractus ab initio sunt voluntatis, et post facto autem sunt necessitatis, *L. sicut cod. de action. et obligat.*

4. Immo procurator quadam civili necessitate tenetur mandatum adimplere et commissa exequi, *Angel. Arat. cons.* 61 *n.* 16.

5. Et ad perfectionem perducere, § *mandatum inst. de mandat.*, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 5 *et* 6, *et decis.* 68 *n.* 4 *et* 5, *Surd. decis.* 304 *n.* 4 *et* 5, *Mastrill. decis.* 177 *n.* 12 *lib.* 2.

6. Nam procurator per acceptationem mandati, intelligitur se alligasse ad observantiam omnium contentorum in procuratorio, *Surd. cons.* 19 *n.* 26 *lib.* 1, *Rot. decis.* 640 *n.* 10 *par.* 1 *Recent.*

7. Dantur tamen aliqui casus in quibus licitum est procuratori officium suum deserere et mandato renunciare, *Tex. est in L. si mandavero* § *fin. ff mand. Gloss. in L. ante litem ff de procur.*

8. Hanc autem renunciationem procurator non potest, absque justa causa facere et ad sui libitum, sed praecedente aliqua justa causa, ut dicit *JC. in d. L. si mandavero* § *fin.*

9. Causae autem multae recensentur in *L. post litem*, *cum multis seqq. ff de procur.*, *et in d. § fin. cum pluribus legib. seqq. ff mand.*

10. Data autem legitima causa, ita demum licitum est procuratori mandatum deserere, dummodo mandanti jus integrum servetur, *d. § fin.*, *Rot. Genuens. dec.* 9 *n.* 5.

11. Et non ex abrupto, sed praecedente denunciatione facta ipsi mandanti, *L. si quis alicui § qui mandatum vers. si vero ff mand.*, et quatenus ob aliquod impedimentum justum et rationabile, mandatum exequi et in eo commissa implere nequeat, debet illud domino denunciare, alias non excusatur, et illud allegare non potest, *L. si procurator § si ignorantes vers. si scinerit*, *et L. si fidejussor § si cum debitor. in fin. ff mand.*; alias tenetur ad omne interesse, *Paris. cons.* 91 *n.* 10 *lib.* 1, *Rot. Genuen. decis.* 9 *n.* 5 *et* 6, *decis.* 68 *n.* 3, *decis.* 155 *n.* 2, *et decis.* 347 *n.* 10, *Surd. decis.* 34 *n.* 18, *et d. decis.* 304 *n.* 4, *Mastrill. d. decis.* 177 *n.* 11 *par.* 2, *Alex. cons.* 52 *n.* 7 *lib.* 6, *Surd. cons.* 365 *n.* 1 *lib.* 3.

12. Et saltem summaria causae cognitione super veritate et justitia assertae causae, ob quam procurator praetendit mandatum deserere et procuratoris officium dimittere, *Andr. Gail. practic. observat. lib.* 1 *observat.* 46 *n.* 5 *et* 6.

13. Alias tenetur mandanti ad interesse, *L. si quis alicui § qui mandatum in fin. ff mand.*

14. Etiam nulla praecedente interpellatione, *Rot. Genuen. dec.* 125 *num.* 3.

15. Licet alioquin non insurgat obligatio ad interesse, nisi praecedat mora, *L.* 2 *§ si navis ff ad L. Rodi. de jact.*, *L. Lecta*, et ibi *DD. ff si cert. pet.*, *Rim. Jun.*, qui de communi, *cons.* 52 *n.* 54 *lib.* 1, *Rot. coram Seraph. decis.* 1427 *n.* 2, *coram Gregor. XV decis.* 148 *n.* 2, *in Recent. decis.* 622 *n.* 5 *par.* 2.

16. Et ista non contrahatur regulariter nisi praecedat interpellatio, *L. quod te*, *L. unam ff si cert. petet.*, *L. mora ff de usur.*

17. Et multo magis si praecedat monitio et interpellatio principalis mandantis, *Mastrill. d. decis.* 177 *n.* 14.

18. Quod tamen est intelligendum dummodo mandatum sit purum, non autem si sit factum sub aliqua conditione, ut plene deducit *Surd. d. cons.* 365 *n.* 3, *vers. et ab hac*, *et infra.*

CAPUT CXX.

MANDATUM QUOMODO EXPIRET PER MORTEM.

SUMMARIUM

1. *Mandatum aliquando resolvitur absque ullo facto mandantis.*
2. *Dici non potest quod revocetur per mortem, cum revocatio fiat per contrariam voluntatem.*
3. *Domini voluntas cessat non solum sequuta illius morte, sed etiam ubi in ultimo vitae spiritu reperitur.*
4. *Mandatum non revocatur per mortem, sed potius expirat et resolvitur,*
5. *Mandatum expirat per mortem mandantis.*
6. *Per mortem cessat illius voluntas.*
7. *Et consequenter etiam mandatum.*
8. *Res tunc ad statum redigitur ac si mandatum non emanasset.*
9. *Ob mortem mandantis expirat mandatum factum ad donandum ex causa remunerationis.*
10. *Et ad insinuandam donationem.*
11. *Si post domini mortem procurator vigore sui mandati faciat aliquem actum, iste est nullus.*
12. *Nec potest ab haeredibus defuncti per sequentem eorum ratificationem convalidari.*
13. *Per mortem quoque procuratoris expirat mandatum.*
14. *Licet esset factum sub nomine dignitatis; neque enim transit ad successores.*
15. *Per mortem substituentis, substituti mandatum expirat.*
16. *Quoties tamen procurator jure proprio alium substituit.*
17. *Secus si substituat ex facultate sibi a domino concessa.*
18. *Tunc enim substitutio intelligitur facta ab ipso domino mediante persona substituentis.*
19. *Ideoque ipsius tantum domini vita vel mors debet attendi.*
20. *Et quoties substituens moritur re integra.*
21. *Et non habet mandatum ab homine sed a lege.*
22. *Quando substitutus moritur domino, et substituente superstite, istius mandatum non expirat quocumque modo et nomine sit facta substitutio.*
23. *Mandatum resolvitur non solum ob mortem naturalem sed etiam ob civilem.*

24. *Tam mandantis quam mandatarii.*
25. *Contraria affertur opinio.*
26. *Concordatur cum prima.*
27. *Dummodo mors civilis ex condemnatione in capitis poenam resultet.*
28. *Per mortem resolvitur mandatum, sive sit factum ab actore, sive a reo.*
29. *Quod procedit etiam in beneficialibus.*
30. *Mandatum non censetur per mortem resolutum, quando est factum cum clausula donec duxerit renovandum.*
31. *Tunc enim ob inclusionem revocationis expressae in dicta clausula contentae, excluditur tacita revocatio quae per mortem inducitur.*
32. *Similiter non resolvitur si fiat cum expressa declaratione quod morte non finiatur, prout fieri valet.*
33. *Quia videtur semper durare eadem voluntas, nisi fuerit expresse revocata.*
34. *Mandatum institoris universae administrationi praepositi, per mortem praeponentis non extinguitur.*
35. *Nisi cum morte praeponentis concurrat etiam mutatio status ipsius institoris.*
36. *Et dummodo iste tempore mortis praeponentis aliquid agere coeperit.*
37. *Mandatum pariter non resolvitur per mortem, ubi est ei adjecta conditio, ut usque ad certum tempus revocari non possit.*
38. *Quia tunc non videtur per mortem cessare mandantis voluntas.*
39. *Ita per mortem non expirat favore piae causae.*
40. *Vel favore dotis.*
41. *Quid, ubi dos non dicitur pia causa?*
42. *Aut favore pacis.*
43. *Contraria proponitur opinio.*
44. *Vel quando dominus satisdedit pro procuratore de judicatum solvendo, ipso consentiente.*
45. *Ad effectum enim ut res non dicatur integra, hujusmodi satisdatio idem operatur ac contestatio litis.*
46. *Licet sit praestita pro procuratore absente, qui postea accepiet mandatum.*
47. *Dummodo generaliter sit praestita quoad omnes instantias.*
48. *Mandatum praeterea per mortem non extinguitur quoties conferitur ad actum post eamdem constituentis mortem explicandum.*

49. *Quale est mandatum de administrando bona et jura minorum, donec ad legitimam aetatem pervenerint.*
50. *Incipit enim habere robur post mortem constituentis.*
51. *Quamvis dominus moriatur priusquam procuratori praesentetur mandatum.*
52. *Praedictum mandatum obligat etiam haeredes constituentis.*
53. *Dummodo res sit in eodem statu.*
54. *Et dummodo post mortem constituentis, mandatum ab ejus haeredibus non revocetur, prout regulariter revocari valet.*
55. *Nisi mandatum fuerit factum ad commodum ipsius procuratoris.*
56. *Vel alicujus tertii.*
57. *Mandatum pariter non expirat per mortem quando continet id quod mandans ex necessitate facere tenetur.*
58. *Nisi constituens moriatur absque haerede.*
59. *Vel haeres sit differentis status quam defunctus, ut si sit minor, Ecclesia, furiosus, vel similis.*
60. *Quod dicitur de minore, intelligitur de pupillo.*
61. *Procurator constitutus in obligatione cambrali ad confitendum debitum, post mortem etiam constituentis illud confiteri valet.*
62. *Talis enim procurator ad commodum tertii est constitutus.*
63. *Procurator constitutus in rem propriam non revocatur morte constituentis, licet iste re integra moriatur.*
64. *Cum neque revocari possit expresse.*
65. *Quamvis non valeat exercere actiones directas nomine constituentis, potest utiles exercere in persona propria.*
66. *Fallit si constituens moriatur absque haerede.*
67. *Praedictum mandatum mandatarii morte revocatur.*
68. *Si sit factum cum cessione jurium; alias secus.*
69. *Si dominus moriatur re non integra, procuratoris mandatum ejus morte non resolvitur.*
70. *Contrarium procedit ubi constituens sit administrator bonorum Ecclesiae.*
71. *In beneficialibus non datur successio, nec quis habet haeredem.*
72. *Respectu tamen fructuum et expensarum quae ad haeredem spectant constituentis, mandatum non expirat.*
73. *Mandatum universalis negociationis, etiam quoad non coeptu non expirat morte mandantis.*
74. *Quando res non dicatur integra; remissive.*
75. *Item quando res integra non dicatur.*
76. *Res non dicitur integra quoties procurator, vivente domino fuit litem contestatus.*

77. *Fallit de jure canonico.*
78. *Vel quando mandans promisit de rato pro procuratore mandatum acceptante.*
79. *Vel quando dominus, praesente procuratore, promisit pro eo judicatum solvere.*
80. *Mandatum non expirat morte mandantis ubi procurator est dominus litis effectus.*
81. *Quando dicatur effectus dominus litis; remissive.*
82. *Ubi est dominus litis effectus, est etiam procurator haeredum constituentis.*
83. *Secus est in beneficialibus.*
84. *Procurator praedictus potest expresse revocari ex justa causa.*
85. *Inter revocationem expressam et tacitam maxima intercedit differentia; et de ratione.*
86. *Ob solam mortem constituentis non potest sequi resolutio mandati.*
87. *Mandatum factum a tutore per ejus mortem re non integra non expirat.*
88. *Procurator similiter et sindicus alicujus monasterii, per mortem Abbatis vel Prioris non censetur revocatus.*
89. *Neque ex eo quod Abbas vel Prior removeatur ab officio.*
90. *Ecclesia et Monasterium numquam moritur.*
91. *Nec mutatur morte particularium personarum.*
92. *Idem procedit in procuratore ab Episcopo vel alio Praelato ad exequendas illius ordinationes constituto.*
93. *Substitutus non revocatur ob mortem substituentis.*
94. *Censetur substitutus non a substituente sed ab ipso domino.*
95. *Procurator in praedictis casibus non revocatur morte mandantis, dummodo iste cum haerede decedat.*
96. *Mandatum non potest consistere sine persona mandantis vera vel repraesentata.*
97. *Haeres repraesentat personam defuncti.*
98. *Procurator domini personam repraesentat.*
99. *Ubi iste moritur absque haerede, deest persona quam ille repraesentare valeat.*
100. *Quis nullius procurator esse non potest.*
101. *Dummodo sit certum quod dominus nullum habeat haeredem et bona sint vacantia.*
102. *Secus si haereditas tantum jaceat.*
103. *Bona vacantia Fisco deferuntur.*
104. *Sed illa non capit uti haeres.*

105. *Mortuo mandante procurator desinit esse talis.*
106. *Procuratoris personam metimur ex persona mandantis.*
107. *Si fiscus recognovit bona vacantia, illius procuratores ipsa administrant.*
108. *Alias est dandus procurator a judice.*
109. *In beneficialibus, quia post beneficiati mortem nullus adest haeres, ipsius mandatum ejus morte tam naturali quam civili expirat.*
110. *Quoties mandatum ob mandantis mortem non expirat, potest ab ejus haerede revocari.*
111. *Nisi sit factum ad commodum procuratoris vel alterius tertii.*
112. *Ubi per mortem mandantis vel mandatarii expirat mandatum, ejus tamen actio non expirat.*

1. Diximus hucusque de revocatione mandati a constituente facta expresse vel tacite; reliquum est, ut pro complemento hujus tractatus, videamus quomodo expiret et resolvatur absque alio facto mandantis.

2. Quod multis modis contingit, ex quibus obviam sese facit primo loco ille qui ob mortem contingit; neque enim potest dici quod eo modo mandatum revocetur, quia revocatio fit per contrariam voluntatem, et propterea per mortem fieri dici nequit, *Bart. in L. more majorum col. fin. n.* 17 *ff de jurisd. omn. judic.*

3. Cessat enim voluntas mandantis non solum sequuta illius morte, sed etiam existente eo in ultimo agone, et dum est in ultimo vitae spiritu, *Gloss. in L. fin. ff quand. dies legat. ced., Petr. Ant. Anguiss. cons.* 78 *n.* 3 *lib.* 2.

4. Ac proinde dici potest quod proprie mandatum revocetur per mortem, sed verius et magis proprie, quod expiret et resolvatur, *Eugen. cons.* 96 *n.* 50 *et seqq. lib.* 2.

5. In hoc itaque capite sit conclusio, quod propter mortem mandantis expirat et resolvitur mandatum, *L. inter causas ff mand., L. mandatum cod. eo tit., Clem. fin. de procur. cap. relatum*, et ibi omnes *extr. de offic. deleg., Purpur. cons.* 141 *n.* 4 *lib.* 1, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 169, *Gabr. in tit. de procur. conclus.* 2.

« Mandatum extinguitur per mortem mandantis, *Saminiat. controv.*
« 178 *n.* 7 *lib.* 2.

« Mandatum procurae expirat per mortem naturalem mandantis, *Rot.*
« *decis.* 443 *n.* 3, *et decis.* 532 *sub n.* 3 *par.* 1, *decis.* 306 *sub n.* 1 *par.* 4
« *tom.* 1, *decis.* 172 *n.* 13, *et decis.* 297 *n.* 7 *par.* 7, *et decis.* 354 *n.* 8
« *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

« Ea ratione quod mors omnia solvit, *Rot. decis.* 297 *n.* 8 *par.* 7 « *Recent.*

« Amplia, mandatum expirare per mortem mandantis etiam si factum « fuerit cum clausula irrevocabili, *Rot. decis.* 479 *n.* 23 *par.* 13, *et decis.* 41 « *n.* 16 *et* 17 *par.* 14 *Recent.*

« Mandatum irrevocabile dicitur expirare per praedecessum mandantis, « si haereditas sit vacans, secus autem ubi sit jacens et duret spes aditionis, « *Rot. decis.* 41 *n.* 16 *et* 17 *par.* 14 *Recent.*

6. Cum enim per mortem cesset illius voluntas, ut dictum est, *L.* 4 *ff locat.*

7. Utique debet etiam cessare mandatum, *Ruin. cons.* 115 *n.* 7 *lib.* 1, *Bart. in L. et quia n. . . . ff de jurisd. omn. judic.*

8. Nam tunc res redigitur ad statum ac si mandatum non emanasset, *Bald. in d. L. mandatum n.* 1 *vers. respondeo in fin.*, *et n.* 5 *vers. quarto oppono cod. mand.*, *Laderch. cons.* 55 *n.* 3 *lib.* 1.

9. Hinc ob mortem mandantis expirat mandatum factum ad donandum ex causa remunerationis, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *cap.* 23 *n.* 12, *Gratian. discept. forens. cap.* 783 *n.* 4.

10. Et similiter expirat mandatum factum ad insinuandum donationem, *Gratian. ibid. n.* 3 *et* 33.

11. Supra firmata conclusio ampliatur nonnullis modis; et primo, ut in tantum ob mortem mandantis mandatum expiret, ut si post mortem domini procurator faciat aliquem actum vigore dicti mandati, actus ille sit nullus, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 175 *vers. in casu tamen.*

12. Quod adeo verum est, ut actus ille non possit convalidari per haeredes defuncti per sequentem eorum ratificationem, *Ant. Ciof. cons.* 68 *n.* 5 *lib.* 2, *Franc. Viv. decis.* 494 *n.* 2 *in fin.*

13. Secundo ampliatur, ut expiret quoque per mortem procuratoris, *L. si quis alicui* § *morte ff de procur.*, § *item si adhuc instit. de mandat.*, *Guid. Pap. decis.* 118, *et decis.* 491, *Magon. decis. Florent.* 106 *n.* 9, *Put. decis.* 73 *n. . . . lib.* 3, *Vant. de nullit. ex defect. mand. n.* 170, *Laderch. cons.* 94 *n.* 2 *lib* 1, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 13.

« Per obitum quoque mandatarii expirat mandatum, *Saminiat. con-* « *trov.* 185 *n.* 2 *lib.* 2.

« De stylo Romanae Curae, ubi procurator jam deputatus in causa « decedat vel se absentet, non per hoc collitigans tenetur perquirere colli- « tigantem in partibus, eumque denuo citare, sed recte procedi potest ad « compilationem processus vel judicii contumacialis, quod in curia dicitur « per contradictas; sibique imputet ille, qui de morte vel de absentia pro-

« curatoris deputati sollicitus esse non curaverit, *Card. de Luc. de judiciis* « *disc.* 9 *n.* 22.

« Probabiliter dubitari consuevit an judicium per contradictas practi- « cabile sit mortuo, vel se absentante procuratore, qui per citatum jam « deputatus fuerit, quasi quod contumax reputari non debeat ille qui jam « comparuit atque procuratorem deputavit, dum ita versari potuit in bona « fide quod defensorem haberet, unde propterea aequum videtur ut, isto « casu contingente, de illo moneri debeat, *Card. de Luc. de judiciis disc.* 10 « *n.* 8.

« Quamvis autem id magnam habeat probabilitatem, attamen de stylo « Curiae contrarium receptum est, ut scilicet praevia citatione per diligen- « tias procuratoris qui non reperiatur, hoc judicium per contradictas fieri « recte ac perfici valeat, *Card. de Luc. de judiciis d. disc.* 10 *n.* 9.

« Mandatum procuratoris sicuti expirat per mortem mandantis, ita « etiam expirat per mortem ejusdem procuratoris, *Rot. decis.* 392 *num.* 9 « *par.* 9 *tom.* 2, *et decis.* 282 *n.* 8 *par.* 15 *Recent.*

« Licet obligatio aliquando duret inter mandantem et mandatarium, « *d. decis.* 282 *n.* 9 *et* 10 *part.* 15 *Recent.*

14. Quamvis mandatum esset illi factum sub nomine dignitatis, quia non ideo minus morte ipsius expirat, nec transit ad successores in dignitate, *Ruin. cons.* 143 *n.* 9 *lib.* 4.

15. Tertio ampliatur, ut mandatum substituti expiret per mortem substituentis, pulchre *Oldrad. cons.* 130 *n.* 3 *vers. si enim est nova, et n.* 4, sequitur *Gabr. in tit. de procur. conclus.* 2 *in* 4 *ampl. n.* 8, et post eos *Rot. Lucens. divers. decis.* 143, *vers. sic secundo* quae est inter *decis. Lucens.*, *Cornazan. decis.* 156, *Bellamer. decis.* 6, *Capell. Tholos. decis.* 369.

« Si substituens moriatur antequam substitutus acceptet, non ideo « expirat substitutio, si ista fuit facta in vim facultatis quam procurator « habebat substituendi, dummodo substitutus acceptet vivente domino, « *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 61.

« Sed hoc non procedit in substitutione facta a procuratore tamquam « domino litis effecto, quia illa expirat morte substituentis si moriatur re « integra antequam substitutus acceptet, *Ridolphin. ibid. n.* 62, et fuit adno- « tatum etiam supra *cap. XXXVIII. n.* 19.

16. Ista tamen ampliatio debet intelligi: primo, ut procedat quando procurator substituit et posuit alium in locum suum jure suo proprio, tamquam dominus litis effectus.

17. Secus autem si substituat ex facultate substituendi sibi per principalem concessa et attributa.

18. Quia cum eo casu substitutus censetur factus procurator non a

substituente, sed ab ipso domino principali mediante persona substituentis, *Rot. decis.* 692 *n.* 2 *par.* 2 *Recent.*, *Vestrius in sua prax. Roman. Cur. lib.* 4 *cap.* 5 *n.* 5 *vers. idque etiam si procuration*, qui alias *Rotae decisiones* allegat.

19. Non debet attendi vita et mors substituentis, sed domini principalis, ut post alios declarat *Ruin. cons.* 74 *n.* 15 *lib.* 3, refert *Gabr.*, qui alios allegat, *d. conclus.* 2 *n.* 9, *Rot. Lucens. divers. d. decis.* 143 *vers. nec obstat secundum*, *Bellamer. decis.* 6 *vers. ratio diversitatis est*, *Oldrad. cons.* 130 *n.* 1, *Sebastian. Media. in tract. mors omnia solvit par.* 2 *conclus.* 64 *n.* 189, *Ruin. cons.* 74 *n.* . . . *lib.* 3, *Capell. Tholos. decis.* 369, et ibi *Aufrer.*, *Vinc. de Franch. decis.* 212 *n.* . . . . *Jo. Vinc. de Anna allegat.* 107 *n.* 1. Et ita videtur intelligenda *decis.* 521 *n.* 8 *par.* 1 *Recent.*, prout post alios declarat *Gratian. discept. forens. cap.* 214 *n.* 33 *et seq.*, *et cap.* 737 *n.* 33.

20. Secundo est intelligenda, ut procedat quando substituens moritur re integra, ut declarat *Zabarell. in Clem. fin. quaest.* 15 *n.* 14 *de procur.*, *Felin. in cap. relatum n.* 9, et ibi *Dec. n.* . . . . *vers. et ista conclusio extr. de offic. deleg.*, *Gabr. d. const.* 2 *n.* 9, refert *Garnazan. d. decis. Lucens.* 156 *n.* 4, *Vestr. d. n.* 6 *vers. secus si iis casibus.*

21. Tertio debet intelligi, quando substituens non haberet mandatum ab homine sed a Lege, *Ruin. d. cons.* 74 *n.* 16 *lib.* 3, ubi exemplis id declarat.

22. Quarto intelligi debet, ut non procedat quando substitutus moriretur superstitibus tam domino principali quam procuratore substituente, nam tunc non expiraret mandatum substituentis, sed adhuc remaneret ejus mandatum in suo robore, quocumque modo et nomine substituisset, *Vestr. in d. sua prax. lib.* 4 *tit.* 5 *n.* 5 *ad med.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 214 *n.* 15.

23. Quarto ampliatur, ut mandatum resolvatur non solum ob mortem naturalem, sed etiam ob mortem civilem, *DD. in Clem. unic. de procur.*, *Angel. Aret. in § praeterea* 2 *n.* 37 *instit. de except.*, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 175, ubi multipliciter exemplificat, quos et alios refert et sequitur *Laderch. cons.* 12 *n.* 5 *lib.* 1, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 13 *par.* 3, *Ant. Monach. decis. Bonon.* 15 *n.* 18, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 23 *n.* 13, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 62 *n.* 4, *Scacc. de sentent. et rejudic. Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 103, *Rot. decis.* 376 *in nov.*

24. Tam mandantis quam mandatarii, *Laderch. cons.* 94 *n.* 2 *lib.* 1.

25. Contrariam in ampliatione late defendit, *Guid. Pap. decis.* 547 *per tot.*

26. Et propterea pro concordia potest dici, quod prima opinio procedat in actore, secus in reo, ut distinguit *Guid. Pap. ibi sub n.* 5 *vers. sed quaero*, *vel quod procedat.*

27. Dummodo mors civilis resultet ex condemnatione in poenam capitis et amissionis vitae; secus autem si condemnatio esset ad triremes, nam per talem condemnationem non sequitur resolutio mandati, ut dixit *Rom. decis.* 492 *n.* 4 *par.* 2 *Recent.*

« Mandatum procuratoris expirat per mortem civilem et bannum ca-
« pitale constituentis, *decis.* 506 *n.* 6 *par.* 13, *et decis.* 486 *n.* 3 *par.* 14
« *Recent.*

« Non tamen expirat quando mandans fuit ad triremes etiam perpe-
« tuos condemnatus absque confiscatione bonorum, *decis.* 492 *n.* 2 *et* 4
« *par.* 2 *Recent.*

« Ea ratione quod de jure novo authenticorum, nemo liber natus qui
« per sententiam ad aliquid opus etiam in perpetuum damnatus sit, servus
« poenae efficitur, et propterea ita damnatus potest contrahere, et contra-
« hendo acquirere, *d. decis.* 492 *n.* 2 *et* 3 *par.* 2 *Recent.*

28. Quinto ampliatur, ut procedat tam in mandato procuratoris quam rei, *Guid. Pap. decis.* 547 *sub n.* 5 *vers. sed quaero*, *Bonifacius de Vitalinis in Clem. ult. de procur. sub n.* 33 *et seqq.*, sed videatur.

29. Sexto ampliatur et in beneficialibus, *Rot. decis.* 1263 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*, *Crescent. decis.* 13 *n.* 1 *de procur.*, *Cassiod. decis.* 2 *n.* 2 *de appell.*, *Guid. Pap. decis.* 119, *Capell. Tholos. decis.* 264, *Gomez ad regul. Cancellar. in regul. de annal. quaest.* 62 *n.* 2.

« Mandatum factum a beneficiato ad exigendos fructus beneficii pro
« toto tempore vitae ipsius procuratoris, non valet, *Rot. decis.* 129 *n.* 3
« *par.* 1 *Recent.*

30. Limitatur autem supradicta conclusio ita ampliata, primo; quando mandatum esset factum cum clausula « *donec duxerit revocandum* », *Bart. in L. more majorum n.* . . . *ff de jurisd. omn. judic.*, *Gratian. discept. forens. cap.* 783 *n.* 18.

31. Nam vigore dictae clausulae videtur actum quod mandatum non extinguatur nisi expresse revocatum fuerit, et quod ob inclusionem revocationis expresse contentae in dicta clausula, excludatur tacita revocatio, quae inducitur per mortem, per regulam *L. cum praetor ff de judic.*, et ita argumentatur *Ruin. cons.* 115 *n.* 7 *post princ. vers. nam quando*, in illis verbis *ibi vel dici potest*, *lib.* 1.

32. Secundo limitatur, si fiat mandatum cum expressa declaratione, quod morte non finiatur prout fieri potest, *L. si vero non remunerandi* § *fin. ff mand.*, *Bart. in L.* 2 § *sed et si quis n.* . . . *ff de donat.*, et ita limit. *Ruin. d. cons.* 115 *sub n.* 7 *lib.* 1.

33. Reddens rationem, quia videtur semper durare eadem voluntas, nisi expresse fuerit revocata.

34. Tertio limitatur, in mandato institoris praepositi universali admi-

nistrationi, quod per mortem praeponentis non extinguitur, *L. si quis mancipiis § si impubes;* et ibi *not.* § *de instit. act.*, *Bart.*, et communiter alii, *in L. ejus qui in provincia ff si cert. pet.*, ut de communi testatur *Ruin. d. cons.* 115 *n.* 5 *lib.* 1, *Trentacinque*, qui multos congerit, *variar. resolut. lib.* 2 *in tit. de procur. resolut.* 10 *n.* 5.

35. Nisi ultra mortem praeponentis concurrat etiam copulative mutatio status ipsius institoris, *L. ejus qui in provincia*, quem Tex. ita communiter intelligi a DD. testatur, *Ruin. d. cons.* 115 *n.* 10, *et Trentacinque d. n.* 5 *in fin.*

36. Qui tamen ultra alios existimat hanc limitationem non esse recipiendam indistincte, sed dumtaxat, quando tempore mortis praeponentis iste institor aliquid agere cœpit; secus si nihil, ponderando pro hac sua opinione, *Tex. in d.* § *si impubes juncta Gloss.* ut ibi per eum.

37. Quarto limitatur, si mandatum sit factum ut non possit revocari nisi usque ad tale tempus; nam si durante tempore praefixo et determinato contingat mors constituentis, non expirat mandatum, sed durat usque ad finem dicti temporis, *Gabr. de procurat. conclus.* 2 *n.* 34, *Ruin. d. cons.* 115 *n.* 7, *Mantic. de tacit. et ambig. convent. lib.* 7 *tit.* 23 *n.* 41, *Gratian. discept. forens. cap.* 788 *n.* 17.

« Mandatum procuratoris non expirat per mortem constituentis quando « est munitum amplissimis clausulis, *Rot. decis.* 77 *n.* 11 *par.* 11 *Recent.*

38. Ea ratione, ut dicit ibi *Ruin.*, quia illa clausula, quod non possit revocari, demonstrat quod per mortem non cessat voluntas mandantis.

39. Quinto limitatur, favore piae causae, *Rim. Sen. cons.* 84 *n.* 19 *lib.* 1, ubi multos allegat, *Franc. Vin. decis.* 494 *n.* 12 *par.* 3, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 179 *vers. prout etiam*, *Rom. cons.* 119 *n.* . . , *et cons.* 292 *n.* 5 *vers. secundo quia potest*, *Tiraq. de privil. piae causae privil.* 82 *et* 132.

40. Et hinc favore dotis mandatum morte mandantis non expirat, *Bald. in cap. cum venissent n.* 1. . . *extr. de testib.*, *Jas. in L. dedi* § *idem erit n.* 3 *ff de eaus. dat.*, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 19, *Cremens. singul.* 148, *Bart. in L.* 2 § *si poecunia ff de donat.*, *Felin. in cap. relatum vers. secundo extr. de offic. delegat.*, *Rim. Jun. in addit. ad d. cons.* 84, *Rim. Sen. in litera E*, refert alios *Anat. decis. Ferrar.* 24 *n.* 5.

41. Qui tamen ibi, *n.* 6, dicit hanc illationem dubiam esse in casibus in quibus dos non diceretur causa pia, et proinde relinquit hunc articulum indecisum.

42. Infertur secundo, quod nec etiam extingueretur mandatum favore pacis, *Martil. sing.* 44 *in* 1 *limit.*, *Cotta in memorab. in verb. pax post princ.*, refert *Viv. d. decis.* 494 *n.* 5, *Anton. Corsettus de privileg. pacis privil.* 93.

43. Contrarium tamen in hoc de pace dicit *Vulpell. in tract. de pace quaest.* 5 *n.* 2 *et* 3.

44. Sexto limitatur, quando dominus satisdedit pro procuratore de solvendo judicatum, ipso procuratore consentiente, *L. filiusfam.* § *fin. ff de procur. L. si defunctus in princ. ff de procur.*, quem casum dicit esse singularem, *Paul. de Castr. ibi in summ.*, *Abb. in cap. mandato n. . . extr. de procur.*, *Capell. Tholos. dec.* 265 *n.* 2 *et* 3, et ibi *Aufrer.*, *Mynsing. singul. observat. centur.* 2 *observat.* 84 *n.* 2, *Anton. Monach. decis. Florent.* 15 *n.* 35, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 3, *Trentacinque d. resolut.* 10 *n.* 8, *Jacob. Laurent. de judic. suspect. cap.* 6 *n.* 44, *Sebastian. Medic. d. conclus.* 64 *n.* 192, *Rot. coram Verall. decis.* 187 *n.* 1 *par.* 1, *et decis.* 188 *n.* 2, *et decis.* 189 *lib.* 2, *et coram Crescent. decis.* 11 *n.* 4 *de sentent. et rejudic.*, *et coram Balb. decis.* 278.

« Clausula « *relevans* » apposita mandato procurae, operatur ut man-
« datum non expiret morte mandantis, etiam ubi relictus sit haeres minor
« vel pupillus, *Rot. decis.* 453 *n.* 2 *par.* 9 *tom.* 2, *et decis.* 77 *n.* 11
« *par.* 11 *Recent.*

« Ut tamen non expiret morte mandantis, mandatum cum clausula
« *relevans* » procurator debet esse praesens, immo sufficit quod consentiat
« dicto mandato tacite vel expresse, *Rot. decis.* 172 *n.* 23 *et* 24 *part.* 7
« *Recent.*

« Mandatum non extinguitur per mortem principalis si mandans se
« obligavit de solvendo judicatum, et pro eo fidejussit, *Rot. decis.* 172 *n.*
« 20 *et seqq.*, *et decis.* 297 *n.* 5 *par.* 7 *Recent.*

« Mandatum non expirat per mortem mandantis, si procurator ante
« mortem mandantis, mandatum acceptet, sicuti pariter si procurator sit
« constitutus cum satisdatione et non contradixerit, *Rot. decis.* 172 *n.* 26
« *et seqq. par.* 7 *Recent.*

« Satisdatio, procuratore constituente, tacite vel expresse operatur,
quod procurator possit compelli, et quod mandatum morte non finiatur,
Rot. decis. 172 *n.* 25 *par.* 7 *Recent.*, quod adnotatur etiam *cap. XXIV ad num.* 8.

45. Tantum enim operatur ista satisdatio ad effectum ut res non dicatur integra quantum litis contestatio, et ad hunc effectum ista aequiparantur, *Saltic. in L. mandatum col.* 5 *in* 8 *opposit. n. . . cod. mand.*, *et in L. inter eos col.* 3 *n.* . . *vers. porro septimo ff eod. tit.*, *Verall. d. decis.* 187 *n.* 2.

46. Quae limitatio procedit etiam si satisdatio praestetur pro procuratore absente, si postea mandatum acceptet, *Clem.* 1, et ibi *Gloss. de procur.*, *Capell. Tholos. decis.* 35, *et decis.* 266, et ibi *Aufrer.* refert *Jacob. Laurent. d. n.* 41.

47. Quod tamen est intelligendum, quando mandans praestitit cautionem generaliter, quoad omnes istantias, ut bene per *Rotam coram Verall. decis.* 189 *per totam lib.* 1.

48. Septimo limitatur, si mandatum conferatur ad actum explicandum post mortem constituentis, *Rom. cons.* 202 *n.* 6, *Rim. Sen. cons.* 84 *sub n.* 11, *et sub n.* 19 *lib.* 1, ubi *n.* 20 *et seqq.*, id confirmat, *Ruin. cons.* 7 *n.* 7 *lib.* 2, *Franc. Bec. cons.* 66 *n.* 7 *et seqq. lib.* 1, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 6, *Galles*, qui alios allegat, *de cameral. oblig. quaest.* 23 *n.* 3 *juxta ordinem Zacch.*, *Marsil. sing.* 44, *Sebastian. Medic. in tract. mors omnia solvit par.* 2 *conclus.* 64 *n.* 190, *Soc. Sen. cons.* 60 *n.* . . . *lib.* 1, *Aret. cons.* 66 *col.* 2 *n.* . . *vers. item non est dubium*, *Corn. cons.* 86 *n.* . . . *lib.* 4, *Rot. decis.* 613 *n.* 2 *par.* 1 *divers.*, *Gratian discept. forens. cap.* 783 *n.* 21, *Trentacinque variar. resolut. lib.* 2 *in tit. de procur. resolut.* 10 *num.* 6.

« Similiter quando mandatum confertur etiam post mortem, passim « admittitur quod per mortem mandantis aut mandatarii expirasse non « censeatur, *Saminiat. controv.* 185 *n.* 15 *lib.* 2.

« Hic autem est notandum, quod simplex mandatum disponendi in « morte a tertio alicui commissum, est revocabile, *Rot. decis.* 303 *n.* 17 « *par.* 12 *Recent.*

49. Unde *Rota d. decis.* 613 *n.* 2 dicebat, quod mandatum de administrando bona et jura minorum donec ad legitimam aetatem pervenerint, factum alicui a testatore in ejus testamento, non expirat morte mandantis, sed durat etiam eo mortuo, *Aret. cons.* 66 *n.* 2, *Boer. decis.* 124 *n.* 1 *in fin. et infra.*

50. Nam incipit habere robur post mortem constituentis, *L. si vero non remunerandi* § *fin. cum L. seq.*, et ibi *Bart. n.* . . , *et alii ff mand.*, *Soc. Sen. cons.* 87 *n.* 1 *lib.* 1, *Soc. Jun. cons.* 97 *n.* 4 *lib.* 1, *Anchar. Regiens. quaest.* 23 *sub n.* 1 *lib.* 1, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 6.

51. Quae limitatio procedit etiam si dominus constituens moriatur antequam mandatum fuerit praesentatum procuratori constituto, late *Rim. Sen. d. cons.* 84 fere per tot, et signanter *n.* 20 *et seq.*

52. Quae limitatio adeo est vera ut simile mandatum obliget etiam haeredes constituentis, *Osasch. decis.* 159 *n.* 3.

53. Sublimitatur tamen primo, si res non sit in eodem statu, *L. quod semisses ff de cond. ob caus.* per quem Tex., *Bec. cons.* 66 *n.* 29 *lib.* 1.

54. Sublimitatur, nisi post mortem constituentis fuerit ab illius haeredibus revocatum, prout regulariter revocari potest, *L. fundi ff de acquir. poss.*

55. Praeterquam quando mandatum fuit factum ad commodum vel procuratoris, qui propterea dicitur constitutus procurator in rem propriam,

vel ab haerede constituentis, revocari non potest, *Ruin. cons.* 7 *n.* 8 *lib.* 2, *Gratian. discept. forens. cap.* 783 *n.* 20, et dicemus infra *in* 10 *limitat.:* mandatum enim in rem suam morte non revocatur, *Rot. decis.* 174 *n.* 3 *par.* 2 *divers.*, *Gloss. in L. ad eum in princ. in verb. portionibus ff de donat.*

56. Vel ad commodum et utilitatem tertii, quod similiter ab haerede mandantis revocari non potest, *Ruin. d. n.* 8, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 170. Sublimitatur aliis modis, ut per *Trentacinque d. resolut.* 10 *n.* 6.

57. Octavo limitatur, quando mandatum continet id quod mandans ex necessitate facere tenetur, *L. fundi venditor* § 1, et ibi *Bart. n.* 2, *Alex. n.* 4 *ff de acquir. possess.*, *Bart. in L.* 2 § *sed si quis vers. extr. Gloss. ff de donat.*, *Alex. in L. morte majorum n.* 41 *ff de jurisd. omn. judic.*, *Vant. d. n.* 170 *vers. vel constitutus*, *Galles de obligat. cameral. quaest.* 22 *juxta ordinem Zacch.*, ubi alios allegat, *Mandell. Alb. cons.* 226 *num.* 17 *lib.* 1, *Trentacinque d. resolut.* 10 *n.* 7, *Sebast. Medic. in tract. mors omnia solvit par.* 2 *conclus.* 64 *n.* 180, *Rom. cons.* 202 *n.* 4, *Marsil. sing.* 44, *Soc. regul.* 254.

« Regula autem quod mandatum per mortem mandantis vel manda-
« tarii expiret, procedit in mandato voluntario ex utraque parte quando-
« cumque revocabili; secus vero in mandato necessario, puta in mandato
« per stipulationem dato debitori ad cambiandum, donec sequuta sit debiti
« solutio, quod propterea per mortem mandantis vel mandatarii resolutum
« non censetur, sed transit ad haeredes quamvis minores et pupillos, *Sa-*
« *miniat. d. controv.* 185 *n.* 14 *lib.* 2.

« Mandatum datum creditori ad cambiandum non expirat per mortem
« naturalem vel civilem mandantis vel mandatarii, cum non agatur de man-
« dato voluntario sed necessario in gratiam et rem propriam mandatarii,
« pro implemento obligationis et contractus correspectivi, quod non solvitur
« per mortem, sed tamquam stipulatio seu obligatio faciendi active et pas-
« sive transit in haeredes, ex ea clara ratione, quod revocatio resultans ex
« morte dicitur ficta et praesumpta; fictio autem seu praesumptio non po-
« test plus operari quam veritas; unde quemadmodum debitori danti hoc
« mandatum praeclusa est facultas illud expresse revocandi, adeo ut ex-
« pressa revocatio non intret, multo minus intrare potest tacita seu ficta
« resultans ex morte, *Card. de Luc. de cambiis disc.* 2 *n.* 5 *et* 6, *disc.* 15
« *n.* 7, *et disc.* 23 *n.* 6.

« Potissime vero in ordine ad mortem civilem, ratione banni capitalis
« resultantem ab ipsius debitoris delicto, pro praedicta conclusione adest
« ratio, quod illud ei commodum et utilitatem causare non debet in dam-
« num et praejudicium creditoris innocentis contra positivi et naturalis ju-

« ris principia, cum ita colpose agentes pro mortuis habendi sint quoad « favorabilia, non autem quoad odiosa, *Card. de Luc. de cambiis d. disc.* 2 « *num.* 7.

« Generaliter receptum est, mandatum ad cambiandum, per mandantis « vel mandatarii mortem naturalem seu civilem non cessare, cum non de « voluntario, sed de necessario mandato agatur, *Card. de Luc. de cambiis* « *disc.* 4 *n.* 8.

58. Ista tamen octava limitatio debet sublimitari; primo, si constituens moriatur absque haerede, *Gratian. discept. forens. cap.* 342 *n.* 7 *et infra*, declarando tamen, ut dicemus hoc eodem capite *in prima declaratione princ.*

59. Sublimitatur secundo, quando haeres est differentis status, quam esset defunctus, puta si sit minor, Ecclesia, furiosus, vel similis, *Soc. Sen. cons.* 112 *col.* 6 *n.* 13 *vers. tertia est lib.* 1, sequitur *Dec. in L. rogasti* § *si fugitivus in* 3 *notab. n. . . . ff si cert. pet.*, *Burs. cons.* 412 *n.* 13 *lib.* 4, *Benvenut. Stracc. de mercatur. in tit. de mand. n.* 49, *Anchar. Regiens. quaest.* 23 *n.* 2 *lib.* 1, *Gratian. discept. forens. cap.* 342 *n.* 2.

60. Quod autem dictum est de minore, debet intelligi de minore quatuordecim annis, et sic de pupillo; nam si sit adultus, licet minor viginti quinque, qui habet legitimam et habilem personam ad constituendum procuratorem, ut dictum est supra *cap.* XX *procuratorem qui constituere possint*; morte mandantis, mandatum non extinguitur, *Rot. coram Crescent. decis.* 211, *quae est* 11 *de senten. et rejudic. n.* 5 *et* 6.

61. Nono limitatur, in procuratore qui constituitur in obligatione camerali ad confitendum debitum, qui etiam post mortem constituentis potest debitum confiteri, *Galles d. quaest.* 22 *n.* 4, *Gratian. discept. forens. cap.* 783 *n.* 21 *et seq.*

62. Potest esse ratio, quia talis procurator est constitutus ad commodum tertii, ut per *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 170 *ad fin.*, et diximus supra *in* 7 *limitat. in* 2 *sublimit. in fin. sub n.* 56.

63. Decimo, limitatur in procuratore constituto in rem propriam, qui morte constituentis non revocatur quamvis moriatur re integra, *Bart. in L.* 1 *sub n.* 3 *et* 4 *cod. de act. et oblig.*, *Bald. in L. mandatum sub n.* 10 *vers. item oppono de Lege illam cod. mand.*, *Beroius cons.* 188 *n.* 1 *lib.* 1, *Gabr. cons.* 83 *n.* 16 *lib.* 1, *Bertazol. de clausul. instrum. clausul.* 29 *Gloss.* 2 *n.* 4, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *cap.* 23 *n.* 52, *Carocc. de locat. et conduct. in tit. de jur. sublocan. quaest.* 33 *n.* 14 *et* 15, *Viv. d. decis.* 494 *n.* 11, *Mandell. Alb. cons.* 226 *n.* 10 *lib.* 2, *et cons.* 406 *n.* 4 *lib.* 3, *Gratian. discept. forens. cap.* 341 *n.* 1, *et cap.* 873 *n.* 39, *Rot. decis.* 174 *n.* 3 *par.* 2 *divers.*, *et coram Seraph. decis.* 174 *n.* 3 *par.* 2 *Recent.*

« Mandatum cambiandi susceptum a debitore non expirat ejus morte

« cum non agatur de mandato continente gratuitum officium in gratiam « mandantis, sed de mandato facto in rem propriam et correspectivo, quod « non cessat per mortem etiam naturalem, multoque minus per civilem, « *Card. de Luc. de credit. et debit. disc.* 143 *n.* 11.

64. Cum neque expresse revocari possit, ut dictum fuit supra *cap. CXVI in quibus casibus mandatum non possit revocari*, in secundo casu.

65. Licet enim non possit exercere actiones directas nomine constituentis, non tamen prohibetur intentare actiones utiles ex propria persona, *Bart. in L. cum filius* § *sed si quis n.* 1 *ff de donat.*, *Angel. in L. ejus qui in provincia n.* 3. *ff si cert. pet.*, *Scacc. de sentent. et rejudic. Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 109 *vers. et in hac specie.*

66. Sublimitatur ista decima limitatio, primo; ut non procedat si constituens moriatur sine haerede, *Gratian. discept. foren. cap.* 341 *n.* 7, et nos dicemus infra in prima declaratione.

67. Sublimitatur, secundo; ut revocetur morte mandatarii, *L. illam cod. de donat.*, *Scipio Rouitus cons.* 38 *n.* 5.

68. Dummodo sit factum cum cessione jurium, secus alias, *Rouitus d. n.* 5.

69. Undecimo, limitatur, si is qui procuratorem constituit moriatur re non integra, et in eodem statu permanente, nam eo casu mandatum per mortem constituentis non resolvitur, *L. si defunctus*, et ibi *Gloss. ff de procurat.*, *L. mandatum cod. mandati*, *Abb. in cap. relatum n.* . . . et ibi *Butr. in princ. in* 3 *notabil. extr. de offic. delegat.*, *Jo. Fabbr. in* § *item si adhuc n.* 2 *instit. de mandat.*, *Angel. Aret. in* § *recte n.* 3 *instit. eo. tit.*, *Socin. Regul.* 254 *in* 1 *fallent.*, *Guid. Pap. decis.* 118 *et* 491, *Put. decis.* 73 *n.* 1 *lib.* 2, *Vinc. de Franch. decis.* 255 *n.* 3, *Ruin. cons.* 115 *n.* 14 *et* 15 *lib.* 1, *Angel. in L.* 1 *n.* 2 *cod. de action. et obligat.*, *Franc. Bec. cons.* 66 *n.* 29 *lib.* 1, *Burs. cons.* 29 *num.* 12 *lib.* 1, *Surd. cons.* 99 *n.* 1 *lib.* 1, *Laderch. cons.* 149 *n.* 1 *lib.* 1, *Mynsinger singular. observat. centur.* 2 *observat.* 84 *n.* 1 *et* 5, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 170, *Scacc. de sentent. et rejudicat. Gloss.* 14 *quaest.* 25 *n.* 93, *Cyriac. controvers. jur. lib.* 1 *controv.* 58 *n.* 3.

« Mandatum datum ad obtinendum coadiutorem, morte mandantis non « expirat, sed, eo defuncto, potest coadjutoriae per procuratorem praestari « consensus, si vivo mandante fuerit porrecta supplicatio signata et datata; « cum tunc consensus retrotrahatur ad diem datae ob praesumptum seu « implicitum consensum, resultantem ab ipsa porrectione supplicationis, ac « diligentia, ut illa jam signata dataretur, *Card. de Luc. de beneficiis* « *disc.* 42 *n.* 9.

« Mandatum morte mandantis, re integra, expirat, *Rot. decis.* 172 *n.* 13 « *par.* 7 *Recent.*

« Quod mandatum expiret per mortem mandantis, intellige procedere « re integra, quia non interest domini, nec procuratoris, *Rot. decis.* 306 « *n.* 3 *par.* 3, *et decis.* 297 *n.* 4, 9 *et* 10 *par.* 7 *Recent.*

« Secus autem re non integra, *Rot. ibid. n.* 6 *et* 12, *et decis.* 38 *n.* 71 « *par.* 6 *Recent.*

« Mandatum expirat etiam re non integra morte mandantis, per « mandatum ad eligendam personam incertam de certis, *Rot. decis.* 38 « *n.* 70 *par.* 6 *Recent.*

«. Item etiam re non integra expirat mandatum in re non transitoria « ad haeredes, *Rot. d. decis.* 28 *n.* 66 *par.* 6 *Recent.*

« Quod procedit etiam in quocumque tutore, curatore, aut coadiu- « tore; finita enim administratione illorum per mortem, etiam re non in- « tegra mandatum expirat, *Rot. ibid. n.* 67.

70. Hanc autem limitationem sublimita: primo, in procuratore et administratore bonorum Ecclesiae, cujus mandatum expirat, etiam si constituens decedat re non integra, *Clem. fin. de procurat., Laderch. d. cons.* 149 *n.* 5, *Rot. cor. Mantic. decis.* 74 *n.* 3.

71. Cujus sublimitationis ea est ratio, quia in beneficialibus non datur successio, nec quis habet haeredem, *Vitalin. d. Clemen. fin. col.* 2 *in princ., et col.* 3 *in princ., Put. decis.* 186 *n.* 2 *lib.* 2, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 171 *et* 173, *Rot. decis.* 1363 *n.* 1 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.; Soacc. d. quaest.* 25 *n.* 98 *vers. secus et infra, Laderch. cons.* 149 *n.* 5.

« Etiam re non integra expirat mandatum per mortem beneficiati, « *Rot. decis.* 38 *n.* 69 *par.* 6 *Recent.*

72. Et propterea in his quoque respectu fructuum et expensarum, quae spectant ad haeredem constituentis, mandatum non expirat, *Rot. cor. Crescent. decis.* 239, *quae est* 13 *de procurat.*

73. Sublimita secundo, ut per *Ciriac. controv. jur. lib.* 2 *controver.* 58 *n.* 8, in mandato universalis negociationis, quod non expirat morte mandantis, etiam quoad non coepta, *Alex. in L. more majorum n.* 31 *ff de jurisdict. omn. judic., Socin. sen. cons.* 112 *n.* 13 *vers. sed ad hoc lib.* 1, *Ruin. d. cons.* 115 *n.* 11 *lib.* 1.

74. Quando autem res dicatur non integra. docet *Ruin. d. cons.* 115 *n.* 5 *vers. secundo, et Surd. d. cons.* 99 *n.* 1 *lib.* 1, *Aret. in* § *item si adhuc instit. de mandat.*

75. In proposito autem res dicitur non integra, vel quando intervenit unum de iis quae habentur *in L.* 3 *cod. de novat.*, ut post *Angel. in L.* 1 *n.* 2 *in* 2 *notabil., Alber. quaest.* 1 *n.* 9 *cod. de action. et obligat.*, dicit *Burs. cons.* 412 *n.* 6 *lib.* 4.

76. Vel quando procurator, vivo mandante, fuit litem contestatus, *L. si defunctus, L. post litem ff de procurat. Gloss. in L. et quia ff de ju-*

risdict. omn. judic., *Jo. Fabr. in d.* § *item si adhuc n. . . . instit. de mandat.*, *Abb. in d. cap. relatum n. . . .*, *Ant. Monachus decis. Bonon.* 15 *n.* 29, *Guid. Pap. decis.* 119 *n.* 1, *vers. quia etiam*, *Surd. d. cons.* 99 *n.* 2 *in fin. et n.* 3, *Scacc. d. quaest.* 25 *n.* 97.

« Res non dicitur integra respectu procuratoris actoris, quando ipse « fuit litem contestatus, *Rot. decis.* 172 *n.* 14 *par.* 7 *Recent.*

77. Hoc tamen fallit de jure canonico, *Clem. fin. de procurat.*, *Guid. Pap. decis.* 119 *n.* 1.

78. Vel quando mandans promisit de rato pro procuratore, qui mandatum acceptavit, *Clem.* 1 *de procur.*, *Guid. Pap. decis.* 118, 488 *et* 491, *Sebast. Medices iu tract. mors omnia solvit par.* 2 *conclus.* 64 *sub n.* 186, *Bellamer. decis.* 6 *vers. item quia licet*, *Mandell. Albens. cons.* 226 *n.* 11, 17 *et* 23 *lib.* 2, *ex Bart. in d. L. si defunctus in princ. in* 2 *opposit.*, *et in vers. nota ergo mirabiliter ff de procurat.*, et aliis.

79. Vel etiam quando dominus, praesente procuratore, promisit pro eo solvere judicatum, *d. L. si defunctus* 15 *ff de procurat.*, *Mynsinger. singul. observat. centur.* 2 *observat.* 84 *n.* 1, et infra, *Scacc. d. n.* 97 *vers. dicitur etiam.*

« Res non dicitur integra respectu procuratoris rei quando in mandato « adest clausula « *relevans* », quae satisdationem importat, *Rot. decis.* 172 « *n.* 15 *par.* 7 *Recent.*

80. Duodecimo limitatur, ut mandatum non expiret morte mandantis, quando procurator est effectus dominus litis, *Bald.*, *Paul. de Castr.*, *Alex. Jas. et alii in L. nihil cod. de procurat.*, *Magon. decis. florent.* 48 *n.* 15 *et decis.* 51 *n.* 16 *et* 17, *Surd. cons.* 99 *n.* 4 *lib.* 1, *et decis.* 89 *n.* 6, *Franc. Viv. decis.* 494 *n.* 3 *lib.* 3, *Ant. Monach. decis. Bonon.* 15 *n.* 29 *Laderch. cons.* 149 *sub n.* 1, *Cassiodor. decis.* 2 *n.* 2 *de procur*,, *Cacheran. decis.* 149 *n.* 1, *Rot. decis.* 1046 *n.* 1 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

« Procuratore domino litis effecto, illius mandatum per mandantis mor- « tem revocari non potest, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 3 *n.* 48.

« Quando procurator est dominus litis effectus per mortem mandantis, « non resultat mandati revocatio, sed etiam contra mortuum ejusque « haereditatem cum procuratore domino litis effecto, judicium prosequi « ac terminari potest; nisi haeres, eo revocato, alterum deputaverit, « quoniam defectus potestatis consistit in revocatione procuratoris iu ge- « nere, adeo ut nemo supersit cum quo judicii prosequutio fieri valeat, « secus autem super mutatione personae (ut adnotavimus etiam *cap. CXVI* « *ad n.* 38) *Card. de Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 12.

« Mandatum non expirat per mortem mandantis, quando procurator « effectus fuit dominus litis, non obstante quod filii sint pupilli, *Rot. de-* « *cis.* 354 *n.* 9 *par.* 9 *tom.* 2 *Recent.*

81. Quando autem procurator dicatur effectus dominus litis, diximus *cap. LVIII de procuratore domino litis effecto*, vide *Cassiodor. decis.* 2 *n.* 2 *de procurat.*

82. Cujus limitationis ea potest esse ratio, quia procurator effectus dominus litis est etiam procurator haeredum constituentis, juxta notata per *Fulgos. in L. nulla n. . . . cod. de procurat.*, et ibi *Alex. n. . . . ,* cum aliis per *Rot. cor. Crescent. decis.* 211 *quae est* 11 *de sentent. et re judicat. num.* 2.

83. Ista autem sublimitatio sublimitatur in beneficialibus, in quibus mandatum expirat per mortem mandantis, quamvis sequatur post litem a procuratore contestatam, *Rot. decis.* 1263 *lib.* 3 *par.* 3 *divers. et cor. Mantic. decis.* 213 *n.* 5, et faciunt ea quae dicta sunt supra in prima sublimitatione praecedentis limitationis, vide etiam *Beniam. decis.* 149.

« In Romana Curia in beneficialibus, mortuo reo, proceditur contra « interesse putantes per contradictas, ad effectum adjudicationis et relaxa- « tionis sequestri, nec est ulterius citandus procurator defuncti, etiam « dominus litis effectus, *Ridolphin. in prax. par.* 3 *cap.* 1 *n.* 73.

« Et similiter, mortuo actore, potest reus per contradictas procedere « ad effectum obtinendi absolutoriam, nam in beneficialibus per mortem « principalis expirat mandatum procuratoris, etiam domini litis effecti adeo « quod amplius citari non debeat, *Ridolphin. ibid. d. par.* 3 *cap.* 1 *n.* 75.

« Haec tamen non vendicant sibi locum in prophanis, in quibus citari « debet procurator dominus litis effectus, vel eo non existente, citandi sunt « haeredes, si qui sint, alias dandus est curator haereditati jacenti, *Ri-* « *dolphin. ibidem n.* 76.

84. Nec obstat quod iste procurator possit revocari expresse ex justa causa, ut diximus supra *cap. CXVI de casibus in quibus procurator revocari non potest in* 5 *casu.*

85. Quia inter expressam et tacitam revocationem, quae ob mortem resultat, maxima est diversitatis ratio. Nam in revocatione expressa opponitur mandato contraria voluntas constituentis, quae plus debet et potest operari, quam praesumptiva illius cessatio, ut animadvertit *Ruin. d. cons.* 115 *n.* 3 *lib.* 1.

86. Ultra quod, si constituens, dum vixit, mandatum non revocavit, aperte demonstravit nullam subesse causam cur procurator effectus dominus litis debeat revocari, et proinde ob solam illius mortem non potest sequi talis resolutio, quam sine justa et rationabili causa fieri non posse etiam expresse dictum fuit in *d.* 5 *casu.*

87. Decimotertio, limitatur in procuratore constituto a tutore, cujus mandatum per mortem tutoris, re non integra, non expirat, late *Laderch. Imolen. cons.* 149 *n.* 4 *et infra lib.* 1.

« Mandatum tutoris constituentis pupillo procuratorem, tutoris morte « non expirat, *Rot. decis.* 172 *n.* 32 *et seqq. par.* 7 *Recent.*

88. Decimoquarto, limitatur in procuratore et sindico alicujus Monasterii, qui non censetur revocatus nec ob mortem Abbatis, vel Prioris dicti Monasterii, *Gloss. in Clem. unic. in verb. revocari de Procurat.*, *Rot. cor. Mantic. decis.* 74 *n.* 3.

89. Neque ex eo quod Abbas vel Prior revocentur ab officio, *Rot. decis.* 554 *n.* 2 *par.* 1 *divers.*

90. Quoniam Ecclesia et Monasterium nunquam moritur, *Can. Liberti* 12 *quaest.* 2, *Paris. cons.* 110 *n.* 3 *et* 134 *lib.* 2.

91. Nec mutatur morte particularium personarum, *Natt. cons.* 589 *n.* 18 *lib.* 3, *Paris. cons.* 17 *n.* 109 *lib.* 1, *Scacc. d. quaest.* 25 *n.* 102, ubi reddit aliam rationem.

92. Idem in procuratore constituto ab Episcopo, vel alio Praelato ad exequendas illius ordinationes, *Guid. Pap. decis.* 491 *n.* 1, ubi *Addent.* conciliant opinionem *Jafred. Balb. decis.* 364, qui contrarium sentit.

93. Decimoquinto, limitatur in procuratore substituto, qui non revocatur ob mortem substituentis, etiam si decederet antequam substitutus causam prosequi posset.

94. Censetur enim substitutus non ab ipso substituente, sed a principali domino constituente, *Rot. decis.* 414 *quae est* 33 *de procurat. in nov. n.* 2 *et cor.*, *Bisignet. decis.* 9 *eo tit.*, sequitur *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 105 *in fin.*

Alias limitationes habes apud *Rom. cons.* 211, apud *Dec. cons.* 421 *n.* 5, et apud *Felin. in cap. relatum extr. de offic. delegat.*, nec non apud *Covarruv. practic. quaest. lib.* 1 *cap.* 11 *post n.* 2 et apud alios.

« Mandatum procuratoris substituti non expirat per mortem substi- « tuentis, cum substitutus habeat facultatem a mandante et non a substi- « tuente, *Rot. decis.* 521 *n.* 8 *par.* 1, *et decis.* 530 *n.* 7 *par.* 3 *Recent.*

95. Declarantur autem generaliter supradictae omnes limitationes, ut procedant et sint verae, dummodo constituens decedat cum haerede, nam si moriretur absque haerede, mandatum non reperiret personam ex qua posset substineri, *Bart. in L.* 1 *n.* 46, et ibi *Bald. n.* 3 *vers. istae oppositiones*, in illis verbis « *solum istud est verum* » *cod. de action. et obligat.*, *DD. in L. fundi venditor*, et signanter *Rom. n.* 5, *Alex. n.* 4 *ff de acquir. possess.*, *Socin. Sen. cons.* 60 *n.* 10 *et cons.* 87 *in princ. lib.* 1, *Felin. in d. cap. relatum n.* 3 *extr. de offic. delegat.*, *Burs. cons.* 412 *n.* 20 *et seq. lib.* 4, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *tit.* 23 *n.* 53, *Guid. Pap. decis.* 547 *sub n.* 4, *Galles de obligat. cameral. quaest.* 23 *n.* 4, juxta ordinem *Zacch.*, *Marescott. variar. resolut. lib.* 2 *cap.* 62 *n.* 1 *et* 2, *Gratian. discept. foren. cap.* 873 *n.* 30, latissime *Jas. cons.* 138 *n.* . . *lib.* 4, *Cyriac. controv. jur.*

lib. 2 *controv.* 396 *n.* 4, 5 *et* 6, *Sebastian. Medices in tract. mors omnia solvit par.* 2 *n.* 203, videatur etiam *Toletana nullitatis professionis* 12 *Januarii* 1598 *coram Orano.*

96. Et ratio est quia mandatum non potest consistere sine persona mandantis vera, vel reprehesentata. Mandante autem absque haerede mortuo, nulla reperitur persona quae illum possit reprehesentare, et in qua sustineri possit ejus persona.

97. Quod non contingit, quando moritur cum haerede quae illius personam reprehesentat, *Auth. de jurejuran. a morien. praest. in princ.*

98. Et procurator qui reprehesentat personam domini, *L. ossa in fin. ff de religios. et sumptib. funer., Gloss. ult. in L. fin. ff de dol. mal. exception.*

99. Mortuo mandante sine haerede, remanet absque persona quam possit reprehesentare, et propterea illius mandatum non potest subsistere.

100. Nam esset procurator nullius, quod esse non potest, ut animadvertit *Socin. Sen. cons.* 87 *n.* 2 *et cons.* 112 *n.* 11 *in fin. lib.* 1, *Dec. cons.* 441 *n. . . et in cap. relatum n.* 11 *extr. de offic. delegat., Bart. in L.* 1 *n.* 4 *cod. de action. et obligat., Rom. in d. L. fundi venditor n.* 2, et ibi *Alex. n.* 4 *ff de acquir. possess., Stracc. de mercatur. in tit. de mandat. n.* 49, *Burs. cons.* 412 *n.* 18 *et seq. lib.* 4, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 174, *Cotta in memorabilib. procurator post mortem, Viv. decis.* 494 *n.* 6 *par.* 3, *Gratian. discept. foren. cap.* 342 *n.* 6 *et seqq.*

101. Quae omnia intelligenda sunt, dummodo certum sit constituentem nullum omnino habere haeredem, sed bona esse vacantia.

102. Secus autem si bona non sint vacantia, sed dumtaxat haereditas jaceat, eo quod illam nemo adiverit, nam eo casu constituens habet haeredem, licet adhuc haereditatem non adiverit, *Bald. in L. mandatum n.* 6 *cod. mandat.*, et ita declarat *Felin. in d. cap. relatum num.* 3 *in* 5 *fallent.*, et ibi *Dec. n.* 12 *extr. de offic. delegat., Marescott. d. cap.* 62 *n.* 3, ubi alios allegat, *Cyriac. d. controv.* 396 *n.* 7.

103. Licet enim quando bona sunt vacantia fisco deferantur, *L.* 1 *ff de jur. fisc. L.* 1 *et per tot. cod. de bon. vacant. lib.* 10.

104. Fiscus tamen non capit illa uti haeres, nec successio fisci in dictis bonis sapit jus haereditarium, *Bart. in L.* 1 *n. . .*, et ibi alii *ff de acquir. haeredit.*, et hanc opinionem dicit rectiorem *Rip. in L. ex facto § fin. in ultim. notab. n. . . . ff ad Trebellian.*, et sequitur *Peregrin. de jure fisci lib.* 4 *tit.* 3 *sub n.* 22.

105. Mortuo itaque mandante si illius bona sint vacantia, non datur titulus haereditarius, et propterea procurator ab eo constitutus, cum non habeat dominum quem reprehesentet, desinit esse procurator.

106. Cum procuratoris personam ex persona mandantis debeamus metiri, *Magon. decis. Lucens.* 71 *n.* 4.

107. Vel distinguas cum *Baldo in d. L.* 1 *sub n.* 3 *vers. istae oppositiones, et infra cod. de action. et obligat.*, an Fiscus recognoscat bona vacantia, et tunc cum fiscus habeat suos procuratores, per illos sunt administranda.

108. Si vero fiscus non recognovit dicta bona, et procurator debet dari per judicem per *L.* 1 *ff de curat. bon. dand.*

109. Unde in beneficialibus in quibus post mortem beneficiati certum est quod ei nullus futurus est haeres, qui illius personam reprehesentet, indistincte mandatum expirat ejus morte tam naturali, quam civili, *Vant. in d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 171 *cum seqq.*

110. Declaratur secundo, quod licet in supradictis casibus mandatum ob mortem mandantis non expiret, potest tamen ab ejus haerede revocari, *L. fundi ff de acquir. posses., Rom. cons.* 202 *n.* 3, *Dec. in cap. relatum n.* 15 *vers. et casu quo de offic. delegat., Toletana nullitatis professionis* 12 *Januarii* 1598 *cor. Orano, est L. in L. fundi venditor* § *item si amicus*, ac ibi *Alex. n.* 8 *ff de acquir. possess.*

« Quod procurator dominus litis effectus, mortuo illius principali, pos-
« sit ab ejus haerede revocari nos hic adnotavimus ad *n.* 80 *ex Card. de*
« *Luc. de judiciis disc.* 6 *n.* 12.

111. Excepto tamen casu, quando mandatum fuit factum ad commodum procuratoris vel alterius tertii, quia tunc non potest ab haerede mandantis revocari, *Bald. in L. id quod pauperibus col. fin. n. . . . cod. de episcop. et cleric.*, et ejus auctoritate, *Ruin. cons.* 7 *n.* 8 *lib.* 2.

112. Declaratur tertio, quod licet per mortem mandantis seu mandatarii expiret mandatum, non expirat tamen actio mandati, *L. si praecedente in princ., L. si mandato Titii* § *penult. ff mandati.*

CAPUT CXXI.

DE MANDATI RESOLUTIONE RESULTANTE OB LAPSUM TEMPORIS, VEL EX ALIIS CAUSIS.

SUMMARIUM

1. *Quando procurator est simpliciter constitutus absque ulla temporis expressione quo illius mandatum durare debeat, quod istud per quadriennii lapsum expiret.*
2. *Contraria refertur sententia.*

3. *Voluntas censetur durare quousque de mutatione non appareat.*
4. *Mandatum durare praesumitur, nisi doceatur de illius revocatione.*
5. *Intellectus ad* text. in L. in confirmanda ff de confirmat. tutor.
6. *Mandatum fieri potest ad certum tempus.*
7. *Et tunc lapso praefixo tempore expirat.*
8. *Concessa ad tempus, post illud censentur prohibita.*
9. *Potest tamen constituens, etiam pendente dicto tempore, mandatum revocare.*
10. *Procurator post dicti temporis lapsum, neque negocia inchoata valet perficere, licet adversarius eum uti procuratorem admittat.*
11. *Mandatum insufficiens comparentis non convalidatur per adversarii admissionem.*
12. *Cui non spectat eum constituere procuratorem, qui vere non est.*
13. *Ob lapsum temporis praefixi ita mandatum expirat ut non possit per judicis decretum prorogari.*
14. *Mandatum factum, ut certa die incipere debeat, ante adventum ejusdem diei exequi non valet.*
15. *Procurator generalis, finito quoque tempore, potest adesse ut causam impleat.*
16. *Mandatum factum sub conditione, illa deficiente, expirat.*
17. *Sub conditione factum, valet.*
18. *Ob certam causam factum, illa cessante, resolvitur.*
19. *Quod procedit in vicario dato, donec convaluerit alter.*
20. *Et in procuratore dato ob domini absentiam.*
21. *Licet dominus revertatur post litem contestatam.*
22. *Mandatum procuratoris ad lites finitur lata sententia.*
23. *Dummodo mandatum sit limitatum ad illam causam, in qua sententia fuit lata.*
24. *Secus si sit generale ad omnes lites praesentes et futuras.*
25. *Praesertim si sit ad omnes instantias.*
26. *Tunc enim tot censentur mandata, quot sunt causae.*
27. *Procurator specialiter constitutus ad aliquam causam, non dicitur dominus litis sed instantiae.*
28. *Causa appellationis est diversa ab illa primae instantiae.*
29. *Procurator specialiter constitutus ad aliquam causam, licet appellationem prosequi nequeat, tenetur tamen appellare.*
30. *Et potest absque novo mandato dominum defendere in judicio restitutionis in integrum, si adversus eum petatur.*

31. *Restitutio contra sententiam venit quodammodo incidenter ex prius actitatis.*
32. *Incidentibus non requiritur speciale mandatum.*
33. *Procurator censetur constitutus ad omnia connexa et dependentia.*
34. *Judicium restitutionis in integrum est prosequutio primi judicii et censetur eadem causa.*
35. *Mandatum etiam resolvitur ob mutationem status rei, et mutatis moribus procuratoris.*
36. *Nam semper intelligitur factum rebus sic stantibus, et non mutata conditione.*
37. *Novae causae emersio inducit evacuationem mandati.*
38. *Ubi mandatum pluribus est factum, ob mutationem status unius non expirat.*
39. *Et mutatio debet esse in deterius.*
40. *Ut si procurator se male gerere incipiat circa negocia et causas sui domini.*
41. *Vel si notarius cui fuit factum mandatum de conficiendo instrumento, ante illius confectionem sit condemnatus, quia in officio deliquit.*
42. *Vel si procurator efficiatur decoctus.*
43. *Aut ubi dominus incipiat minus posse, quam posset tempore facti mandati.*
44. *Aut quoties inter dominum et procuratorem superveniant inimicitiae.*
45. *Licet non sint capitales.*
46. *Immo sufficit quod procurator cogitet insidias contra dominum.*
47. *Quod procedit in habente mandatum a lege.*
48. *Mandatum non resolvitur si procurator fuerit condemnatus ad triremes.*
49. *Vel si fuerit captus a piratis.*
50. *A latronibus captus non efficitur servus.*
51. *Ubi dominus intellectum amittat expirat mandatum.*
52. *Vel sit capitaliter condemnatus cum confiscatione bonorum.*
53. *Tunc enim habetur pro mortuo.*
54. *Mandatum quoque expirat per mortem civilem, quamvis procurator sit effectus dominus litis.*
55. *In Fiscum non transit instantia, sed judicium expirat.*
56. *Mandatum finitur si dominus disponat de se, super quae procurator fuit constitutus.*

57. *Vel ubi super re mandata oriantur lites inter mandantem et tertium.*

Visum fuit de revocatione mandati expressa et tacita, resultante ex aliquo facto mandantis vel mandatarii: reliquum est ut pro complemento hujus tractatus recenseamus aliquot casus, in quibus absque aliquo facto hominis, mandatum expirat et resolvitur.

1. Et primo loco sese offert dubitatio, an mandatum expiret ob lapsum temporis: pro cujus resolutione sunt considerandi duo casus. Primus est, quando procurator fuit simpliciter constitutus, et in illius constitutione nihil fuit expressum circa tempus quo mandatum illud durare debeat, in quo licet *Paul. de Castr. cons.* 12 *col.* 1 *n.* . . . *lib.* 1, teneat quod mandatum expiret lapsu quadriennii, *arg. L. in confirmanda ff de confirmat. tutor.*

2. *Rota* tamen *cor. Mohaedan. decis.* 219 *quae est* 31 *de renunciat. n.* 1, resolvit mandatum non intelligi revocatum ob temporis lapsum.

« Procurator etiam per mille annos non praesumitur revocatus, *Ro-*
« *maguer. post. Conciol. ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rub.* 2 *n.* 15.

« Quod tamen intellige, nisi aliqua revocationis causa supervenerit, *idem*
« *Romaguer. ibid. n.* 16.

3. Quia eadem voluntas censetur durare quousque de mutatione non appareat, *cap. majores extr. de baptis.*, *L. eum qui ff de probat.*, *L. Lucius in fin. ff de leg.* 2.

4. Et mandatum praesumitur durare, nisi doceatur de revocatione, ut dictum fuit supra *cap. CXV revocatio mandati an sit intimanda, in princ.*, et cum hac opinione videtur transire, *Cassiodor. decis.* 1 *de renunciat.*

5. Neque obstat *tex. in d. L. in confirmanda*, quia loquitur quando ultra lapsum temporis apparebat de mutatione voluntatis ipsius tutoris.

6. Secundus casus est, quando mandatum fuit factum duraturum dumtaxat certo expresso et praefixo tempore, prout procuratorem constitui posse affirmat *Specul. in tit. de procurat.* § 1 *n.* 13.

7. Et in hoc est constituenda conclusio affirmativa, quod lapso tempore ad quod fuit factum mandatum, illud expiret et resolvatur, *Bart. in L.* 1 § *fin. n.* 4 *ff de procurat.*, *Paul. de Castr. cons.* 104 *n.* 2 *lib.* 1, *Riminal. jun. cons.* 71 *n.* 13 *lib.* 1, *Paris. cons.* 91 *n.* 8 *lib.* 1, *Vant. de nullit. in tract. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 175 *post princ. vers. ubi loquitur*, *Pacian. de probat. lib.* 1 *cap.* 32 *n.* 12, *Menoch. cons.* 443 *n.* 5 *et seqq. lib.* 5, *Mastrill. decis.* 150 *n.* 17, *Mantic. de tacit. lib.* 7 *cap.* 22 *n.* 29 *et seq.*, *Rot. cor. Cavaller. decis.* 488 *n.* 2 *et* 3.

8. Nam concessa ad tempus post illud censentur prohibita, *L. si unus*

§ 1, et ibi *Bald. n. . . ff de pact.*, cum cumulatis a *Tiraquel. de retract. convent.* § . . . *Gloss.* 2 *n.* 44, per quam rationem hanc conclusionem firmat *Rimin. jun. d. cons.* 71 *n.* 15, *Pacian. d. cap.* 32 *n.* 2.

9. Non prohibetur tamen constituens, quin pendente dicto tempore mandatum illud possit revocare, *Bart. d. L.* 1 § 1 *n.* 4 *ff de procurat.*

10. Ista autem conclusio ampliatur primo, ut in tantum ob temporis praefixi lapsum expiret mandatum procuratoris, ut procedat etiam quoad negocia inchoata, quae, lapso termino, perficere non potest procurator, etiamsi adversarius velit illum pro procuratore admittere, *Paul. de Castr. d. cons.* 104 *n.* 2 *lib.* 1, et licet de hac ampliatione videatur dubitare *Rimin. jun. cons.* 71 *n.* 13 *lib.* 1, *cum Castrense*, tamen transit *Surd. cons.* 57 *n.* 13 *lib.* 1, et cum eis ego quoque libentius pertranseo.

11. Quia mandatum insufficiens comparentis non convalidatur per admissionem adversarii, *Thom. Trevis. decis.* 68 *n.* 3 *lib.* 1.

12. Cum non spectet ad illum constituere procuratorem eum, qui vere non est, *Bald. in L. licet n.* 8 *in fin. cod. de procurat.*, *Alex. cons.* 72 *sub n.* 3 *lib.* 4, *Trevis. decis.* 14 *n.* 13 *lib.* 1.

13. Ampliatur secundo, ut in tantum ob lapsum temporis praefixi mandatum expiret, ut non possit per judicis decretum prorogari, ut post *Jo. Andr. ad Specul. in tit. de procurat.* § *ratione autem formae in addition. in verb. constitutis*, dicit *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 175 *vers. dum vult quod procurator.*

14. Ampliatur tertio, ut sicut mandatum factum, ut duret usque ad certum tempus, eo lapso expirat, ita quoque si fiat ut initium capiat a tali die, ante adventum dictae diei exequi non possit, *L. si mandavero* § 1 *ff mandat.*, *Jas. in auth. quae supplicatio n. . . . cod. de precibus Imperat. offerend.*, *Rot. Gen. post. Bald. et Paris.*, quos allegat, *decis.* 2 *num.* 35, ea ratione, quia ut dicit *Jason* tempus est pro forma.

15. Limitatur autem dicta conclusio, ut non procedat in procuratore generali, nam iste, etiam finito tempore, potest adesse ut causam impleat, *L.* 1, *L. ita autem* § *fin. ff de administr. tutor.*, per quae jura *Bart. in d. L.* 1 § *fin. n.* 4 *ff de procurat.*

16. Expirat etiam mandatum, quando factum est sub conditione, si illa deficiat, *Vant. d. tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 175 *circa med. vers. nam quae fiunt*, refert *Mascard. de probat. vol.* 2 *concl.* 1013 *n.* 13 *ad fin.*, sequitur *Surd. cons.* 365 *n.* 13 *lib.* 3.

17. Quod autem mandatum fieri possit sub conditione, probat *Surd. d. cons.* 365 *n.* 12 *per tex. in L.* 1 § 1 *ff mandat.*, et auctoritate *Azonis in summ. cod. mandat. n.* 7, et quia non numeratur per *JC. in L. actus legitimi ff de reg. jur.* inter actus qui non possunt stare in suspenso.

18. Mandatum praeterea resolvitur, si cesset causa propter quam fuit

datum, ut de mandato facto absentiae causa probat *Tex. in L. qui mutum* 56 § *non ideo minus*, et ibi *Gloss. ff de procurat. Vant. in d. tit. n.* 175, *Mascard. d. conclus.* 1013 *n.* 16.

19. Prout de vicario dato donec alter convaluerit, quod per convalescentiam alterius expiret ejus officium, dicit *Bellamer. decis.* 135 *si Episcopus*, et sequuntur *Vant. d. n.* 175, *et Mascard. d. n.* 16.

20. Et procurator datus ob absentiam domini.

21. Si ille revertatur etiam post litem contestatam desinit esse procurator, *Bart. in L. mutari* 25 *in princ. ff de procurat.*

22. Finitur etiam mandatum procuratoris constituti ad lites lata sententia, *Bart. in L. si procurator* 28 *n.* 2 *ff de procurat.*, *Paris. cons.* 18 *n.* 23 *lib.* 4, *Mascard. d. conclus.* 1013 *n.* 16 *in fin.*, *Rot. decis.* 797 *n.* 2 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

« Clausula « *relevans* » posita in mandato operatur, ut nedum actoris « mandatum expiret post primam sententiam, sed nec etiam mandatum rei, « *Rot. decis.* 172 *n.* 17 *par.* 7 *Recent.* Ista namque clausula operatur sa- « tisdationem de judicio sisti et judicatum solvendo, *Rot. ibid. n.* 18, « prout adnotatur etiam supra *cap. LXIV ad num.* 50.

« Caeterum procuratoris mandatum expirat lata sententia, quamvis « procurator fuerit effectus dominus litis, *Rot. d. decis.* 172 *n.* 16 *par.* 7 « *Recent.*

« Mandatum procurae expirat lata sententia, *Rot. decis.* 172 *n.* 16 « *par.* 7 *Recent.*

« Atque expirat post rem judicatam, *decis.* 193 *n.* 1 *par.* 8 *Recent.*

« Quod tamen intellige procedere, quando illius exequutio coram alio « judice petitur, secus si coram judice qui sententiam protulit, *Rot. d.* « *decis.* 193 *n.* 2 *et* 3 *par.* 8 *Recent.*

23. Quod tamen intelligendum est procedere in eo procuratore qui habet mandatum limitatum ad illam causam in qua lata fuit sententia, *DD. in L. invitus* 17 *cod. de procurat.*, ubi *Paul. de Castr. n.* 5, *Thesaur. decis.* 107 *n.* 1, *Rot. cor. Mohaedan. decis.* 126 *quae est* 6 *de procurat. n.* 2, *et in Recentior. decis.* 692 *n.* 2 *par.* 2.

24. Secus autem in procuratore generaliter constituto ad omnes lites praesentes et futuras, *L. si procurator* 28, et ibi *Bart. n.* 2 *ff de Procurat.*, *Paul. de Castr. in d. L. invitus n.* 5 *vers. item est verum*, et ibi *Jas. n.* 4 *vers. secundo fallit*, *Put. decis.* 345 *n.* 3 *lib.* 1, *Bart. in L. hoc jure n.* 5, et ibi late *Paul. de Castr. n. . . . ff de solut.*, *Berovius*, qui de communi testatur, *cons.* 186 *n. . . . lib.* 1.

25. Maxime si sit constitutus ad omnes instantias, *Rot. decis.* 854 *n.* 2 *lib.* 3 *par.* 3 *divers.*

« Mandatum munitum amplissimis clausulis, et cum clausula « *rele-*

« *vans etc.* » non expirat post primam instantiam, *Rot. decis.* 77 *n.* 11 « *par.* 11 *Recent.*

26. Nam tot censentur mandata, quot sunt causae, *Surd. decis.* 89 *n.* 18.

27. Quando autem quis fuit constitutus procurator specialiter ad aliquam causam, ideo non potest lata sententia se intromittere, vel quia erat dominus instantiae, non autem litis, *Gloss. in L. nullus cod. de procurat.* Instantia autem fuit finita per sententiam, *Guid. Pap. in tract. de appellat. quaest.* 112 *n.* 75, *Achill.* post alios *decis.* 20 *de procurat.*, et ideo lata sententia videtur functus officio suo; vel quia dictum mandatum erat restrictum ad primam instantiam, et coram illo judice, coram quo causa prius tractabatur.

28. Et diversa est causa appellationis ab illa primae instantiae, *d. L. invitus*, ubi *Salicet. n.* 15 *et Paul. de Castr. n.* 5 *cod. de procurat.*

« Atque hinc mandatum factum in causa appellationis non porrigitur « ad aliam in prima instantia diversam, *Rot. decis.* 109 *n.* 25 *par.* 17 « *Recent.*

29. Licet autem iste procurator specialiter constitutus ad unam causam desinat esse procurator quoad secundam instantiam, nec possit causam appellationis prosequi, nisi habeat expressam facultatem appellandi et appellationem prosequendi, ut dicit *Paul. de Castr. d. n.* 5 *ad fin.*, *Put. decis.* 345 *n.* 3 *lib.* 1, tenetur tamen appellare *Put. ibid. n.* 3. *et* 5, *Rot. decis.* 2 *n.* 2 *de procur. in nov.*, et nos alibi diximus.

30. Prout etiam si adversus dictam sententiam peteretur restitutio in integrum, dictus procurator specialiter constitutus ad dictam causam teneretur absque novo mandato, dominum defendere in illo judicio restitutorio, *L. qui proprio* 46 § *item quaeritur*, et ibi *DD. ff de procur.*, per quem *Tex. Cassiodor. decis.* 2 *n.* 1 *de procur.*, *Bellamer. decis.* 283, *Mohed. decis.* 4 *n.* 1 *de procur.*

31. Cujus conclusionis ea potest esse ratio quam considerat *Cassiodor. d. n.* 1, quia restitutio contra sententiam venit quodammodo incidenter ex prius actitatis.

« Restitutio in integrum petita adversus rem judicatam, nominatim « scilicet adversus talem sententiam, cum dicatur appendix prioris judicii, « non exigit novum procurae mandatum, secus vero si petatur principali- « ter et in genere, *Rota decis.* 193 *n.* 4 *et* 5 *par.* 8 *Recent.*

32. Et in incidentibus non est opus speciali mandato, *L. fin. cod. ubi et apud quem cogn. in integr. restit. agit. sit*, cum aliis ibi per eum.

33. Et proinde censetur constitutus ad omnia connexa et dependentia procurator, *Decian. cons.* 53 *n.* 12 *lib.* 3.

« Mandatum datum ad praeparatorium seu antecedens, censetur etiam

« datum ad omne id quod necessario consequitur, *Palma Nepos decis.* 90 « *n.* 19 *lib.* 1.

34. Vel quia judicium restitutionis in integrum est prosequutio primi judicii et censetur eadem causa, *Jas. in L. iuvitus n.* 4 *vers.* 4 *limit. in fin. cod. de procur.*, et per hanc rationem cum hac sententia pertransivit, *Put. decis.* 51 *n.* 3 *lib.* . . .

35. Resolvitur etiam mandatum ob mutationem status rei, et mutatis moribus procuratoris, *Rim. Sen. cons.* 201 *n.* 8 *lib.* 2, *Vant. de nullit. in tit. de nullit. ex defect. inhabilit. n.* 168 *et* 175, *Burs. cons.* 412 *n.* 76 *lib.* 4, *Bertaz. cons. crimin.* 493 *n.* 3 *lib.* 2, *Mascard. de probat. vol.* 2 *conclus.* 1013 *n.* 12 *et* 13, *Surd. cons.* 136 *n.* 39 *lib.* 1, *Marta vot.* 83 *n.* 2.

36. Nam mandatum intelligitur semper factum rebus sic stantibus, non si mutata sit conditio, *Rim. Sen. d. cons.* 201 *n.* 8, *Mastrill. decis.* 242 *n.* 4.

37. Et novae causae emertio inducit mandati evacuationem, *L. si cum Cornelius ff de solut. L. in confirmanda ff de confirm. tutor.*, per quae jura, *Rim. Sen. d. cons.* 201 *n.* 9.

38. Quod si mandatum fiat pluribus, ob mutationem status unius non expirat, *Vasquius de success. creatione progressu etc. lib.* 2 § *rei n.* 91.

39. Mutatio praedicta debet esse in deterius, *L. libera, ubi Bart. n.*. . . *ff de pecul.*

40. Potest dari exemplum, si procurator incipiat male versari et male se gerere circa negocia et causas domini, *L. si cum Cornelius ff de solut.*, *Vinc. de Franch. decis.* 457 *n.* 12, *Sebastian. Medices decis. March.* 7 *n.* 91 *in fin. et n.* 100, *Lup. in rubr. extr. de donat. inter. vir. et uxor.* § 67 *n.* 8 *et* 12.

41. Similiter mandatum factum notario de conficiendo instrumentum censetur revocatum, si ante instrumenti confectionem fuerit de falso condemnatus ex eo quod in officio deliquerit, *Rot. decis.* 812 *n.* 16 *et* 17 *par.* 1 *divers.*

42. Aliud exemplum potest dari, si procurator cedat foro ac decoquat, *L. cum quis*, et ibi *Paul. de Castr. n.* . . . *ff de solut.*, *L. rogasti* § *si fugitivus ff si cert. pet.*, *Paris. cons.* 96 *n.* 25 *lib.* 3, *Sim. de Praet. cons.* 151 *n.* 64 *lib.* 1, *Bertaz. cons. crimin.* 493 *n.* 3 *lib.* 2, *Mart. vot.* 83 *n.* 5, *Sebast. Medic. decis. March.* 7 *n.* 10, *Rot. Genuen. decis.* 1 *n.* 27.

43. Vel etiam si constituens incipiat minus posse, quam posset tempore facti mandati, *L. ejus qui in provincia ff si cert. pet.*, per quem *tex. Rim. Sen. d. cons.* 201 *n.* 11 *lib.* 2.

« Mandatum censetur revocatum per mutationem status mandantis, « *Saminiat. controv.* 27 *n.* 11 *lib.* 1.

« Maxime per effectivam decoctionem sequutam, quae cum morte na-

« turali aequiparetur, importat ipso jure mandati resolutionem, *Saminiat. d. controv.* 27 *n.* 12 *et* 13 *lib.* 1.

« Mandatum extinguitur per decoctionem mandantis, quae morti aequi-
« paratur, *Saminiat. controv.* 178 *n.* 8 *lib.* 2.

« Pro legali revocatione mandati sufficit quaelibet status mutatio, *Sa-*
« *miniat. controv.* 179 *n.* 11 *et* 12 *lib.* 2, ubi ait quod licet *Textus in L.*
« *si quis alicui* 48 *ff de acquir. haeredit.* loquatur in terminis superventi
« furoris, habet tamen locum ex identitate rationis in omni mutatione sta-
« tus, ut ait in puncto *Fabius de Anna cons.* 82 *n.* 12, et ad hoc illum
« communiter DD. allegant, et in specie *Pignatell. controv. forens. cap.* 11
« *sub n.* 12, *Rocca Epis. select. disp. cap.* 94 *n.* 24.

« Ex status deterioratione oritur revocatio mandati, *Rot. in Mantiss.*
« *ad Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 19 *n.* 8 *tom.* 1.

« Decoctio mandantis facit expirare mandatum, *Rot. in Mantiss. ad*
« *Card. de Luc. de usuris lib.* 5 *decis.* 20 *n.* 6 *tom.* 1.

44. Nec non etiam si inter dominum et procuratorem superveniant inimicitiae, *L. pater haeredi* § 1 *in illis verbis nisi causa ff de testamen. tutel.* per quem *tex. et alia jura, Mastrill. decis.* 242 *n.* 5, *Jo. Lopez in rubr. de donat. inter vir. et uxor.* § 57 *n.* 13.

« Ubi inimicitia inter procuratorem et dominum intervenerit, justa
« censetur causa revocationis adesse, *Romaguerr. post Conciol. ad statut.*
« *Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 16.

45. Etiam si non sint capitales, *Paul. de Castr. in L. filius* § *procuratorem n.* 6 *cod. de procur.*

46. Immo ex eo dumtaxat quod procurator cogitet insidias contra dominum, *Bald. in L. mandatum n.* 14 *cod. mand.*

47. Quae conclusio procedit etiam in eo qui habet mandatum a lege, quale habet tutor et aliae personae quas recensuimus supra *cap. III de mandato habito a Lege, Mastrill. d. decis.* 242 *n.* 5, qui loquitur in executore ultimarum voluntatum, et adducit jura loquentia de tutore.

48. Non tamen censetur resolutum mandatum ob mutationem status ipsius constituentis, puta si fuerit condemnatus ad triremes, *Rot. decis.* 492 *n.* 4 *par.* 2 *Recent.*

« Mandatum procuratoris non expirat quando mandans fuit ad trire-
« mes etiam perpetuos condemnatus absque confiscatione bonorum, *Rot.*
« *decis.* 492 *n.* 2 *et* 4 *par.* 2 *Recent.*

« Ea ratione quod de jure novo autenticorum nemo liber natus, qui
« per sententiam ad aliquod opus etiam in perpetuum damnatus sit, servus
« poenae efficitur, et propterea ita damnatus potest contrahere, et contra-
« hendo acquirere, *d. decis.* 492 *n.* 2 *et* 3 *par.* 2 *Recent.* prout adnotatur
« etiam *cap.* 120 *ad n.* 27.

49. Vel si fuerit captus a pyratis, ut fuisse decisum per *Rot. Genuen.*, testatur *Chartarius decis.* 92 *n.* 2.

50. Quia iste tamquam captus a latronibus non efficitur servus, *L. hostes ff de captiv.*, *L. hostes ff de verb. signif.*

51. Si autem dominus mutaverit statum, ita ut amiserit intellectum, puta sit effectus furiosus, expirat mandatum, *L. quia servum*, *L. si quis alicui ff de acquir. haered.*, *Viv. decis.* 494 *n.* 14 *in fin.*

52. Vel si condemnetur capitaliter in poena vitae et confiscationis bonorum, *Ant. Monach. decis. Lucens.* 25 *n.* 68, *Laderch. cons.* 94 *n.* 2 *vers. neque iis obstat.*

« Mandatum procuratoris expirat per mortem civilem et bannum ca-
« pitale constituentis, *Rot. decis.* 506 *n.* 6 *par.* 13, *et decis.* 486 *num.* 3
« *par.* 14 *Recent.*, prout adnotatur etiam *cap.* 120 *ad n.* 27.

53. Eo enim casu procurator non habet personam quam repraehesentet, nam dominus capitaliter condemnatus habetur pro mortuo, *Alex. cons.* 23 *n.* . . , *cons.* 26 *n.* . . , *et cons.* 75 *n.* . . . *lib.* 2, *Ruin. cons.* 49 *n.* . . . *lib.* 4, *et cons.* 26 *n.* . . . *lib.* 5, et jam fuit deductum supra *cap. CXX mandatum quomodo expiret ob mortem.*

54. Quod mandatum expiret per mortem etiam civilem, etiam si procurator sit effectus dominus litis.

55. Fiscus autem non potest repraehesentari tum per rationes ibidem allatas, tum quia in eum non transit instantia, sed judicium expirat, *L. si coartante* § *fin. ff solut. matr.*, *Bald. de pac. Constant. in verb. sententiae*, *Bossius in sua practic. crimin. tit. de Fisc. et ejus privil. num.* 44.

56. Item finitur mandatum si dominus disponat de re super qua procurator fuerat constitutus, *Soc. Sen. cons.* 112 *n.* 12 *lib.* 1.

« Procuratoris mandatum expirat terminato negocio ad quod fuit
« constitutus, *Palma Nepos decis.* 90 *n.* 7 *lib.* 1.

57. Item si super re mandata oriantur lites inter mandantem et tertium, *Alex. cons.* 209 *n.* 3, *et cons.* 210 *n.* 4 *lib.* . . , refert *Bertazol. cons. crimin.* 493 *n.* 4 *lib.* 2.

« Mandatum expirat per executionem ejus quod erat mandatum, *Rot.*
« *decis.* 138 *n.* 7 *par.* 16 *Recent.*

« Quod procedit etiam si duo forent procuratores in solidum, et ne-
« gocium ab uno tantum adimpleretur, *d. decis.* 138 *n.* 8 *par.* 16 *Recent.*

CAPUT CXXII.

DE PROCURATORE FISCI.

1. « Ad hoc ut locum obtineat privilegium, *L. bene a Zenone*, est « necessaria subasthatio quae fieri debet auctoritate magistratus principalis, « instante procuratore Fisci, *Gob. ad L. bene a Zenone cod. de quadr.* « *praescript. quaest.* 2 *n.* 72.

2. « Privilegio *L. bene a Zenone* utitur acquirens etiam ubi alienatio « fuit facta a procuratore Fisci vel officiali Principis, a quibus fieri posse « non est dubitandum, dummodo tamen habuerint speciale mandatum, *Gob.* « *ad L. bene a Zenone cod. de quadr. praescript. quaest.* 2 *n.* 121 *et* 122.

3. « Habens causam a principe, si fisci procuratorem interpellet et ab « isto fóri declinatoria opponatur, causa ejus judici ordinario non est remit- « tenda, sed retineri debet coram judice coram quo fuit coepta, *Gob. ad* « *L. bene a Zenone cod. de quadr. praescript. quaest.* 3 *n.* 86 *et* 87.

4. « Propositio, ut nemini concedatur judicare in causa propria, limi- « tationem recipit in Papa et in Regibus, aliisque supremis Principibus « quoniam judicant per Magistratus et judices per eos ad id deputatos, unde « propterea adest discretio inter judicem et partem cum istam repraehesentet « Fiscus. Quinimo etiam in Episcopis aliisque inferioribus datur haec discre- « tio in quibus ipsamet Ecclesia vel Mensa sit pars interessata, quoniam « aeconomus vel promotor fiscalis partes actoris vel rei gerere dicitur; unde « propterea receptum habetur in materia juris patronatus, vel in similibus « causis etiam solum jurisdictionalibus vel praeminentialibus, quod senten- « tiae aliaque acta ipsiusmet Episcopi vel Praelati corruant non citato nec « audito promotore fiscali, cum ita judicii partes essentiales deficere dican- « tur super concursu trium personarum, Actoris, Judicis et Rei, *Card. de* « *Luc. de judiciis disc.* 3 *n.* 58 *et* 59.

5. « Procurator fiscalis legitime comparet pro defensione libertatis Ec- « clesiae, *Rot. in Mantiss. ad Card. de Luc. de judiciis lib.* 15 *decis.* 7 « *n.* 2 *tom.* 4.

CAPUT CXXIII.

ALLEGATIONES VARIAE.

1. « Scientia in utilibus supplet vices mandati etiam ubi istud speciale « requiritur, et retrotrahitur ad tempus actus gesti, *Actolin. resolut.* 91 « *n.* 35 *et* 36.

2. « Scientia procuratoris specialiter ad aliquem actum constituti, est « scientia ipsius domini eique nocet, *Gob. ad L. bene a Zenone cod. de quadr.* « *praescript. quaest.* 2 *n.* 36.

3. « Ut citatio nulliter exequuta sanetur sufficit sola procuratoris com- « paritio; immo sufficit sola ipsiusmet procuratoris constitutio, cum ex illa « praesumatur notitia citationis in constituente, dummodo constitutio post « citationem sit facta, *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 1 *n.* 18 « *et* 19.

4. « Mandatum tacitum et praesumptum aequiparatur expresso, ideo- « que dubitari non valet quin sit sufficiens, *Conciol. ad Statut. Eugubin.* « *lib.* 2 *rubr.* 2 *n.* 1 *et* 2.

5. « Instantia currit non obstante impedimento infirmitatis vel absentiae « advocati, *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 20 *n.* 21.

6. « Expensae advocati et procuratoris qui in causa intervenerunt sunt « per victum reficiendae, etiamsi advocatus vel procurator gratis patroci- « nium praestiterint, cum principalis sit obligatus ad antidora, *Conciol.* « *ad statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 21 *n.* 14 *et* 15.

7. « Quoties per adultos seu puberes procurator cum juramento de « ratum habendo fuit constitutus, legitime cum ipsis agitatur judicium, « quia per ipsum juramentum majores reputantur; licet utilius sit parti « instare quod ipsis procurator constitutus detur in curatorem, *Romaguer.* « *post Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 2 *rubr.* 55 *n.* 17.

8. « Ipsi autem minori, licet cum procuratore cum juramento litiganti « beneficium restitutionis in integrum impartitur, si fuerit laesus, *Roma-* « *guer. ibid. n.* 18.

9. « Sententiae intimatio est facienda domino, non autem procuratori, « *Conciol. ad Statut. Eugubin. lib.* 3 *rubr.* 1 *n.* 11.

10. « Citatio praesumitur exequuta ex constitutione procuratoris ad « causam, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 2 *n.* 106.

11. « Praesentia procuratoris supplet et sanat citationis defectum, « dummodo sit praesens ad illum finem, alias secus, *Ridolphin. in prax.* « *par.* 1 *cap.* 2 *n.* 116.

12. « Comparitio citati, vel ejus procuratoris convalidat acta, et cita- « tionem nulliter exequutam, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 4 *n.* 32. « Quia ex ea praesumitur notitia citationis, cujus finis est comparitio, quod « ampliatur ut procedat etiam in citatione per aedictum, *Ridolphin. ibid.* « *n.* 33. Quod procedit etiamsi in citatione non sit insertus tenor com- « missionis, ac etiam si quis compareat ad effectum excipiendi de nullitate « citationis, *Idem. ibid. n.* 34. Et sive procurator sit specialiter ad illam « litem, sive generaliter ad lites post citationem exequutam constitutus, « dummodo tamen, quando est generaliter constitutus deducat generalita-

« tem ad speciem per comparitionem respectu causae in qua fuit ejus prin-
« cipalis citatus, *Idem. ibid. n.* 35. Quod procedit, sive procurator gene-
« raliter ad lites constitutus sit ante sive post exequutam citationem, nam
« alias sola specialis constitutio procuratoris ad illam causam est per se
« sufficiens ad arguendam exequutae citationis notitiam, *Idem. ibid. n.* 36.
« Etiam si comparitio fieret post terminum in citatione contentum, ex quo
« remanent salvae exceptiones, quod tamen non haberet locum in citatione
« ad sententiam, nam tunc non admitteretur nec relevaret comparitio post
« terminum quia praejudicium esset effectum irreparabile, *Idem. Ridolphin.*
« *ibid. n.* 37.

13. « Conclusio quod post publicatas attestationes, et didicita testificata
« non possint testes examinari super eisdem, vel de directo contrariis, non
« procedit quando processus originalis fuit tantum ostensus, vel etiam di-
« missus in manibus procuratoris, secus si diu fuit poenes principalem,
« *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 11 *n.* 133.

14. « Defectus citationis sanatur per comparitionem citati, vel ejus
« legitimi procuratoris, ex quo finis est citationis comparitio, *Ridolphin. in*
« *prax. par.* 1 *cap.* 13 *n.* 354.

15. « Excommunicari quis potest absque citatione personali, quando quis
« comparuit saltem per procuratorem, *Ridolphin. in prax. par.* 1 *cap.* 14
« *n.* 238.

16. « Termini substantiales servati cum procuratore minus legitimo
« sanantur per illorum reiterationem, citato procuratore legitimo vigore
« Innocentianae, *Ridolphin. in prax. par.* 2 *cap.* 1 *n.* 145.

17. « Sententia lata in favorem pupilli vel minoris indefensi valet etiam
« si sit lata sine curatore, vel cum procuratore minus legitimo, *Ridolphin.*
« *in prax. par.* 3 *cap.* 2 *n.* 83.

18. « Valet autem etiam sententia lata contra minorem, quando ejus
« causa fuit cum procuratoribus et advocatis defensa, *Ridolphin. ibid. n.* 84.

19. « Procurator qui dixit *nihil fieri*, est omnino in unoquoque actu
« citandus, *Ridolphin. in prax. par.* 3 *cap.* 3 *n.* 11.

20. « Si domus procuratoris non est cursoribus nota, debebit procu-
« rator eligere domicilium in quo citari velit, ne alias citetur per diligen-
« tias, et domicilio demum non reperto per affixionem, *Ridolphin. in prax.*
« *par.* 3 *cap.* 4 *n.* 17.

21. « Procurator praesumitur plenam habere scientiam facti illius
« causae quam defendit, *Rot. cor. Crispo decis.* 17 *n.* 7 *tom.* 1.

22. « Procurator non potest actuarii officium usurpare in eadem causa
« in qua est procurator, *Rot. cor. Crispo decis.* 166 *n.* 5 *tom.* 1.

23. « Redemptio census, cum sit res favorabilis, per quemcumque fieri
« potest etiam extraneum et absque mandato, *Thomat. decis.* 140 *n.* 4

« *par.* 2, ubi allegatur *Cencius de Censib. par.* 3 *cap.* 1 *quaest.* 3 *art.* 3
« *per tot., et Rot. post eumdem decis.* 271 *n.* 5.

24. « Si procurator meus est Notarius potest se rogare de instrumento
« ad mei favorem, *Thomat. decis.* 247 *n.* 54 *par.* 2.

25. « Procurator praesumitur agere nomine constituentis, *Thomat.*
« *decis.* 289 *n.* 6 *par.* 2.

26. « Mandatum in dubio deservit pro interpretatione, *Card. de Luc.*
« *de foeud. disc.* 111 *n.* 6.

27. « Locus contractus ille appellatur in quo mandatarius recipit et
« exequitur mandatum, *Card. de Luc. de jurisdict. et for. competen. disc.* 71
« *n.* 4.

28. « Si utriusque partis procurator sit in culpa, qualis videatur magis
« excusabilis, vide apud *Card. de Luc. de censib. disc.* 24 *n.* 9.

29. « Privilegia connexa professoribus legum an conveniant procura-
« toribus et advocatis, vide *Card. de Luc. de praeeminentiis disc. n.* 5
« *et seqq.*

FINIS.

INDEX

CAPITUM HUJUS TRACTATUS.

Ad Jurisconsultos — Praeloquium . . . . . Pag. VII
De Mandato et Procuratore, et de horum verborum significatione. Caput I. . » 1
Mandati de quo agitur, species quot sint, et quo ordine sit de singulis agendum. Cap. II . . . . . » 7
De Procuratore constituto a Lege. Cap. III . . . . . » 10
De Conjuncta persona, et quae sit. Cap. IV . . . . . » 18
Conjunctus quid possit pro Conjuncto absque illius mandato. Cap. V. . . » 22
De Procuratore seu Sindico Universitatis. Cap. VI . . . . . » 33
De Sindici Universitatis electione. Cap. VII . . . . . » 38
De electione Sindici, an omnes Consiliarii intervenire debeant. Cap. VIII. » 42
In Instrumento Sindicatus an sit necessarium exprimere nomina singulorum Consiliariorum. Cap. IX . . . . . » 48
Ad convocandum Consilium pro creando Sindico an requiratur Superioris auctoritas. Cap. X . . . . . » 52
Pro valida Sindici electione an sit necessarium Decretum potestatis loci. Cap. XI . . . . . » 54
De Sindici potestate. Cap. XII . . . . . » 56
Sindicus quando praejudicet suae Universitati delinquendo. Cap. XIII . . » 65
Sindicus an obliget Universitatem contrahendo, et signanter ex mutuo. Cap. XIV . . . . . » 67
Ex Contractu Sindici an remaneant obligatae personae singulares de Universitate. Cap. XV . . . . . » 69
Ex Contractu Sindici an personae particulares obligentur in solidum, et an obligentur personae quae tempore facti mandati non erant natae, vel non erant de corpore Universitatis. Cap. XVI . . . . . » 77
Sindicus qualiter in officio se gerere debeat et quanto tempore duret illius officium. Cap. XVII . . . . . » 78
De Procuratoris constitutione. Cap. XVIII . . . . . » 84
Mandatum absenti factum quomodo sit illi notificandum. Cap. XIX . . . » 87
Qui possit Procuratorem constituere. Cap. XX. *Conclusio prima*. . . . . » 90

Qui possint Procuratorem constituere. Cap. XXI. *Conclusio secunda* . . Pag. 95
Procurator quis esse possit. Cap. XXII . . . . . » 101
Procuratorem constituere an quis cogi possit. Cap. XXIII . . . . . » 110
Procurator an cogi possit ad susipiendum mandatum. Cap. XXIV . . . » 114
De Mandato expresso. Cap. XXV . . . . . » 121
Mandatum expressum an probetur testibus. Cap. XXVI . . . . . » 123
Mandatum an probetur per assertionem Notarii, quod illud viderit et legerit. Cap. XXVII . . . . . » 128
De Mandato ambiguo. Cap. XXVIII . . . . . » 130
De Mandato tacito, et quis illud habere dicatur. Cap. XXIX . . . . . » 139
Mandatum an praesumatur ob temporis diuturnitatem. Cap. XXX . . . » 143
Mandatum ad Lites quando praesumatur. Cap. XXXI . . . . . » 153
Mandatum ad negocia quando praesumatur. Cap. XXXII . . . . . » 169
De Procuratore ad Lites. Cap. XXXIII . . . . . » 175
De Mandato generali ad Lites. Cap. XXXIV . . . . . » 182
Mandatum generale ad Lites an extendatur ad causas movendas. Cap. XXXV » 187
Procurator ad Lites an possit impetrare vel recusare judicem. Cap. XXXVI » 193
An cum Procuratore generali inchoari possit judicium. Cap. XXXVII . . » 197
Procurator ad Lites an et quando possit alium Procuratorem in locum suum ponere. Cap. XXXVIII . . . . . » 202
Procurator ad negocia an possit alium substituere. Cap. XXXIX . . . . » 209
Quaestiones aliquot circa materiam substitutionis Procuratorum. Cap. XL . » 212
Procuratores plures in eadem causa vel ad idem negocium quando constitui possint. Cap. XLI . . . . . » 220
An et quando plures Procuratores sint in solidum constituti. Cap. XLII . » 224
Procurator ad lites an teneatur appellare et appellationem prosequi. Cap. XLIII . . . . . » 229
De Procuratore constituto ad certam causam. Cap. XLIV . . . . . » 233
De Procuratore constituto ad unum tantum articulum. Cap. XLV . . . » 239
De Procuratore ad appellandum. Cap. XLVI . . . . . » 243
Procurator ad appellandum an possit appellationem prosequi. Cap. XLVII » 246
De Procuratore ad petendum restitutionem in integrum. Cap. XLVIII . . » 249
De Mandato ad subeundum vel referendum juramentum. Cap. XLIX . . » 252
Ad jurandum de calumnia an sit necessarium mandatum speciale. Cap. L » 255
De Mandato ad jurandum in animam constituentis. Cap. LI . . . . . » 258
De Mandato ad ponendum et respondendum positionibus. Cap. LII . . . » 261
Procurator confitendo an praejudicet domino. Cap. LIII . . . . . » 266
Confessio judicialis Procuratoris an domino praejudicet. Cap. LIV . . . » 272
Contumacia et negligentia Procuratoris an praejudicet domino. Cap. LV . » 277
Dominus an restituatur adversus negligentiam Procuratoris, maxime in appellando. Cap. LVI . . . . . » 281
Procurator an possit esse testis in causa in qua est Procurator. Cap. LVII » 287
De Procuratore domino litis effecto. Cap. LVIII . . . . . » 293
Procuratoris officium ad Lites an sit honorificum. Cap. LIX . . . . . » 300
Procuratori ad Lites an constitui possit salarium. Cap. LX . . . . . » 303
Procurator qua actione possit consequi salarium. Cap. LXI . . . . . » 311
De pacto quotae Litis. Cap. LXII . . . . . » 314
Procurator in criminalibus quando intervenire possit. Cap. LXIII . . . » 319
De satisdatione praestanda a Procuratore ad lites. Cap. LXIV . . . . . » 320

De Procuratore constituto ad negocia, et ad quid teneatur. Cap. LXV. Pag. 328
De potestate Procuratoris generalis ad negocia. Cap. LXVI . . . . . » 335
Procurator an praejudicet Domino faciendo. Cap. LXVII . . . . . » 344
De Mandato speciali. Cap. LXVIII . . . . . » 349
Mandatum speciale quando et in quibus casibus requiratur. Cap. LXIX . » 356
De Mandato ad contrahendum. Cap. LXX . . . . . » 372
Procurator minoris an contrahendo debeat adhibere solemnitates requisitas in contractu minoris. Cap. LXXI . . . . . » 378
Procurator ad contrahendum an si contrahat nulla facta mentione de mandato, censeatur contrahere nomine proprio. Cap. LXXII . . » 381
Procurator an finito officio remaneat obligatus. Cap. LXXIII . . . . . » 384
De Mandato ad fidejubendum. Cap. LXXIV . . . . . » 388
De Mandato ad emendum. Cap. LXXV . . . . . » 391
De Mandato ad donandum. Cap. LXXVI . . . . . » 400
De Mandato ad alienandum. Cap. LXXVII . . . . . » 403
De Mandato ad vendendum. Cap. LXXVIII . . . . . » 407
Procurator ad vendendum an possit habere fidem de praetio. Cap. LXXIX » 414
De Mandato ad locandum. Cap. LXXX . . . . . » 418
De Mandato ad contrahendam vel disdicendam societatem. Cap. LXXXI . » 420
De Mandato ad transigendum. Cap. LXXXII . . . . . » 423
De Mandato ad compromittendum. Cap. LXXXIII . . . . . » 425
De Mandato ad exigendum. Cap. LXXXIV . . . . . » 430
De Mandato ad recipiendum solutiones. Cap. LXXXV . . . . . » 440
De Mandato ad solvendum et quis illud habere praesumatur. Cap. LXXXVI » 446
De Mandato expresso ad solvendum. Cap. LXXXVII . . . . . » 449
De Mandato ad contrahendum matrimonium. Cap. LXXXVIII . . . . . » 456
De Mandato ad acquirendam possessionem. Cap. LXXXIX . . . . . » 459
Procurator an possit mutare factum a mandante. Cap. XC . . . . . » 463
De Mandato ad ea quae consistunt in animo. Cap. XCI . . . . . » 465
De Mandato circa foeudalia et emphyteutica. Cap. XCII . . . . . » 470
De Mandato ad ea ex quibus mandans remanet obligatus. Cap. XCIII . . » 475
De Mandato ad faciendum actus domino praejudiciales. Cap. XCIV . . . » 480
De Mandato circa ea ex quibus mandans potest incidere in poenam. Cap. XCV. » 485
Procuratori ad negocia an debeatur salarium. Cap. XCVI. . . . . » 491
Procurator tenetur servare fines mandati. Cap. XCVII. . . . . » 495
Procurator non servans ad unguem fines mandati quando dicatur illos egredi. Cap. XCVIII. . . . . » 503
De actione mandati directa. Cap. IC . . . . . » 513
De contraria actione Mandati. Cap. C . . . . . » 519
De exceptione Mandati. Cap. CI . . . . . » 526
De Mandati productione. Cap. CII . . . . . » 537
Mandatum quando sit producendum in judicialibus. Cap. CIII . . . . . » 545
Mandatum in extrajudicialibus quando sit producendum. Cap. CIV . . . » 554
De Ratificatione gestorum. Cap. CV. . . . . » 557
De expressa Ratificatione et ejus effectibus. Cap. CVI . . . . . » 562
Ratificatio ut suffragetur quae sint necessaria. Cap. CVII. . . . . » 569
De tacita Ratificatione gestorum et quomodo inducatur. Cap. CVIII . . . » 576
De Mandato cum libera administratione. Cap. CIX . . . . . » 581
De potestate Procuratoris cum Libera. Cap. CX . . . . . » 585

De Procuratore in rem suam. Cap. CXI . . . . . Pag. 593
De falso Procuratore. Cap. CXII . . . . . » 601
Falsus Procurator quas poenas incurrat. Cap. CXIII . . . . . » 605
De Mandati revocatione expressa. Cap. CXIV . . . . . » 608
Revocatio Mandati an sit intimanda et cui. Cap. CXV . . . . . » 617
De casibus in quibus Procurator revocari non potest. Cap. CXVI . . . . » 622
Mandatum quando extinguatur ob alterius constitutionem. Cap. CXVII . . » 632
De resolutione Mandati ob comparitionem domini, cessionem litis et restitutionem jurium. Cap. CXVIII . . . . . » 637
Mandatum an per renunciationem Procuratoris expiret. Cap. CXIX. . . » 641
Mandatum quomodo expiret per mortem. Cap. CXX. . . . . » 644
De Mandati resolutione resultante ob lapsum temporis, vel ex aliis causis. Cap. CXXI . . . . . » 664
De Procuratore Fisci. Cap. CXXII . . . . . » 674
Allegationes variae. Cap. CXXIII . . . . . » ibi

E.H.P.
5/26/08.